

R. White sculp.

Vera Effigies Rndi & Doctissimi viri ANTON. TUCKNEY D.D. &

Sold by Ionathan Robinson, and George Wells, in S.t Pauls Church-yard.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ,

Nec non

Determinationes Quæstionum variarum insignium in Scholis Academicis Cantabrigiensibus habitæ; Quibus accedunt Exercitia pro Gradibus capessendis.

PER

Rev Doctiss. Virum

ANTON. TUCKNEY, S.T.D.

In Academia Cantabrigiensi quondam SS. Theolog. Professorem Regium, Collegii Emanuelis primum, dein S. Joan. Evangelistæ Præfectum.

Omnia fidelitèr ex Autoris Autographo descripta.



AMSTELODAMI,

Ex Officina STEPHANI SWART,

Impensis *Jonathanis Robinsonii*, & *Georgii Wells*, Bibliopolarum Londinensium.

Anno 1679.

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York



PRÆFATIUNCULA
ad
LECTOREM.

MEmineris forsan (Benigne & Erudite Lector) tribus ferè abhinc annis Conciones aliquot Reverendi Authoris tibi à nobis vernaculo Sermone exhibitas. Ab eâdem manu te jam salutant ejusdem hæ Prælectiones, Determinationes, reliquáque exercitia Theologica, quæ indignum prorsus doctis visum est cum blattis & tineis perpetuò luctari. Rerum sanè quas tractant quà sublimitas quà pondus, non exiguam eis dignitatem queunt conciliare. Christi ὁμοουσία cum Patre. Justificatio. Rationis usus in rebus fidei. Legis moralis in fidelibus obligatio, & alia præcipua in Theologiâ Capita. Quæ quanto cum acumine, judicio, quantâ etiam animi moderatione tractata, à Pontificiorum, Socinianorum, Remonstrantium, Antinomorum erroribus vindicata fuerint, tuum erit percipere, uti, frui, nobis satius silere & ἐχεμυθεῖν. Argumentum primæ Præ-

lectionis de Deitate Christi ex Joann 17.3.
muneris in ipso aditu numeris Professorii præstituerunt Authori venerandi Electores. Justificationis Doctrinam ipse sibi delegit, quam & prosecutus est usque ad finem quinquennalis, & quod excurrebat, spatii, quo cathedram ornavit. Quæstiones per idem temporis spatium determinatæ, variæ, & pro Respondentium arbitrio natæ. Tandem vindicatio *fidei* à superbo *rationis* magisterio in publicis Comitiis pro Gradu Doctoris præstita; ut & defensio obligationis Legis moralis in Scholis. Cui subjunximus & Concionem unam vel alteram pro gradu, ut & Determinationem vice Margaretani Professoris habitam.

Quæ dum perlustras, Candide Lector, Deo gloriam tribuas, qui in excitando tam præclaro Fidei Orthodoxæ vindice benignè adeò Ecclesiæ suæ prospexerit, adeò prudenter & tutò Veritati. Eundem rogans ut alios & alios deinceps succenturiet.

Vale.

Tuus

Sept. 24. 1678.

JONATHAN TUCKNEY.

Faxit,

PRÆFATIO.

QUOD *in exundatione* Nili *ſolenniter accidiſſe legimus, ut reſidente limo innumeræ exinde turpium animalculorum formæ enaſcantur, idem planè in* Africa *hac noſtra Britannica, intra noſtram memoriam, triſti ſatìs experimento comperimus. Æſtuante ſiquidèm plebe, ac omnes officii ſui & modeſtiæ ripas prætergreſſâ, magna undique ineptiſſimorum hominum facta eſt colluvies, quæ illorum, qui cum imperio erant, quà tolerantiâ quà favore veluti ſolaribus radiis animata, mirum quot opinionum monſtra, & quantum errorum exercitum progenuerit. Quæ ſanè peſtis non ſolùm plebeculæ mentes & conſcientias conſtupravit, ſed & veritatem ipſam obſcurare, cælúmq; nobis eripere, ac Evangelicæ Eccleſiæ non tantùm conſpurcare faciem, ſed & πανολεθρίαν quandam interminari videbatur. Non defuerunt tamen Eccleſiæ Dei temporibus illis tam alienis, docti quamplurimi & cordati viri, qui veram doctrinam inconcuſſâ mente retinerent, Eccleſiam noſtram afflictam ſolarentur, proſtratam erigerent, qui Ægyptiacas iſtas ranas quibuſcunq; modis contererent & profligarent. In quorum certè primariis erat V. V.* Antonius Tuckneius, *vir pius ac doctus, & veritatis, quæ eſt ſecundùm pietatem, retinendæ ſtudioſiſſimus, ejuſdémq; aſſerendæ ac vindicandæ propugnator ſtrenuus, & Hyperaſpiſtes fideliſſimus.*

Is (uti ſemper, ita præcipuè) dum in Academia Cantabrigienſi *ſacram Theologiam publicè profiteretur, & quidem in eadem facultate Regii Profeſſoris munere fungeretur, docendo ac diſputando, ad Lernæum iſtud erroris monſtrum ac numeroſum malum decollandum operam ſuam contulit non inutilem. Quæcunque autem is in ea Provincia exornanda elucubravit, ea omnia nunc (uti accepi) publici juris facta exhibentur. In quibus quidem quid præſtiterit vir egregius, quàm dilucidè veritatem explicuerit, quámque nervoſè eam ac feliciter propugnaverit, eſt id quidem Lectoris æqui & φιλαλήθους incorrupto judicio*

permittendum. Sed nec opus est hederâ tam venali vino, neque operi tam docto proxenetâ.

De Autore vero operis liceat mihi nonnulla hîc præfari, ac viro optimo amicissimóq; brevissimè quidem & verbis quàm pauciss imis parentare; neque tamen hoc ità dictum velim, quasi mihi jam in animo esset Cl. Viri laudes undecunq; corrogare, & quæ in eo eminebant plurima fusâ aliquâ oratione prosequi; sed pauca tantùm ex illius Vita delibare ac decerpere, quæ Lectori nec inutile nec ingratum fuerit, nemini autem (uti spero) grave aut molestum vel intellexisse vel meminisse.

Erat ergo Antonius Tuckneius *honestâ familiâ in Agro* Lincolnienſi *editus, ubi postquam vigili Parentum curâ, pietate incoctus, & bonis literis initiatus fuerat, Academiæ* Cantabrigienſi *(ante annos ferè) admotus, in Collegii* Emmanuelis *album ascriptus est; ubi tantos fecit in pietate & bonarum literarum studiis profectus, ut Alma Mater omnibus illum Academici honoris gradibus deinceps cumulaverit; Collegium autem certatim eum, quamprimùm per ætatem licuit, in sociorum suorum numerum cooptaverit.*

Quam provinciam multos ille annos, præclarè quidem, nec sine magna sua laude bonorum omnium judicio administravit, in id unum omnes animi sui nervos intendens, & quantâ potuit animi contentione incumbens, ut nobiles illi & bonarum artium studiosi juvenes, qui ejus fidei ac tutelæ commissi erant plurimi, non solùm humanioribus disciplinis, sed & pietatis præceptis imbuti, Ecclesiæ simul & Reipublicæ utiles essent suo tempore. Post decennium ferè in hoc stadio decursum, artibus & linguarum scientiâ munitus, Divinarúmq; literarum & sacræ Theologiæ cognitione probè instructus, ad sacri Concionatoris munus apud Bostonienſes *exercendum, enixis illorum precibus evictus, ab Academiæ Matris gremio eò loci commigravit; unde, post labores sacros per annos complures, non sine aliqua fruge, exantlatos, ad Conventum Theologorum, qui tunc temporum* Londini *agebatur, evocatus est; cujus ille quanta pars fuerit, nôrunt sanè ii, qui illi negotio unà interfuerunt. Deinde verò post annos aliquot* Cantab. *redditus, &*

Collegii

Collegii sui Præfectus constitutus est; ubi, pristinis curis resumptis, pietatis simul & bonarum literarum studia, non præceptis modò & exemplo suo, sed & largitionibus privatis & honoribus publicis domi foríq; promovebat. Quoties ego hunc audivi præclaris suis monitis & hortationibus juventutis animos ad studia impellentem atq; inflammantem? Quoties illum vidi pauperum studiosorum egestatem manu beneficâ sublevantem? quibus profectò certam quandam (nec parvam illam) redituam suorum partem quotannis assignabat. Sed me revocat, nec ulteriùs patitur excurrentem viri optimi memoria, & quasi adhuc superstes modestia. Quamobrem vela mihi contrahenda sunt, & portus aliquando cogitandus. Non satis amplum illi exercendæ virtutis theatrum privatum aliquod Collegium erat, quocirca publicis suffragiis ac sententiis Honoratissimi Cancellarii, h. e. summi in Academia Magistratûs ac Rectoris publici, Vicarius renunciatus est; quo ille munere & officio summa cum fide ac diligentia, nec sine laude sua functus est. Postea vero ad Collegii Divi Johannis *Præfecturam ab ejusdem Sociis electus, ac demum ad Regii in S. Theologia Professoris Cathedram è doctissimi suavissimiq;* Arrowsmithii *cessione tunc vacantem, unanimi electorum consensu evectus est. In quo sanè munere adeundo quàm ab omni ambitu immunis fuerit, in obeundo verò quantum adhibuerit diligentiæ, ex ipsius auctoris præfatione, quam in capessenda Cathedra habuit, cæterisq; ejus scriptis facile poterit Lector intelligere. Postquam autem Cathedram illam per quinquennium plus minus exornaverat, senectutis incommodis jam tum ingruentibus, quóque Regiæ Majestati illud non ingratum fore intelligeret (qui centum lib. annuo stipendio, tanquam honorario quodam, eum quoad viveret auctum esse jussit) Professorio munere simul & Collegio cedens, apud bonos desiderium sui reliquit, & viam aperuit successori.*

Quod supererat vitæ spatium in secessu hoc & umbrâ transactum est, ubi publicis Ecclesiæ precibus, sacræ synaxi, cæteróq; Dei cultui interesse sanctum habuit ac solenne. Breviter, erat is staturâ mediocri,

Vale-

valetudine rectâ, corpore ſatis firmo, optiméq; ad ſtudia & vigilias comparato, indole alacri & amænâ, ac ubi res poſtulabat, ſatis vehementi. Virtutem, doctrinam, ac pietatem coluit, non ut nomina, ſed ut ἔργα. In congreſſibus comis, humilis ac modeſtus fuit, in amicitiis fidus & apertus, in ſtudiis penè indefatigabilis, in veritate aſſerenda animoſus, virtutis veræ cuſtos, rigidúsq; ſatelles: *in iis quæ ad Deum ſpectant accuratus, in religione vera propaganda multùm induſtrius, in honore Dei vindicando atque ampliando ſtudioſiſſimus.*

Hæc ea ſunt quæ de Tuckneio *noſtro (pauca quidem) dicenda habui impræſentiarum, in quibus aliquid fortaſſis amicitiæ, aſſentationi certè nihil, at veritati omnia tribuiſſe me profiteor.*

W. D.

PRÆLECTIO PROBATORIA, &c.

Σὺν Θεῷ.

Æterne Deus, in Jesu Christo misericordiarum *pariter ac* luminum Pater *amantissime, indulgeas, quæsumus, miseris peccatoribus pœnitentiam, ut pœnitentibus indulgeas veniam. Affulgeas insuper nobis misellis in tenebris hîc reptantibus, & (deducto quod adhuc cordibus nostris impositum est velamine) &* mirabilia Legis *& Evangelii magnalia ità retegas, ut nos, qui* sine te nihil possumus, *tuis demum auspiciis & vera intelligere, & recta agere, atq; æterna illa nobis in cœlo reposita feliciter tandem assequi possimus per Jesum Christum Filium tuum, Servatorem nostrum unicum. Amen.*

Id quod impræsentiarum mihi discutiendum proponitur, habetur Evangelii secundùm S. Johannem Cap. 17. Comm. 3. in hæc verba:

Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν.

Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant Te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

GRatulor inprimis (Viri Academici) prudentissimis rei, quæ jam agitur, Moderatoribus, quòd suavissimi hujus Sacræ Scripturæ loci assignatione, licèt me huc ad operandum hodie miserint, at *in vineam*, ubi non tam labores exantlare, quàm plena vini consolationis pocula exhaurire possim. Vel (si duriùs aliquanto loqui liceat) quamvis *ad metalla* me damnârunt, ad aurifodinam tamen. Hicce enim locus inter reliquos, imò præ reliquis *Ager* ille est, in quo *thesaurus* ille *absconditus* est, ex quo μαργαρίτης πολύτιμος eruendus. En hîc aurea, gemmea omnia, præ quibus יוֹם וְהֵב יְשָׁנָא הַכְּתֶם הַטּוֹב ut cum Prophetâ loquar; sordent, scoriæ, nauci nihili sunt alia, quæ pretiosissima habentur omnia. *Introite, nam hîc Dii sunt*, vel potiùs En hîc *solum verum Deum*; En, & *quem misit, Jesum Christum.* En ejusdem *cognitionem* salutiferam: En deniq; *vitam* exinde *æternam*; adeò ut non tam verè *Maldonatus* omnia prioris Commatis verba suam *difficultatem* habere, quàm *Calvinus* singulis hujus verbis vocibus *pondus* suum inesse dixerit. Pondus dixit? Imò quemnam (*Atlas* alter licèt fuerit) unici veri Dei infinita Majestas, Jesu Christi *Solis justitiæ* lux (si modò extra ipsum simus) inaccessibilis, splendidissimi cognitionis ejus radii, αἰώνιον deniq; βάρος δόξης non modò percellant, sed & penitùs obruant? dum fœlicissimè nos instruant, consolentur, beent interim. Adeò ut quod Ille de totâ istâ Beatissimi Servatoris Prece hoc Capite recitatâ dixerit, meritissimè nos de hoc Commate ejus dicam an apice, di-

Matth. 13. 44.

Thren. 4. 1.

Gerhardus.

cere poſſumus, eſſe nimirum "cœleſtis doctrinæ ſummarium, vivificæ con-"ſolationis promptuarium, pretioſiſſimum Eccleſiæ κειμήλιον, efficaciſſi-"mumq; in omnibus morbis remedium; adeóq; jugi lectione, meditatione, acriore noſtrâ jam indagine, atq; attentione veſtrâ digniſſimum.

At jam non habenda eſt ad *Populum* Concio, quod *Scholas* magis decet agamus.

Matth. 3. 15. Chriſtus Dominus cùm Ἀρχιερεὺς noſter fuerit, ut *omnem juſtitiam*, ità totum ſummi Sacerdotis officium *implere* voluit. Illud verò cùm triplex fuerat, ſcilicet *Docere*, *Orare*, *Offerre*, hæc omnia (annotante *Zanchio*, & ex eo aliis) ipſum plenè, imò accumulatè præſtitiſſe Evangeliſta ſatis luculenter oſtendit.

De tribus Elohim, l. 4. c. 10.

In Capitibus ſiquidem præcedentibus *Docuit*: in ſequentibus ſeipſum victimam Deo in odorem ſuavitatis *obtulit*. Hîc pro *ſeipſo* primùm, dein pro *Apoſtolis*, ultimò pro totâ Eccleſiâ Patrem *orat*; adeò ut totum hoc Caput *Oratio Dominica* rectè dici poterit.

Non ea tamen, quam *Matth.* 6. ipſe nos docuit, in quâ nos *peccatorum condonationem* petere juſſit, quorum ipſe expers prorſus erat. Neq; porrò ea, quam *Matth.* 26. *Luc.* 22. in horto ſolus ad Patrem fudit, quod *Ruperto* videtur. Sed quam in cœnaculo (prout conſtat ex primo Commate inſequentis Capitis) Apoſtolis omnibus præſentibus atq; audientibus *cum clamore valido & lachrymis obtulit*, Hebr. 5. 7. quem locum ipſiſſimam hanc Servatoris (quæ hoc Capite continetur) orationem ſpectare volunt aliqui, iíq; doctiſſimi.

Gerhardus.

Primum verò, idq; ſolum quod (quinque primis verſibus) ſibi à Patre indultum iri poſtulat, eſt, ut Pater ipſum jamjam paſſione ſuâ fœdiſſimè deturpandum *clarificare* vellet, quod duplici urget argumento.

1. Ut *ipſe* viciſſim *Patrem glorificet*, Commate primo.

2. Ut in ſalutem electorum cedat, nimirum, "Ut illis, quos Pater ipſi "dederit, ille vitam æternam dare poſſit, Verſu ſecundo.

Cujus Ratio in hoc Commate ponitur; *vitaq;* illa *æterna* (cujus mentionem in proximè præcedentibus verbis fecerat) apertiùs deſcribitur: ſcilicet quòd ſita ſit in *cognitione ſolius veri Dei, & (quem miſit) Jeſu Chriſti.* Atque ità ut illic *ſui* & *Patris glorificationem*, ſic hîc utriuſq; *cognitionem* arctiſſimè conjunxit. "Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum "verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.

Ut verò ſequuturæ diſputationi lucem aliquam fœneremur, ordiamur à breviſſima vocabulorum explicatione.

Primo loco hîc occurrit Prædicatum propoſitionis, *vita æterna.*

Cùm enim nos *in peccato mortui* ſimus, *vitam* dixit.

Cùm etiam vita illa φυσικὴ, quam hîc agimus *diurna*, potiùs quàm *diuturna*, mortalis, caduca, evanida ſit, hanc (de quâ jam loquitur) πρὸς ἀντιδιαστολὴν *Æternam* vocat, utpote nunquam vel in hoc, vel in futuro ſæculo intermorituram.

At quænam hæc *vita æterna* ſit, non adeò convenit inter Interpretes; an æterna illa in *cœlis*, ut *Auguſtino* viſum eſt, atq; aliis ex veteribus qui *Beatitudinem cœleſtem* in *beatifica viſione* ſitam eſſe hinc probare ſolent: an potiùs vita *Gratiæ* & *Fidei* in hoc ſæculo; quod plurium tam veterum quàm

Tractat. 105. in Joan. de Trinit. l. 1. c. 8.

Neote-

Neotericorum calculo ideò approbatur, quòd, ut alibi credentes *vitam æternam* jam *habere* dicuntur, ità in totâ ſequente hâc Oratione ità loquitur Chriſtus ac ſi *vitam* hanc *æternam* ſibi datis jam *dediſſet*. *Joan.* 3. 36. 1 *Joan.* 5. 12, 13.

Me quod attinet, eam *interpretandæ Scripturæ* rationem ſemper tutiſſimam eſſe judicavi, ejuſq; inexhauſtâ plenitudine digniſſimam, quæ (dummodo *contextus* & fidei *Analogia* patiatur) *latiſſima* eſt, atq; idcirco illa hîc ſit, quæ utramq; hanc vitam complectitur, illam ſcilicet *gloriæ* in *cœlis*, quæ κατ' ἐξοχὴν æterna dicitur, *Matth.* 25. 46. nec non hanc *Gratiæ* in *Terris*, quæ nunquam hîc penitùs deſitura eſt, conſummanda olim in Gloriâ, cujus quidem πεγγύσμα & ἀρραβὼν eſt, & pignus & primitiæ, vel ſi cum *Cyrillo* loqui velimus, *Radix*[illegible]*r*, *pronuba*; hoc certum eſt, hanc *vitam æternam* de quâ in hoc Comm[illegible] loquitur Chriſtus, eandem eſſe cum illa, quam *ſe electis daturum* dixerat in priore; at utraq; ab eo datur, utraq; ergo hîc intelligitur.

In ſubjecto hujus Enuntiationis particula ἵνα primò occurrit, quæ (ut rectè *Beza*) εἰδικῶς non τελικῶς ſumi debet, non finem, ſed rem ipſam denotat, prout uſurpatur *Joan.* 15. 8, 12.

Ut cognoſcant: 1° Non cognitione *naturâ* nobis *inditâ*, (quæ, ut *Deum* ſpectat obſcura, & languida, at *Dei* in *Chriſto* nulla eſt.) Vel 2° *mediis naturalibus acquiſita*, vel communi illuminatione infuſa eſt, cùm hæc ſceleratiſſimis hominibus vel ipſis Dæmonibus, *Jacob.* 2. 19. obtingit. Sed Hebræorum more, (apud quos *verba ſenſûs* & *notitiæ affectum* & *effectum* connotant) non nudam in *mente notitiam*, ſed & in *voluntate aſſenſum*, in *corde fiduciam* includit, imò eadem cum ipſâ *Fide* eſt, quâ inſiti in Chriſti corpus, hîc Divinæ adoptionis conſortes, & tandem cœli hæredes efficimur; ut enim *utramq; vitam æternam* in *ſubjecto* propoſitionis habuimus, ità in *prædicato* utramq; *cognitionem*, *inchoativam* hîc per *fidem*, *intuitivâ* autem & beatificâ Dei in cœlis viſione conſummandam includi non eſt quòd dubitemus. Quod enim quidam objicit viſionem illam alio verbo ſcil. θεωρεῖν indigitari hujus Capitis verſu 24. nil impedit, quò minùs per vocem hanc γινώσκειν efferri hîc poſſit, ut 1 *Cor.* 13. 12. & alibi ſæpiùs.

Σὲ *Te.* Primò, non ſolùm *voluntatem* tuam, ſed & *naturam*. Secundò, *Te Patrem* ſcilicet, ut ex verſu primo liquet, ſed num ut *perſonaliter* ſumptum? Hoc contendunt *Sociniani*, aſſerit *Zanchius*, nec mihi diſplicet, ſi modò ità rectè explicetur, ut ſub nomine *Patris tota eſſentia Divina*, quæ omnibus perſonis Sacræ Trinitatis communis eſt intelligatur, de quo poſteà.

Te *ſolum verum Deum*, contra *Deos Gentium*, qui & multi & falſi erant.

Et *quem miſiſti*, 1. in *Incarnatione*, 2. ad *officium Mediatoris* explendum; de quo etiam plura, cùm ad Diſputationem acceſſuri ſimus.

Jeſum Chriſtum, Nomina dulciſſima licèt, at hîc non ità tempeſtivè explicanda.

Illud potiùs ad eruendum hujus ſententiæ ſenſum advertendum eſt, quòd ut in ſecundo Commate Chriſtus dixerat, *Sibi poteſtatem datam* fuiſſe *ſuper omnem carnem*, quæ in *Gentes* & *Judæos* diſpeſci ſolita eſt: ità hîc utriſq; illis tam *Gentibus* quàm *Judæis* propriis ſuis morbis, iiſq; mortiferis laborantibus, duplice ſalutaris illius cognitionis objecto medelam parat appoſitiſſimam. Gentium Atheiſmo *Deum* opponit, earum πολυθεΐᾳ μόνον Θεὸν

ſolum Deum, i. e. unicum; μόνος enim *unicum*, ut μονὰς unitatem ſignificat. Idololatriæ verò earum, quæ nimirum אלילים *Deos nihili*, falſos, nullos venerabatur, vel qui prorſus nihil erant, vel ſaltem nihil *veri Dei* habebant, ἀληθινὸν, *Deum verum* ex adverſo ponit ab ipſis *cognoſcendum*, agnoſcendum, ſi *vitæ æternæ* conſortes eſſe vellent.

Judæos verò quod attinet, quamtumvis *Babylonicâ* captivitate tandem meliùs edocti, avitam *Polytheiam* & *Idololatriam* jam abdicârunt, & *ſolum verum Deum* more ſuo jam coluerunt, *Jeſum Chriſtum* tamen vel à *Deo miſſum*, vel unicum verum Servatorem & *Meſſiam* fuiſſe tantùm aberat ut crederent, ut pro *Diaboli mancipio*, hominum omnium ſcelerâtiſſimo haberent: cui item ulceri ut medicinam adhiberet, [illegible]que ac *Patris cognitionem* ad *vitam æternam* neceſſariam eſſe clarè pr[illegible]tiat.

De *Subjecto* & *Prædicato* plus ſatis diximus. Reſtat ſola *copula Eſt*, ut cognoſcant Te, &c. *eſt* vita æterna.

De cujus ſenſu alii aliud ſentiunt; ſed huc revocari poſſunt omnia.

Si de cognitione intuitivâ & vitâ in cœlis beatâ intelligatur Propoſitio, cognitio hæc eſt *formaliter vita illa æterna*, in quâ beatitudo illa præcipuè conſiſtit.

Sin verò pro *cognitione Fidei* ſumatur, itidem (ad minimum ex parte) *formaliter vita* eſt illa *ſpiritualis*, quam hîc jam vivimus, utpote pars ejus præcipua, ut & partim *vita æterna* efficienter dici poteſt, quatenus (in ſuo genere ſaltem) cauſa eſt tum vitæ illius ſpiritualis, quæ ex fide hîc profluit, tum æternæ illius in cœlis, ad quam perveniendi & via, & modus, & medium eſt.

Ut verbo expediam omnia: Copula *Eſt*, prout ad aliud & aliud applicari poteſt, vel dicit vitam æternam *formaliter* in cognitione iſtâ contineri, vel ab eâ dependere tanquam à cauſâ vel propriè *efficiente*, vel ſaltem aliqualiter *promovente*.

His ità in explicationem verborum prælibatis, ſeges ſatis ampla apparet, in quam operarius falcem immittat, neq; falli eum conſtat, qui ſententiam hanc (ut priùs vidimus) cœleſtis doctrinæ ſummarium vocaverit. Nam

1. Si *vita* dicatur, hoc dicit, nos extra Chriſtum *in peccatis* omninò *mortuos* eſſe, contra *Pontificios*, *Arminianos*, *Socinianos*, alios.

2. Cùm *æterna* ſit, ſive vita *Gratiæ* intelligatur, indefectibilem ejus *perpetuitatem* aſſerit contra eoſdem.

3. Sive vita *Gloriæ* hæc ſit, ejuſdem *æternitatem* confirmat, contra *Novatores* quoſdam apud Nos *Atheos*.

4. Cùm in *cognitione* ſitam eſſe dicat, *Pontificios*, nominatim *Bellarminum* urget, qui *Fidem* potiùs ab *ignorantiâ* quàm à *notitiâ* definiendam eſſe cenſuit

5. Quærendi anſam inſuper præbet, utrùm æterna Sanctorum in cœlis beatitudo conſiſtat in *beatificâ Dei viſione*, vel *cognitione intuitivâ*, ut *Patrum* aliquot hinc deductum eunt.

6. Si *Dei* cognitio ſit, *Atheos* confodit.

7. Si *unici Dei*, *Tritheitas* nuperos, *Polytheitas* omnes.

8. Si *Dei veri*, *Idololatras*.

9. Si *Jeſu Chriſti*, *Judæos*.

10. Cùm

10. Cùm *vita æterna* sit *cognoscere* non solùm *verum Deum*, quin & insuper *Jesum Christum*, inde duo alia quæri & disputari possunt.

1. Utrùm ex *primo fœdere* cum Adamo inito vita æterna obtineri potuit.

2. Utrùm jam sub *fœdere Gratiæ* aliqui *Jesu Christi* prorsus ignari vitæ hujus æternæ participes esse queant.

Quin & illa verba *Quem misisti* plura de *missione Christi*, ut & *Spiritûs Sancti* dicenda postulant.

Sed hæc omnia jam missa faciam. Cum *Arianis*, *Photinianis*, *Socinianis* mihi hîc præcipuè negotium est. Ut enim ex eodem flore Apis mel, Aranea venenum fugit; ità ex hoc Commate (quod mel totum est) ex quo fideles & orthodoxi omnes, ex eo quòd *Jesu Christi* cognitio æquè ac *Patris* hîc æterna vita dicatur, eum *unà cum Patre Deum verum* esse verissimè colligunt; contrà *Ariani* antiqui & *Sociniani* nuperi plura hinc exsculpere satagunt, quibus eum (quantum in illis fuerit) quà strophis, quà blasphemiis suis è solio deturbent, omníq; *Deitatis* suæ gloriâ exuant. Quamvis enim *Divinitatem* Christi crepant, veram tamen ejus *Deitatem* prorsus abnegant; imò *Smalcius*, quò astutiùs incauto suo Lectori palpum obtruderet, in præliminaribus suis Disputationibus operosè probat *Christum verum Deum* esse, ut & reliqui sui Gregis *sensu suo* eum ἀληθινὸν Θεὸν ultrò fatentur, non tamen φύσει Θεὸν, ut Apostolus loquitur ad Galatas *cap.* 4. 8. non *suâ naturâ Deum*, non *æternum*, non Patri ὁμοούσιον, sed *Deum factum*, id est, reverà *fictitium* esse volunt; non quidem ψιλὸν ἄνθρωπον *nudum hominem*, utpote præcellentissimis tam dotibus quàm officiis ornatum, & supra communem, imò summam reliquorum hominum sortem altissimè evectum, ἄνθρωπον scilicet ὑπερθεωθέντα, vel (ut loqui amant) *hominem Divinum*, at quod ad *naturam* suam spectat *hominem tantùm*, atque eâ ratione *nudum* esse acriter contendunt.

Quod cùm ex variis aliis Sacræ Scripturæ locis obtorto collo adductis extorquere conantur tum ex hoc præcipuè, qui ideò ut *Arianorum* veterum *Achilles* habebatur, ità *Smalcius* in *Catechesi* suâ *Racoviensi*, & *Crellius* in libris suis *De uno Deo Patre*, dum ausu nefario, & instructis argumentorum agminibus contra veram æternam Christi *Deitatem* bellum intentant, hunc locum primipilarem faciunt, & in acie primum collocant. Sed quid malum? vel quibus machinis ex refertissimo hoc contra ipsos Armario desumptis? his scilicet,

1. Quòd *Patrem orat*; commate primo.

2. Quòd à *Patre glorificari petit*, quæ utraq; (prout ipsis videtur scilicet) *humanum* quid sapiunt, & *Deo* indignum.

3. Quòd hoc Commate se à *Deo missum* fateatur.

4. (idq; maximum est) Quòd *Patrem solum verum Deum* esse agnoscat in priore Commatis parte, *Ut cognoscant te solum verum Deum:* seipsum verò in posteriore illa, *Et quem misisti Jesum Christum*, à Patre apertè sejungit, omníq; Deitatis Patri soli propriæ consortio sibi prorsus abdicat.

Hi scilicet Tibicines sunt, quibus *Sociniani* damnatam suam causam in æternum ruituram sustentare; hi Arietes, quibus æternam Christi Domini nostri *Deitatem* immani ausu subruere conantur. At juncea hæc

tela,

tela צוּר עוֹלָמִים * hunc noſtrum æternitatis ſcopulum allidant licèt, non elident tamen.

Iſa. 26. 4. * Tſur Gnolamim.

Nos (ſi placet) ultimum, quod præcipuum eſt, primò ad examen revocabimus; quod ſic ſe habet.

Chriſtus *Patrem ſolum verum Deum* eſſe aſſerit, ſeipſum à Patre diſtinguit. Ergo *Deitatem* illam à nobis ipſi falsò aſcriptam reſpuit.

Cui, quæ opponam, multa habeo, quorum tamen pleraq; mea non ſunt. Dum enim locus iſte ſuaviſſimus, qui placidiſſimam conſcientiarum pacem nobis ſubminiſtrat, blaſphemâ cùm *Veterum* tum *Novitiorum* Hæreticorum protervià vexatiſſimus factus ſit, *Orthodoxorum* æquè *Antiquorum* ac *Recentiorum* ità pietatem, zelum, ingenia exercuit, ut nil ferè jam dicendum reſtet, quod non priùs dictum fuerit. Inde factum eſt, ut Scriptores poſteriores priorum lucubrationes ferè tantùm tranſcripſerint. "Ut vacca "vaccam, ità author authorem ſequitur, ut ſcitè clariſſ. *Scultetus l.* 1. *c.* 3. *Exercitationum* ſuarum *Evangelicarum*, quod tamen vel ipſe vel ipſiſſimo illo in Capite egit, ubi omnia penè ex *Cunæo* tranſtulit; prout *Arnoldus* nuperus omnia quæ de hoc loco habet verbatim ferè ab alio * mutuatus eſt; adeò ut de his poſt tot & tantos plura dicere, hominis ſit fruſtrà ſeduli. Quoniam verò pro ratione loci & negotii, ex juſſu virorum doctiſſimorum aliquid & mihi hîc dicendum eſt; jactâ jam aleâ tentandum eſt an vel quæ ab aliis dicta ſunt aliquatenus explicare, vel in aliquibus ſaltem ſuperpondium noſtrum (leviuſculum hoc quidem) apponere liceat.

* Gerhardo.

I. Et primum quod dictum velim, ad *homines* eſt, *Socinianos* nimirum, ſi modò ſibimetipſis & ſententiæ ſuæ conſtiterint, nullis fidiculis hinc extorquere poſſe Chriſti à Patre ἑτερουσίαν, ſed ſuam magis prodere inſaniam. Nihil enim κατὰ τὸ ἐπιτὸν hîc *Patri* tribuitur, quod non & ipſi *Chriſto* ultrò prolixè largiuntur. Ex eorum quippe ſententiâ *Chriſtus* eſt *verus Deus* ἀληθινὸς Θεὸς, quod hîc de *Patre* affirmatur. Ideò *non ſolus Pater* verus Deus eſt, pro quo tamen ab ipſis acerrimè contenditur: ità ſcilicet *ſeipſos jugulant*, dum contra Chriſti *Deitatem* pugnare auſint.

Dicunt quidem, ut *verus Deus* fuerit, quod facilè concedunt, at non *ſummus Deus* eſt, qui hîc intelligendus eſt. "*Verus Deus*, ſeu *Deus ſummus*, ità *Paraphraſte Crellio*: Bene habet. Alio igitur loco opus habent ad ſententiam ſuam ſtabiliendam, in quo vox illa *ſummus* occurrit, quæ in hoc non invenitur.

At intelligitur tamen, fateor, idq; Emphatico illo articulo τὸν (τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν) ſubinnui lubens agnoſco. *Socinianos* tamen pro indignis habeo, quibus hoc largiamur, cùm ſecundùm eorum ſenſum & verborum ex animi ſui ſententiâ conſtructionem, nihil *Emphatici* illi Articulo (τὸν) inſit, ſed purum putum *Relativum* ſit.

Vide Biſterfieldium.

Illud interim ratum ſit quod Qui (non tropicè vel abuſivè) verus Deus dicitur, cuiq; cultus verè Divinus defertur, (quod in ſuâ *Chriſti adoratione* à pleriſq; *Socinianorum* & fieri & propugnari ſolet) eidem non ſine blaſphemiâ *ſummi Dei* Majeſtas denegabitur.

Sed miſſis hominibus, eorumq; conceſſionibus ad rem ipſam propiùs accedamus.

II. Secundum, quod pro fundamento poni vellem, hoc eſt, Quod plurimis aliis

aliis Scripturæ locis apertissimè asseritur, ei hoc in loco non contradicitur (optimè enim Spiritus Sanctus sibi constat, & *amicæ semper Scripturarum lites, utinam & nostræ.*) At *Jesum Christum* & *Deum*, & *verum Deum*, imò & *summum Deum* esse luculentissimis Sacræ Scripturæ testimoniis probatur, imò αὐτολεξεὶ affirmatur. "*Sermo ille Deus erat*, Joan. 1. 1. scilicet *Sermo* ille, qui *caro factus est*, Comm. 14. qui Jesus Christus est. *En Christum Deum!*

ἐδὲν γὰρ ἐναντίον ἐστὶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κειμένων. Chrysostom. Homil. 10. in Gen. p. 63. edit. Savil.

Primâ Epistolâ Johannis cap. 5. 20. *Scimus Filium Dei venisse & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus verum illum, & sumus in vero illo, id est, Jesu Christo, hic est verus ille Deus, & vita illa æterna :* Ἵνα γινώσκωμεν— ἔτος ἐστὶν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς— ἡ ζωὴ αἰώνιος— Ἰησοῦ Χριστῷ. Idem Scriptor Apostolus Eadem verba penè omnia ibi transcribit, quæ hîc totam ferè quam jam in manibus habemus, sententiam conficiunt. Huc utique respexit, horum verborum Interpres est; quod hîc *Sociniani soli Patri* proprium esse volunt, ibi *Jesu Christo* apertè tribuit, quòd *verus Deus* sit. En secundò *Christum verum Deum!*

En & *summum Deum! Rom.* 9. 5. Christus, qui est supra omnes Deus benedictus in sæcula. Summo conatu fateor hoc agunt, & undequaque se vertunt, ut lucidissimis his, aliisq; de Deitate Christi testimoniis offuciis suis tenebras inferant, quarum aliquarum & ipsos jam pudet. Hæc enim quasi radiis solaribus non minùs in Scripturis quàm cordibus fidelium inscripta sunt, ut effugia hæc illis solennia *Videtur quòd aliter*, &c. *Potest aliter intelligi*, & his similia nunquam obfutura sint quin ex his ἀναλλήπτως constet Christum Jesum verum summum Deum esse. Cui nisi Spiritus Sanctus sibi ipsi contradiceret, nihil hîc potest esse contrarium.

Imò nulla oculis saltem paulò perspicacioribus, nulla inquam hîc ἀντιφάσεως vel species vel umbra est. 32.

Testimonia jam laudata, Christum esse *Deum verum summum* διαῤῥήδην clarè apertè loquuntur. Hîc habemus *vitam æternam esse ut cognoscant te* (scilicet Patrem) *esse solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, quæ qualisve (oro) est hîc contradictio?

Numne hinc rectè colligi potest *Patrem* ità *solum verum Deum* esse, ut à veræ Deitatis hujus consortio excludatur *Christus?* Minimè Gentium. Imò aliter & *potest* & *debet* intelligi.

Primò, dico *posse* aliter intelligi: Neque interim mihi aliquis vitio vertat, quòd effugium illud quod in illis modò notavi, ipse pro responso habeam. Major siquidem hâc in re libertas est, & jus potiùs *Orthodoxorum* quàm *Hæreticorum:* ut hi quò magis fundatissima quæque in Scripturis apertè tradita & in Ecclesiâ totâ semper ubique firmiter credita everterent, hoc sæpiùs oggerant *videtur* (ingenio scilicet hæretico, vafro & versipelli) aliter posse intelligi, contumacia est nullatenus ferenda, quod tamen in Theologo fidem *Orthodoxam Catholicam* propugnante & ferri & laudari debet ad retundendam Hæreticorum proterviam. Primò ergo dico, hoc aliter intelligi *potest*, nimirum quòd tantum absit ut conjunctio *Et disjungat*, ut maximè potiùs *conjungat*, atque Jesum Christum in illius Elogii *(solius veri Dei)* consortium asciscat. Neque tamen inde sequetur hæc verba Christi per se non prohibere quò minùs infinitis aliis subjectis idem prædicatum attri-

Lib. 1. cap. 1. attribueretur, ut vult *Crellius*, cùm Christi ac creaturarum omnium longè alia sit ratio. Agnosco quidem eundem *Crellium* jactanter satis verba ista effutiisse, scilicet, *Probandum est idoneo aliquo exemplo vel sacro vel profano rectè quempiam ad eum modum loqui posse. E sacris non proferent exemplum: vulgus non ità loqui solet. Christus autem vulgari more locutus est.* Cujus pace tamen dictum velim & *Scripturam* sacram, & *vulgus ità loqui* solere. Ad *vulgus* quod attinet, illud quod *Athanasius* habet in disputatione suâ cum *Ario* in Concilio *Nicæno* inprimis huc facit. Sic verò ille eo in loco, *Siquis dicat Cognosco solum Constantinum Imperatorem terræ & maris esse, & Constantium filium ejus, ibi à consortio Imperii filius non separatur, sed potiùs conjungitur.*

Ibid.

Deut. 1. 36. 1 *Reg.* 22, 20. *Marc.* 6. 47. Neque minùs usitatum hunc loquendi modum in *Sacrâ Scripturâ* invenire est. Theologi nostri plura ejus congesserunt exempla. Ego duo tantùm eáq; magis vulgata proferam. Primum illud est *Joan.* 8. 9. ubi sic habetur, καὶ κατελείφθη μόνος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡ γυνὴ ἐν μέσῳ ἑστῶσα, *Et relictus est solus Jesus, & mulier in medio stans.* Ubi licèt Christus ibi *solus* relictus dicitur, cùm tamen addatur, *Et mulier*, eam unà cum Christo ibi constitisse vel commoratam fuisse intelligitur. Atque ideò ut μόνος ibi reliquos priùs astantes, non mulierem excludit; ità & hîc illud μόνον Θεὸν ἀληθινὸν, Deos alios, alienos, falsos, non *Jesum Christum unà cum Patre verum Deum.* Exemplum alterum (quod *Chrysostomi* est *Homiliâ* in *Joannem octuagesimâ*) habetur 1 *Cor.* 9. 6. ubi sic Apostolus, ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; *Num ego solus & Barnabas non habemus potestatem non operandi?* De quo sic *Chrysostomus*, Τί δ' ὅταν λέγῃ Παῦλος ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας, ἆρα ἐκβάλλει τὸν Βαρνάβαν; οὐδαμῶς. Cùm dicit, *Ego solus & Barnabas*, Num Barnabam ejicit? Nequaquam. Eodem planè modo, quo Paulus cùm dicit, *Ego solus & Barnabas*, non excludit *Barnabam*; eodem & Christus cùm hîc dicit, *Te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, non excludit seipsum, imò includit potiùs. Atque ità primum illud confecimus, *Potest* aliter intelligi quàm *Sociniani* volunt.

Secundò, Quinetiam & *debet*. Non obstante Grammaticâ verborum constructione *potest*: suadente verò, imò cogente rei veritate, & fidei analogiâ omnino *debet*. Cùm enim Christus (ut priùs probavimus) in Sacrâ Scripturâ apertè exertè *Deus verus* dicatur conjunctio hæc copulativa *Et* solum Deum verum & Jesum Christum *conjungit*. *Distinguit* quidem, sed non *separat*. *Personam* distinguit, *naturam* non separat, *Deitatem* non adimit.

Quod jam rectà me ducit ad pressiora Orthodoxorum huic argumento *Sociniano* responsa ultrà adhuc expendenda. Quæ cùm plura sint, ego quatuor eorum (quantum judico) præcipua, reliquis missis, producam, & pro virili meâ vel explicare vel confirmare conabor.

1. Primum *Tertulliani*, *Athanasii*, *Nazianzeni*, *Hilarii*, *Ambrosii* & *Augustini* est, atque idem est cum eo quod modò diximus. Dicunt enim tria illa verba *solum verum Deum* non soli Patri, sed & *Filio* attribui per conjunctionem illam *Et*. Ità Tertullianus (vel Novatianus potiùs) *Lib. de Trinitate cap.* 24. "*Si noluisset se Deum intelligi, cur addit, Et quem misisti Je-*
"*sum Christum, nisi quoniam & Deum accipi voluit?* Deo junxit, ut & *Deum* per hanc conjunctionem, sicut est, intelligi voluit. Ità *Athanasius*

(in

(in Loco prius laudato) *Ario* respondit. Neque contra responsionem habuit quod objiceret *Arius*. Diserta est *Nazianzeni* de hâc re sententia Οὐχὶς ἀν πρὸς ἑαυτὸν ὁμολογήσειεν ὁ πίστευλας Ἰησοῦν χρῆσθαι εἰ πρὸς ἐκεῖνον ἀναφέροιτο τὸ μόνον ἀληθινὸν, ἀλλὰ μὴ καὶ κοινὸν τῆς θεότητος ἦν ὁ λόγος. *Orat. 4. de Theolog.* His gemella habent *Hilarius Ambrosius*, alii. nude *Augustinus* non veretur affirmare, hunc verborum horum esse ordinem: *ut te & quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum.* Et quidem hîc saltem cum *Maldonato* consentio, dum hâc de re ità scribit: *Nescio an hæc interpretatio ab iis, quibus non placet, refutari possit. Ego enim quâ ratione possit, non invenio.* Neque ego quidem. Quamvis enim illud *Gerhardi* verum sit, *contra pertinacem adversarium hanc coordinationem verborum non posse obtinere*; illorum tamen *pertinaciam* non moramur. Nihil enim tam perspicuum est in Scripturâ, ac veluti Solis scriptum radiis, quod captiosa ingenia, & ad perfidiam obdurata (qualia *Socinianorum* plura sunt) non controversum faciunt. Obstrepant ergo quantum volunt, per me licet, dummodo quò eam refellant non habeant. Illud verò, quod *Calvinus* in contrarium affert, hoc non efficit, nimirum, quod *eadem quæstio de Spiritu Sancto movebitur*. Non enim omnia simul & semel dicenda sunt. De Sancti Spiritûs Deitate ex aliis locis luculenter constat: de eâ verò hîc nulla erat Controversia, nulla eam vel nominandi occasio. Christus hîc *Patrem orat, gloriæ suæ manifestationem* petit, quæ morte suâ jam minuenda erat: de *vitâ æternâ* verba habet, cujus *Mediator* ipse solus fuit: Non opus habuit ut *Spiritûs Sancti* mentionem faceret: cujus etiam perfecta notitia jam nondum tradita erat, quæ postea sui ipsius in Apostolos illapsu plenius innotuit. Quin & si sub nomine *Patris* hoc in loco *tota essentia Divina* singulis personis communis (ut postea constabit) intelligatur, *Spiritus Sanctus* non excluditur. Hæc prima *Antiquorum Patrum* responsio erat.

Tractat. 105. in Joann. & inter Augustini sententias apud Prosperum sentent. 371.

Secunda *Basilii*, *Chrysostomi*, *Theophylacti* atque etiam *Nazianzeni* atque aliorum fuit; nimirum Hâc voce *solum* non excludi Filium vel Spiritum Sanctum, qui eandem cum Patre naturam, atque ideò eandem Deitatem habent, sed *res creatas*. Sic *Augustinus*: & præcipuè Deos & Idola Gentium, quæ vel *nihil* erant 1 Cor. 10. 20. vel nihili: saltem ab infinitâ veri Dei majestate infinitum distabant, *quibus nulla, vel non illa natura est, quæ est Deo Patri*; ut rectè *Brugensis*. ἵνα μὴ πρὸς ἀληθείαν *sic Epiphan. hæres. 69. vide etiam Usserium de Ignatii Epistolis cap. 12. pag. 88. Epist. 141.* ἵνα μὴ πρὸς διαφωλῶ τῶ τῆς ἁγίας Τριάδος, ἀλλὰ πρὸς τοὺς μὴ ὄντας Θεοὺς, ὀνομαζομένους δὲ ψευδῶς *sic Basilius.* Cui concinit *Chrysostomus* πρὸς ἀναιδιαφωλῶ τὸ ἐκ ὄντως Θεῶν. Quem (uti solet) sequitur *Theophylactus* πρὸς ἀναιδιαφωλῶ τὸ παρ' Ἕλλησι Θεῶν ὑ γὰρ δὴ χωρίζει ἑαυτὸν ὁ Πατήρ. Ἄπαγε. Sed frustranea est *Patrum* allegatio, cum *Socinianos* alloquimur, qui cum *antiquis Patribus*, simul etiam *fidem antiquam* abjurârunt. Videamus itaque an *Ratione* (quæ eorum *Helena* est) aliquid hâc in re efficere possimus; eâque ex *Sacris Scripturis* petitâ. Illa vero hunc verborum horum sensum esse evincere videtur.

1. Ex loco admodum consimili 1 Thess. 1. 9. ubi sic Apostolus: πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, *quomodo conversi estis ad Deum à simulacris* (vel, ut *Beza* relictis *Idolis*) *servire Deo vivo & vero.* Ibi, ut & hîc, ἀληθινὸς Θεὸς occurrit. Si verò quæratur ratio, quare verus *Deus* vocetur, quod hîc reticetur, ibi aperte explicatur, ut opponatur scilicet *Idolis*, quibus nuntium dederant, quàm primum se ad Deum conver-

verterant, qui idcirco *vivus* & *verus* dicitur, quod *Dii* ipsorum omnes *falsi* erant, & plerique eorum *mortui*. In quem locum ità *Theodoretus*: *Non cum Filio comparans, sed cum iis, qui Dii non sunt, eum qui est, vivum & verum appellavit, viventem, utpote quod illi non vivant, verum autem, utpote quod illi Dii falso vocentur.*

2. Ratio hoc idem probans ex hoc ipso loco, quem in manibus habemus, sumi potest, nimirum ab ejus scopo & contextu, qui hîc fuit. Cum priore Commate Christus *sibi potestatem datam in omnem carnem* i. e. non solum in *Judæos*, sed & in *Gentes* etiam asseruerat, quorum illi Christum *unicam* ad vitam æternam *viam* prorsus abnegârunt, hæ vero (Gentes scilicet) *multorum* eorumque *falsorum Deorum* cultui totæ inservierant; utrisque his (ut prius dixi) medelam parat; *Judæis* quidem in agnitione Jesu Christi, quem adhuc rejecerant; Gentibus vero in salutari cognitione & cultu Solius veri Dei relictis Diis suis multis & falsis, quos mirâ cæcitate prius coluerant; quod horum verborum occasionem dedisse, vel ipse *Crellius* non diffitetur. Proinde ex genuino loci sensu satis constat, *Multis* illis hunc μόνον hunc *solum*; *Falsis* illis hunc ἀληθινὸν hunc *verum* Deum opponi; adeoque illos vel solum vel præcipuè excludi: vel (ut latissimè sumatur) excluduntur *Creaturæ*, vel res omnes, vel earum imagines, quæ *verus Deus* non sunt: nunquam tamen excluditur *Filius*, qui in *Patre* est Joan. 14. 10. qui *unus cum Patre est* Joan. 10. 30. qui *Deus* est Joan. 1. 1. Μόνος enim vel *Solus* is est, qui *non est cum alio*. At ut *cum seipso* esse possit, quid impedit? At ipsissimus unus idemque Deus Pater cum *Filio* est. Quoad personam *Alius* dicitur Joan. 5. 32. *Alius est qui de Me testificatur*, Quoad *naturam* prorsus *idem* Deus, vel si aliquâ aliâ ratione *solus* dici possit, hoc tamen in sensu (quoad Deitatem scilicet) nunquam erit *solitarius*; adeòque ex hoc quòd *Pater* dicatur *Solus verus Deus*, non magis sequetur *Filium non* item *verum Deum* esse, quam è converso ex eo quod Joan. 1. 9. Filius *vera Lux* dicitur, inferri potest, Patrem vel non *Lucem*, vel non *veram Lucem* esse. ἄρα γ' ἓν ὁ Πατὴρ ψευδὴς εἰ φῶς; Ἀλλ' ἅπαγε, ut optimè *Theophylactus*. Illic quod de *solo Filio* dicitur, *Patri commune* est. Hic ob ejusdem *naturæ* communionem id soli *Patri* tribuitur, cujus *Filius* ex æquo particeps est. Sic hîc sic & alibi sæpius. Deus *Solus Sapiens* dicitur Rom. 16. 27. At non inde *Christus insipiens* erit, qui ipsissima est Dei *Sapientia*. Idem Deus *Solus immortalitatem habere* dicitur 1 Tim. 6. 16. num proinde *Christus* adhuc *morti obnoxius* erit qui Apocalyps. 1. 18. hoc de seipso testatur: *Vivo, sed fui mortuus & ecce vivo in secula seculorum, Amen.* Apage blasphemas has ineptias, ὄντως ἀνόητε πῶυε, ut piè admodum idem *Theophylactus*.

Quod vel ideò *Socinianos* magis premit, quod *Smalcii* sui suorumque gregalium hoc concessum, hoc effatum sit, Nomen *Solus* & particulæ idem significantes cum de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui sunt Deo *subordinati*. O boni unquamne, illud quod non excludit Deo subordinatos *Christum Filium* excludit? qui licet quatenus *homo* est *Deo subordinatus* sit, at quâ *Filius* est (quicquid contrà blasphemant *Sociniani*) ab æterno fuit, in æternum erit *Patri consubstantialis* & ὁμοούσιος!

Hoc

Hoc scilicet *Oecolampadius* voluit, cum hoc in loco sub nomine *Patris* totam *Trinitatem* intelligi dixit, à quo non multum abscedo. Quamvis enim (ut prius dixi) facile, concedam Pronomen σὲ hoc commate de Patre intelligi, & nomen *Patris* 1mo versu (ut *Zanchius* & alii volunt) *personaliter* sumi, ità tamen intelligi velim, ut non excludantur *Filius* & *Spiritus Sanctus*, quibus una eademque *Natura*, *Essentia*, *Deitas* communis est.

Neque in contrarium aliquid facit illud, quod Adversarii objicere solent; nimirum hâc ratione Christus *se ipsum oraret*. *Obj.*

Non enim hic orat, ut *Deus* est, sed vel ut *homo*, (sic plurimi Interpretes volunt) vel potius quatenus *Mediator* noster & Pontifex summus erat, (ut saniores aliqui) atque ideò cum *Patrem* compellat, *omnes in Sacra Trinitate Personas*, quibus omnibus una eademque natura communis est, includit. *Sol.*

Summa omnium huc redit, Hæc vox μόνον excludit Idola, Deos fictitios, atque in universum Creaturas omnes, at non Jesum Christum, non Filium, non Personam aliquam Sacræ Trinitatis Personam Patri ὁμοούσιον. Atque hoc secundum *Antiquorum* Responsum erat; idque pietati, veritati, & loci hujus sensui inprimis consentaneum.

Tertium fere *Recentiorum* est, Exclusivam nempe hanc vocem μόνον non determinare Pronomen Σὲ ut sit sensus quod *Solus Pater sit Deus*; sed potius nomen *Deum* ut sit sensus, quod *illa sit Sola Deitas vera, quæ est in Patre*, à quâ non excluditur, *Filius* utpote Patri ὁμοούσιον. Hæc *Lyranus*.

Quæ Responsio eò magis attendenda est, quod non solum *Scholasticorum* sit elegantioris scilicet literaturæ & linguarum rudium, sed & aliorum, qui linguam tam *Græcam* quàm *Latinam* earumque *Idiotismos* callent optimè. Ex his non nemo sic in hunc locum: *Non est sensus, Ut cognoscant Te qui solus es verus Deus; sed, Ut cognoscant Te, qui es ille Deus, qui solus verus est.* *Maldonatus*

In eundem ferè modum doctissimus *Beza*. Quæ sententia sic perverti potest, ac si Solus Pater diceretur esse verus Deus; ità videlicet, ut particula μόνον construatur à parte antèriore cum verbo Substantivo necessariò subaudito, cum tamen articulus (τὸν) præpositus particulæ (μόνον) ostendat hanc esse à parte posteriore cum illo verbo connectendam, ut Pater dicatur esse ille verus Deus, qui solus est, utpote qui sit unicus & singularissimus. Quomodo etiam construendus est idem articulus cum eâdem particulâ Rom. 16. 27. 1 Timoth. 1. 17. ut non sit *Te solum esse verum Deum*, sed *Te esse solum verum Deum*, hoc est, Te esse illum, qui solus verus Deus est, prout etiam *Syrus Interpres* transtulit.

Agnosco quidem hoc *Calvino frigidum* videri. At (pace tanti Viri) videtur in se multum *solidi* habere. Hæ enim duæ Propositiones, *Tu Solus es verus ille Deus*, & *Tu es Solus ille verus Deus* multum à se invicem distant.

1. Quoad *enunciandi modum*. In priore enim vox *solus* ad *subjectum* propositionis pertinet, in posteriore ad *prædicatum*. Quod cuivis statim patet, quod & articulus (τὸν) inter σὲ & μόνον ἀληθινὸν Θεὸν positus apertè indicat. Non enim dicit Christus ἵνα γινώσκωσί σε μόνον τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, sed ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν.

2. Quoad *verborum sensum*. Nam si solus Pater personaliter sumptus diceretur

Library of the UNION THEOLOGICAL SEMINARY New York

ceretur Deus, hoc quidem ex sententiâ *Socinianorum* à Deitate excluderet Filium. Sed cum Pater dicitur Solus verus Deus, hoc tantùm dicit Patri competere illam Deitatem, quæ sola vera est; ex quâ tamen Christus neque ex rei veritate, neque hujusmodi enuntiandi modo excluditur, qui ideo Zechariæ c. 3. 7. à Patre ipso appellatur גֶּבֶר עֲמִיתִי *Socius meus*, ut *Piscator* post *Pagninum* optimè transtulit, atque eâ voce *æqualitatem* Christi cum *Deo Patre* innui dicit, quò & *Vatablus* respexit, cum *virum æqualem mihi* reddidit, ut & priùs Chaldæus Interpres *socium similem*, vel ut Vulgatus *virum cohærentem mihi*, nimirum secundum Deitatem Patri *consubstantialem*, secundum humanitatem valdè ei affinem & similimum, utpote secundum *hypostaticam unionem* intimè Deo cohærentem.

Geber Gnamithi.

Sed ut eò, à quo aliquantum digressus sum, redeam; hæc duo *Pater Solus est verus Deus*; *&*, *Pater est solus verus Deus* multùm à se invicem distare audacter affirmare ausim. Non diffiteor quidem quin hujusmodi Propositiones pro *materiâ subjectâ* atque ex minus accuratâ *loquendi ratione* aliquoties concidant atque idem dicant, V. G. si dixero, *Tû solus es hæres meus*, & *Tu es solus hæres meus*, in utroque forsan idem volo. At dari etiam exempla possunt, in quibus hujusmodi Propositiones multum à se invicem discrepent; ut oblato frustulo aliquo auri obryzi, si dicam *hoc solum est aurum obryzum* idem esse posset ac si dixerim, hoc solum frustulum omne quod uspiam auri obryzi est, in se continet; Sin verò ità dicam *hoc est solum aurum illud obryzum*, hoc tantùm volo, hoc frustulum de naturâ & specie ejus est, quod cum reliquis hujusmodi frustulis verè aurum obryzum est. Eodem planè modo *Pater* hîc dicitur *solus ille verus Deus* quod nimirum solam veram Deitatem in se habeat licet Filio & Spiritui Sancto unà secum communem.

Ut verò tertium hoc Responsum tandem absolvam, superpondium hoc tantum addam; si particulæ istæ ἡ μόνον non ad verba consequentia, sed ad antecedentia referantur;

1. Iste Articulus ἡ minùs congruè interponeretur. Si quidem hoc modo scriptum fuisset ἵνα γινώσκωσί σε μόνον concinnè admodum & liquidè satis flueret oratio. At si sic ἵνα γινώσκωσί σε ἡ μόνον prout *Sociniani* volunt, vel auribus ingrata, saltem usui Græcanico parum accommodata esset verborum constructio.

2. Ut hâc ratione parum congruus esset hujus Articuli locus, ità ipse Articulus minùs *Emphaticus*, quod tamen vel maximè vellent *Sociniani*, scilicet ut *summum* (uti loqui amant) *Deum* denotaret; At si ad priora verba referatur, merè *relativum* esset, & nihil in se haberet *Emphatici*. Sed de tertio Responso hæc hactenus.

Vide Catop. in 2. Per. 1. 2. Masium in Joh. 6. 2. pag. 101. 102. vide etiam Calvin. Institut. l. 1. c. 13. §. 26. Patrem

Quartum, illudque ultimum, omniumque (quantum ego sentio) maximè genuinum, atque huic loco, plurimisque aliis (præsertim in *Epistolis Paulinis*) accommodatissimum hoc est, Christum scilicet hæc locutum fuisse non quâ præcisè Deum, sed vel ut *hominem*, vel ut *Mediatorem* nostrum & summum Pontificem: quo sensu se à Deo *distinguit* quidem, at non *disjungit*, vel *separat* tamen. Quod enim *vitam* vel beatitudinem *æternam*, de quâ hic agitur, spectat, duo præcipuè notari debent; *finis*, in quo ultimò acquiescendum est, & *medium*, per quod ad finem illum perveniendum est. Finis ille

Deus

Deus est secundum illud Apostoli 1 Cor. 15. 28. ubi dicitur, *postquam Christus Regnum suum Patri tradiderit, Deum futurum omnia in omnibus: medium* verò, quo eò tendimus atque tandem pervenimus Christus, Mediator est, vel ipso teste Joannis 14. 6. *Ego sum via & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per Me.* Hæc duò apertè hîc distinguit Christus. *Pater* unà cum *Filio & Spiritu Sancto solus verus Deus* est, quo tanquam fine fruimur; Jesus Christus quà *Mediator* unicum medium est, quo ad verum illum Deum, adeòque ad vitam æternam perducimur. Secundum hanc οἰκονομίαν Mediatoriam est, quod (si ullatenùs) semetipsum à vero Deo hîc distinguat. Quod vel ex illis interpositis verbis (quem misisti) clarissimè patet. Christi enim *missio* Mediatoris opus spectat, ad quod scilicet missus est. Quamvis igitur τῷ Θεανθρώπῳ Θεὸς insit, & Christus, quà Mediator ex alterâ natura *verus Deus* est; quoàd tamen *missionem* hanc atque tum *officium* tum *opus Mediatorium* à Deo in se absolutè & simpliciter spectato seipsum distinguit. Hîc quantum existimo genuinus horum verborum sensus est. *Hac est autem vita æterna, ut Te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum:* quæ summam totius Theologiæ in se continent; totam scilicet beatitudinem nostram in hoc sitam esse ut verâ fide *cognoscamus solum verum Deum*, at per *solum Jesum Christum Mediatorem nostrum unicum.*

designat & creatorem sed in Christo Redemptore salvificè cognoscendum. vide Calvin. Instit. l. 2. c. 6. §. 1.

Eodem planè modo *Paulus* sæpius Christum à Patre à Deo *conjungendo disjungit*, nimirum quoad *Dispensationem Mediatoriam.* Sic *unus est Deus & unus Mediator inter Deum & hominem homo Jesus Christus* 1 Tim. 2. 5. *unus Deus Pater & unus Dominus Jesus Christus* 1 Cor. 8. 6. *Regnum Christi & Dei* Ephes. 5. 5. & plura alia his similima. Quæ omnia minime omnium probant Filium non esse Deum, sed Christum *Deum in carne manifestatum*, Mediatorem nostrum esse & summum Pontificem, qui pro nostrâ salute *semet exinanivit*, nostrasque vices obiit, peccata & pœnas nostrûm omnium ferendo abstulit, atque ità unicum medium, solo *via* illa est quâ ad Patrem, ad cœlum, ad vitam æternam nobis patet aditus.

Hæc summa est. Cum de vitâ æterna agitur, hanc nobis accidere à Patre per Christum à Patre, Filio & Spiritu Tri-Uno solo Deo vero per merita & obedientiam Mediatoris nostri, quem misit, Jesu Christi. Sic de loci hujus sensu germano mihi videtur; sic & mecum aliis. *Oportet ergo credere Deum verum quod ad fidem pertinet divinitatis; credere etiam Jesum Christum quod ad fidem dispensationis spectat*, sic Cardinalis *Toletus.* At pulchrè, optimè (uti solet) *Calvinus*; *Tenendum semper memoriâ est, quam personam hoc loco sustineat Christus. Neque enim sola ejus æterna divinitas nobis consideranda est: (quam tamen astruit versu sequente ubi de gloriâ loquitur, quam habuit apud Patrem priusquàm Mundus esset) quia hic loquitur quatenus Deus erat manifestatus in carne & pro Mediatoris officio.* Sic ille. Secundum utique hanc Oeconomiam Divinam seipsum hîc à Patre distinguit, imò alibi *Patrem se majorem* esse agnoscit Joan. 14. 28. Patrem hîc & alibi orat, Patri omnia accepta refert Joan. 10. 28, 29. *sine Patre se nihil facere posse* dicit Joan. 5. 19. jussa Patris capessit Joan. 5. 36. *à Patre jussus* Joan. 14. 31. *doctus* Joan. 8. 28. *sanctificatus missus* Joan. 10. 36. Et plurima alia passim occurrunt his similia.

Quibus omnibus non innuitur eum, quatenus *Filius* erat non esse *eundem unà cum Patre Deum*, sed quatenus *Mediator* noster secundum mutuum inter se ab æterno initum consilium ea omnia & suscepisse & peregisse quæ ad sponsoris officium, ad Dei gloriam illustrandam, nobisque Divinum amorem conciliandum spectarent. Hunc in finem se *Patri submisit*, de Patre semper honorificè, de se verò modestissimè adeoque hoc in loco (annotante *Maldonato*) sub tertiâ personâ locutus est. Omnia *ad gloriam Patris* (hoc est Dei) refert, *omnia, tam doctrinas quam signa* (ut *Euthymius* loquitur) illi ascribit. Unde minimè mirum alicui videri debet, si semet ipsum hîc à *Patre* aliquatenus (hactenus scilicet) *distinguat*, si *distinguat* tamen. Quod aliquibus minùs placet.

Theodorus Heracleon.

Sunt quidem è contrario alii, qui majus aliquid ausi sunt, dum vellent Christum hic non solum qua Mediatorem verùm & quà *æternum Dei Filium* à Patre *distingui*. Existimant enim *Patrem* etiam *personaliter* sumptum & quà talem per quandam attributionem vel respectu Filii & Spiritus Sancti dici posse *solum verum*; ἀφ' ἑαυτοῦ ὑφεστῶτα scilicet, quod *ingenitus* sit, atque à nullâ aliâ personâ vel generetur vel procedat; sed contrà reliquis in Sacrâ Trinitate Personis *Fons Deitatis* sit, eique illa πηγαία θεότης *fontalis Deitas* (ut aliqui amant) insit. Hanc vero Interpretationem aliquanto audaciorem esse *Maldonatus* putat, & forsan non immeritò Certè *Gerhardus* periculosum esse existimat, ut propter ordinem tantum Personarum solus Pater *Deus verus* diceretur, cum vel re verâ pugnat, vel saltèm pugnare videtur cum Personarum ὁμοουσίᾳ. Ad me quod attinet, certè hoc satis *durum* esse fateor, fideique analogiæ minus ἀναλογον: neque diffiteor (quod illo timet) *apud imperitiores saltem & minùs cautos fraudi* esse poterit Sanctissimarum Personarum *Consubstantialitati*. Quod ideò missum faciam; scilicet (ut quod minimum est dicam) ut hujusce loci interpretationi *minimè necessarium*, vereor etiam nè ab eâ planè *alienum*. Non enim negat, *Jesum Christum* quà Patris *Filium* esse *verum Deum*, sed quà *Mediatorem* dicit eum à *Patre missum*, atque eatenùs, ab eo *distinctum*. Pulchrè *Calvinus*, cujus vestigiis insistere amo, cujus verbis hâc de re concludam omnia. *Quia non nisi in Christi facie cognoscitur Deus qui viva est & expressa ejus imago, ideò dicitur ut cognoscant Te & Christum, quem misisti.* Et alibi: *Solutio facilis est Christus in hominis formâ apparens sub Patris personâ Dei potentiam, essentiam & numen designat. Unus ergo verus est Deus Christi Pater, hoc est Deus ille, qui pridem mundo Redemptorem promiserat unus est. Sed in Christo reperitur Deitatis unitas & veritas. Humiliatus fuit Christus, ut nos in altum eveheret. Ubi eo perventum est, tunc ejus Divina majestas se profert: tunc ipse totus in eo Patre & totus in Pater agnoscitur in summa, qui Christum à Patris divinitate separat eum, nondum agnoscit, qui solus est verus Deus, sed potius alienum Deum sibi fabricat.*

Atque ità tandem absolvimus quadruplex illud Responsum ad *Socinianorum* argumentum contra Deitatem Christi ex hoc loco obtorto licet collo depromptum. Quod quoniam præcipuum atque (ut illis videntur) *Achillæum*, prolixius refutare voluimus. Reliqua levioris armaturæ milites sunt, adeòque facilius diffiandа. Ea verò tria erant, quæ etiam hoc in loco contra *divinitatem* Christi (Socinianis saltem) pugnare videntur.

1. Quod Deum Patrem *orat.*

2. Quod se *à Patre glorificari orat*: versibus prioribus. 3. quod hoc commate se *à Patre missum* fateatur. Quæ omnia (prout ipsis placet) *hominem* vel *creaturam* loquuntur, *Deum* esse negant.

At si κατ' οἰκονομίαν dicantur & intelligantur hæc omnia, uti mox constabit, quale quæso ex his demum erit *Deitati Christi* præjudicium?

Ut de singulis sigillatim agamus, idque brevissimè.

1. *Patrem supplex orat.* At si ut *homo*, idque in statu exinanitionis: num ex eo quod *homo* sit, & quod homini convenit agat, nos *Deum* esse negabimus qui Θεάνθρωπον eum simul & *verum* Deum & *verum hominem* esse credimus? At nos melius docuit dilectus & ἐπιστήθιος ille Christi Discipulus, cujus cum *in sinu* esset, quid in eo fuit optime novit atque explicuit, cum duo ista distincta licet at indissolubiliter contrà conjunxit. *Verbum caro factum & habitavit in nobis, & vidimus* (tamen) *Gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis* Joan. 1. 14. & cum *Quasi* dixit illud *Caph* אמת & ut Hebræi loqui solent; ὡς illud εἰκόμωσεν ἀλλὰ βεβαιώσεως, ut rectissimè *Chrysostomus*: non *similem* tantum Unigenito Patris, sed ipsissimum *Patris Unigenitum* esse affirmat. Si verò non tantum ut *homo* sed (quod potiùs sentio) ut *Mediator* & Pontifex noster Patrem oravit, num οἰκονομία ista Divina ei *Divinitatem* derogabit? Nil minus. Cum enim ad Sacerdotis officium spectabat non solum *orare*, sed & *sacrificare* & *peccata* populi sacrificando *expiare*; quamvis ut *homo* nudus *orare* potuerit, ut peccata tamen nostra sacrificio *mortis* suæ *expiaret* & justitiæ Divinæ *satisfaceret*, id verò *Deum* postulat. Idem ergo noster sacerdos summus, qui & orat & expiat ut Θεάνθρωπος & *verus homo* & *verus Deus* sit necesse est. *Complicata utique sunt humana divinis, & composita ex utrisque oratio*, ut *Cyrillus* in hanc rem appositè. Ut enim in Mediatore duplex natura est, ità in oratione est quod utramque indicet. Quæ in oratione *humilia* sunt & submissionem erga Patrem includunt, ea secundum *humanam naturam* Christo competunt. Alia verò *altiora* & magnifica sunt, quæ *Deum* monstrant. Ut *mori*, hominis est, at *pro homine mori* Mediatoris est, qui & homo & Deus est. Ità *orare humanum* quid sapit, at *ea quæ* orat *promereri* clarissimum *Deitatis* indicium est. *Preces fundere* humile quid sonat, at verò preces istas *Mediatorias reconciliatorias, impetratorias reddere Deum* clamat. Hinc fit ut licet *Sociniani* Christum *seipsum orare* pro *Paradoxo* habeant; Patres tamen *Orthodoxi* ut idem Christus secundum aliam atque aliam naturam idem & petat & det nihil in se absurdi continere putent. *Quæ Filius Dei in formâ servi à Patre accepit*, eadem *in formâ Dei etiam ipse donavit.* Sic *Leo.* Epist. 41. *Ut homo per gratiam à Deitate accepit, quæ ut Deus naturaliter habet, quare à se quoque ipso ut à Deo ipse accipit ut homo.* Ità *Cyrillus*, Thesaur. l. 8. c. 1. Cui illud *Bernardi* in Cant. Serm. 76. adjungere licet: *Liberè petitur quod in potestate petentis est accipere. Ergo dispensatoria Filii petitio est, non necessaria, quippe donantis cum Patre quicquid a Patre acceperit.* Non ergo quod ut homo, ut Mediator, Deum orat quicquam Deitati ejus detrahit, cum id ipsum quod orat quatenus Mediator Θεάνθρωπος promeruit, quatenus Deus & donavit. Et hoc primum erat.

in Joan. l. 11. c. 17.

Athanas. orat. contra Arrian. Admirabile est quod Filius cum Patre id idem cum sit Filius à seipso accipit.

Se-

Secundum fuit quod à P*atre glorificari* oravit. At hoc nos minùs urget. Si enim *oratio* nil Deitatem minuit, multo minùs *Glorificatio* 1. non *glorificari* 2. non *à* P*atre glorificari*.

1. Non *glorificari*. In hoc nil D*eo indignum*, cui omnis gloria debetur ex *condigno*. *Dignus es* D*omine, qui accipias gloriam & honorem* Apocal. 4. 11. Hoc in genere dictum esto. At ut speciatim magis agamus. *Glorificatio* hæc, *Brugensis.* prout hîc sumitur duo dicit *& rem & notitiam complectitur*; nimirum & veram *gloriæ collationem* ejusdemque insuper *manifestationem*; utramque hîc petit Christus, sed pro ratione unius *naturæ* unam, pro ratione alterius alteram.

Respectu *naturæ* suæ *humanæ* veram illam *gloriæ collationem* expetit. Cum enim quatenus homo *vermis & non vir*, *opprobrium hominum & contemptus* *Psal.22.6.* *populo* adhuc fuerat; & ignominiosa jam proprie adventante morte totum il- *Isa.53.* lud, quod gloriæ scintillulæ reliqui erat, prorsus quasi extinguendum foret; orat ut in ipsâ morte sustentatione, post mortem è mortuis resurrectione ad cœlum ascensione vera *gloriæ collatio* in *naturam humanam* ita depectui habitam fieret. At quid hoc *Deitati* vel gloriæ ejus essentiali derogat? cum idem *1Pet.3.18.1* Christus, qui *carne morte affectus*, *Spiritu vivificatus*, & qui quoad humanam naturam apud Prophetam *abjectissimus virorum* fuerit Isaiæ 53. 3. quoad divinam apud Apostolum D*ominus gloriæ* meritissimè audiat 1 Cor.2.8.

Quin & respectu *divinæ* hujus naturæ rectissimè glorificari petit, non quidem quoad novam gloriæ collationem, cum nulla omnino gloriæ suæ essentiali jam in se infinitæ accessio esse poterit, sed quoad gloriæ illius essentialis *manifestationem*, quæ vel ipsâ incarnatione obvelata fuit, mortis verò tenebris tota quasi extincta atque sepulta videretur. At quo d *obscuratur*, non continuò prorsus *amittitur*. Non sic P*atris* gloria: quare ergo *Filii?* Is P*atrem* D*eum* esse non negat, qui ejus gloriam à blasphemis hominum contumeliis vindicatum it. Neque ergo Christus hîc D*eo* se exuit, ubi divinam ejus Majestatem prius obscuratam palam tandem *manifestandam* petit. Duo potius in contrarium nobis inde notanda sunt.

1. Summa Christi (quam nostrâ causa subire voluit, *exinanitio* & stupenda Filii Dei κένωσις quod ipsa divinitatis Gloria ita *obscuraretur* ut *manifestatione* ejus opus foret. *En quò descendit Christi humilitas!*

2. Detestanda plane *Socinianorum* ingratitudo, quod cum Æternus Dei Filius pro nobis *homo* fuit, ideò in se D*eum* non esse pessimè concludant, quod cum nostræ salutis gratiâ summam divinitatis suæ gloriam sub carnis mortisque velo aliquantisper delitescere voluit, ii vel ideò cum ipsâ D*eitate* exuere satagant. En quò ascendit superba hominum ingratissimorum protervia!

Benè tamen est, & quod ipsis blasphemum os in æternum obturare poterit, quod licet *à P*a*tre glorificari* petit versu 1. Ex quo illi eum *Deum* esse negare ausint, *eâ* tamen *gloriâ glorificari* vult, *quam apud Patrem habuit priùs quam mundus esset* Commate 5. quod (ut postea constabit) eum *æternum* D*eum* clamat.

Nil ergo in eo quòd *glorificetur* est quod ipsius Deitati glorioſæ quid detrahat, quod primum erat.

2. At

2. At nunquid quod *à Patre* glorificari petit, inferioritatem aliquam sonat, ac proinde Deitatem ei derogat?

Minimè Gentium. *Aliquem* enim *glorificare*, si Phraseologiam scripturæ æque ac vulgarem spectemus, non solum *superioris* est, quin & *æqualis æqualem*, *Idem seipsum*, imò *inferior superiorem* glorificare potest.

S. *Spiritus Filium glorificat* Joan. 16. 14. At non inde vel secundum *Socinianos* Spiritus Filio *superior* est.

Filius etiam *glorificat* Patrem, ut hoc ipso in loco, ubi primò dixerat, *Pater Glorifica Filium Tuum*, continuò adjunxit, *ut & Filius tuus glorificet Te* & rursus commate 4. *Ego Te glorificavi in terrâ; at non inde* vel ex eorum sententiâ Pater Filio inferior erit.

Imò nos omnium infimi Deum summum glorificare & possumus & debemus. Ita *ſpendeat lux veſtra coràm hominibus, ut ipſi videant veſtra bona opera, glorificentque Patrem veſtrum qui eſt in cœlis.* Matth. 5. 16. At non inde terrestris homo cœlestem Patrem *æquabit*, nedum superabit unquam.

At dicent forsan, quamvis *Phrasis* vel loquendi modus non cogat, at *loci hujus sensus* exigit, ut non eo modo quo nos Deum glorificamus, Pater itidem & Filium glorificet. Fatemur ultrò non eodem prorsus modo & tamen non ex omni parte dissimili.

Quatenus enim glorificatio realem *gloriæ collationem* denotat; sic *nos* quidem *Deum* minime *glorificare* possumus & sic quidem *Pater Christum glorificavit*, sed ut *hominem* secundum quem Patri inferiorem agnoscimus.

Quatenus vero glorificatio *gloriæ manifestatio* est, sic & *nos* Deum *glorificamus*, & sic Pater Christum ut hominem imò ut Deum. At ita qui Filium Deum esse *manifestat Deum esse* non negat.

Illud etiam adjicere liceat, ut Pater Christum glorificavit, sic & Christus se ipsum, non quidem pro summo quo erat candore ut homo *honorem sibi arripiendo* Heb. 5. 5. at pro summa tamen qua erat potentia qua *Dei unigenitus Filius* fuit se *verum Deum esse* apertè demonstrando. Sic, ut *Pater* ipsum *Suscitavit* Ephes. 1. 20. ita *ipse se* Joan. 10. 18. Ità *Pater Filium glorificavit* & *Filius seipsum*, quia *omnia qua Pater similia & ipse facit* Joan. 5. 19. ut eundem cum Patre Deum esse constet. Atque hæc de 2. illo quod à *Patre* glorificari petit.

Tertium & ultimum est quòd se à *Patre missum* esse dicit, *& quem misisti Jesum Christum*: Quod ex eorum sententia Patris in eum authoritatem, ipsius vero Patri inferioritatem (ut loquuntur) arguit, adeoque eum *summum Deum* esse negat, quo etiam argumento contra Deitatem Spiritus Sancti disputant, eò quod eum etiam *missum* aliquoties legunt, à Patre Joan. 14. 26. à Christo Joan. 15. 26.

De S. *Spiritus* vel *Deitate* vel *missione* non est quod hic agamus. *Jesum Christum à Patre missum* grati agnoscimus, in cujus rei explicationem hæc dicimus.

1. Cum *Bonaventurâ* quod *Missio importat manifestationem & connotat in misso emanationem*: atque hinc licet & Pater & Filius & Spiritus *mittere* dicuntur, at tantum *Filius* & *Spiritus mitti* dicuntur; cum soli sint Personæ quasi

productæ & emanantes à Patre, qui fons est Deitatis.

2. Ergo missio hæc *ordinem Personarum* subinnuit. Congruum enim est ut Filius Spiritum mittat, secunda Persona tertiam, ut prima & secundam & tertiam.

3. Proinde & *distinctionem Personarum* monstrat. Quamvis enim una eademque Persona alio atque alio modo & mittere & mitti potest, ut voluntas eadem est & movens & motum cum se ipsam movet, ità Spiritus & mittens dici potest secundum quod est Deus, & missum secundum quod donum. At verò cum *Pater Filium*, *Filius Spiritum*, mittere dicitur, differentia *Personarum* innuitur.

An verò & *essentiæ* quæritur. Ita volunt *Sociniani*, negant *Orthodoxi*. Tum demùm enim missio differentiam substantialem innuit, cum *dominium proprium* importat, ut cum Deus mittit Angelum, Dominus servum, Christus Apostolos secundum illud Joan. 20. 21. *sicut misit me Pater ità & ego vos mitto*. At *sicut* illud licet *similitudinem aliquam* dicat, non *omnimodam* prorsus *convenientiam*. Non enim eodem modo, vel eâdem imperii authoritate Pater Filium misit ac Christus Apostolum.

Duplici nomine Christus *missus* esse dicitur 1. quoad *incarnationem*. Sic Christus se à *Patre prodiisse & venisse in mundum* dicit Joan. 16. 28. & Pater dicitur *Filium suum misisse factum ex muliere* Gal. 4. 4. 2. quoad *officium Mediatorium* ut Redemptor, Propheta, Rex, Sacerdos Ecclesiæ esset, secundum illud Prophetæ Isaiæ 61. 1. *unxit me Dominus ad Evangelizandum mansuetis, misit me ad obligandos fractos animo, & ad proclamandam captivis libertatem*. *Prophetæ* enim unctio, legatio, *missio* necessaria est.

Si verò hæc quatenus *homo* vel quatenus *Mediator* fuit sumantur, atque ità vel ἀνθρωπινῶς vel οἰκονομικῶς secundum vel humanam ejus naturam vel dispensationem Mediatoriam intelligantur, missionem hanc *imperium* & *inferioritatem* propriè dictam denotare agnoscimus. At quatenus *secunda Persona* fuit quæ incarnari & officium Mediatorium obire debuit, ità *Personarum ordinem & differentiam* denotat; at nullum interim tale vel essentiæ discrimen, vel proprium mittentis in missum imperium, ut non uterque *missus* æquè ac *mittens* Deus *verus summus* esse possit. Æqualis enim æqualem si modò mutuo consensu fiat, mittere potest: unus *Consul* ex compacto alterum, sic & *Pater Filium*. Imò vox *Missionis* illud potius evincit. Qui enim *jam* mittitur *priùs erat*. Sic ergo Christus in ipsa prima sui incarnatione à *Deo missus* erat, tum ante sui ipsius incarnationem *prius erat*, ergo & verus *æternus Deus* scilicet *in carne manifestatus* secundum illud Apostoli 1 Tim. 3. ult. Atque hæc ferè sunt quæ *Sociniani* ex tribus hisce versibus contra *Christi Deitatem* objicere solent; quibus nos è contrà plura objicere possumus ex hoc *Capite* quæ eam stabilire possint, quæ vel nominare tantum sufficiet.

Primùm quod *vitam æternam* ei debeamus. At hæc *vox non hominem sonat, Deum* clamat secundum illud, *Hic est Deus & vita æterna*. 1 Joan. 5. 20.

2. Quod vitam hanc æternam *æquè Christo ac Patri* debeamus, cum perinde in *sui cognitione* ac Patris consistat. Eundem Deum arguit idem cum Patre divini honoris consortium. Quorum una est τιμὴ vitæ æternæ conciliatrix eorum & una φύσις.

3. Quod

3. Quod vita hæc æterna in Christi *cognitione* sita sit; at cognitio hæc *fiduciam* includit, quæ *soli Deo* convenit.

4. Quod κατ' ἐξοχὴν *Patris* Filius dicatur.

1. Unigenitus scilicet & essentialis, de quo sæpiùs in Sacra Pagina non negantur quæ Patri tanquam peculariâ accommodantur.

5. Quod ἐξουσία (hoc est *authoritas* δυνάμει & potentia armata) *datâ ei sit in omnem carnem* v. 2. At hæc *Dei* propria est Numer. 16. 22. 27. 16. Jer. 32. 27. idemque valet cum eo Apostoli *qui est supra omnes Deus benedictus in secula* Rom. 9. 5. At si ei datam objiciant, facile cum *Cyrillo* respondemus *omnia possidet ut Deus, omnia recipit ut homo:* quatenus Filius Dei Æternus ut essentiam divinam ita & potestatem suo modo naturaliter communicatam habet. At quatenus Filius hominis vel Mediator à Patre gratuitò indultam. Nil verò impedit quò minus illud ipsum quod ut homo accipit ut Deus habeat, vel quod ut Filius quoad *Personam* à *Patre* recepit, idem quoad *naturam in se* habeat, ut Filius à Patre tanquam à fonte Deitatem haurit, qui ipse tamen est αὐτόθεος.

6. Illud commate 5. Adversarios inprimis urget, quod à *Deo glorificari* petit *eâ glorià quam apud eum habuit priusquam Mundus esset.* Quæ apertè eum *Deum* esse demonstrant; Eumque *æternum.* Nihil enim ante mundi primordia *fuit*, nedum *gloriam habuit* quod *Deus* non erat.

7. Et ultimum illud sit commate 10. *Et mea omnia tua sunt & tua mea sunt*, non tantum ut *Oeconomi* omnia quæ Domini sunt administrantis ut Gen. 39. 9. nec tantum ut *sponsæ* omnia quæ sponsi sunt imò & ipsum sponsum ex fœdere inito possidentis Cant. 2. 16. Sed ut ejusdem naturæ adeòque & potestatis participis.

Contra hæc singula plura fateor sunt quæ à Socinianis afferri solent, nec pauciora quæ ab Orthodoxis pro iisdem explicandis & asserendis adducuntur, quæ tamen omnia jam missa facio; siquidem ex his quæ jam dicta sunt satis constat, tantum abesse ut ex dulcissimo isto loco summa Domini nostri Jesu Christi Deitas infirmetur, ut stabiliatur quàm maximè.

Rom. 1. 17.

Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivet. Vulgat. Justitia enim Dei per illud detegitur ex fidei in fidem, sicut scriptum est, Qui verò ex fide justus est, vivet. Beza.

CUm animum diu prorsus aversum, ad hoc *Prælegendi* munus (aliquandium saltem) pro virili obeundum (gravatè illud quidem & tantum non coactus) tandem adduxeram, subinde in arenam jam descensurus æquè anceps hæreo, dum illa duo anxius apud me cogito.

1. *Quæ Rhodus, qui saltus:* quodnam scilicet Theologiæ caput mihi inprimis tractandum foret.

2. Quâ viâ incedendum, an amæniore illâ & Regiâ Sacram *Scripturam* interpretandi, an per *controversiarum* vepreta & *quæstionum* spinas; quæ ubertim nimis in *agro* Domini, in *Christi* vineâ, præsertim in Theologorum Scholis succreverunt, ex quo Scholastici coloni fuerint.

Quod ad hoc secundum spectat, plurima sunt, quæ me jam volentem suadent, & ultro ruentem rapiunt in Sacrarum Scripturarum amplexus.

Primò enim *Aquæ siluntis* sunt, illimes, limpidæ, *sensim fluunt*, ut illæ Isa. 8. 6. *omnia sanant* Ezec. 47. 9. *civitatem* Dei *lætificant* Psal. 46. 4. Quod ergò est, quod *relictâ scaturigine aquarum vivarum cisternas fractas nobis effodiamus*, & *lacunas sectemur:* ut habemus Jer. 2. 13. Quod ergo idem Propheta commate 18. Judæis dicit, id quisque nostrûm sibi hâc in re dictum putet; *Nunc quid tibi est in viâ Ægypti, ut bibas aquam Sichoris.* i.e. nigram, vel (ut vulgatus Interpres reddit) turbidam: aut *quid tibi in viâ Assyriæ, ut bibas aquam fluminis:* rapidam scilicet. Tales Nili, Euphratis aquæ, & tales ut plurimum Disputatorum, rapidæ, turbulentæ, non quibus loti illis oculi perspicacius videant (ut ille olim aquis *siluntis* Joan. 9. 7.) sed potius cæcutiant magis *Abulensis* instar, qui ita disputare didicerat, ut *Symbolum* dediscere *Apostolicum.*

Præterea verba Dei sunt λόγοι ὑγιαίνοντες 2 Tim. 1. 13. & sana, & sanantia. At (secundum illud ejusdem Apostoli 1 Tim. 6. 4. νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας) altercationes istæ & verborum pugnæ (quales teste *Cicerone* ferè erant *Stoicorum* Disputationes, ut & *Scholasticorum* plurimæ) morbum potiùs inducunt, quam medicinam. *Disputandi pruritus, scabies Ecclesiæ.* Nôstis cujus symbolum erat, cujus tantoperè se gloriatur Authorem.

D. Henric. Wotton. Heb. 6. 16.

Cum etiam Sacræ Scripturæ (quod de jurejurando dicitur) *omnis controversiæ*

verſiæ finis ſint; Diſputationes iſtæ lites ſerunt, non dirimunt, ut de iis meritò dici poſſit, quod Nazianzenus olim de Conciliis, ὅτι μηδεμιᾶς συνόδου πέλοι εἴδον χρησὸν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐχούσας ἢ φιλονεικίαν. Et quis quæſo diſputationum, altercationum, quæ in Scholis, in compitis paſſim hodie inſtituuntur, exitus eſt, niſi ut per ἀνθολκῆς ἀμιτρίαν quiſque in ſententiâ ſuâ confirmatior abeat? adeo ut prudenter admodum *Franciſci Junii* Pater, ut filium in Atheiſmum delapſum ad ὀρθοδοξίαν reduceret, eum de re illâ diſputare noluit, ſed ſacrum Codicem ei legendum appoſuit: neque defuit fælix eventus tam pio prudentique conſilio. Illud enim peculiare habent Sacræ literæ, quod cum θεόπνευστα *divinitus inſpiratæ* ſint, totæ Deum ſpirent, in quibus *tanquam in ſpeculo gloriam Dei intuentes in eandem imaginem transformemur* 2 Cor. 3. 18. vel verè ſancti, vel ſaltem minùs impii reddimur, & quò magis rem cum eis habemus, eiſque propiùs accedimus, eo magis ab errore abſcedimus & veritatem ſapere incipimus.

1 *Tim.* 6. 4. 5 *Epiſt.* 42. *in vitâ F. Junii.* 2 *Tim.* 3. 16.

Hinc fit (quod & obſervârunt ex noſtris aliqui) ut iidem *Pontificii* Authores magis *orthodoxè* ſentiant, propriùſque tum nobis tum ipſi veritati accedant, dum commentaria in Sacras Scripturas ſcribunt, quam in Polemicis ſuis digladiantur. Tanta ſcilicet eſt Scripturarum reverentia, majeſtas, ſanctitas, ut vetatis aliquid ἀσυναχρωνύσιον atque affricare ſoleat propiùs accedentibus. *Chemnitius.*

Huc etiam & illud adjicere liceat, quod cum Apoſtoli, viri Apoſtolici, cæterique Chriſtiani primævi præcepti illius Apoſtolici μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, memores fidem Chriſtianam ſacris literis conſonam prædicârunt, eamque non diſputationum rixis, ſed vitæ potius ſanctitate & Martyrio confirmârunt, ex iiſdemque ſubinde exortos refutârunt errores; exorituro jam *Antichriſto*, à ſimpliciore iſtâ prædicandi, ſcribendi, credendi ratione paululum receſſum eſt, donec eo jam clarè exorto ac revelato, ad Scholaſticam (quam vocant) Theologiam res ferè tota rediit, quam quidem *Poſſevinus* cum *Theologiâ Chriſtianâ* Synonymam facit: At quam immane à primæva illâ diſtabat, teſtantur *Ariſtotelis* placita ferè pro Canone habita, altum Scripturarum ſilentium, imò deteſtandus planè earum neglectus, contemptus; rariores Cathedræ, & Lectiones Scripturariæ in Scholis & Monaſteriis conſtitutæ, tam pauca (ſi alia Scripta Theologica & Eccleſiaſtica ſpectemus) in Scripturam Commentaria tunc temporis edita, eaque ut plurimum ſatis inepta, ubi ſemel pro antiquâ illâ credendi ſimplicitate invecta eſt nova diſputandi ſubtilitas, idque de tricis ferè & Apinis, vel ſi de ſolidioribus Fidei articulis fædiſſimè ab Harpyis iſtis deturpatis.

1 *Cor.* 4. 6. *Biblioth.* 3. *c.* 5. *vide Danæi prolegomena in ſententias. Voetii diſp. Theolog. part.* 1. *diſp.* 2. 3. *Hottingeri. Analecta pag.*

Eradicentur ergo ſpinæ atque urticæ iſtæ, quæ agrum Domini (non minùs quàm *pigri* illius Proverb. 24.) jam diu coopernerunt. Faceſſant ab Eccleſiis, Scholis noſtris iſtæ ἀ'πιθέσεις τ῀ ψευδωνύμου γνώσεως, unà cum *Antichriſto* exortæ, unaque cum eo (uti credo) abolendæ. 1 *Tim.* 6. 20.

Illud unicum præterea adjiciendum; quod Diſputationum omnium Theologicarum hic ſolus finis & ſcopus eſſe debeat, ut S. Scripturarum ſenſus genuinus ritè eruatur, atque ſacroſancta earundem probè explicetur & confirmetur Doctrina. Ad hoc nunquam opus eſt rixis & ἀνθρώπου τ῀ νῦν διεφθαρμένου σοφιστείαις. Hoc demum Orthodoxâ earum expoſitione præſtito, nil amplius 1 *Tim.* 6. 5.

opus erit Controversiis ἀπερὶ τοὺς nunquam finiendis.

Act. 15. 2. 7. Hæc ferè sunt, quæ me in hoc penso absolvendo à *controversiis* tractandis nimis forsan alienum reddunt, atque ultrò currentem rapiunt ad sacri Codicis expositionem.

1 *Cor.* 11 19. 2 *Pet.* 3. 16. Cum verò in eodem sacro Codice αἱρέσεις καὶ συζητήσεις ἐν ὑλῃ (vel ipsorum Apostolorum) mentionem factam habeamus.

Cum *oporteat hæreses* esse, neque desint jam (ut olim) qui *detorquent Scripturas ad suum ipsorum, atque aliorum perditionem:*

Tit. 1. 9. Cum denique *fidelis Sermonis tenaci* incumbat, non solùm *exhortari doctrinâ sanâ*, sed *eos etiam, qui contradicunt, arguere.*

In rem vestram, forsan & meam, maximè futurum duxi, si non totus in Scripturis enarrandis fuero, sed locorum quorundam (prout vel mens vel res postulaverit) delectu facto, & quam possim clarâ ac genuinâ eorum dein præmissâ expositione, Dubiorum, siquæ inde oriantur, adornare explicationem, vel etiam pro re natâ, quæ de eis ventilari solent, vel strictim, vel (si rerum dignitas vel difficultas illud exegerit) fusius aliquando tractare controversias.

Atque hæc primò de viâ & methodo, cui in hoc *Prælegendi* cursu insistendum judicavi, dicta sunto.

2. Quod verò ad illud alterum attinet: *quodnam* scilicet *Theologiæ caput* nostrâ hâc operâ mihi præcipuè explicandum, expoliendum, confirmandum delegerem, cum sint præclara illa quidem omnia, & longè præstantiora quam nostrum futurum est acumine dignissima, præ reliquis tamen ut suavissimam illam de *Peccatoris Justificatione* Doctrinam (non eam quidem totam, sed quod ad præcipua quæ de eâ disputari solent) sartam tectam conservandam in me pro posse meo susciperem, duo præcipuè suadent.

1. Rei dignitas. 2. Adversariorum eam & obscurandi & corrumpendi studium.

1. Et quidem tanta doctrinæ hujus dignitas est & præcellentia, ut eam non immeritò aliqui totius Christianismi cor, animam, medullam, columnam indigitaverint. *Luthero Articulus* est *stantis & cadentis Ecclesiæ*, qui in corde ejus (ipso profitente) *ità regnavit*, atque in scriptis suis adeò ubique utramque implevit paginam, ut pro eo excolendo, firmando multum ei debeat, atque in æternum debitura est, Christi Ecclesia, neque fœdissimâ ingratitudinis, impietatis maculâ carebit nostra ignavia, si quem ille reliquique in messe Domini operarii tanto zelo, sudore, imò & sanguine, tanquam Dei depositum ipsius Christi sanguine signatum nobis posteris transmiserunt, imò & fideliter custodiendum commiserunt, eum vel negligenter discendo, vel frigidè docendo amittamus, unquam vel pro *prudenti* (si placet) animi nostri *moderatione*, hoc est degeneri molliter *Heterodoxorum* Sophisticâ vel adulterari, vel nobis eripi patiamur, non minore utique veritatis Dei, nominisque ejus ignominiâ, quàm multifario totius Ecclesiæ, nostrûmque ipsorum dispendio.

Justificationis, cujus veram rationem nisi è Scripturis petis, non video in quem usum Sacras literas legas. P. Melanchthon in præfat. ad commentarios priores Lutheri in Epist. ad Galatas. caput nostræ fælicitatis, de quo dicere ausim siquis ferè fuerit edoctus, eum omnes abusus facile rejecturum, &c. P. Martyr in Rom. 4. ad initium. Spanhemio vera Christianismi basis, verum Christianorum peculium, quâ salvâ & illius structura constat, & illorum consolatio. Disp. Th. p. 1. pag. 277.

1. Pri-

1. Primò enim in hoc Articulo rectè intellecto & explicato tanquam in ſpeculo lucidiſſimo ſumma elucet divinæ tum miſericordiæ tum juſtitiæ gloria, dum ex ejus ſententiâ Deus miro quodam atque ineffabili compendio & miſericordiæ & juſtitiæ æque litet; & debitum ſimul gratis donet & plenè exigat: & *juſtus* ſit, & *juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu* Rom. 3. 26.

2. Summa ex hoc præcipue articulo tam in vitâ quam in morte noſtra pendet conſolatio. *Juſtificati* enim *per fidem pacem habemus apud Deum* Rom. 5. 1. Dum quidem omnia intus, extrà, tranquilla ac pacata ſunt, opera ac merita ſua *Pontificii* jam (ut *Phariſæus* olim) jactare poſſunt. Cum verò iræ divinæ, peccati, mortis ſtimulis ſemel cruentatur anima, nil omnino eſt quod *ſanguinis profluvium* ſiſtat, vel *ἀνάδυσιν* adhibeat præter *Chriſti juſtitiam fide apprehenſam*, & *gratuitam* propter *Chriſtum* indultam *veniam*. Hoc Cardinalis *Contarenus* ultrò piè profitetur. Hoc Cardinalis *Bellarminus* vi veritatis adactus, poſtquam in contrarium pluribus diſputaverat, *tutiſſimum* eſſe agnovit, & tandem cum in confinio mortis erat, jam animum agens, ſuo firmavit teſtimonio. *Luc.* 18. *De juſtificatione.*

3. Eò magis aſſerenda, atque vindicanda eſt dulciſſima iſta de gratuitâ per Chriſtum *juſtificatione* doctrina, quod (quicquid in contrarium blaterant *Pontificii*, atque ex noſtris, ſi tamen noſtri dicendi, aliqui) *fons* ſit verè *bonorum operum*, omniſque tam cordis quàm vitæ ſanctimoniæ; quod uberrimè demonſtrat Apoſtolus capitibus 3. 6 7. 8. Epiſtolæ ad *Romanos*, neque minorem in illâ Adverſariorum cavillatione refellenda impendit operam, quam in tota illa (quam late perſequitur) gratuitæ *per fidem juſtificationis* confirmatione. *Juſtificationem* & *ſanctificationem* inter ſe committant illi apud quos *filia devoravit matrem*. *Imputatam* Chriſti juſtitiam pro *putatitiâ*, omniſque ſecuritatis imò & turpitudinis illicio habeant, dum opera & merita ſua nimis importunè venditant. At nos, è Sacris literis, propria item eaque certiſſima experientia melius edocti ſumus, *quod non ex fide eſt, peccatum eſſe*, omnemque proprie dictam ſanctitatem, juſtitiam internam externam à gratuita per Chriſti fidem juſtificatione & veram *originem* trahere, & *motivum* longè omnium efficaciſſimum. Seriò itaque cavendum eſt, ne dum *fidei juſficantis* faciamus jacturam, fiat hoc omnis etiam *veræ pietatis*, atque *univerſæ juſtitiæ Evangelicæ* diſpendio.

4. Quin & totius *Evangelicæ veritatis*. Hoc enim quartum eſt quod in hoc Articulo aſſerendo, vindicando diligentiam noſtram magis acuat, arctiſſimus ſcilicet ejus cum reliquis fidei dogmatibus præcipuis nexus, putà *de Dei decreto*, *Chriſti ſatisfactione* & *merito*, *de peccato originali*, *libero arbitrio*, *legis obligatione*; quæ omnia, iiſque ſimilia alia mox corruent, ſimul ac vel ſubverſa vel malè collocata erunt *gratuitæ juſtificationis* fundamenta. Cujus rei ſpecimen triſte admodum nobis exhibuerunt *Pontificii*, *Sociniani*, *Arminiani*, *Antinomi*, *Libertini*, qui dum pro ſuâ quiſque ſententiâ de hoc *gratuitæ juſtificationis* articulo perperam ſentiunt, de illis modò dictis etiam peſſimè. *Luthero*, *Chemnitio* hic locus eſt tanquam arx & præcipuum propugnaculum totius Doctrinæ & Religionis Chriſtianæ, quo vel obſcurato, vel adulterato, vel ſubverſo impoſſibile eſt puritatem doctrinæ in aliis locis retinere. Imò Calvinus *Inſtit. lib.* 3. *cap.* 11. § 11.

vinus eum vocat præcipuum sustinendæ Religionis cardinem *Pighius*, *Bellarminus*, alii ultrò fatentur *Rem justificationis cardinem esse à quo pendent, & in quo versantur omnes inter nos & eos controversiæ.* Quod idcirco ne triumphati planè causa cadamus, majorem à nobis cautelam efflagitat, & acriorem in eâ asserendâ industriam.

5. Quòd & ideò ultimo in loco magis allaborandum est, quia Doctrina ista justificationis gratuitæ *Ecclesiæ Orthodoxæ* imprimis *Characteristica* sit, & (si ità loqui liceat) *Christianissima.*

Christianos enim primò discriminat ab *Ethnicis*, inter quos *justitiæ*, *Philosophiæ moralis* rumor aliquis increbuit; *justificationis* verò tam altum fuit silentium, ut ne vox ipsa eis innotuerit, vel saltem minus placuerit elegantiarum suarum magistris.

Inter ipsos etiam Christianos *justificatio* hæc, quam tuemur per *Christi justitiam imputatam*, fide solâ apprehensam *Heterodoxis Shiboleth*, crux, scandalum semper fuit, *Orthodoxorum* verò *tessera* & symbolum.

2. Hoc verò nos ducit à primo hujus materiæ tractandæ incentivo, rei scilicet de quâ agendum erat, pondere & dignitate, secundum illud, Adversariorum nimirum eam vel insuper habendi, vel obscurandi, vel etiam corrumpendi studium & industriam. Quò enim, quod nostrâ plurimum refert vel negligentiùs à nostris curatur, vel infensiùs ab hostibus impetitur, eò solicitiùs ei invigilandum est, ne quod nobis tanti est, detrimenti aliquid capiat.

Quanti verò vel est vel saltem esse debet intemerata *justificationis* doctrina, in quâ consolatio, sanctitas, salus nostra præcipuè vertitur, jam diximus. Quàm acriter verò per omnes Ecclesiæ ætates ab ipso *Abele* huc usque contra hoc nostræ salutis *Asylum* pugnatum est, non magis fusè quàm & piè & doctè à *Chemnitio* explicatum habemus, quem expilare nolo.

Sub *Veteri Testamento* constat, Prophetas rem habuisse cum iis qui justificationis & salutis suæ spem omnem vel in *Legis Ceremoniis*, vel *obedientiâ* Legi *morali* præstitâ, vel denique in superstitiosis à se adinventis θελοθρησκείαις & operibus supererogatoriis collocabant.

Tempore *Christi* & *Apostolorum*, quid *Scribæ*, *Pharisæi*, & ex his *Judæi* reliqui de operum justitiâ, quid *Ebion Cerinthus*, & Pseudo apostoli de operibus legis cum fide in opere justificationis conjungendis, quid contrà *Gnostici* sub gratuitæ per fidem justificationis prætextu & de summâ bonorum operum incuriâ & profligatâ planè peccandi licentia, quid *Carpocratiani* de nefandarum pollutionum ad salutem necessitate blasphemabant, testantur Evangelia, Acta Apostolorum, & Ecclesiasticæ passim Historiæ. Contra illos *Paulus* ubique ferè (præcipuè in Epistolis ad *Romanos* & *Galatas*) operosè probat nos *sola fide justificari*; contra hos non minùs animosè insurgunt reliqui Apostoli *Petrus*, *Johannes*, *Judas*, dum pœnitentiam, charitatem, & omnem vitæ sanctimoniam urgent, & inprimis *Jacobus*, dum fidei solitariæ, historicæ, bonorum operum vacuæ justificationem adimit.

His ità sopitis, vel triumphatis, sæculis proximè sequentibus (in quibus res aliæ agebantur, aliæ pro re nata de *Trinitate*, de *Christo*, & his annexis articulis

culis ut plurimum tractabantur controversiæ) parum tunc temporis agitata est *justificationis* doctrina; non adeo frequens in illorum temporum Scriptoribus ejus mentio; vel saltem ἐν παρόδῳ de eâ agunt, idque sæpè minus propriè & accuratè.

At orto demum *Pelagio*, ab eoque expergefacti *Augustinus*, *Hieronymus*, *Gregorius*, & reliqui deinceps alii, dum ab ejus corruptelis eam vindicare satagerunt, & cautius de eâ loqui, eamque paulò accuratiùs tractare inceperunt; non ità tamen, quin plura ab illis minùs distinctè, imò satis incommodè dicta sint. *Fidem* pro *notitiâ* tandem & *assensu* habent. Inter *Legem* & *Evangelium*, inter *justificationem* & *sanctificationem* minùs accuratè distinguunt. Et quò magis securitatem excuterent, atque ad pietatem prosequendam homines incitarent acriùs, *bona opera* in ipsum *justificationis* Articulum sæpè immiscuerunt.

Hinc *Scholastici* (ubi ad eos demùm ventum est) omnia confundendi, corrumpendi ansam arripuerunt, apud quos nihil solidi vel sinceri est: *præparationes*, *opera*, *merita* crepant; fidei justitiam, atque inde *justificationem* gratuitam vel ignorant planè, vel ei notæ fortiter adversantur.

Atque ità ad nostra tempora delapsi sumus, in quibus de nullo ferè Christianæ fidei magis quàm de hoc primario *justificationis* Articulo plures vel magis pugnaces sunt hominum sententiæ. *Osiander* viginti quinque *Lutheranorum* inter se dissidentium esse asserit. *Bellarminus* magis liberaliter nobiscum agit, dum ex his viginti adimit, & ad quinque reducit omnes. *de justif. l. 2 c. 1.*

Nos etiam missis aliis, *quinarium* servamus numerum circa *Articulum* hunc acriter inter se invicem dimicantium: *Pontificiorum* scilicet, *Socinianorum*, *Remonstrantium*, *Antinomorum*, & *Protestantium* denique Orthodoxè de re istâ sentientium.

Quot hâc in re inter eos pugnæ sint, posteà ubi de earum saltem aliquibus sigillatim agendum erit, magis innotescet. Hoc jam in genere dictum sit; tres priores, Pontificii, Sociniani, Remonstrantes communi suffragio *Christi justitiam ad nostram justificationem imputatam* explodunt.

Pontificii, qui (ipso fatente *Pighio*) hanc doctrinam suis scriptis magis obscurârunt quàm dilucidarunt, pluribus hîc peccant. Illud primarium, & præcipuum est, quod *justificationis* formalem rationem non in *Christi justitiæ fide apprehensæ imputatione*, sed *inhærentis justitiæ infusione* & *bonis operibus* esse statuant.

Sociniani ità in *peccatorum remissione* esse volunt, ut Christi *satisfactionem* prorsus excludant.

Arminiani in *fidei* propriè dictæ ad justitiam *imputatione*, ejusque ad justificationem nostram *acceptilatione*.

Antinomi, *Libertini*, ità Evangelium, gratiam, fidem, justificationem deprædicant, ut *Legem* nè ad *vitæ regulam* admitti velint, pœnitentiam *scriptis* destruant, Sanctitatem *factis* abnegent.

Hi præcipuè in hac palæstra Adversarii nostri sunt, qui in munitissimo hoc fidei nostræ propugnaculo vel cuniculis subruendo vel arietibus demoliendo toti sunt: in quo item propugnando nostrorum plurimi egregiam navarunt operam. Quibus & ipse (*omnium* licèt *minimus*) lubens accedo ὅτι ἠ φιλόνικος ἡ

διαγελᾷ ἀληθῆ τοῦτο ὑμῖν; ut de hac ipsissima re Apostolus loquitur Gal. 2. 5. neve unquam primaria ista Evangelii veritas, in qua *consolatio*, *salus* ipsa nostra vertitur, quæque hucusque strenuissimos assertores, defensores apud nos habuit, Adversariorum tandem vel *arte* vel *Marte* pessum eat, vel oscitantiore nostra aliquando labascat incuria. In hanc rem se mihi primò enarrandam obtulit Apostoli Pauli ad *Romanos* Epistola, in qua divino planè artificio, acumine atque argumentorum robore rem totam confecit. Sed cum ipse *Augustinus*, postquam hujus Epistolæ expositionem susceperat, *ipsius operis magnitudine ac labore deterritus* (ut ipse fatetur *Retract. l. 1. c. 25.*) destitit quid est, quod ipse *tantillus tanta* aggredi ausim, cum si & vellem, pensum hoc mihi præripuerunt Theologi antiqui, recentiores optimi, qui in Epistolam hanc totam doctissima commentaria ediderunt: post quos aliquid hic tentare esset post *Homerum Iliada scribere*. Sat mihi erit hinc illinc periochas ejus aliquas explicandas excerpere, quæ vel majorem aliquam in se difficultatem habent, vel quæ præcipua hujus de justificatione doctrinæ capita magis vel planè nobis exhibent. Atque ex his prima illa sit, quam prius recitavi ex capite 1. vers. 17.

Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

Priusquàm verò me ad hoc opus accingam, operæ pretium duxi duas *Proœmiales Quæstiones* præmittere, ex quarum clariore tractatione ac solutione, res tota, de qua posteà agendum erit, dilucidior fiet, atque iter in omnibus reliquis minùs impeditum.

Cum enim id quod cap. 3. comm. 28. legimus Λογιζόμεθα γὰρ πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου *fide scilicet justificari hominem absque operibus Legis*, summa sit totius ferè disputationis, quam ut alibi, ita præcipuè in hac ad *Romanos* Epistola & illa ad *Galatas* altera instituit, & maximâ tum operis accuratione, tum animi studio prosequitur, lucem reliquis quæ sequentur omnibus fœnerabimur duarum harum Quæstionum explicatione.

1. Quid propriè sit *justificare*, vel quo sensu sumatur vox ista *justificationis* in hâc *Paulinâ* disputatione.

2. *Cujusnam Legis*, & *quænam* (ex mente Apostoli) ea *opera* sint, quibus *justificatio* ista derogatur.

Quo verò sensu *fidei* deputatur investigandum erit postea, cum particulatim magis de iis quæ ad justificationem constituendam conducunt, agendum erit.

1. *Quid justificare. Sine hoc elucidato vel non considerato, dissolutis scopis agunt in plurimis, de justificatione controversis.*

Quod verò ad primum illud quæsitum attinet, rectè quidem, ut mihi videtur, & prudenter *Contarenus* in Epistolari suo libello de justificatione sic inchoat: *Quoniam in omni disputatione primum oportet disquirere ac planè percipere quidnam significant vocabula, quibus utimur in disputatione, præsertim cum eorum multiplicitas, & equivocatio facilè possit confundere ac pervertere totius rei significationem, idcirco primum explicabimus quidnam significat justificatio.* Sic illi visum est, sic & mihi. *Si enim incertum sonum tuba dederit,*

quis

quis apparabitur ad bellum? vel saltem *legitimè* pugnabit, cum quem hostem habeat nesciat. Quòd sæpissimè accidit in istâ de *justificatione* pugnâ, quam nobiscum ineunt *Pontificii*. Cum enim illi *justificationem* cum *sanctificatione* confundant, quamque nos in *justitiæ Christi imputatione*, illi in *inhærentis gratiæ infusione* sitam esse volunt; plurima eorum argumenta hâc vocis illius *Homonymiâ* perpetuò ferè laborant. Quo clarè constat quam necessaria vel à limine sit genuini vocabulorum sensus (saltem prout apud sacros Auctores hac in controversia usurpantur) explicatio. 1 Cor. 14. 8.

Nec agitur hîc de *bello* (ut vocant) *Grammaticali*: sed in præcipuis locis „ doctrinæ quantum erratur in verbis, tantum etiam de rebus ipsis amittitur, ut „ rectè *Chemnitius* loc. commun. pag. 246. Ad hanc explicationem expediendam has, quæ sequuntur, habeatis Propositiones.

1. Prima hæc sit. Non multùm laborandum est de *Latinâ* hujus vocis *justificationis* vel Notatione, vel Compositione. Hoc, sat scio, stomachabuntur *Pontificii*, cum *Censores Colonienses* molestè tulerint suum *Monhemium* Grammaticen & Aristotelem profitentem non potuisse in utraque scientia *justificationis* Etymon aut veram significationem deprehendere, ut ad *Hebraismum* confugiendum fuerit. Homines scilicet cauti probè noverunt quantum contra eorum sententiam faceret si spectentur voces *Hebræa* & *Græca*, quæ eorum causæ minùs favent, & non sola obtineat vox Latina *justificare* cujus vel sola Etymologia causam obtinere sperant, cum *justificare* sit *justum facere*, quod non *imputatam* nostram, sed *inhærentem* eorum *justitiam* planè loqui videtur. Sed ad hoc hæc pace eorum dicta velim.

hoc πρῶτον ψεῦδος & aliorum errorum origo sive occasio. Spanhem. disp. Theol. parte 1. pag. 277.

1. Dubitari posse utrum voces omnes hujus Terminationis (ut *justifico*, *sanctifico*, *velifico*, & hujusmodi reliquæ) semper à verbo *Facio* suam trahant originem. Si non, frustranea erit eorum hâc in causa à vocis hujus quam designant Etymologiâ argumentatio.

2. Concedatur licet ipsis & vulgò receptæ opinioni hæc sua vocis hujus Notatio, & sit *justifico* idem quod *justum facio*: Nego tamen interim omnia verba hujus vel Terminationis vel compositionis semper significare *aliquid facere*, quod necessariò subjecto *inhæreat*, vel novæ subjecto inhærentis qualitatis acquisitionem. Ex eis enim quædam externam tantum vel *relationem* vel *declarationem* novam denotant, ut aliqui nostrum in verbis illis *Lucrifacere* & *Magnificare* clarè ostendunt. *Lucrifacere* longè apertiùs quàm *justificare* à verbo *Facere* deducitur; at qui pecuniam lucrifacit, non eo novam *qualitatem* pecuniæ *inhærentem* acquirit, sed novum dominium, novam *relationem*. Et Beata Virgo *Dominum magnificavit* non eum magnum *inhærenter* faciendo, sed *declarando* & *prædicando*. Res prorsus hîc gemina est. Hominem *justificatum* fatemur, imò ultrò profitemur *inhærenter justum fieri*, ex *sanctificatione* scilicet justificationem vel antecedente vel consequente, indivulse saltem semper concomitante. At *justificatio* ipsa, *quà talis* nec quoad *rem* ipsam (ut postea constabit) nec quoad *vocem* (quod jam agimus) *qualitatem inhærentem* infundendo justum facit. (Hoc *Regenerationis*, hoc *sanctificationis* opus est.) Sed cum χάρις sit, *novam relationem* inducit; (Quod priùs diximus de verbo illo *Lucrifacere*) & cum *forensis* sit, *justitiæ declarationem* exhibet, in quo cum verbo illo altero *Magnificandi* probè convenit.

Chamier de justificatione lib. 21. cap. 5 §. 5. 6.

3. Quod de hâc voce Latinâ *juſtificatione* dicam hoc eſt, quod omnibus fatentibus *Pontificiis* noſtri omnes objiciunt, vocem eſſe *Latinis* auribus inſolentem quæ nuſquam apud *Cæſarem*, *Ciceronem* alioſve antiquioris & purioris Latinitatis Auctores compareat. Quod non ideò vel à me vel à noſtrum aliquo dictum eſt, quaſi in quæſtione *Eccleſiaſticâ Ciceronem*, vel *Terentium* judicem proferri velimus, quod *Bellarmino* pro candore ſuo nobis impingere placuit; ſed ut argumento eorum pro *inhærente* ſuâ *juſtitiâ* ex *vocis Etymologiâ* ſumpto fidem minuam, cum *Latinitatis* magiſtros non habeat, qui de ejus vel *Etymo* vel *ſignificatione propria* nobis fidem faciant.

de juſtifico l. 2. c. 3.

4. Dum *Ethnicorum Authorum* hâc in re rationem non habeant (quod utinam in pluribus aliis Theologiæ dogmatibus itidem feciſſent) ad *Sacram Scripturam* provocamus, quæ cum Lingua non *Latina*, ſed *Hebræa* vel *Græca* tota exarata ſit, vocem hanc Latinam *juſtificationis* αὐτολεξεὶ nuſquam nobis vel exhibet vel exhibere poteſt, ut ex vocis iſtius exoticæ Etymologica Grammaticatione primarium hoc Theologiæ dogma, à *Scholaſticis* præſertim, qui *tantum Latini* (idque parùm fæliciter) ſciverint, ſtatuminari debuerit. Atque hæc de prima Propoſitione dicta ſunto: Non adeò ſcilicet laborandum eſſe de voce iſta *juſtificatione*, deque ejus Etymologia.

2. Secunda Propoſitio hæc ſit. De *juſtificatione* (ſaltem quoad vocem) ſtatuendum eſt ex vocibus Originalibus vel *Hebræis* vel *Græcis*, quibus Spiritus Sanctus in *Sacra Scriptura* ad hanc rem deſignandam vel ſolis vel præcipuis, idque magis uſitatè atque ut plurimum uti voluit. Eæ verò præ reliquis ſunt צדיק in *Veteri Teſtamento*, & δικαιόω in *Novo:* quas *Latini* Authores per verbum *juſtificare* reddere ſolent. Æquum enim omnino eſt ut Spiritus Sancti mens ac ſententia intelligatur potiùs ex propriis ipſius verbis quàm à noſtris tranſlatitiis. Hæ ergo voces noſtra *Cynoſura* ſint, atque certiſſima in hac re dijudicanda regula. Quod צדיק apud *Hebræos*, quod apud *Græcos* δικαιόω ſignificat, id demum *juſtificatio* ſit, ad hoc tribunal ſiſtamur, atque ex ejus ſententia vel ſtet vel cadat cauſa noſtra. At tergiverſantur hîc *Pontificii*; *Andradius* nominatim ægrè fert, qua in re *juſtificationis* vis potiſſimum poſita ſit, accipiendum eſſe ab *Hebræa* linguæ potius proprietate quam ab apertiſſimis Scripturæ locis, quæ juſtificandi ordinem & rationem tradunt. At non hoc volunt *noſtri*, non inter ſe committunt *Hebræa* Linguæ proprietatem, & aperta *Scripturarum* Teſtimonia. Quàm aperta illa ex noſtrâ potiùs parte ſint poſtea, quum ad rem ipſam deventum erit, conſtabit. At hîc dum de *voce*, ejuſque ſignificatione agimus, rem non ex *Latinæ* vocis *Juſtificationis* proprietate vel Etymo cenſendam, quod Pontificii faciunt, ſed ex *Hebraâ* & *Græcâ*, quas ipſe Spiritus Sanctus in ſacro Codice ad animi ſui ſenſa enuncianda adhibuit dijudicandam eſſe, non modò æquum, verùm & neceſſarium judicamus. Ad cujus clariorem explicationem tria hæc monenda duximus.

Hitzdik.

Hitzdik.

1. Non tam curandum eſſe, quo ſenſu voces iſtæ vel Hebrææ vel Græcæ ab aliis *Authoribus* uſurpantur, quàm quo in *Sacro Codice* (qui fidei noſtræ *Canon* eſt) adhibentur. Nam quod ad earum alteram attinet, verbum illud δικαιόω duo præcipuè (uti *Suidas* & *Heſychius* teſtantur) apud *Exteros* Authores ſignificat; & δίκαιον νομίζειν atque etiam νομίζειν, *Juſtum cenſere*, & *punire*.

vide Hammondum in Matth. 11. Annot. h.

Et

Et benè quidem habet (ut hoc obiter dicam) & noſtræ ſuffragatur ſententiæ, quòd ſit *juſtum cenſere*, vel *pro juſto habere*, idque non privato judicio, ſed *publico* & pro tribunali; adeoque ſenſu prorſus *forenſi*, qui *noſter* juſtificationis ſenſus eſt: Non *juſtum inhærenter facere* vel conſtituere, qui ſenſus *Pontificius* eſt, at qui nuſquam (ut videtur) apud probatos Authores *Græcos* apparet; qui ideò in primâ illâ hujus vocis ſignificatione & nobis & Scripturæ ὁμόψηφοι ſunt, niſi quòd apud eos τὸ δικαῦν quatenus pro *juſtum cenſere* ponitur, potiùs de *re* vel *cauſa* dicitur ut cum aliquid tanquam juſtum & æquum decernitur, cum in ſacrâ paginâ, præſertim cum de *juſtificatione* agitur, *perſonis* applicatur, quando illæ juſtæ pronunciantur. Vel in hâc primâ igitur hujus vocis ſignificatione non adeò convenit inter Sacri Codicis Amanuenſes, & τὸν ἴξωθεν.

in hoc ſenſu vox צדיק *nunquam uſurpatur Gatakerus contra Pfochenium. pag.* 48.

At in ſecundâ illâ ſignificatione licèt aliqualis ſit unâ in re convenientia, major tamen in reliquis diſcrepantia. In eo nobiſcum convenit, quod cum apud eos *punire* ſignificet, non tamen pœnas à privato aliquo inflictas, ſed à *Judice publico* indictas volunt, atque ità etiam pro vocabulo *forenſi* habent; id quod nos in hâc controverſiâ inprimis urgemus contra *Pontificios*.

At verò hoc ipſum quod κολάζειν i. e. ſupplicio afficere apud eos ſignificat, contrarium planè ſenſum ponit ei quo in juſtificationis negotio apud *Sacros Authores*, *Paulum* præcipuè, adhibetur; apud quem licèt vox δικαίωμα aliquando *pœnam* reſpicit ut in illo ad Romanos primo, commate ultimo: ὄντες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, ἐπιγνόντες ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν; at δικαιοῦν & δικαίωσις à reatu & pœnâ *abſolutionem* & liberationem denotant, cum è contra apud exteros δικαιοῦν, κολάζειν, δικαιώμενος κολαζόμενος δίκης τυγχάνειν; δικαίωσις κόλασις ſit. Apud Græcos ſcilicet δικαίωσις non *abſolutionem*, ſed *condemnationem* (cui in Sacrâ Paginâ ex adverſo ſæpè opponitur) ſignificat, uti etiam apud ipſum *Ciceronem* in *Verrinis* ἀδικαιώθησαν per *ſupplicio affecti ſunt* exponitur. Sic & hodie apud *Germanos* & *Scotos* etiam, cum ſontes plectuntur, *juſtificari* dicuntur, eò quod dum criminum ſuorum pœnas luant, legi aliqualiter ſatisfaciant. Non ergo ad uſum hujus vocabuli apud Authores profanos, ſed prout in *Sacrâ Paginâ* uſurpatur ſignificatio ejus in Controverſiâ hâc Theologicâ prorſus exigenda eſt. Quod primum fuit.

vide Martinium in voce juſtifico Woodbridge contra Eyres. pag. 2.

2. Cui ſecundum hoc adjiciendum eſt, voces ſcilicet has Scripturarias eo ſenſu hoc in negotio ſumendas eſſe, quo ſæpius vel *ſæpiſſimè*, non quo *rariſſimè* in Sacra Scriptura uſurpantur. Cum enim frequentiſſimè ibi hac in Controverſia occurrunt, iniquum foret vulgatiſſima earum ſignificatione & quaſi regula communi relicta, eas ad *unius* vel alterius *exempli Anomaliam* reſtringere, modò concedamus pauciora aliqua hujus Anomaliæ exempla ibi inveniri poſſe; de quo poſtea agendum erit.

Tertiò & hoc jure ponendum eſt, voces iſtas eo ſenſu in Sacrarum Scripturarum expoſitione interpretandas eſſe, quo, *dum hoc juſtificationis negotium tractant*, uſurpantur; non eo quo, (dum alia res agitur) forſan aliter, prout loci ſenſus patitur vel exigit vel poſſint vel etiam debeant interpretari. Ut enim rerum, ità & vocum propriæ ſedes ſunt, juxta quas explicandæ ſunt. Atque hæc de ſecunda Propoſitione.

3. Duabus iſtis Propoſitionibus præliminaribus hanc tertiam eamque præ-

cipuam adjungamus. Voces has prædictas in Sacra Scriptura, utbias frequentissimè ita cum de peccatoris coram Deo justificatione agitur, *semper* sensu solo *forensi*, nunquam in sensu *formali* usurpari, hoc est, non significant hominem prius infusum justitiæ *habitum infundendo* Physicè vel moraliter *justum efficere*, sed in se impium gratis *absolvere* & *propter Christi justitiam* à Deo *ei imputatam*, fide verò apprehensam, sibique applicatam *justum censere*, *pronunciare*, atque *ex imputatione illâ vere constituere*. Et, quod hujus consequens est, ut *justum per omnia tractare*. Iste harum vocum sensus genuinus est in omnibus S. Scripturæ locis, ubi *de justificatione peccatoris coram Deo* agitur, præsertim in *Paulina* de ea *Disputatione*; ad quem omnes etiam earundem acceptiones aliis in locis aliorsum forsan aliqualiter inflexæ reduci & facilè possunt, & omninò debent: Imò illi loci ipsissimi, in quibus *justificationis* vocabulum inhærentem justitiam denotare concedunt ex *nostris* aliqui, acriter vero contendunt *Pontificii*, *Sociniani*; quibus se comitem præbet *Grotius*; ut in aliis plurimis, sic in ista vocis hujus interpretatione, cum *fide justificari*, & *fide cor mundari* pro eodem sumit. De quo hoc obiter dicere liceat; Doctissimus ut sit, deque re literariâ omnigena optimè meritus, postquam tamen *Christi satisfactionem* contra *Socinum* egregiè vindicaverat, in *interpretandis Sacris Scripturis*, *Paulinis* præsertim, *Epistolis*, & reliquis *Canonicis*, *Socinianis* & *Pontificiis* nimis favet, imò sæpiùs in eorum castra penè totus transvolat. Ex quo factum est ut quò magis ei cum *Pontificiis* conveniat, eo illis dissimilimus sit. Illi enim (ut priùs diximus) in *Scripturis interpretandis* saniores quàm in *controversiis tractandis* esse solent; ille verò qui dum contra *Socinum disputavit*, magis *Orthodoxus* fuerat, cum semel Scripturarum explicationem aggressus est, earum inprimis quæ de justificatione eique annexis capitibus agunt, *Pontificiorum* partes sæpe agit, Socinianum spirat, plurimaque, eaque primaria Scripturarum Testimonia, quibus nostri omnes præcipua fidei nostræ Orthodoxæ fundamenta statuminare solent, satis pro impero difflat, evertit, vel saltem corrumpere atque evertere satagit. Quod *juniores* saltem semel admonitos velim, ne dum summam viri illius Clarissimi eruditionem sitiant, & venenum exhauriant.

in præf. ad Annot. in Rom. & Act. 13. 39.

Sed ad propositum redeo, ad ultimæ Propositionis (quæ rei quam in manibus habemus summam continet) explicationem. Atque hic plura notanda sunt.

1. Diximus hoc τὸ δικαιοῦν, vel *justificare* in Sacra Scriptura hæc significare 1. *A reatu & panâ absolvere.* 2. *Justum censere.* 3. *Et pronuntiare.* 4. *Ex imputatione justum verè efficere.* 5. *Ut justum tractare.* Quæ omnia breviter stringenda.

Primò ergo significat à *reatu*, eique debita *pœna absolutionem*. Omnis enim propriè dicta *justificatio* de *culpa* aliqua vel *accusationem* vel saltem *suspicionem* præsupponit. Justitiam enim alicujus simpliciter declarare ubi nulla præcessit de culpa vel accusatio vel suspicio, *Laudare* est, *Justificare* verò est alicujus contra ei intentatum crimen vindicias agere. Sic Rom. 8. 33. δικαιῶν ἐκλεκτούς opponitur. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat.* Et Matth. 11. 19. Servator accusationi illi quod *edax erat, & vini potor* illud opponit, *sed justificata est Sapientia à filiis suis.*

Homi-

Hominem enim de nihilo suspectum nedum accusatum hoc modo *justificare* (prout in Apologiis accidere solet) est penè condemnare, vel saltem de culpa insimulare; atque suspicionis (quæ nulla prior erat) occasionem præbere; æquè scilicet frustraneum & ridiculum, ac cum nullus apparet hostis, nulla indicta pugna alicui se hyperaspisten sistere.

Ratum ergò illud primò sit *justificationem* in genere intentati criminis depulsionem in se continere; in nostra (proh dolor) Deum, Satanam, Conscientiam propriam, forsan & homines accusatores habemus. Cum verò nos miserè rei simus, unde unquam erit criminis nostri depulsio, vel hujus nominis *justificatio?* Ea enim duplici modo fieri solet.

Vel cum is qui accusatur insons est & inhærenter justus, qui tum justificatur, cum declaratur vel id de quo accusatur non esse crimen, quod ad *jus* attinet, vel *de facto*, hunc illius neutiquam reum esse. Utroque modò se justificavit *Paulus* Actorum 24. cùm factum negat, *neque probare possunt de quibus nunc me accusant* commate 13; cum etiam facto admisso criminis reatum amolitur; *Hoc tamen tibi fateor me secundum viam illam quam illi hæresin dicunt, ità colere patrium Deum*, &c. Talis verò justificatio, ex *operibus*, imò *ex merito* jure dici potest. *Omnis enim innocentia absolutionem meretur*; quin & *laudem* aliquando & *præmium* saltem *ab hominibus*, ut cum de Apostolis *quæstio* habita est de *beneficio in hominem infirmum collato* Act. 4. 9. 1 *Sam.* 24. 10, 11, 12. *Jerem.* 26. 15, 16.

At nulla talis nostrum *apud Deum justificatio* est. Et fecimus, & malè fecimus omnes. Utroque nomine rei sumus.

Alia ergo *nos justificandi* quærenda est ratio. Ea vero *reorum* est, & inhærente justitia carentium secundum illud Rom. 4. 5. ὁ δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ *qui justificat impium.* Hoc vero vel justè vel injustè fit.

Ab *hominibus injustè*, cum Judex odio vel amore ductus ἀποκατακρίνει, *absolvit improbum & condemnat justum*, quod *Jehovæ abominationi est* Proverb. 17. 15. Vel cum reus aliquis se justum venditat, ut *Pharisæi* olim, de quibus Servator Lucæ 16. 15. *Vos ii estis qui justificatis vos ipsos*, cum *quod apud homines sublime est, abominatio in conspectu Dei est.* Sic Capite 18. *Pharisæus* se jactitat, dum *Publicanus* cæso *pectore* dicit *Deus propitius esto mihi peccatori*, qui tamen Domino judice *justificatus domum descendit.* Deus enim fatentem reum habet quemcunque justificat, cujus tamen *judicium semper secundum veritatem est* Rom. 2. 2. Unde difficultas oritur, nimirum cum justificare sit *justum censere ac pronunciare*, qui fieri potest ut Deus justus Judex cum justum pronunciet, qui in seipso verè injustus & reus est?

Cui respondemus, hoc nullo modo justè fieri potest si hominem ità reum *antecedenter* & *in se justitia scilicet inhærente justum* pronunciaret. Hoc enim & veracitati suæ & rei ipsius veritati contradiceret. At nihil inde incommodi erit, si ipsa sententiæ prolatione eum vere justum constituat, quod dupliciter fit; & gratuito simul debitum quod debet ei condonando, idem tamen integrum à vade exigendo & acceptando. Quæ duo non se mutuò tollunt, sed optimè inter se conveniunt, ut posthac constabit. Sic Apostolus Rom. 4. Justificationis essentiam in duobus istis constituit, in *non imputando peccatum* v. 8. & *in imputando justitiam* v. 6. 1. In gratuita (quod ad nos atti-

Deus dum imputat alicui justitiam eo ipso facto constituit eum ex imputatione justum in suo conspectu. Amesius Tom. 4. l. 6. c. 1. §. 2.

attinet) peccatorum veniâ secundum illud *Davidis* (quod huc adducit *Paulus*) *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata.* *Venia* quidem in se *culpam* innuit; culpa verò *justitiam* negat; adeò ut ubi justitia est, non opus sit veniâ, ubi verò veniâ opus est, ibi eatenus non locus sit justitiæ, propriæ scilicet & inhærentis, ideoque neque justificationi *Legali*, secundum quam quò magis veniam assequimur, eò minùs justificamur. At hoc nil impedit quò minùs (quod ad justificationem *Evangelicam* attinet) misericors Pater reo offensam gratis remittere possit, eoque reatum, quatenus *obligatio est ad pœnam*, tollat; atque eatenus justum censeat, quod verè *justificare* est. Quod licitè fieri potest, præsertim si (quod secundum erat,) quatenus justus vel Judex vel Rector est, debitum totum tum quoad *officium* tum quoad *pœnam* à *vade* exigat, quod justitia postulat, illudque in hominis justificandi rationes referat. Quod quamvis non *ex Lege*, non tamen *contra Legem* fit. Rigor quidem Legis & jus summum hoc non ultrò largitur; at citra vel legi vel justitiæ illatam injuriam benigne id indulget judicis ἐπιείκεια. Atque hoc primum erat, quod in *justificandi* vocabulo contineri diximus; nimirum *veniam* dare, à *reatu & pœna absolvere.*

Secundum est *justum censere*, vel *pro justo habere.* Huc spectat vox illa λογίζομαι in *Paulinâ* de justificatione Disputatione toties recitata. Hoc sensu de *Publicano* illo dicitur κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος Lucæ 18.14. Quo etiam vel *ante latam sententiam* justificari aliquis potest: non quo Deus ab æterno hujusmodi aliquem tandem justificandum decrevit; post enim tale decretum naturâ *filius iræ* fuit, quod justificato non convenit; sed quatenus in Decreti hujus executione Deus ex *more*, non solum *benevolentiæ*, sed & *complacentiæ* peccatorem delictorum veniâ & Christi justitiâ donatum justum reputat, secundùm illud Salvatoris Johannis 5.24. *Qui credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed & jam transivit à morte in vitam.*

Tertiò justificare est *justum declarare, pronunciare*, prout Judex quem ex allegatis & probatis justum esse apud se statuit, lata sententia pronunciat. Sic *Pilatus* Christum justificavit, cum se *nullam in eo noxam capitalem invenisse* pro Tribunali palàm pronunciavit. Sic & nostram *justificationem* Theologi aliqui definiunt esse *sententiam Dei gratiosam, quâ propter Christum fide apprehensum absolvit fidelem à peccato & morte, & justum reputat.* Ista vero hujus sententiæ justificatoriæ prolatio tripliciter fit.

Lucæ 23.22 *Amesius medul. l. 1. c. 27. §. 6.*

In *verbo Promissionis* fide jam applicato.

In *Conscientia* de absolutione ista *certiorata*, in qua sitam esse (minùs rectè forsan) volunt aliqui *justificationem*, quam vocant, *passivam.*

Maccovius loc. com. pag. 393. passiva est sensus activæ.

In *Extremo Judicio*, ubi demum *Adoptionis* nostræ ἀπολύτρωσιν expectandum est Rom. 8.23. & *peccata* etiam *remitti* dicuntur Matth. 12.32. Adeoque & nos *plenarie* atque *ultimò justificari* sano sensu dici possumus.

Bradshaw cap. ult.

Atqui hoc ultimum ad *justificationem coram hominibus* præcipuè reduci potest; cum sit prioris illius & propriissimè dictæ justificationis coram omnibus *manifestatio.*

Secundum verò illud est justificationis illius propriè dictæ *nobismet* ipsis facta *certioratio.*

Neutrum

Neutrum ſtatum *mutat*, ſed *teſtatur*. Non his è ſtatu reatus & iræ in ſtatum juſtificationis coram Deo traducimur. Hoc enim præſtat prima illa ſententiæ juſtificatoriæ prolatio.

Quartò *juſtificare* in Scripturâ non ſolum declarativè, ſed (ut cum Cl. *Spanhemio* loquar) *effectivè* etiam ſumitur, ſignificatque ex imputatione juſtitiæ Chriſti *verè juſtum conſtituere*. Hoc Venerando *Gatakero* minùs placet, qui ſe in hoc ſenſu nuſquam in Sacrâ Paginâ τὸ δικαῦν, vel הצדיק uſurpatum reperire affirmat. At aliis aliter viſum eſt, qui illud Rom. 4. 5. ὁ δικαιῶν τὸν ἀσεβῆ hoc modo exponunt, quin & ſemper cum de juſtificatione peccatoris coram Deo agitur, hunc ſenſum includi volunt. *Dub. Evang. parte 3. dub. 104. centra Pfozhenium cap. 4. Piſcat.*

Rem ipſam non diffitetur Venerandus Senex: de *vocabuli* tantum *ſignificatione* ambigit. *Rem* ipſam quod attinet, cum *juſtificantur*, non ſolum *juſti reputamur*, ſed & *ex imputatione efficimur*. Ut enim qui aliquem *accuſant* & *condemnant*, *juſtitiam ei auferre*, adeoque injuſtum efficere dicuntur Iſaiæ 5. 23. Sic qui eum *juſtificant* & *juſtitiam dare* (ſecundum illud Jobi 36. 3. אתן צדק *dabo juſtitiam opifici meo*) adeoque juſtum faciunt. De noſtrâ ſaltem coram Deo juſtificatione apertè ſic loquitur Apoſtolus Rom. 5. 19. ἀλλ' ὑπακοῆς ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί. κατασταθήσονται), ſignanter dictum. *Per unius obedientiam*, *juſti* non ſolum *habebuntur*, vel *reputabuntur* tantum cum nil veri ſubſit, ſed *conſtituentur*, atque ità verè conſtituentur, ut intrepidos ſe coram Dei tribunali ſiſtere poſſint. Quod *Chemnitius* ex voce illâ κατασταθήσονται) loco citato ad Rom. 5. ut & phraſi conſimili τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητοῦντες Rom. 10. 3. non argutè, ſed quantum mihi videtur doctè ac appoſitè exſculpit. Atque ut verum ſit (quod veriſſimum judico) quod Clariſſimus Vir reponit, aliud ſcilicet eſſe juſtum conſtitui, aliud juſtificari, cum *illud juſtificationis* fundus & *fundamentum* exiſtat, & juſtificationem veram cui ſubſternitur neceſſariò præcedat. Juſtus enim quis exiſtat priùs neceſſe eſt quàm poſſit verè juſtificari,) utrumque tamen iſtud à Chriſto nos habere proximis verbis lubens agnoſcit; & quidem conſtitutionem iſtam ante hanc propriiſſimè (ſecundum illum) dictam juſtificationem: quæ licet (ut ipſi videtur) in ſtrictiori ejus ſenſu κατάστασιν hanc non formaliter ſignificat, eam præſupponit ſaltem, atque latiori ſuâ ſignificatione complectitur. In *juſtificatione* ergo non ſolum juſti reputamur, pronunciamur, verùm (*imputativè* licet) *verè* tamen *conſtituimur*. Hoc apertè affirmat Apoſtolus. Hoc inprimis urget *Bellarminus*; neque nobis ingratiis; fatemur enim ultrò, imò hoc palam conſtanter profitemur, neque minùs abſurdum judicamus *juſtum* aliquem dicere *ſine juſtitiâ*, quàm *doctum* ſine *doctrinâ*. Malè ergo Bellarminus tanquam adverſa opponit, *juſtum facere*, & *juſtum pronunciare*, cum hoc ſecundum prioris effectum ſit. Nullum enim Deus *juſtum pronuntiat*, quem non *priùs juſtum fecerat*: juſtum verò facit vel juſtitiâ *inhærente*, ut in primævo Statu Adamum atque ex parte hîc in viâ, & perfectè demùm in patriâ quemlibet juſtificatum, vel etiam *imputatâ*, ut verè credentem omnem. Prior modus juſtum efficiendi *Regenerationi*, *Sanctificationi* deputandus eſt, at poſterior iſte ſolus in *juſtificatione* obtinet. In illo *naturæ* mutatio, in hoc *Statûs*. Cum *Thomas* juſtificationem definit eſſe *tranſmutationem de Statu injuſtitiæ ad Statum juſtitiæ*, verba probamus *Etten Tſedek.* *de juſtif. l. 2. c. 3.*

si modò sano sensu sumantur. In *justificatione* enim talis Status mutatio est ex *justitiæ imputatione*. At in utroque modo *veræ mutatio* fit: ità ut ex utrâque justitiâ fidelis *verè justus* sit. Perperàm ergo *Bellarminus* justitiam, *veram* & *imputatam* opponit, imò blasphemat impiè cum *imputatam* pro *putatitiâ* habet, in quâ omnia maxime vera sunt & realia. *Verè* Christus pro peccatis fidelium satisfecit. *Verè* & animo Deus peccatorem inde à reatu & pœnâ absolvit; hoc est, *justificat*. *Verè* inde ità justificatus *insons*, adeoque hoc sensu *justus* est. *Verissimam* etiam *conscientiæ pacem* nullis vel afflictionum vel tentationum procellis quassatam, imo *gaudium ineffabile* & *gloriosum* obtinet: quæ omnia non *ægrorum somnia* sunt, sed summam in se entitatem, *realitatem* continent, & credentium fidei, imò & sensui præstant, exhibent, prout *Petrus è somno excitatus* & *ad se reversus* se *verè liberatum agnovit*; vel *debitor*, à *vade* licèt solvatur debitum, se è carcere erutum & libertati suæ restitutum *reâpse* sentit. Verè ergo justificatus hoc in sensu quà *justificatus* verè *justus factus* est. Quo in sensu illa igitur Augustini: *Qui justificat impium ex impio justum facit*. Et alibi: *Justificari nihil aliud est quam justum fieri*, & plura alia his similia, quæ ex eo atque aliis *Patribus* huc adducunt *Pontificii*, si hoc modo exponantur, nil sententiæ nostræ adversantur, sed optimè conveniunt. Ut & *Antithesis* illa inter *primum* & *secundum Adamum Rom.* 5. quam contra nos urget *Bellarminus* nos scilicet ita *justos constitui* per *obedientiam Christi*, quo modo *injusti constituti* sumus per *inobedientiam Adami*. Hoc Apostolus asserit, sed subinfert *Bellarminus*, per inobedientiam Adami injusti constituimur injustitiâ in nobis verè ac reipsa inhærente, non injustitiâ Adami nobis imputatâ. Ergo & justi per obedientiam Christi constituimur justitiâ inhærente, non imputatâ. Fatemur parem utrinque esse rationem, & quæ nostram quam maximè confirmat sententiam. Injusti quidem verè constituimur per primum Adamum, injustitiâ inhærente per *propagationem*, sed hoc ideò fit quia priùs injusti & rei facti fuimus per Adami κατάκριμα vel κατακρίσεως *imputationem*: Eodem etiam modo & justi constituimur in Christo quoad *inhærentem justitiam* per Spiritus ejus *Regenerationem*; hoc verò etiam fit, quia in *justificatione justi facti sumus* per Christi *obedientiam* nobis *imputatam*. Sed hâc de re fusiùs (Deo annuente) quando hanc Controversiam tractabimus. Nunc tantùm de voce *justificationis*, ejusque significatione agimus. Atque hoc quartum est quod de hâc re diximus; justificare est absolvere, justum censere, pronuntiare, atque etiam imputativè licèt, verè tamen, imò verissimè justum constituere.

Act. 12. 11

in Psal. 30. *de Spir. & lit. cap.* 26.

de justif. l. 2. *c.* 3.

Quintum verò & ultimum, quod Theologi nostrûm aliqui adjiciunt, *ut justum tractare consequens* potiùs est, quàm justificationis *essentiam constituens*, estque vel *negativum*, pœnas non infligere, vel *positivum*, ad libertatem scilicet & jus pristinum, quo privatus, vel à quo saltem aliquandiu abstentus fuerat restituere. Quod in foro Divino æquè ac humano obtinet. Si quoad quid verò ultrà accedat, ut si prius accusatus (re jam plenè cognitâ) ex judicis sententiâ non solum culpæ expers verùm (quod aliquando foro humano accidit) ulteriori aliquo *præmio* dignus censeatur, hoc *plus* quàm *justificare* est. Quod tamen in hoc nostro *justificationis* negotio evenit. Non enim solum ex imputatione *passivæ* Christi; *obedientiæ* à culpâ & pœnâ liberamur,

mur, verùm ex *imputatione activæ* ipsius obedientiæ *jus* ad *vitam* in cælis *æternam* acquirimus, quod Adamus vel in Statu innocentiæ ante præstitam fœderis conditionem non habuit, quod si amisisse dicatur, non quasi de eo quod actu habuit, sed quod habere facilè potuisset, intelligendum est.

Hactenus de primo illo, quod in tertiâ Propositione diximus de *variâ* scilicet vocis istius *justificationis significatione.*

2. Ex quo secundò luculenter constat id quod ibi præterea diximus, nimirum vocem hanc sumi in *sensu forensi* vel, ut aliqui nostrûm loqui amant, esse *vocem judicialem.* Quod mox probaturi sumus; unicum tamen hoc interim præmonendum duximus, quod cum *vocem judicialem* esse dicimus, ejus in hâc controversiâ significationem non ad *judicis* solius *actum* arctandum sed ad *totum judicialem* (quem vocant) *processum*, seu quicquid ad reum absolvendum in foro agitur, extendendum esse. Priore sensu vox propriè *judicialis*, posteriore magis propriè & appositè *forensis* dicitur. Quamvis enim *Judex* in homine justificando *potiores partes* habeat, habent tamen & *suas Advocati, testes*, reliqui, qui dum suas partes agunt, unà cum Judice hominem accusatum *justificare* verè & satis propriè dici possunt. Hoc verò obiter ideò notare voluimus ut *Bellarmini* cavillationi obviàm eamus. Is enim *libro* 1. de *justificatione*, *cap.* 3. ut probet vocem istam sensu forensi in Sacrâ Paginâ aliquando non sumi, duo illa loca præcipuè adducit: *Danielis* 12 mum. ubi *Doctores justificare multos* dicuntur, ut & Isaiæ 53 tium. ubi Christus ut *Dei Servus scientiâ suâ multos* etiam *justificare* perhibetur. At *Doctor* ad justitiam erudiens & docendo perducens *Judicis* partes non agit, neque *servi scientia Judicis est sententia.* At, O bone! non *solus Judex* est, qui sensu forensi justificat. Hoc suo modo & ordine *advocatus testis* facit; quo sensu & *Christus* & *Ministri* ejus *justificare* dicuntur adeoque & loca illa intelligenda sunt, ut postea constabit. Ad id quod nunc agimus sufficit, quod *sensu forensi* exponi possint, quamvis de *Judicis sententia* non agerent. *verbum ad-vocem eſt.*

3. Illud unicum probandum restat quod *justificationis* vox in Sacra Pagina ubi de peccatoris coram Deo justificatione agitur in sensu isto *forensi semper* sumatur, quod iste *genuinus* ejus sensus sit, ad quem omnes ejus acceptiones aliis in locis & possint & debent referri; vel illis ipsissimis locis, in quibus vocem istam justificationis *inhærentem justitiam* denotare magis verisimile est & maximè contendunt Pontificii.

Atque hîc quidem Adversariorum aliquos (quod ad vocis hujus significationem & usum spectat) nobiscum idem profitentes habemus. *Aliquando* justificare idem est quod pronuntiare justum. Sic *Vega.* Imò verbum justificandi *plerumque* significare absolvere asserit *Tilet.* Hanc significationem in Scripturis *frequentissimam* esse dicit *Toletus.* Imò *quid est remissio peccatorum nisi justificatio?* ipso authore *Bellarmino.* Sed has eorum (ipsa veritate extorquente) concessiones missas faciam. Rem ipsam potiùs aggrediar. Cum verò non solùm *Pontificii* contendant verbum *justificare* in Sacrâ Paginâ *justitiam inhærentem* denotare, quibus à *nostris* satis respondetur, verùm etiam & *Grotius* (qui inter *nostros* censeri vult) idem apertè profiteatur, ut alibi sæpiùs ità præcipuè in *Præfatione suâ ad Annotata in Epistolam ad Romanos*, ubi plura loca (ut sibi videtur) facientia adducit; tanti itaque Viri authoritate commo- *de justific. l. 5. c. 3.* *in Rom. 2.* *1. de pœnit c. 10.*

tus (de quo nulla vel ſupinæ negligentiæ vel doli mali mihi ſuboriri potuit ſuſpicio) loca ab eo allata accuratiùs inſpicere, atque perpendere incipio.

Ubi primò occurrebat fœda admodùm *Typographorum* incuria; plurima (horum vitio) non comparent in locis ab Authore citatis teſtimonia: in quibus verò alia proſtant, plura eorum quod vult ille non probant, atque ut liberè (ingenuè tamen) dicam, non minor mihi videbatur *Authoris* quàm *Typographi* incuria. Sed *Annotata* iſta *Poſthuma* forſan αὐτοχειριάσματα erant ad limam denuò, ſi Vir Clariſſimus diutius vixiſſet antequam ederentur, revocanda, adeoque à nobis minùs ſolicitanda. Quò verò de hâc re certior fierem, *Concordantias* arripio, ubi vox vel Hebræa vel Græca in Sacro Codice uſpiam extet conſulo: quid in quoque loco ſignificet accuratè perpendo. Subductis calculis ſumma huc redit.

In Veteri Teſtamento.

Tſadak. Vox Hebræa צדק in *Cal juſtum* inhæſivè, vel etiam *æquum* & *benignum* eſſe ſignificat. Hoc ſæpiùs. Ità tamen ut ali quando à *ſenſu forenſi* non abhorreat, atque ità quæſtione vel examine habito *juſtum comparere* denotet Jobi 13. 18, 40. 8. ubi LXX. habent δίκαιον ἀναφάνομαι.

Pſal. 51. 4. 143. 2. *Iſa.* 43. 9, 26. 45. 25. δικαιωθήσεται) τὸ ἅγιον.

In *Niphal* ſemel occurrit Danielis 8. 14. וְנִצְדַּק קֹדֶשׁ *& mundabitur Sanctuarium*; ut reddit *Vulgatus* Interpres, vel *juſte reſtituetur* prout habet *Junius*. Qua re verò in *Niphal* pro *Hiphil* hîc poni dicat *Grotius* niſi ut Hypotheſi ſuæ inſerviret neſcio.

In *Piel* quater occnrrit Job. 32. 2. 33. 32. Jer. 3. 11. Ezek. 16. 51. quibus omnibus in locis *ſenſu forenſi* uſurpatur, neque *juſtum inhærenter* facere, ſed *juſtum pronuntiare* vel *declarare* ſignificat.

Prout ſemel in *Hithphael* Gen. 44. 16.

In *Hiphil* vero qui modus eſt de quo agimus, (& cui τὸ δικαιοῦν in hâc Controverſiâ, (præcipuè reſpondere dicimus) ſemper ſignificat *ſenſu forenſi* pro *juſto habere*, *juſtum declarare & decernere*; ideoque à LXX. ſemper redditur per δικαιοῦν vel δίκαιον ἀναφαίνω, vel δίκαιον κρίνω. Quod ut magis conſtaret, bis (Deut. 25. 1. 1 Regum 8. 32.) in iiſdem locis הַצַּדִּיק ῥητῶς ex adverſo opponitur לְהַרְשִׁיעַ, ut talem *juſtificationem* intelligi innueretur, quæ *condemnationi* opponitur. Unicum agnoſco locum eſſe, in quo de *inhærente juſtitiâ* intelligi debere acriter contendunt *Pontificii*, neque ægrè concedunt ex *noſtris* aliqui. nimirum *Danielis* 12. verſum 3^tium^. ubi *Doctores* ut מַשְׂכִּילִים *erudientes*, ſic & מַצְדִּיקִים *juſtificantes* appellantur. At מַשְׂכִּילִים non *imputatam* ſed *inſitam intelligentiam* denotat, quid ni ergo מַצְדִּיקִים non *imputatam* ſed *inſitam juſtitiam*? (unde LXX. non δικαιώσαντες, ſed δικαίους reddunt.) Quod doctiſſimo Gatakero noſtro ſubindicari videtur ut eodem ſenſu מַצְדִּיקִים quo & מַשְׂכִּילִים dicantur, iidemque utroque vocabulo deſignentur, qui homines ad ſapientiam erudiunt, quique ad juſtitiam convertunt, hoc eſt, qui *ſapientes*, *juſtoſque faciunt*. At (quod pace tanti Viri dixerim) nihil eſt quod cogat ut hoc ſenſu accipiatur. Utrovis enim ſenſu ſumatur, vocabula hæc ὑπουργικὰ λειτουργικὰ ſunt (ut cum doctiſſimo *Spanhemio* loquar) non primarium horum operum *authorem*, ſed *miniſtrorum* operam *inſtrumentariam* denotant, qui eo ſenſu hîc multos *juſtificare* dicuntur, quo *auditores*

2 Sam. 15. 4. *Pſal.* 82. 3. *Iſa.* 5. 23. 50. 8. 53. 11. *Hitſdik. Hirshia.* *Maſchilim. Matſdikim.* *ubi prius.* *Diſp. Theol. parte* 1. *pag.* 277.

ſuos

ſuos Salvare Timotheus. At hoc operandi genere dum homines ad Chriſtum ducunt, æquè iis juſtificandis ac convertendis & ſanctificandis inſerviunt. Atque ideò ut idem Chriſtus nobis & *ſapientia* & *juſtitia factus* eſt, quarum *illa* tamen *inſita*, *hæc imputata* eſt. Ità *Doctores* iidem & משכילים quoad *ſapientiam inſitam* dici poſſunt, & מצדיקים quoad *imputatam juſtitiam*: Sed hæc de voce Hebræâ הצדיק vel ſatis, vel forſan nimis multa dicta ſint. 1 *Cor.* 1. 30.

De vocabulo verò Græco δικαιῶ.

1. Parùm moror, quo in ſenſu in *libris Apocryphis* uſurpetur, ex quibus tamen tum *Pontificii* tum *Grotius* plura loca proferunt, quibus ſententiam de *juſtitia inhærente* confirmare vellent. Quibus hoc tantùm quod reponam habeo, quod inſpectis quantum poſſim intentè omnibus illis Locis *Apocryphis*, in quibus vox iſta occurrit, totum quod invenire licuit hoc eſt quod ex iis plura *ſenſum forenſem* apertè clamant, reliqua eum non abnuunt, nulla ſenſum *Pontificium* vel *Grotianum* cogunt.

2. Quo vero in ſenſu apud 70. *Interpretes* in *Veteri Inſtrumento Canonico* venit, factâ quàm potui accuratâ indagine, totum huc redit.

Plurima, in quibus occurrit, loca *ſenſum forenſem* apertè loquuntur. Quatuor tantum ſunt, in quibus non adeò clarè conſtat.

Primus locus eſt Ezekiëlis 21. 13. ubi de *gladio* dicitur ὅτι δεδικαίωται *quia juſtificatus eſt.* De quo hæc notanda.

1. Quod vox Hebræa, quæ ità redditur non à verbo צדק originem ſuam ducit, de quo inter nos & Pontificios lis eſt, ſed à בחן quod *probare* vel *examinare* ſignificat. 2. Unde *Aquila* per ἐδοκίμασεν *examinavit* reddit. *Vulgatus* per *probatus eſt*, adeò ut pro Codicum mendâ jure forſan haberi poterit. 3. Si librariorum σφάλμα non ſit, ſed lectio illa δεδικαίωται *juſtificatus eſt* (dura quidem illa) obtineat, tamen *Cornelio a Lapide* Interprete, idem eſt quod *muneri ſuo aptus judicatus eſt*, at hoc ſenſum forenſem ſapit. *Tſedek. Bachan.*

2. Locus eſt Pſalmo 73. 13. ubi LXX. ſic habent ἄρα ματαίως ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου, quod *Aquila* ἐκαθάρισα reddit, & ſic *Hieronymus*, quod *purificare* vel mundare ab *inhærente* vel adhærente *pollutione* ſignificat. At hîc verbum in *Fonte Hebræo* זִכִּיתִי eſt, non הִצְדַּקְתִּי, de quo quæritur. *Ziccithi*

Duo quidem præterea reſtant loca, in quibus in *Hebræo* occurrit verbum צדק in Cal, qui modus *inhærentem juſtitiam* (ut priùs diximus) ſignificat, qui ſenſus locis illis optimè convenit, juxta quem in *Angliçana noſtra verſione* redduntur. Gen 38. 26. à *Juda* de *Thamare* dicitur צָדְקָה מִמֶּנִּי *She is more righteous than I*, ubi LXX. habent δεδικαίωται ἢ ἐγώ. Quod *Vulgatus* reddit *juſtior me eſt. Nobilius*: *juſtificata eſt quàm ego*; *Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis *juſtior eſt iſta quàm ego*, & addit, *in Hebræo habet, juſtificata eſt ex me.* Adeo ut licet vox *Hebræa* צדקה *juſtificata eſt*, ex mente LXX. Interpretum *forenſem* ſignificationem admittere poteſt. *Hitſdakti. Tſadak.* *Tſadeka Mimmenni.* *Tſadeka.*

Alter locus eſt Pſalm. 19. 10. ubi veritas Hebræa ſic habet: מִשְׁפְּטֵי יְהוָה אֱמֶת צָדְקוּ יַחְדָּו Quod LXX. reddunt τὰ κρίματα Κυρίου ἀληθινὰ, δεδικαιωμένα ἐπὶ τὸ αὐτό. *Judicia Domini vera, juſtificata in ſemet ipſo*, vel *ſimul.* De quo eadem noſtra ac de priore loco ſententia eſt. Cum enim utraque *Mishpete Jehova Emeth Tſodeku Jachdaiu.*

vox & κείμενα & δικαιωμάτα *forum* ſonent, quare ſenſu *forenſi* ſumi non poſſint ego quidem non video. Et in *ſe juſta* ſunt, quod in *Hebræo* eſt, & ab omni de injuſtitia *accuſatione* vel *ſuſpicione juſtificata* ſunt, quod LXX. *Interpretes* exprimere voluerunt.

At non tam magni eſt, quo ſenſu vox iſta δικαιόω vel in *Libris Apocryphis*, vel LXX. *Interpretibus* ſumatur.

3. Illud ultimum noſtrâ maxime refert quo ſenſu uſurpatur in N. T. præcipue apud *Paulum*, maxime omnium ubi de *Juſtificatione Peccatoris coram Deo agitur.*

Ex triginta octo locis, in quibus occurrit, plura ſunt quæ rem de quâ controvertitur non ſpectant; adeoque ex his argumenta ſumi non poſſunt. Niſi (quod pro nobis inprimis facit) in horum aliquibus.

1. Quædam habentur, quæ ſenſum forenſem omnino poſtulant V. G. ubi juſtificationi opponitur accuſatio ut Rom. 8. 33. τὶς ἐγκαλέσει Θεοῦ ὁ δικαιῶν. vel ubi cum verbo judicandi (quod forenſe eſt) conjungitur ut 1 Cor. 4. 3, 4. ἐμοὶ ἀνακρίνω, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι. ὁ δὲ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστιν. ubi ut Synonymum *Remiſſioni peccatorum* apponitur, ut Act. 13. 38, 39. Διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται, καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. ubi mira mihi videtur *Grotii* confidentia dicam vel audacia, qui contra apertiſſimam connexionem atque Interpretum omnium ſententiam illud δικαιωθῆναι v. 39. dicit non eſſe idem quod præceſſit ſcilicet ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ſed aliud beneficium. Scilicet ità illis erit, quibus ejus αὐτὸς ἔφη ſufficit.

2. Quædam de *juſtitiæ inhærentis infuſione* neutiquam exponi poſſunt. Ut Lucæ 10. 29, 16. 15. ubi *Phariſæi ſeipſos juſtificare* dicuntur; ubi *ſapientia juſtificari* dicitur Matth. 11. 19. Lucæ 7. 35. ubi *Chriſtus.* 1 Tim. 3. 16. ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι ubi ipſe *Deus.* ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν Lucæ 7. 29. At non *juſtitiæ* (credo) *infuſione*, ſed *juſtitiæ ſuæ* celebratione & *declaratione.*

Ex omnibus duo tantùm, quantum mihi obſervare contigit, loca ſunt, quæ *Pontificii* ad ſuam ſententiam ſtabiliendam afferre ſolent.

Horum unus eſt 1 Cor. 6. 11. ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε, *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per Spiritum Dei noſtri.* ubi *Bellarminus* tantùm de *juſtificatione* agi vult, quam utpote cum *ablutione* & *ſanctificatione* ab Apoſtolo *conjunctam eandem* eſſe, vel utramque illam in ſe continere aſſerit. Sed contrà.

de juſtif. l. 2. c. 3.

1. Quæ unâ ſententia *conjunguntur*, non continuò inde *eadem* ſunt. Quamvis eodem commate de Chriſto dicatur quod *nobis* factus ſit *juſtitia* & *ſanctificatio* 1 Cor. 1. 30; non *eodem* tamen ſenſu quo *juſtitia*, eodem & *ſanctificatio* eſt.

2. Præſertim ſi conjungantur *Conjunctione disjunctivâ* vel *diſcretivâ*, prout hîc fit, ubi ſingula *adverſativa* illa *Conjunctione* ἀλλὰ à priore ſententiæ membro ſegregantur. ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε. Quod & *Chryſoſtomus* (quem ad ſuas partes trahere vult *Bellarminus*) plane indicat, dum ſic ὥσπερ ἐπὶ τοῦ καθαρσίου ἐποίησεν, ἅτε οὖν τοῦτο μόνον; ἐδικαιώθητε, ἀλλὰ καὶ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐπὶ τοῦτο μόνον

ἀλλὰ

ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις. *Sed sanctificavit, neque hoc solum sed & justificavit.* At ineptè omninò dixisset *Chrysostomus* Deum *non solum nos sanctificâsse*, sed *etiam justificâsse*, si ipsius judicio *justificatio nihil aliud* esset quàm *sanctificatio.*

3. Non itaque ex mente Apostoli *justificatio ablutionem & sanctificationem* ut *species* vel membra in se continet, ut contendit *Bellarminus*; sed potiùs *ablutio*, (quam ad *Baptismi Lavacrum* referunt Interpretes, in quo tum justificatio tum sanctificatio repræsentatur) magis *genericè* hîc sumitur & *sanctificationem & justificationem* sub se continet, quarum illa à peccatorum *sordibus*, hac ab eorum *reatu* abluimur in *nomine Domini nostri Jesu Christi*, in quo solo *nomine remissionem peccatorum credendo accipimus.* Actorum 10. 43.

Restat locus ille ultimus, in quo triumphant Adversarii, Apocalypseos 22.11. ὁ δικαιῶν δικαιωθήτω ἔτι, καὶ ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἔτι. Hîc *justificare nullo modo po-* „ *test* accipi *more forensi*, dicit *Bellarminus.* „

Imò vero aliquo *modo potest*, & fortè *debet.*

1. *Potest.* Si verba illa *justificetur adhuc* cum *Brightmanno* nostro ità interpreteris. *Incumbat iis operibus, quibus & sibi ipsi & aliis se justum probet*, vel *se justum declarando perseveret*, ut exponunt nostrum alii. *Brightmannus. Bradshawus*

Vel si de *continuatione* & in *Statu justificationis perseverantia* exponatur, quæ aliorum sententia est, ità saltem *potest* exponi. *Gerhardus.*

2. Imò aliqui & *debere* exinde probare volunt, quia si hîc *justificatio idem* sit quod *sanctificatio*, manifesta *Tautologia* esset membri sequentis; cum proximè sequatur, *Qui sanctus est sanctificetur adhuc.* Hoc ultimum quidem (quod ad me attinet) non cogit. Nam quamvis & ἁγιωσύνη & δικαιοσύνη de justitia inhærente intelligantur, at non continuo in *specie idem sunt*, ut hic *Tautologia* sit, si (prout sæpiùs sumi solent) *sanctitas* erga *Deum*, *justitia* erga *proximum* intelligatur. *Pareus. Gerhardus.* Et quidem, cum totum Comma sic se habeat, „ ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι, καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω, καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, καὶ ὁ ἅγιος „ ἁγιασθήτω ἔτι: duo hæc posteriora duobus illis prioribus ex adverso respondere videntur, adeoque ut ὁ ῥυπῶν & ὁ ἅγιος opponuntur, ità ἀδικῶν & δίκαιος. At ἀδικῶν is est qui *proximo injurius* est, vel *qui nocet*, prout est in *Vulgato Interprete*, ὁ ῥυπῶν qui licet aliis non injurius est, at in se coram Deo vel hominibus *aliis vitiorum sordibus* ut intemperantia, &c. *inquinatus.* Huic opponitur ἅγιος qui *sancte caste vivit*, ut τῷ ἀδικοῦντι ὁ δίκαιος qui & *justus* est & *juste* agit, qui hîc in mandatis habet δικαιωθήτω ἔτι quod in *Regio exemplari* δικαιοσυνὴν ποιησάτω est, prout & *Syrus Interpres* etiam reddit. Proinde ut non *posse ullo modo sensu forensi accipi* nimis audacter & decretoriè à *Bellarmino* dictum est, quod priùs ostendimus, ità posse de *justitia insita* intelligi ego prædictis argumentis ductus haud ægrè concederem. Ex quo concesso hoc solum lucrati sunt Adversarii quod ex *triginta octo* locis N. Testamenti in quibus vox ista δικαιόω invenitur, hîc unicus & ultimus ubi etiam de *justificatione controversia non tractatur*, non quidem necessariò, sed ex ratione probabili de *justitia inhærente* vel *debet* vel saltem *possit* intelligi. *Egregiam verò laudem & spolia ampla! Nobis* interim non *licet esse tam diserti*; ex uno vel altero loco qui controversiam quam in manibus habemus non tractat vocis hujus significationem sumere, omisso communi & tritissimo ejusdem sensu, qui ubique prostat, & ubi de hoc negotio agitur, perpetuus est.

est. Ex his igitur quæ fuse nimis forsan tractata sunt constat uti spero, quòd in *Sacro Codice*, præcipuè ubi de *peccatoris justificatione*, deque *justitia* illa, in qua *coram Dei Tribunali* nos sisti, & juxta & propter quam de nobis sententiam ferri volumus, *agitur*, vox *justificatio* non *justitiæ insitæ infusionem* vel incrementum denotat, sed *sensu forensi justum censere, pronuntiare, à reatu & pœna liberare* significat, quod *Theologi nostri* rectè & solidè probare solent.

1. Ex *Disputatione Paulina*, præcipuè in *Epistola ad Romanos*, quæ enucleatè rem hanc tractat, quæque ad *processum judiciarium* tota accommodata est, totusque justificationis actus, tum ibi tum alibi, per verba forensia describitur, qualia sunt *Judex*, *Judicium*, *Reus*, παράκλητος, *Advocatus*, *Testis*, hisque similia.

2. Ex oppositione inter *Justificationem* & *Accusationem*, vel *condemnationem* facta. Sic in foro *humano* Deut. 25. 1. 1 Reg. 8. 32. Sic in *Divino* Rom. 8. 33.

3. Ex Synonymis & æquipollentibus. Hujusmodi sunt *Reconciliatio* Rom. 5. 10. 2 Cor. 5. 19. *in Christo gratuita acceptatio* Ephes. 1. 6. *justitiam imputare* Rom. 4. 6. *non imputare peccatum* v. 8. *peccata tegere* v. 7. (non *bonis operibus*, quæ glossa est, vel *justitiæ infusione*, quæ *Cornelii à Lapide* est, sed *peccatorum remissione*, ut è priori commatis membro planè constat) *non condemnari* Johan. 3. 18. *in condemnationem non venire* Johan. 5. 24. & plura hujus generis alia, quæ omnia *justitiam inhærentem* vel insitam non loquuntur, sed *sensum forensem*, quem nos asserimus, innuunt.

Gerhard. loc. com. 3. pag. 446. Hoc tamen minimè dissimulandum est, quod aliqui nostrûm affirmant vocem *sanctificationis* pro *justificatione* vel *sanctitatis declaratione* poni juxta phrasin *Leviticam*, quâ *sacerdos leprosum sanctificare*, hoc est sanctum vel mundum pronuntiare dicitur. Quo etiam in sensu *sanctificationis* vocem sumi volunt Act. 26. 18. *ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem.* Ephes. 5. 26. *Christus dedit semetipsum pro Ecclesia ut sanctificaret eam mundatam lavacro aquæ per verbum.* Et Heb. 10. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel peractam.* De qua locorum istorum interpretatione quamvis jure possem, nolo tamen inpræsentiarum cum illis contendere. Hoc sufficit.

Beza in Tit. 3. 7. Quòd ut illi *sanctificationem* pro *justificatione* poni asserunt; sic vice versa alii nostrûm (Synops. purioris Theolog. Disp. 33. 5. 3, 36) propter summam & arctissimam connexionem, *justificationem sanctificationem* ipsam ut *consequens* videri nonnunquam *complecti* existimant; Sed forsan *videtur* quod non *est*, non saltem in illis, quæ ab ipsis adducuntur, locis.

Eorum primus est Rom. 8. 30. *Quos vocavit eos & justificavit.* Existimant enim quod cum *sanctificatio* in aurea illa Catena omitti non debeat, sub vocabulo *justificationis* subintelligatûr. At potiùs forsan, vel in vocabulo *vocationis*, quæ sanctificationis inchoatio est, vel *Glorificatonis*, quæ sanctificationis ἀντίτυπον est, & gradu tantùm ab ea differt.

sic Forbesius lap. 10. c. 32.

Secundus qui huc affertur locus est Tit. 3. 7. ubi mentione priùs facta *copiosè effusæ renovationis Spiritûs Sancti* (quæ *sanctificationem* loquitur) continuò addit Apostolus ἵνα δικαιωθέντες, *ut justificationis gratia hæredes efficiamur*

mur ſecundum ſpem vitæ æternæ, ac ſi δικαίωσις iſta vel *juſtificatio* eandem rem diceret quam ἀνακαίνωσις illa vel *renovatio*. At nil (ut opinor) hîc cogit ut vox δικαιοσύνης à nativâ ſuâ ſignificatione ad tralatitiam illam trahatur. Optimè enim fluit ſenſus loci ſi vox δικαιοσύνης de *juſtificatione propriè dictâ* intelligatur. Neque Apoſtolus in hâc cauſarum ſalutis enumeratione res duas confundit, ſed diſtinctè duas præcipuas Dei actiones proponit; *regenerationem* ſcilicet v. 5, 6. & *juſtificationem* v. 7. ut *Piſcator* in Loci *Analyſi* rectè oſtendit. Nihil ergo eſt quod ſenſum illum *cogit*, imò è contrà plura quæ contrarium ſuadeant.

1. Quod vox δικαιοῦσθαι non ità apud *Paulum* ſonare ſolet.

2. Præcipuè δικαιοῦσθαι τῇ χάριτι, quicquid *Pontificiis* & *Grotio* viſum eſt, noſtris tamen (etiam ipſi *Bezæ* & *Theologis Leidenſibus*, (qui ſic locum hunc exponi volunt) non *gratiæ inhærentis infuſionem*, ſed *gratuitam peccatorum remiſſionem* apud *Paulum* denotat.

3. Cum poſt ἵνα δικαιοσύνης ſequatur κληρονόμοι γενώμεθα. vox illa κληρονόμοι ſuadet ut, vox δικαιοσύνης ad juſtificationem propriè dictam reſtringatur. Jus enim ad hæreditatem ex duobus illis relativis Chriſti beneficiis, *juſtificatione* ſcilicet & *adoptione* proximè fluit.

3. Apoſtolus à verſu 4. ad 8. divinâ prorſus & inimitabili brevitate cauſas (ut opinor) omnes ſalutis noſtræ enumerat (prout fuſè *Piſcator* in hunc locum oſtendit) atque eo planè ordine quo ad Rom. 8. 30. Primò enim *Electionem* ponit, dein *vocationem* ſeu *Regenerationem*, poſtea *juſtificationem*, & ultimò *Glorificationem*, vel vitam æternam. Non eſt ergo quòd hîc excludatur *juſtificatio propriè dicta*, quæ inter has ſalutis cauſas primaria eſt, præſertim cum αὐτολέξει & proprio Nomine occurrat. Neque hoc volunt ut prorſus excludatur, ſed ut hîc *ſanctificationem* in ſuâ ſignificatione *complectatur*. Sic *Theologi Leidenſes*. Sic etiam & *Beza* in hunc locum; „ *Juſtificationis* „ *nomen largè accipio, ità ut complectatur quicquid à Chriſto conſequimur* „ *tum per imputationem, tum per Spiritûs in nobis ſanctificandis efficaciam*. Sic „ quoque accipitur *juſtificandi* verbum Rom. 8. 30. Hæc ille. At non ſic ibi neceſſariò accipiendum priùs oſtendimus; neque major hîc iſtius ſignificationis neceſſitas.

Hoc tamen adjicere liceat, quòd quamvis totum hoc quòd volunt viri docti concedatur, *juſtificationis* vocabulum hiſce in locis *ſanctificationem* tanquam *connexum* ſuâ ſignificatione *complecti*, nil inde impediat quia *ſenſum* ſuum *forenſem* retineat. Neque enim *maritus*, quia *uxori*, vel *Pater* quia *filio adoptivo* propter arctiſſimam in ſe *connexionem nomen* ſuum *impertit*, eo *ſe abdicat*, ut nihil hoc de ſenſu *forenſi* deterat, vel cauſæ *Pontificiæ*, vel hilum conferat.

Atque ex his tandem ità explicatis ſatis, ut opinor, conſtat, *forenſem* hanc vocis hujus ſignificationem per totum Sacrum Codicem ubicunque hanc Controverſiam tractat veram & genuinam eſſe, Spiritûſque Sancti menti per omnia conſonam.

Et, quod ultimò diximus, ad quam omnes etiam ejuſdem vocis acceptiones aliorſum forſan aliquibus in locis inflexæ reduci & facile poſſunt, atque omnino debent. Ex quibus pauca hîc recenſere operæ pretium erit.

1. *Justificare* aliquando usurpatur pro *approbare*, *testificari*, *agnoscere*, & *celebrare ut justum*. Hoc sensu *sapientia justificari* dicitur à *filiis* suis Matth. 11. 19. Sed hoc ex *usu fori*, ubi qui *justificatur* ut *justus approbatur* & agnoscitur. Sic enim *usitatum* est in omnibus linguis *vocabula speciei transferri ad genus*; ut rectè annotavit *Chemnitius*, quamvis doctissimo *Gatakero* vero similius videtur hanc vocis istius significationem ab usu *promiscuo*, qui prior extiterat, ad *usum* fori transiisse.

2. *Justificare* aliquando *Synecdochice* ut aliqui volunt (ego *Metonymice* mallem) pro liberare ponitur. Sic Rom. 6. 7. ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας *qui mortuus est justificatus est à peccato*. Sic ad vocem *Vulgatus* & *Erasmus*. *Absolutus*. Sic alii. At *Grotius* reddit *liber est à peccato*, ut ante eum *Beza liberatus est*, nequis de *peccatorum remissione* seu absolutione à peccatis hoc dictum acciperet; agit enim ibi Apostolus non de *peccatorum remissione* sed *mortificatione*; atque ideo δεδικαίωται hîc idem est quod ἀπηλλακται ἡλευθέρωται, κεκωλύεται ut *Basilius* explicat. Quo in sensu verbum δικαιοῦσθαι *sæpissimè in hâc Epistolâ usurpari dicit Grotius*, ut nimirum *Pontificiam* suam hujus vocis *significationem* firmaret, & simul infirmaret, enervaret penitùs dulcissimam *justificationis* doctrinam. At pace ejus dictum velim *sæpissimè hoc in sensu hâc in Epistolâ vocabulum hoc ità sumi*, neque hîc neque in *Prolegomenis* suis vel probavit vel probare aggressus est, neque probabit aliquis unquam. Hoc loco (eoque solo) ità sumi nos ultrò fatentes habet. At (vel *Estio Pontificio* fatente) *sumptâ phrasi à Judiciis forensibus, ubi qui absolvebatur justificari dicebatur, hoc est liberari sive à crimine sibi impositio, sive à Domino volente eum sibi vendicare servum*. Sic ille. Ex *Hebræorum* scilicet *Idiotismo*, qui *cum antecedente consequens* comprehendunt. *Nam qui justificatus est sive absolutus, is quoque à pœna, quam alioquin subiturus erat liberatus est*. Ità *Beza* in hunc locum.

Piscator de justific. l. 2. c. 2. pag.

3. *Justificare* aliquando pro ad *justitiam erudire*; & sic Vulgatus illud Danielis 12. 3. reddit, ubi *Doctores* מצדיקים appellantur, seu qui *multos justificant*, ὁρμητικῶς scilicet. At hoc fit non solùm quod Deus eis tanquam instrumentis utatur ad *justitiam inhærentem* ipsis ingenerandam, sed etiam ad eos per Evangelii doctrinam ad *Christum* adducendos, ut *ejus justitia* ipsi sensu *forensi* etiam habeantur atque *constituantur justi*.

Matsdikim.

4. *Justificari* etiam dici possunt illi qui in *Statu justificationis permanent*. Sic (ut priùs ostendimus) plures illud exponunt Apocalypseos 22. 11. ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, *qui justus est justificetur adhuc*, per continuum scilicet vel reiteratum propriè dictæ justificationis sensum, applicationem, externamque ejus demonstrationem. At quod *rei continuationem* jubet, *rem ipsam non negat*, neque à nominis significatione *propria* abducit, à quâ originem suam trahit, ad quam etiam referri debet.

5. Huc etiam referri debet *justificatio* illa *comparativa*, de quâ loquitur Propheta Ezek. 16. 51. 52. *Erubesce & fer ignominiam tuam* כִּצְדֹּקֹתֵךְ אֲחוֹתָיִךְ

Betsaddakteek. Achiotheek.

quum justificasti sorores tuas, virtualiter scilicet, respectu interim habito ad *formalem* justificandi actum. vel non *absolutè*, sed *comparativè*, eò quod *Samaria ad dimidium peccatorum tuorum non peccavit*, ut explicatur commate

ante-

antecedente, quod (ut illud obiter dicam) juſtificationis *ſignificationem* quam *nos* tuemur confirmat; *Pontificiorum* verò de *juſtitiâ inhærente* planè deſtruit. Nam *Samaria* quæ hîc *juſtificari* dicitur, non quoad *inhærentem juſtitiam* juſta erat, quia cum & ipſa *injuſtè egerat*, *hoc in ſenſu* neutiquam *juſta* erat, ſed quia cum *malè* ageret, *minus* tamen *malè* quàm *Hieruſalem*. *Vide Chamierum Tom.* 3. *l* 21. *cap.* 5. §. 28.

6. Hîc etiam conſideranda venit *juſtificationis* vulgata illa diſtinctio, nimirum *cauſæ* & *perſonæ*. *Iuſtificatio perſonæ* magis *univerſalis* eſt, quando homo *omnino* juſtus declaratur. *Cauſæ* verò *juſtificatio* magis *particularis* eſt, cum homo aliter reus, vel de crimine aliquo cujus immunis eſt, vel de re aliquâ ob quam laudem potiùs & præmium meretur, accuſatur. Sic *Iobus*, *David*, *Ieremias*, alii pii, qui ſe *coram Deo juſtificare* minimè auſi ſunt, ſuam tamen adverſus *hominum calumnias* in re aliquâ, in quâ benè forſan, ſaltem nil malè egerint *juſtitiam* & innocentiam ſuam *tueri*, adeoque *ſeipſos juſtificare* ſoliti ſunt. At utraque hæc *juſtificatio* cum *perſonæ* tum *cauſæ forenſis* eſt. Et quidem *cauſæ* juſtificatio *eatenus* & *perſonæ* eſt, *quatenus cauſa* quæ accuſatur bona & *juſta declaratur*, ut perſona cujus eſt, vel qui eam tuetur *pro juſto* habeatur, ut *Bradshawus* noſter verè nos docet in *libello ſuo de juſtificatione*, quem Clariſſimus *Gatakerus* meritò *aureum* quantivis pretii eſſe cenſuit.

6. Non negandum eſt *juſtificare* non tantum ſignificare *juſtificationem coram Deo*, ſed etiam *coram hominibus*; de quâ poſteriore pluribus agit *L. de Dieu* in Rom. 8. 4. Quoad hanc *opera juſtificare* dicit; & nobis *imputari* dicit ipſe *Calvinus*. Huc plura alia loca trahit Pſal. 106. 31. Apoc. 22. 11. 1 Cor. 6. 11. & alia. Ipſum adeas.

8. Neque omittenda eſt illa altera *juſtificationis* in *activam* & *paſſivam* diſtributio, quæ utraque una eademque juſtificatio eſt, ut unus idemque motus in *agente actio*, in *patiente paſſio* eſt; ſic eadem juſtificatio reſpectu *Dei juſtificantis activa*, reſpectu verò *hominis juſtificati paſſiva* dicitur; quam *Maccovius* definit eſſe *per fidem acceptionem remiſſionis peccatorum*, & *ſenſum activæ*. *Prius* illud mallem, ut ſit *acceptio activæ*. Quod ad *poſterius* illud attinet, ut ſit *ſenſus activæ*, cum eo non affirmare auſim, ne omnes quibus deeſt ſenſus iſte nondum juſtificatos aſſererem. At ille ex mente plurium & doctiſſimorum & pientiſſimorum Theologorum noſtrorum hæc dixit, qui vel ex proprio ſenſu vel contra ἔποχὴν *Pontificiam fidem* ex *ſenſu* vel *notitiâ* hujuſmodi definiunt. Inde etiam eſt quod idem Author illud quoque annectat. *Poſtquam nos juſtificavit Deus creat in nobis fidem.* Quòd quidem quatenus diſtinctionem hanc juſtificationis activæ & paſſivæ quæ *fidem* ſpectat verum eſt. Nam Deus non ſolùm ante ſenſum iſtum fidei & de gratiâ ejus certiorationem nos juſtificat, quæ ſæpè *tempore*, eoque aliquando ſatis longo juſtificatione poſterior eſt, ſed *quoad naturam* ſaltem *prius* Chriſtum ejuſque juſtitiam nobis offert, applicat, atque eatenùs nos *active juſtificare* dici poteſt, quàm nos gratiâ ejus adjuti per fidem oblatam Chriſti juſtitiam accipere poſſumus, in quo demùm verum juſtificationis ἀπόλυτρωσις eſt. At hæc duo ità conjuncta ſunt, ut *tempore ſimul* ſint, neque temporis momentum aliquod ſit de quo dici poſſit in hoc momento Deus nos *activè juſtificat*, in quo nos non ſumus *paſſivè juſtificati*. Minimè omnium unquam *Tilen. ſyntag. pag.* 216 §. 17. *loc. com. cap.* 69. *pag.* 669. 791. 793.

ità divelli possunt, ut qui, quod *ad Deum attinet*, *justificati sunt*, *in se* & quoad eventum *nunquam ad verum justificationis statum* perveniant. Illum Dei antecedaneum ad fidei in nostrâ justificatione actum sub nomine *justificationis* in Sacrâ Scripturâ venire non ægrè concederem, forsan illo in loco ubi Deus τὸν ἀσεβῆ δικαιοῖ *impium justificare* dicitur Rom. 4. 5. *Ante enim fidem ingeneratam impii sumus*; licet ille locus aliter exponi potest & forsan debet, ut posthâc videbimus. At verò ut in ἀιγγομίᾳ gratiæ illi à Deo δικαιωθῶμεν *justificari* dicantur qui *neque jam credunt neque unquam credituri sunt*, nusquam, ut opinor, in Sacrâ Scripturâ dictum, scriptum invenimus. At hoc Doctissimo *Paraphrastæ & Scholiastæ* nostro visum est, qui ad verba illa Rom. 5. 9. πολλῷ οὖν μᾶλλον δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς *justificati igitur nunc ejus sanguine*, *servabimur multò magis per illum ab irâ*, ibi quærit utrùm vox δικαιωθέντες sumatur *activè* vel *passivè*, id est, utrum significat tantum *actum Christi* veniam & vitam morte suâ promerentis & impetrantis, & *Dei Patris* ad veniam admittentis, & pœnitentiæ locum largientis (id est eo interprete, *veniam & acceptationem sub conditione in Evangelio requisitâ tantùm offerentis*) vel etiam *actum peccatoris* eam acceptantis, quò ejus actu fiat particeps. Respondeo verò vocem hanc in se quidem utrumque sensum complecti, ut *justificari* dici possumus vel (1°.) quòd ad *Deum Christumque* spectat, eò quòd *precium* à Christo *solutum*, & à *Patre acceptatum* sit, ut si *actu non justificemur*, id *nostro vitio fiat* ob non præstitam conditionem; vel 2do quod *ad nos* attinet, cum beneficia quæ Christus promeruit jam nobis collata sunt, & nos *actu* sumus *justificati*. In secundâ hâc significatione sumi ait *commate primo quinti illus Capitis*: *Justificati igitur fide pacem habemus apud Deum*; at verò hoc *nono* versu ejusdem *Capitis*: *justificati igitur nunc ejus sanguine*, *servabimur multò magis per eum ab ira*, *priorem justificationis sensum* obtinere dicit, idque triplici probare conatur argumento.

1. Ex *Scopo Capitis*, quod in eo totum est ut *Dei Patris Christique erga nos amorem illustret*, prout speciatim commate 8vo proximè præcedente habet, *Commendat autem suam erga nos charitatem Deus eò quòd quum adhuc essemus peccatores*, *Christus pro nobis mortuus sit*. Ubi res tota ad mortem Christi restringitur, ad id scilicet quod *Christus* ad justificationem à parte suâ præstitit, non habitâ ratione illius quod ei *extrinsecum* est, nimirum à *nobis* præstandæ conditionis. Hoc spectatur v. 1. *justificati fide*. at illud solùm hoc commate *justificati Christi sanguine*.

2. Idem ultrà probare vult ex commate illo 8vo *eò quòd quum adhuc essemus peccatores*, *Christus pro nobis mortuus sit*. *pro nobis mortuus est*, idem est, ac si dixisset nos *morte ejus justificati* sumus. Quod constare vult ex versubus 8, 9, 10. inter se comparatis. Et præterea cum dicit *Christum pro nobis mortuum esse cum adhuc peccatores essemus*, per *peccatores* intelligit *habitualiter* & pessimæ notæ tales, quos etiam v. 10. *inimicos* vocat, quos tamen cum tales erant Christi morte *reconciliatos* esse dicit: At *reconciliati* iidem qui *justificati* sunt. At *inimicis* quamdiu tales manent *actualis venia* vel *justificatio* non competit. Et tamen *reconciliati* vel *justificati* dicuntur. *Sensu* igitur *priore*. *Talis* ergo hujus vocis *justificationis* ibi occurrit *significatio*.

3. Quod

3. Quod ultimò confirmat ex comparatione factâ v. 16. inter *justificationem* per *Christum* & *condemnationem per Adamum*; *Hæc* vero *comdemnatio* est *omnium*; at *non omnium* est *justificatio actualis* & *passiva*. Ergo *justificatio* aliquâ est, quæ *æquè latè patet* ac *condemnatio Adami*: Hæc verò ea est, quâ *Christus veniam omnibus meruit*, eamque itidem *Deus omnibus proponit*, eosque hoc sensu *justificat*, quamvis longè plures eam fide non apprehendunt, adeoque nunquam *actualiter passivè* vel *perfectè justificati* sunt. Hæc doctissimi illius Viri sententia; hæc ejus (quibus eam probare conatur) argumenta.

Quibus hæc quæ breviter reponam habeo.

Atque ad primum quod attinet.

1. Nego *argumentum*. Non enim est *Scopus totius Capitis illustrare Christi Deique erga nos amorem*, si modò *amor* iste restringatur (quod à Viro Clarissimo fit) ad *mortis Christi meritum*, *ejusque nobis promulgationem* exclusivè ad id *quod Deus ultrà in nobis operatur*, quo & *meritorum* Christi & *gratiæ* à Deo nobis oblatæ *participes* fiamus, quod ille *pro extrinseco* habet. Non enim illo in *Capite* hoc solum agit Apostolus ut *Dei Christique erga nos amorem commendet*, sed & ejus insuper *effecta* ab amore illo quidem profluentia ab *eo* tamen *distincta* copiosè illustrat per totum ferè Caput. Quid enim aliud sonant verba illa in initio Capitis: *Justificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem etiam habemus accessum per fidem in gratiam istam in quâ stamus*; & quæ sequuntur reliqua? quæ loquuntur non solùm mortis Christi meritum, ejusque nobis *promulgationem* & *oblationem*, sed & actualem ejusdem nobis *applicationem*, & quæ eam sequuntur effecta.

2. Nego etiam *argumenti consequentiam*, quæ hæc est. Si Scopus *Capitis* est *Dei Christique erga nos amorem illustrare*, tum *nono hoc ejus Commate non loquitur de actuali justificatione, seu actuali nostrâ per fidem amoris Divini & meritorum Christi apprehensione, quæ illi extrinseca est*. Hoc, inquam, ex eo non sequitur.

Primò, quia actualis & plenaria nostra justificatio, quamvis ab amore Christi pro nobis morientis, & Patris veniam & salutem per eum offerentis distincta sit, utpote ejus effectum, at ideo quia *effectum* est, non *adeò ei extrinseca*, ut quia de *amore Dei & morte Christi* loquitur *versu* 8. ideò de *justificatione* istâ *actuali non loqueretur versu* 9. Imò idem Dei amor spectatur in *actuali* istâ *justificatione* qui in *Christi morte & merito*; & longè major quam in nudâ amoris hujus *promulgatione* ut etiam *fides per aquam* nos justificat æquè *ex gratiâ* est ac *meritum Christi ob quod* nos justificat Ephes. 2.8. Neque minor Dei amor in conditionem hanc in nobis *præstando* quàm in eam nobis *proponendo*. Nulla ergo sequela est, De *Dei amore*; & *Morte & merito* Christi loquitur in hoc Capite, ergo nullibi, non in nono hoc versu de *justicatione actuali* & perfectâ. Quod vel inde magis patet.

Secundò, quia si ideò quoniam Scopus Capitis sit Dei Christique amorem illustrare non loquitur de justificatione actuali *versu nono*, eâdem ratione neque in *versu primo* potest. Quare enim *versus primus contra* vel *præter Scopum Capitis* magis esse possit quàm *nonus*? At ipso Viro *Doctissimo* fatente

versu primo Apostolus loquitur de *justificatione actuali perfectâ*; (non dicet opinor contra Scopum Capitis: Turpe enim fuisset in *ipso limine impegisse*) Quidni ergo in *versu nono*? (idque non *à Scopo errans*) de eâdem loqui possit, cum utrobique eadem ipsissima vox δικαιωθέντες usurpetur? Δικαιωθέντες ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν. Sic Commate primo. δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. Sic Commate nono. *Eadem* in utroque *vox* δικαιωθέντες. Eadem etiam in utroque justificatio, *actualis* scilicet & *perfecta*.

Neque verò est quod regerat versum *primum* de justificatione *ex fide* loqui, quod *condemnationem* justificationis ex parte *nostrâ* ponit, ergo & *justificationem passivam perfectam*: *nonum* verò de *justificatione* per *sanguinem Christi*, quod tantùm quid *Christus ex parte suâ* morte suâ præstitit indigitat, ideoque justificationis *meritum*, non *effectum* plenarium. Nam in utroque loco de *eâdem justificatione* eâque *jam peracta* (δικαιωθέντες enim in *Aoristo* est) loquitur, quam *versu primo* describit ex causâ *instrumentali*, *fide* scilicet; *nono* verò ex *causâ meritoria*, nimirum *Sanguine*, vel morte *Christi*. Neque (ut opinor) negabit hominem jam actu justificatum verè & propriè dici posse justificari per *Christi sanguinem* æquè ac per *fidem*. Nil ergo probat *generalis Scopus Capitis*, quod primum Doctissimi Viri fuit argumentum.

2. At forsan *versus* 8. proximè antecedens hoc efficiet: quod *secundum* erat *argumentum*. At quid versus ille habet quod hoc probatum dabit?

1. Illud, quòd Christus ibi pro *nobis mortuus* dicitur. At quid hoc? nimirum hoc (prout *Scholiastes* noster vult) idem est ac si dictum esset, *nos Christi morte justificatos esse*.

Respondeo non idem prorsus sonant vel significant hæc duo, *Christus pro nobis mortuus est*, & *Nos morte Christi justificati sumus*. Quorum prius mortem Christi loquitur, ejusque *finem* ad *nos* scilicet eâ, (sed de futuro) *justificando*. Posterius verò ponit ejus *effectum* jam actu *productum*: Quæ duo secundùm Doctissimi Viri sententiam ità *distincta* sunt, ut etiam omnino ità *separari* possint ut is, pro quo justificando Christus mortuus sit, nunquam justificari possit. Ego illud quidem non dixerim. At hoc tamen dico, licet nunquam ità *separentur*, ità tamen in se *distinguuntur*, ut non sint *prorsus idem*.

At (dicet) *hîc* saltem pro eodem sumuntur, quod ex *circumstantiis* versuum 8. 9. 10. inter se comparatorum constat. Nego. Quæ enim illæ sunt *Circumstantiæ*? Duas ponit.

Prima illa est, quod *versu octavo* dicat Christum pro nobis mortuum esse *quum peccatores essemus*, ut per *peccatores* intelligantur illi qui *habitualiter* & pessimæ notæ tales sunt. At *talibus*, quamdiu tales sunt, *justificatio actualis* non convenit: At hîc δικαιωθέντες *justificati* dicuntur versu 9. Quod cum respectu habito ad actualem justificationem non possit, relinquitur hoc dici ad *solam Christi mortem*, pro eis perpessam, ejusque in Evangelio eis factam *promulgationem*. Respondeo.

1. Concedendo eos qui versu hoc octavo ἁμαρτωλοὶ *peccatores* vocantur, ἀσθενεῖς & ἀσεβεῖς dici versu 6. & ἐχθροὶ v. 10: quo nomine intelliguntur non solum *ex Gentibus profligatiores*, ut Doctissimus Vir hîc ininuit, & alibi

bi apertius loquitur, ſed *irregeniti in univerſum omnes.*

2. Concedo etiam eos, *quamdiu tales* ſunt, nequaquam *actu juſtificatos* eſſe, *actuali* ſcilicet & perfectâ *juſtificatione.*

3. At nego tales *hîc* ab Apoſtolo dici *juſtificatos.* De *iiſdem* quidem quoad *ſuppoſitum* perſonis dicit tales *peccatores* fuiſſe, & pro talibus *Chriſtum fuiſſe mortuum* v. 8. & v. 9. eoſdem *juſticatos fuiſſe*, ſed non *quandiu tales peccatores manſerant*, ſed cum ſemel in *Chriſtum crediderint*; non ſolum quod Chriſtus pro eis mortuus fuerat, Deuſque veniam vitamque ipſis in Evangelio promulgaverat, ſed quod Chriſtum fide jam apprehenderunt, Deuſque cum ipſis jam actu in gratiam redierit. Quod manifeſtè, ut opinor, hinc conſtabit.

1. Quod Apoſtolus apertiſſimè ſecundùm *duplex tempus duplicem* horum & *ſtatum* ponit, imo & opponit invicem ut verſu 8. & 9. qui ſic ſe habent. *Commendat autem ſuam erga nos charitatem Deus, eo quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus* ſit. Sic in 8. habemus. Sequitur verò hoc modo Nonus. *Juſtificati igitur nunc ejus ſanguine ſervabimur multo magis per eum ab ira.* Ubi manifeſtè opponuntur ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων, *cum adhuc aliquando peccatores eſſemus*, & δικαιωθέντες νῦν *Nunc juſtificati*, quæ *eoſdem quidem homines*, at longè *diſſimilem*, imo *contrarium* planè eorundem *Statum* deſignant. prout illa capite 6. proximè ſequente, commate 21. τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε, *Quem fructum habebatis tunc ex iis, de quibus nunc erubeſcitis?* Non magis equidem ibi opponuntur τότε & νῦν; *Tunc* & *Nunc* quàm hîc ἔτι & νῦν *adhuc* & *nunc.* Aliudtempus alios mores poſtulat. Statum etiam ponit apertè alium.

Vide Ameſii medull. l. 1. c. 24. § 4.

2. Illud etiam obſervandum eſt quod Apoſtolus ut *tempora* & *ſtatus* ſibi invicem opponit, ſic exinde *à minore ad majus argumentatur.* Cum *peccatores fuimus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, πολλῷ οὖν μᾶλλον *multò igitur magis* juſtificati ejus ſanguine per eum ſervabimur ab irâ. At *ridicula* fuiſſet argumentatio à *minori ad majus*, & *ineptè* prorſus dixiſſet πολλῷ οὖν μᾶλλον, ſi μᾶλλον οὐδέν, nil *majus*, ſed *idem* & omnino ipſiſſimum fuiſſet hoc verſu 9. *juſtificati jam Chriſti ſanguine*, cum eo in 8. *Chriſtus quum adhuc peccatores eſſemus pro nobis mortuus eſt*; hoc eſt, ſi *juſtificatio* hæc in ſe nihil contineret præter *Chriſti* pro *nobis mortem & meritum*, & ejuſdem *promulgationem.*

3. Quod & ex eo magis apparet, quod Apoſtolus in *commate* iſto *nono* de *Romanis*, & aliis, quos intelligit, *fidelibus* loquitur prout jam de *præſenti* erant; δικαιωθέντες νῦν. At ii tum non tales ſolùm erant, pro *quibus Chriſtus priùs mortuus erat*, & quibus Deus Evangelii Miniſterio *veniam* & ſalutem *promulgaverat*, & in medio poſuerat: ſed qui ſic oblatum *Chriſtum*, ejuſque gratiam *acceptaverint*, ut exertè loquitur v. 11. δι' οὗ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν *per quem nunc reconciliationem recepimus*, ut non ſolum propter *precium ſolutum* & *oblatum juſtificandi* erant, ſed per *fidem* (ſecundum phraſin v. 19. δίκαιοι κατασταθήσονται) *actu juſtificati* vel in *juſtificationis ſtatu* actualiter & plenariè *conſtituti* erant: quod & clamant quæ paſſim in eodem Capite occurrunt alia plurima. Nil ergo probat prior hæc inſtantia.

2. At ſecunda forſan magis urgebit, quæ hæc eſt, quod commate 10. legimus, ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ θεῷ, &c. *Cum inimici eſſemus, reconciliati*

ſumus

ſumus Deo per mortem Filii ejus; *ut juſtificatio* eadem eſt cum *Reconciliatione*. Ergo cum *inimici exiſtentes* per mortem Chriſti *reconciliati* dicantur v. 10. quare non eâdem ratione nondum regeniti vel actualiter juſtificati, *juſtificati* tamen dici poſſint *ſanguine Chriſti* v. 8. proximè præcedente.

Agnoſco argumentum hoc magis in ſe ponderis habere, cui tamen non ſuccumbit veritas. Dico igitur.

Quænam *Reconciliationis* cum *juſtificatione identitas* ſit, vel ab eâ *differentia* non vacat inpræſentiarum anxiè diſquirere. De his poſtea magis idoneus erit dicendi locus. Quod ad præſens inſtitutum attinet, hæc jam dixiſſe ſufficiat.

1. Quamvis de earum *formali ratione* in diverſas partes abeant Theologi noſtri, de earum vero *ſubjecto* ità conveniunt (ut opinor) omnes, ut in *quantum reconciliatus* quiſque fuerit, in *tantum* & *juſtificatum* eſſe cenſeant atque eatenus ſaltem & in genere à *Reconciliatione* ad *juſtificationem* rectè poſſe duci argumentum, quod hîc facit Vir Doctiſſimus.

2. Concedo etiam quod ad formalitatem ſubjectorum quibus conveniunt admodum gemella de utraque re dici poſſe, & in Sacra pagina revera dici. Ut enim in loco de quo agimus (nimirum Rom. 5. 10. *inimici reconciliari* dicuntur; ſic Cap. 4. 5. *Deus impium juſtificare* dicitur, ὁ δικαιῶν τὸν ἀσεβῆ. Æque enim ex *formalitate* ſubjecti hominis ſcilicet *juſtificandi* eſt, ut in ſe *reus* & *impius* ſit, ac hominis *reconciliandi*, ut quà talis, *inimicus* ſit. *Formaliter*, inquam, in ſe *reus* erat, quem *Deus juſtificat*. *Formaliter* item in ſe *inimicus* eſt, qui Deo *reconciliatur*.

3. Dico. In hoc tamen aliquid diſcriminis eſt, quod *Reconciliatio mutua* eſt, non itidem *juſtificatio*. Et *Deus nobis reconciliatur*, & *nos reconciliamur Deo*. At quamvis nos juſtificamur, non tamen & *juſtificatur* Deus, *eo ſcilicet modo quo nos*. *Juſtificari* quidem *Deus* dicitur ut in illo Rom. 3. 4. *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, in quantum in nobis vel impiis juſtificandis ſe *juſtum oſtendit* Rom. 3. 26. At abſit, ut eum vel *impium* vel *reum* unquam exiſtimemus, quales nos ſumus, ut cum nos juſtificat, & *ipſe* invicem *juſtificari* æquè ac nos opus habeat. Æquè ac *nos reconciliari* dici poteſt, quia *æquè* nobis *inimicus* ex peccato noſtro fuit, ac nos ipſi fuimus, quia licet hoc *in nobis erga* eum *iniquiſſimum* fuit, at *in eo erga nos* peccatores *juſtiſſimum*. At *peccato & reatui obnoxius* (ut nos fuimus) quo juſtificatione & venia opus haberet, nec fuit unquam neque eſſe potuit, neque poterit in æternum. Ergo (inquam) licet *Reconciliatio mutua* ſit, non itidem & *juſtificatio*. Ergo aliquid ſaltem quoad hoc inter eas differentiæ eſt. Quod ideo notatum vellem, quia præſenti noſtro inſtituto inſervit.

4. Ergo dico in mutua iſta inter Deum & nos Reconciliatione *Deus* duplici nomine *nobis reconciliari* dici poteſt, ut & *nos Deo*. Deus enim poteſt dici nobis reconciliari vel *inchoativè* vel *perfectè & plenariè*. *Inchoative* in *merito mortis Chriſti* ſemel ſuſtentæ obitæ. Sic *pacem ſanguine crucis ejus factam* dicit Apoſtolus Coloſſ. 1. 20. per eamque Chriſtum nos Deo *reconciliâſſe*, *peremptis per eam inimicitiis* Epheſ. 2. 16. Per mortem enim Chriſti *expiatis peccatis*, atque exinde *ſublata cauſa inimicitiarum*, eatenus ſtatim reconciliatur nobis Deus, ut *nunquam* nos quamvis in nobis metipſis adhuc inimicos in *æternum* perdi-

Vide Forbeſium de juſtificat. 19, pag. 69.

perditurus sit. At *plenarie* tum demum *reconciliatur*, cum primum promulgato nobis pacis Evangelio, initoque à nobis cum eo pacis fœdere is nobis redit in gratiam Hos. 2. 19.

Hoc duplici nomine reconciliatur nobis Deus, Dupliciter & nos Deo reconciliamur *passivè*, vel *activè*. *Passiva* nostra cum Deo *reconciliatio* immediatè fluît ex *ipsius Dei* cum nobis *Reconciliatione* quocunque modo sumptâ; nam eò quòd Deus nobis reconciliatur, necesse est ut *passivâ hâc Reconciliatione* nos & Deo reconciliemur. At *activa* ex parte nostrâ *Reconciliatio* tum demum fit, quando in *efficaci* nostrâ *vocatione* depositis pristinis inimicitiis *pacis conditiones Evangelio oblatas acceptamus* juxta illud Isaiæ 27. 5. *Prehendat robur meum ut faciat pacem mecum, & faciet pacem mecum*: nec non illud Apostoli Col. 1. 21. *vos cum essetis quondam abalienati & hostes mente operibus malis intentâ nunc reconciliavit.*

His ità se habentibus dico nos *passivâ* hâc *reconciliatione* respectu solùm ad *meritum mortis Christi* habito, dum in peccatis sumus ob *amorem benevolentiæ* quo vel tum propter Christi meritum nos Deus complectitur *reconciliari ei* dici possumus. Hoc loqui videtur Scriptura, neque abnuunt Theologi nostri. At *activâ Reconciliatione* ante *efficacem vocationem* dum *abalienati & hostes manemus*, nec *Deus* quoad *amorem amicitiæ* nobis *reconciliatur*, neque nos activâ reconciliatione *reconciliati* vel sumus vel dici possumus. Sic Apostolus 2 Cor. 5. *A Deo inchoativè*, quoad etiam seipsos *passivè* jam *reconciliati fuerant* v. 18, 19. ut tamen ultra & *activè reconciliarentur* non solum jubet sed & *rogat* v. 20. Hoc in sensu per *mortem Christi* ante *vocationem efficacem* nos Deo *reconciliatos* esse forsan Scriptura dicit. *vide Calvinum in 2 Cor. 5.*

Nunc verò & *justificatos?* Non credo. Quamvis enim intuitu mortis Christi Deus non *in æternum condemnaturus* est *electos* à Christo jam redemptos, nondum tamen efficaciter vocatos Rom. 8. 34. eos tamen jam *tum à Deo justificatos* esse nusquam (ut opinor) dicit Scriptura. Cum etiam *justificatio* (ut priùs diximus vel *activa* vel *passiva* sit, quod ad *activam justificationem* attinet, cum Deus jam (ut ità dicam) *in motu* est, & jam jam *Christi merita nobis applicaturus*, *activè nos justificat*, & sic *impium justificare* dicitur Rom. 4. 5. At ante *fidem* (quæ justificationis passivæ *instrumentum* est) licet *passivè reconciliati*, non tamen *passivè justificati* dicimur. Dictorum summa hæc sit,

1. *Maximè propriè* & ἀποτελεσματικῶς *justificati* dicimur *justificatione passivâ* quando fide *vivâ Christum apprehendimus.* Et sic Scriptura dicit *Deum justificare credentes* Rom. 3. 28, 30. & alibi passim.

2. *Verè* etiam & *propriè justificamur*, vel Deus nos justificat *justificatione activa*; cum *jam ad nos justificandum se accingit*, propter merita Christi nos *veniâ donando* & *Christi justitiam nobis imputando.* Et sic Scripturâ dicit *Deum justificare impios* Rom. 4. 5. *tales* enim *antecedenter ad fidem* nos omnes invenit, & quà tales nos veniâ donat, *peccati* scilicet *reos*, & iræ æternæ obnoxios.

3. Ante hoc vel ab ortu nostro, vel à morte Christi, nos eâ *redimi*, forsan etiam sensu priùs dicto, & *reconciliari* dicit Scriptura in locis priùs citatis At & *justificari* (vel electos vel redemptos) alibi in Scripturâ dici non constat.

4. *Minimè omnium* (quod vult Vir doctiſſimus) *omnes pro quibus ſenſu quovis mortuus* dicitur *Chriſtus*, vel quibus ſalus Evangelio proponitur & promulgatur, licet nec credant neque unquam crediturí ſint; minimè, inquam, omnium talés vel in loco illo de quo agimus (nimirum Rom. 5. 9.) vel alibi uſpiam in Scripturâ *juſtificari* dicuntur vel *juſtificati* vocantur. Quod magis adhuc conſtabit.

3. Ex ſolutione *tertii*, quod ad hoc probandum adducit, *argumenti*, quod ſumitur à comparatione factâ inter *juſtificationem* quam per *Chriſtum* habemus, & *condemnationem* quam ab *Adamo* Rom. 5. 16. & ità inſtitui poteſt. *Tam latè patet juſtificatio per Chriſtum quàm condemnatio per Adamum.* At per *Adamum* condemnantur *omnes*, ergo *per Chriſtum juſtificantur omnes* v. 18. At omnes non *actu* per Chriſtum juſtificantur. Manet ergo alia aliqua *juſtificationis* ſignificatio, quæ *omnes* (æquè ac illa per Adamum condemnatio) comprehenderet. At hæc ipſiſſima illa eſt, quam ille intelligit. Omnes ſcilicet eo juſtificantur, quod pro *omnibus Chriſtus pretium ſolverit*, *Deus id acceptaverit*, & *omnibus Evangelii prædicatione acceptandum proponat.* Talis ergo (inquam) hujus vocis *juſtificationis* hoc ſaltem in loco datur ſignificatio. Reſpondeo.

1. Non *omnibus Adamo prognatis* atque in eo *condemnatis Evangelium promulgatum* ſemper fuit. Dicit quidem Apoſtolus 1 Rom. 10. 18. *omnes audiiſſe*, ſed *Iſraëlitas* intelligit, prout ex v. 19. proximè ſequente conſtat. *Nunquid Iſraël non cognovit?* Dicit etiam *ſonum eorum exiiſſe* εἰς πᾶσαν τὴν γῆν *& verba eorum* εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης. At πᾶσα ἡ γῆ οἰκουμένη eo in loco ex ſenſu Apoſtoli non totum terræ ambitum, non ignotas penitùs tunc temporis orbis terrarum regiones continet. ut vel hoc nomine (*quoad* ſcilicet *Evangelii promulgationem*) in univerſum omnes (prout ipſi placet) juſtificari dici poſſint.

2. Non pro *omnibus & ſingulis* quibus Evangelium innotuit ità à Chriſto precium ſolutum eſt, ut exinde omnes *qui in infidelitate ſuâ ad mortem uſque perſeverant juſtificari* dici poſſint. Concedimus quidem ità Chriſtum pro *omnibus mortuum eſſe* ut ſi *in eum crederent ſalvi forent*; at inde æquè ſalvati ac juſtificati dicerentur; quorum utrumque æquè abſonum foret ac ſi cum Princeps aliquis perduellibus & proditoribus ſi abjectis armis ad frugem redierint ſe veniam illis indulturam promittit, eos veniâ donatos, *juſtificatos* dixeris quamvis *rebelles* permanſerint, imò cum jam ad pertinaciæ ſuæ pœnas luendas abducti fuerint & patibulum aſcenderint.

3. Ultimò *neganda* prorſus eſt Syllogiſmi *majoris* Propoſitio, ſi *univerſaliter* (uti debet) ſumatur; ſcilicet tam latè patere *juſtificationem* per *Chriſtum*, quàm *condemnationem* per *Adamum*. Dicit quidem Apoſtolus Rom. 5. 18. *ſicut per unam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ità per unam juſtificationem beneficium redundâſſe in omnes homines ad juſtificationem vitæ.* At non *abſolutè* ut in *omnes reatus*, ità in *omnes juſtificatio*: ſed *reſtrictè* juxta limitationem v. 17. proximè præcedente poſitam, in omnes ſcilicet quotquot *donum gratiæ fide accipiunt*. *Adamus* enim & *Chriſtus* in illâ comparatione Apoſtolica quaſi *duo Capita Fœderum* vel ut *duo Patres-familias* ponuntur. *Adamus* omnium *naturaliter* à ſe *genitorum*, qui in univerſum

omnes

omnes sunt qui ex reatu ejus condemnantur: *Christus* etiam omnium *per eum Gratiâ regenitorum*, qui soli *credentes* sunt, quique *soli* & *justificantur* & *salvantur*.

Atque ità tandem ad argumenta Viri Doctissimi satis (ut opinor) responsum est. Ex quo constat, neque illo in loco neque in Scriptura ullibi aliquos dici *justificari ob solum à Christo solutum precium*, *ejusque* per Evangelium factam *promulgationem*, nisi ejusdem tandem fiat *vera applicatio* ex *parte Dei* per Spiritum ex *nostra* verò per *fidem vivam* & *vivificam*, utpote solum *justificationis instrumentum*.

Atque hactenus de prima illa Quæstione egimus. *Quid proprie sit justificari?* vel quo in sensu sumatur vox *justificationis* in *Paulina* de ea *Disputatione*. Hoc solùm ad pleniorem ejus explicationem desiderari videtur, ut cum quid in se sit jam vidimus, quomodo ab aliis sibi annexis nobisque à Christo collatis beneficiis distinguatur etiam videamus v. 8. quid à *Redemptione* distat, à *Reconciliatione*, *Adoptione* item, quid denique à *Regeneratione* & *Sanctificatione*.

Redemptio.

Et primò quod ad *Redemptionem* attinet, cum *Redemptio* in genere sit vel *personæ* vel *rei alienatæ*, *occupatæ*, vel *captæ*, vel *pretio*, vel *compensatione* aliqua, vel *vi*, vel modo quovis alio *liberatio*: *Redemptio* Christi, vel *quæ in* Christo vel *per* Christum facta est (prout ἀπολύτρωσις ἡ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ vocatur Rom. 3. 24.) totum illud in genere complectitur, quo Electi in se priùs captivi, è Satanæ, peccati, mortis, ac omnium denique *inimicorum suorum potestate liberantur* Lucæ 1. 74. qui ideò *Redempti Domini* sæpiùs in S. Scriptura appellantur. Hanc Redemptionem Theologi distinguere solent in *primam*, & *secundam*: *Primam* Redemptionem, *meriti* vocant; *secundam*, Redemptionem *efficaciæ*: quæ secunda cum efficaciam suam maximè exerit die ultimo, quem excipit æterna in cœlis gloria, ubi electi (*abolita tandem morte hostium ultimo* 1 Cor. 15. 56.) ab omni prorsus inimicorum omnium tyrannide in æternum liberabuntur, inde liberatio hæc ultima & perfectissima signanter & κατ' ἐξοχὴν *Redemptio* vocatur. sic Ephes. 4. 30. *per quem obsignati estis in diem redemptionis.* Lucæ 21. 28. *Sursum aspicite, & tollite capita vestra, quoniam appropinquat Redemptio vestra.* Sic *Redemptio corporum nostrorum* dicitur Rom. 8. 23. & 1 Cor. 1. 30. *Christus* à *Deo factus nobis* dicitur *sapientia*, *justitia*, *sanctificatio*, & (quæ agmen claudit, & integrè consummat omnia) *Redemptio*. Quæ licet in illa *ultima* & consummatissimâ *liberatione maximè conspiciatur*; unà tamen cum æterna illa salute omnia illa præcedanea, *Reconciliationem*, *Iustificationem*, *Adoptionem* & *sanctificationem* vel ut *partes* vel ut *effecta* ejus in se *continet* & complectitur.

Isa. 35. 9. 51. 11. 62. 12. 63. 4.

Sic quod ad *Reconciliationem* & *Iustificationem* (quæ à reatu & pœna peccati liberatio & Redemptio est) attinet Rom. 3. 24. 25. *gratis justificari* dicimur *per Redemptionem quæ est in Christo sensu*, *quem proposuit Deus* ἱλαστήριον *propitiatorem*, vel *reconciliatorem*, vel *reconciliationem per fidem in sanguine ipsius*.

Quod ad *Adoptionem* quæ ab inimicitia & *abalienatione nostra à Deo* Redemptio est; Apostolus Gal. 4. 5. ait, *Deum misisse Filium suum, ut eos,*

qui sub Lege erant redimeret, ut Adoptionem filiorum reciperent.

Quod ad *Sanctificationem*, quæ à pollutione & Dominio peccati Redemptio est, Ipse *redimet Israëlem ab omnibus iniquitatibus ejus* Psal. 130. 8. cui accinit illud Tit. 2. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

Luc. 21. 28 Quod denique ad æternam salutem & *glorificationem* spectat, quæ ab omnibus peccati reliquiis, Satanæ & mundi tentationibus, hujus vitæ miseriis, à morte denique plenaria & *ultima Redemptio* est, Heb. 9. 15. Christus *Novi Fœderis Mediator* dicitur, *ut morte intercedente ad Redemptionem earum transgressionum quæ erant sub priore fœdere qui vocati sunt promissam æternam hæreditatem acciperent.*

Ex quibus constat quòd *Redemptio*, quamvis *eminenter* de *ultimâ* illâ & *perfectissima* post *Resurrectionem liberatione* dicatur, magis *genericè* tamen sumpta *Reconciliationem*, *Justificationem*, *Adoptionem*, *Sanctificationem* & *Glorificationem* quasi ejus partes vel effecta ambitu suo continet.

In *Glorificatione* Redemptio fit *à morte*, atque omnium tum afflictionum tum peccatorum Reliquiis.

In *Sanctificatione* à peccatorum *Dominio.*

In *Reconciliatione* redimimur à *mutuâ Deum* inter & *nos* abalienatione & *inimicitiâ.*

In *Justificatione* denique à peccatorum *reatu.*

Atque hæc primò, inter *Justificationem* & *Redemptionem* convenientia est. Hoc etiam discrimen.

Reconciliatio. At quomodò vel inter se conveniant vel à se invicem distant *Justificatio* & *Reconciliatio* non adeò inter se conveniunt Theologi nostri. Imò *Wottonus* noster ausus est dicere *nullum è nostris aut Pontificiis de Reconciliatione distinctè scripsisse, nec quomodo à justificatione discrepet. Pauciores* forsan ante id tempus quo hæc scripsit *Tractatus* integros *sub* hoc Titulo ediderant. At *plures* sub *Redemptionis* Titulo plura de nostrâ cum Deo *Reconciliatione* locuti sunt & scripserunt. Jam saltem satis multi de differentiâ inter *Justificationem* & *Reconciliationem* sententiam suam, eamque variam admodùm scriptis suis testatam nobis reliquerunt.

de Reconcil. parte 1. lib. 1. cap. 9. n. 6.

1. Aliqui enim *Reconciliationem Justificationis causam* esse volunt, ut ex eo quod Deus peccatori priùs reconciliatus fuerit, eum ad id consequenter justificet. Sic *Maccovius* *, & *Crellius.*

* *Loc. comm. pag. 679.*

2. Alii verò Reconciliationem Justificationis *effectum* esse malunt, ut peccatis in justificatione priùs remissis, ità demùm peccatori Deus reconciliaretur, & in gratiam rediret. Sic *Theologis Leydensibus* in *Synopsi* suâ *purioris Theologiæ* visum est, nec non *Forbesio* nostro, & cum eo *Essenio.*

Disput 33. §. 6. de justific. pag. 61. 66. 67.

3. Tertiò verò *Wottonus* * ipse *Reconciliationem Totum* facit, cujus *Partes Justificationem* & *Adoptionem* esse statuit, quam primâ, *Justificatione* scilicet eatenus Deo reconciliamur, quatenus eâ à *peccatorum reatu & pœnâ absolvimur*: *Adoptione* verò quatenus eâ *in Dei gratiam restituimur*, & ad vitam æternam hæreditariò obtinendam acceptamur; cujus sententiæ astipulatores accersit *Calvinum* & *Perkinsium.*

*Triumph. crucis p. 207 *de Reconcil. parte 1. l. 1. cap. 9.*

4. Quartò

4. Quartò denique *Ameſio* noſtro *Reconciliatio* & *Juſtificatio Rei* eadem ſunt, quæ vario reſpectu varia ſortitur nomina, nimirum, quatenus ſtatus peccati eſt ſtatus *reatûs*, ſic noſtra ab eo liberatio *Juſtificatio* dicitur quatenus verò ſtatus *inimicitiæ* eſt, eadem ab eo liberatio *Reconciliatio* vocatur. *Medull. l. 1. c. 27. §. 20. 22.*

Piæ quidem hæ ſententiæ omnes ſunt, quæ licet à ſe invicem aliquantum diſtent, nil tamen in ſe continent, vel ſanæ doctrinæ vel bonis moribus contrarium; adeoque cum de *Reconciliatione* jam agimus conſentaneum videtur de iis etiam *reconciliandis* & ferruminandis cogitare: quod citra aliquam veritati factam injuriam hoc modo ſatis commodè fieri poſſe videtur.

Priores enim duæ illæ ſententiæ, quarum una *Reconciliationem Juſtificationis cauſam*, altera vero ejus *effectum* eſſe ſtatuit, quamvis contrariæ prorſus videntur, cum tamen contraria *ad idem*, & *ſecundum idem* non ſolum de re eâdem, verum & eodem reſpectu ſumi debet: ſi *Reconciliationem* alio atque alio *reſpectu* conſideremus, ſententiæ iſtæ ſpecietenus inter ſe pugnantes amicè conſentire poſſunt. Reconciliatio enim conſiderari poteſt vel quoad *affectum*.

1. Reconciliationis effecta ut inter homines, ità & inter Deum & homines ſunt *conſociatio* Amoſi 3. 3. *Pax*, *Gaudium*, & his ſimilia. At hæc *Juſtificationem* ſequuntur, ejuſque effecta ſunt. *Juſtificati ex fide pacem habemus* Rom. 5. 1. προσαγωγὴν *& acceſſum* v. 2. & *gaudium ineffabile & glorioſum* 1 Pet. 1, 8. atque hoc ſenſu *Juſtificatio* hujuſmodi *Reconciliationis* ità ad ἀκμὴν *provectæ* atque effectis & indiciis hujuſmodi conteſtatæ *cauſa* eſt:

Si verò *Reconciliationem* quod ad *affectum* attinet ſpectemus, non negandum eſt *affectum* aliquem talem in Deo eſſe (ſic balbutire ſolemus, dum affectus Deo tribuimus) *juſtificationi antecedaneum*, quem & ejus *cauſam* eſſe dicere poſſumus. At verò de hoc etiam *affectu* diſtinguendum eſt.

2. Nam affectus iſte Reconciliationis intelligi poteſt vel de *Amore Benevolentiæ*, vel de *Amore Amicitiæ*. Reſpectu *Amoris Benevolentiæ* Deus hactenus nobis reconciliatus eſt *antequàm actu juſtificati ſumus*. Nam hoc ab *æternâ Electione* fluit. Inde fuit quod ſtatim poſtquam lapſi & Deo inimici facti ſumus, ex iſto benevolentiæ amore & nobiſcum in gratiam redeundi deſiderio, cum *inimicitias inter ſemen mulieris & ſemen ſerpentis poſuit*, *ſemen illud benedictum* ad redintegrandam *inter* nos & eum amicitiam priſtinam promiſit Gen. 3. 15. eum etiam ad hoc ipſum promerendum *in temporis plenitudine miſit* Gal. 4. 4. 5. unde *pacem per ſanguinem ejus factam* Col. 1. 20. & nos *morte ejus reconciliatos* eſſe legimus Rom. 5. 10. Eſt etiam quòd ex iſto benevolentiæ amore Deus ultrà procedat, atque nobis propiùs accedat, cum עֵת רָצוֹן καιρὸς δεκτὸς *tempus acceptum* appropinquat (ut *Stephanus* loquitur de *tempore promiſſionis* Act. 7. 19.) cum inquam Spiritum nobis jam miſſurus & nos converſurus & actu juſtificaturus quaſi in procinctu eſt, & ut *pater miſericors filio prodigo reditum jam meditanti* ſe *obviàm dare* paratus eſt; hæc omnia amorem benevolentiæ atque *Reconciliationis affectum*, juſtificationi antecedaneum ejuſque cauſam (ex eo enim quod ſic erga nos animatus & affectus eſt, nobis peccatorum remiſſionem, in quâ conſiſtit Juſtificatio, donat) apertè indicant: quibus tamen omnibus (ſi plenarium Reconciliatio- *2 Cor. 6. 2. Gneth. Ratſon.*

nis καταλλαγης spectemus) Deus *Reconciliabilis* potiùs quàm plenè & propriè *Reconciliatus* dici potest. *Reconciliabilis* inquam, sed non sensu *Arminianorum* qui dicunt *morte Christi Deum electis non magis quàm aliis omnibus tantùm reconciliabilem esse sub conditione ab ipsis liberè præstandâ quæ non obstante vel electione Dei, vel morte Christi à nemine præstari* possit; sed reconciliabilis respectu illius quod *ipse gratiâ suâ certo effecturus est in efficaci nostrâ vocatione* & justificatione, hoc est reconciliatione.

Plena enim & perfecta *Reconciliatio* non solum *amorem* istum *benevolentiæ*, sed & *amorem amicitiæ* in se complectitur, ubi in gratiam actu & de integro reditur, mutuaque amiciriæ cum beneficia tum officia habentur, præstantur omnia. At hæc *justificationis effecta* sunt, ut prius ostendimus. Unde constat *Reconciliationem* alio atque alio respectu & sensu sumptam justificationis *causam* esse secundum primam illam Theologorum aliquorum sententiam, atque illam ejusdem effectum secundùm sententiam aliorum.

At quid de *tertia* statuendum est, quæ *Iustificationem* & *Adoptionem partes Reconciliationis* esse voluit: *Partes integrales* intelligit Author ille hujus sententiæ, quas idcirco *membra* vocat, quasi ex *Iustificatione* & *Adoptione* Reconciliatio quasi totum *integretur*. Quod duplici Instantiâ illustrat, Prima servi est rei malè administratæ rei, è Familia Domini ob id ejecti, & in carcerem detrusi, qui tum demum *D*omino plenè reconciliari dici potest, cum non solum culpa ei remittitur, sed & insuper in eodem denuò loco & numero est apud Dominum, quo priùs fuerat. Altera *Absalomi* est, qui ob fratris *Amnonis* cædem Patris *Davidis* gratia & favore excidit, cujus cum eo reconciliationis partes vel gradus duo ponuntur, concessa scil. venia redeundi. 1. ad *domum suam* sine timore pœnæ ei ob homicidium debitæ, ubi *culpæ remissio* est *quæ justificationi* respondet. 2. ad *Patris aspectum* adeoque & *gratiam*, qua priùs fruebatur *ut filius*, cui συγχεῖ *Adoptio*, ut etiam cum Apostolus 1 Cor. 7. 11. *de uxore desertrice* in mandatis dat τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω *ut viro reconcilietur*, non solùm vult ut simultatem deponat sed etiam ut cum illo conjunctissimè vivat. Hæc singula λίαν ἐξετάζειν nolo, in quibus aliqua forsan sunt exceptioni obnoxia. Rem de quâ jam agimus quod attinet dico.

cap. 9. num.

2 Sam. 14. 24, 25.

1. Concedo ad *perfectam* Reconciliationem duo illa requiri, & culpæ veniam, & ad statum pristinum amoris & favoris restitutionem, ut allata exempla satis probant.

2. Fateor etiam in *Iustificatione* qnàm in *Adoptione* aliquid tale inveniri. Quamvis enim in *justificatione* solâ propriè reperiatur *culpæ venia* Rom. 4. 7. in utrâque tamen habetur *amoris redintegratio*, & Peccatorum ad *statum* ex quo exciderant *restitutio*, quatenus illâ ex *reis justi*, hâc ex *inimicis amici*, *filii* de integro efficiuntur. Atque hoc in sensu pro *partibus* vel *membris* Reconciliationem *integrantibus* (per me licet) habeantur. Quod tamen *Forbesius in varios errores introitum esse* dicit.

de justific. c. 9. pag. 26.

3. Illud tantùm moneo. Si quid ultra *veniam & redintegrationem* hanc accesserit, illud etiam Reconciliationi aliquid *superaddit*. Si servus fugitivus vel malè fidus non solùm culpæ veniâ & Domini gratiâ pristinâ renovatâ gaudeat (quæ totam Reconciliationis naturam explent) sed insuper *immunitate* vel *mercede* aliqua quam priùs non habuit de novo donetur, hoc *plus quàm* Reconciliatio

ciliatio est. Cum ergo *Wottonus* Reconciliationem definit esse *actionem Dei Patris, qua cum peccatoribus in Christum credentibus in gratiam redit ad vitam æternam illis impertiendam*, & *Perkinsius* (quem allegat) *duas* Reconciliationis *partes* constituit, *Remissionem peccatorum* (quæ in *justificatione* fit) & *acceptationem ad vitam æternam* (quæ in *Adoptione* includitur) Non negaverim *vitam* hanc in *cælis æternam* in Oeconomia Fœderis gratiæ *Reconciliationis Consequens* esse: non affirmaverim tamen eam in *formali ejus ratione* contineri. Nam *Reconciliatio* (ut *strictè* sumitur) est tantum in *pristinum favorem* & gratiam *restitutio*. At *Adamus* vel in statu *innocentiæ* ante præstitiam fœderis cum eo iniri conditionem *jus* non habuit ad vitam hanc æternam. Ex *nuda* ergo *Reconciliatione* neque ille neque fidelis quivis alius jus hoc assequitur, sed ex *Adoptione*, vel aliquo alio in Fœdere Gratiæ superaddito, adeoque neque ex Adoptione ipsa quatenus solummodò *Reconciliationis pars* est, & de communi ejus natura ex parte participat, sed ex *ulteriori* ejus *differentia*, quod an etiam de justificatione dici possit, difficilis magis est quæstio. Sunt enim qui justificationem *solius passivæ Christi obedientiæ imputatione* & in sola *peccatorum remissione* positam esse volunt. Quod si verum esset, optimè quoad hoc *Justificatio* cum *Reconciliatione* conveniret: si enim *Reconciliatio* solam *in statum pristinum restitutionem* denotet, sola peccatorum remissio nil restitutioni illi superaddit. Sunt verò qui secundam justificationi partem adjiciunt, *jus* scilicet *ad vitam æternam collatum ex imputatione activæ Christi obedientiæ*. Et sic quidem *Justificatio* in hoc *Adoptioni* quadraret, at *Reconciliationis nudè sumptæ* limites excederet, quia *nudam solam* in statum pristinum *restitutionem*. Sed commodior de hac re dicendi locus erit, ubi ad quæstionem illam deventum erit, *An justificatio sit ex solius passivæ Christi obedientiæ*, vel etiam & *activæ imputatione*.

de Reconcil. parte 1. *l.* 1. *c.* 1. *num.* 2. *De rectâ cognitione Christi crucifixi.*

Restat quarta illa *Amesii* sententia, quæ dicit *Justificationem* & *Reconciliationem rem eandem* significare, secundum variam tamen considerationem; quatenus *liberatio* hæc è *statu reatûs* est, *Justificationem* dici, quatenus verò è *statu inimicitiæ*, vocari *Reconciliationem*. Et quidem utriusque & *Justificationis* & *Reconciliationis* eadem est causa θεοπροβολή Dei Patris δόδοκία, θεανθρωπικὴ *meritum Filii*; Instrumentalis *Fides*; Finalis *Dei Gloria* & *Electorum salus*; eadem essentia, saltèm communis, *liberatio à statu peccati & iræ*; eædem etiam partes integrales, hæ *Perkinsio* sunt *Remissio peccatorum*, & *acceptatio ad vitam æternam*, quæ ipsissimæ (prout plurimi volunt) *justificationis partes* sunt *constitutivæ*. Quid ergo impedit, cum omnia hæc in utrisque eadem sunt, quin & eæ ipsæ idem sint? cui suffragari etiam videtur Apostolus 2 Cor. 5. 19. ubi *Reconciliationem* ex eo describit quod *justificationi* proprium est ὁ Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. At si quomodo hoc fit, quæras; respondet, *non reputans*, vel *non imputando eis offensas eorum*; ac si quod Reconciliationis est, id totum *non imputatione peccatorum* consisteret, quod propriissimè *Justificationis* beneficium est. Agnosco quidem, verba illa μὴ λογιζόμενος *non imputans peccata* (quod ad Phraseologiam attinet.)

Possunt vel *causam* denotare, quod ex eo quòd Deus *peccata eis non imputaverit*,

verit, ejus cum eis *Reconciliatio* tanquam *effectum* sequatur;

Vel etiam *effectum* designare possunt, quasi quòd Deus iis *reconciabilis* esset & in *gratiam rediit*, ex eo consequenter & per modum effecti *peccata eorum remiserit.*

Possunt tamen (secundùm quartam hanc sententiam) & *formalem Reconciliationis actum* exprimere, acsi *reconciliari* & *peccata non imputare* (quod propriè *justificare* est) idem quoad rem prorsus sint, quamvis variè considerari possint, quatenus res in se distinctas, at in subjecto (peccatore scilicet) conjunctissimas, *reatum* (dico) *inimicitias* spectant. Et sic quidem quamvis *Justificatio* & *Reconciliatio* quoad *rem* eædem sint, & *tempore simultaneæ*, quoad hunc tamen varium considerandi modum ut *reatus inimicitias* ut eorum causa antecedit, sic *Justificatio* ordine naturæ *prior* esset quæ *reatum* tollit; *Reconciliatio* ut ejus *effectum sequeretur*, quæ propriè tollit *ex reatu ortas inimicitias*. At quomodo alio atque alio sensu & antecedere & sequi possint priùs ostendimus, ubi de reconciliandis duabus illis primis de hâc re sententiis diximus. Non est ergo quòd huic diutiùs immoremur.

Est potiùs (quod mantissæ loco adjiciam) est inquam quod πολυποίκιλον Dei σοφίαν & χάριν πάντα νῦν ὑπερίχουσαν venerabundi suspiciamus, cum ea *conjuncta certo habeamus*, quæ non adeò *distincte explicare* possumus. Ità hæres infans *nummos* eos *habet* quos *numerare non potest*, ea latifundia, quorum terminos & limites nequit describere. Tales nos dum hîc sumus, infantuli sumus; tanta contrà tamque *impervestigabilis* est Dei in Christo erga nos bonitas & munificentia; ut ejus dona *possidere*, *sentire* possimus, at ea plenè & *distinctè intelligere* non possimus, nedum clarè eloqui, secundum illud Apostoli & Prophetæ 1 Cor. 2. 9. „ *Quæ oculus non vidit, non auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt præparavit Deus iis qui diligunt eum.*

Atque hæc tandem dicta sunto de *Justificatione* cum *Reconciliatione* collatâ.

Adoptio. Tertiò inter eam & *Adoptionem* instituatur collatio. Et primo inter has duas magna intercedit necessitudo & agnatio.

vide Forbesium cap. 19. 1. Quòd utraque κτιστὴ & *relativa* sit, quæ nil absolutum & subjecto inhærens ponit, ut *Regeneratio* & *Sanctificatio*. Hinc S. Scriptura de his agens hac phrasi utitur quod *simus filii Dei in Christo* Gal. 3. 26. Et *in Christo* etiam *Dei justitia* 2 Cor. 5. 21. *Pontificii* contrà, quibus formalis Justificatio & Adoptio totaliter consistit in *gratia nobis indita* & *inhærente*. Duplici quidem Titulo (eoque idcirco & illustriore & firmiore) *Dei filii sumus*, nimirum *Adoptione* (unde *Adoptionem filiorum recipere* dicimur Gal. 4. 5.) & *Regeneratione* (unde *Dei Filii* facti dicuntur Johan. 1. 12. qui v. 13. ex *Deo geniti* sunt) At *Regeniti* dicimur, quatenus divina naturæ *inhærenter* participes efficimur 2 Pet. 1. 4. & impressa cælestis Patris nobis imagine & sanctitate similes reddimur 1 Pet. 1. 14. 15. At *Adoptio* cum solùm *relativa* sit, & in sola *reputatione* consistat, *statum* quidem, at non *naturam* intrinsecè mutat, prout in filiis *hominum Adoptivis* fit. Illud tamen hic monendum est, quod *Adoptio humana extrinseca* tantùm sit *denominatio* & communicatio eorum quæ sunt *externa*, sed *Adoptio*, licet in se formaliter tantum sit, *realis* tamen relatio est, quæ in *intrinseca* fundatur *actione*, in *regeneratione* scilicet, & *communicatione novæ vitæ internæ.*

Coru. à Lapide in 2 Pet.

relatio.

vide Amesium medul. l. 1. c. 28. §. 10.

1. In

2. In plurimis aliis etiam conveniunt. Si enim *Wottoni* prior illa sententia obtineat, ut *Iustificatio & Adoptio Reconciliationis species sint*, necesse est (prout in omnibus *speciebus* accidere solet) ut omnia quæ naturam earum generalem spectant utrisque communia atque eadem sint.

Eadem causa *efficiens*, Deus *Pater in Christo* Ephes. 1. 5. per *Spiritum*, qui ideò *Spiritus Adoptionis* vocatur Rom. 8. 15. eadem causa *meritoria* amor Dei gratuitus 1 Johan. 3. 1. & *meritum* Christi meritum Hebr. 2. 14 Gal. 4. 4, 5. & *instrumentalis*, *fides* scilicet, per quam & *justificamur* Rom. 5. 1. & *jus filiorum* accipimus Johan. 1. 12.

Eadem etiam *materia*, idem *subjectum*, eædem nimirum personæ. Quoad Deum *electi* & ad vitam prædestinati; hi soli *justificantur* Rom. 8. 30. & in *filios Adoptantur* Ephes. 1. 5. in se rei & *impii* Rom. 4. 5. & *hostes* Col. 1. 21.

Eadem etiam utriusque *graduum varietas*.

Justificatio enim primò considerari potest in *Decreto Divino*; sic & *Adoptio*. *Prædestinavit nos, quos adoptaret in filios* Ephes. 1. 5. secundò *in Christo* spectatur Justificatio quoad *impetrationem* justificationis. Idem etiam de *Adoptione* dicitur. *Emisit filium suum ut Adoptionem acciperemus* Gal. 4. 4, 5. Tertiò maximè *formaliter Iustificatio* consideratur in *nobis ubi jam peracta est*. Sic & *Adoptio*. *Quoniam autem estis Filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, &c.* Gal. 4. 6. Ultimò *Maxima* coràm omnibus Iustificationis nostræ *manifestatio ultimo* die futura est, ut & *Adoptionis*, quæ ideò *ἀπολύτρωσις Adoptio* nostra dicitur; *Expectantes Adoptionem nostram, redemptionem corporis nostri* Rom. 8. 23. Sunt etiam qui eundem utrique *fructum* assignant, *jus* scilicet *ad vitam æternam*. De *Adoptione* in aperto est. Si *Filii, & hæredes* Rom. 8. 17. Hoc jus etiam illi alteri *Iustificationis* parti (quæ in *imputatione activæ Christi obedientiæ* consistit) tribuunt summi Theologi, refragantur tamen alii; de quo in posterum, cum de hâc Controversiâ (favente Deo) agemus, plura dicenda sunt. In his igitur, & in aliis forsan his similibus conveniunt *Iustificatio* & *Adoptio*.

At in his distinguuntur à se invicem.

1. Justificatio *justitiam* spectat, Adoptio *amicitiam*; Iustificatione *reatus* tollitur, Adoptione *inimicitia*. Illâ anteà rei, *recti in curiâ* in foro *Divino* constituimur Rom. 4. 7. hâc *amici Dei* efficimur Johan. 15. 15. *Filii & hæredes Dei, fratres & cohæredes Christi* Rom. 8. 14, 15, 16, 17. Heb. 2. 10, 11. ut si quis Idem & Judex & Pater filium haberet qui noxæ reus esset, eoque nomine ei ut Judici, & sententiæ ejus damnatoriæ obnoxius, cui etiam quà pater infensus erat, eumque planè abdicaverat. Hunc (à Sponsore præstitâ legi satisfactione & soluto pretio) non solùm ut *Judex* à *reatu* & pœnâ *absolvit*, cui *Iustificatio* respondet; sed ut *Pater* cum eo in *pristinam gratiam redit*, neque solùm ut *filium* denuò agnoscit, sed & *patrimonii longè amplioris* quàm ad quod priùs natus erat, *hæredem* constituit. Hoc præstat *Adoptio*, unde

Arminius Justificationem ad communicationem mortis Christi, Adoptionem ad communicationem vitæ Christi refert. Disp. privat. Thes. 48. *n.* 1. *secundùm Forbesii sententiam*

Adoptio nos filios facit, Justificatio cum aliis filiorum prærogativas confert, & Dei Filio nos conformes reddit. Adoptione Deus nos unum cum Filio facit, Justificatione unum cum seipso. De justific. cap. 19. *p.* 67.

2. Secunda inter illas hæc oritur differentia quod justificatio *minus* quid dicat, Adoptio *sublimiorem* dignitatis & excellentiæ modum adjiciat. Magnum quidem est si Rex perduellioni *veniam dederit*, & à reatu & pœnâ eum absolverit, sed longè majus, si illum ultrà *in filium* & *regni hæredem adoptaverit*. Idem hîc nobis obvenit, *ut eos qui legi subjecti erant redimeret, ut adoptionem acciperemus*. Sic Apostolus Gal. 4. 5. *sub lege* erant non solùm Judæi quod ad *umbratilem* illam *pædagogiam* attinet, sed etiam sub *maledictione ejus, utpote peccatorum rei*, in universum omnes. Ingens beneficium erat nostra ab eâ redemptio & liberatio. Hanc quoad *meritum morte* suâ nobis præstitit *Christus*; at quoad *efficaciam* in *Justificatione* nostrâ. At hoc magnum præstitit, ut vel adhuc majus præstaret. τὸν νόμον *de sub lege* (si ità loqui liceat) pro nobis moriendo, nosque justificando redemit, liberavit, ut *adoptionem* reciperemus, atque exinde per eum longè *illustriorem* quàm in *Adamo* primitus habuimus *Filiationem*.

Amesius medul. l. 1. c. 28. §. 8.

3. Unde tertia etiam apud plerosque Theologos exurgit inter *Justificationem* & *Adoptionem* differentia, quæ earum inter se *naturæ prioritatem & posterioritatem* spectat, quæ quamvis *quoad tempus* (ex omnium consensu) *simul* sint, at plurimi *Justificationem* quoad *naturæ ordinem Adoptionem priorem* esse statuunt. Id clarè asserit *Wottonus* de *Reconciliatione* parte 1. lib. 1. cap. 9. num. 6. *Spanhemius Adoptionem* inter *Justificationis effecta* ponit Disput. Theolog. parte 1. Disp. de Justificatione 1. num. 21. & 2. num. 14. *Amesius* (Medullæ lib. 1. cap. 28.) „ *Justificatio* fundamenti rationem habet, quia per *fidem* & „ *fidei justitiam jus Adoptionis* acquiritur Johan. 1. 12. Quamvis enim sequatur „ *ex fide*, non tamen ità immediatè quin intercedat *Justificatio*. *Adoptio enim* „ *prærequirit & præsupponit reconciliationem illam quæ in Justificatione reperi-* „ *tur*. Priùs veniam dat & absolvit Deus, & tum demùm pro amico & filio habet. Et sic *humana* Adoptio à *Divinâ* differt, quòd *humana sit personæ quæ* „ *nullum jus habet*, at Divina earum personarum est, quæ licet in se nullum „ jus habent, *Regenerationis tamen & Justificationis virtute jus* hoc *sibi* habent „ *adjudicatum*. Hæc ille. Huic sententiæ accedere videtur *Arminius*, qui *Justificationem* inter *fructus communicationis mortis Christi* primò ponit: *Adoptionem* verò inter *beneficia* ex *communione vitæ Christi orta* enumerat Disp. privat. Thesibus 46. & 47. eamque Justificationi junctam esse dicit Thes. 49. n. 8. *Ecclesia etiam Anglicana* Artic. 17. ubi prædestinationis effecta ordine ponit, *Justificationem* præponit *Adoptioni*.

M. Sym ponit Adoptionem ante Justificationem in Tractatu de ἀναγκείᾳ cap. 5. §. 9. p. 34.

At *Calvinus Institution.* lib. 2. cap. 12. cum duo esse dicit Reconciliationis nostræ cum Deo capita, primo loco ponit sic in Dei gratiam restitui ut ex filiis hominum illius filii fiamus (quod *Adoptionem* sonat) dein alterum addit, ut qui suâ se inobedientiâ perdiderunt, remedii loco obedientiam (Christi) opponerent, quod in *Justificatione* fit. Ex quibus verbis (quæ tamen καὶ λέξιν apud *Calvinum* loco allegato non invenio) *Wottonus* collegit *Calvinum* in hâc sententiâ fuisse, ut *Adoptionem Justificatione* naturâ *priorem* esse statuat. At hoc *Forbesius* in doctissimo ejus de Justificatione Tractatu apertè asserit, & multis propugnat:

Statuit enim *Adoptionem esse immediatum fructum fidei, quâ Christo primò unimur & conjungimur, Justificationem verò fidei fructum mediatum esse*, mediante

diante (scilicet hâc unione cap. 14. *Adoptionem* etiam *rem primariam* esse vult ut propriam ad *quam prædestinamur*, (quod probat ex Ephes. 1. 5. ἀποστόλους ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Prædestinavit nos in Adoptionem per Jesum Christum*) adeò ut decretum de Adoptione præcedat decretum de omnibus aliis beneficiis in nos per Christum collatis, imò ipsam Christi nobis in Mediatorem prærordinationem cap. 25. *fundamentum* esse statuit omnium *reliquorum beneficiorum* cap. 8. & in *quâ Christus nobis primò manifestatur* cap. 23. *Adoptionem* enim *idem* esse vult *cum vocatione efficaci* cap. 13. aliquandò *in vocatione peragi*, in quâ primò ad Filium adducimur cap. 10. aliquando etiam *vocationem* vel *rem eandem* cum *Adoptione*, vel saltem *primam ejus partem* vel *initium* esse dicit cap. 15. Quod si verum fuerit, res planè confecta erit. In vocatione enim Junius regenerationem; primam meritorum Christi applicationem nobis factam esse fatentur ferè omnes, eamque omnibus aliis in nos collatis beneficiis adeoque & (inter ea) *Justificatione* priorem esse plures asserunt.

Restat igitur ut quid utrinque dictum est expendamus quò meliùs innotescat, utrùm *Adoptioni* an *Justificationi* assignanda sit *naturæ prioritas*.

1. Et primò, Quod ad illud attinet quod *Forbesius* pro suæ sententiæ fundamento ponit, *Adoptionem* (scilicet) *rem eandem esse cum efficaci vocatione*, vel *in eâ vocatione peragi*, vel *vocationem Adoptionis primam partem vel initium esse*.

1. Videntur duo hæc posteriora effata parùm secum consistere. Si enim *Adoptio vocatione peragatur*, vel *eadem prorsus cum eâ esset*, vel ut *pars* in eâ ut in *toto* comprehenderetur; Hoc contrarium omninò est ei quod ultimò dicit, nimirum *vocationem* tantùm *primam Adoptionis partem* & *initium* esse, ac si *Adoptio* plus in se haberet, & ultrà se extenderet, quæ quidem ejus sententia est.

2. *Adoptionem rem prorsus eandem cum vocatione* esse, quod primò dixerat, non adeò verè dictum videtur quia *Adoptio* (vel ipso fatente) prorsus χτικὴ & *relativa* sit; at *vocatio efficax* (saltem ut passivè sumitur) quatenus per fidem Deo vocanti respondemus & accedimus, *aliquid in nobis inhærens*, aliquid certè *reale in nobis*, à *nobis factum* & productum denotat. Cap. 19.

Si verò objiciatur in aureâ illâ Apostoli catenâ Rom. 8. 30. *quos prædestinavit, eos etiam vocavit, quos autem vocavit, eos justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit*, *Adoptionem* (quæ neutiquam excludi debet) in *vocatione* includi, adeoque cum *eâ eandem esse*, & *Justificationem præcedere*; Obj.

Responsio facilis est, eaque duplex Sol.

1. Quòd in summulis hujusmodi, & contractioribus rerum enumerationibus, ex eo quòd res una alterius nomine includatur & subintelligatur, non sequitur ejus cum eâ *Identitas*. Quod vel ex illo ipsissimo loco clarè constat. Cùm ab illâ siquidem *catenâ Sanctificatio* minimè abrumpenda sit, vel sub *vocatione* utpote ejus initio, ut aliqui volunt, vel sub *Glorificatione* (ut alii) quæ ejus perfectio & ἀποτέλεσμα est, subintelligenda est. At ab utraque earum satis *distincta*, cum neutra prorsus *eadem* est.

At dices, licet non cum *vocatione* omninò eadem sit *Adoptio*, si tamen

ejus nomine subintelligatur, Justificatione saltem prior erit, quia quos (tanquam *à priore*) *vocavit*, & (quod includitur) *adoptavit*, eos (tanquam ex *consequente*) *justificavit*. Ideo

2. Responsio hæc sit. Si *Adoptio* sub harum alicujus nomen-clatturâ necessariò subintelligenda sit, nil est quod cogat ut hoc sub nomine *vocationis* fiat. Est quod saltem suadeat id potiùs fieri sub nomine *Justificationis*, cui Adoptio soror licet junior sit, at gemella admodùm & indivulsè conjuncta, cum utraque χαριτων sit, atque ut ex illa *justi reputamur*, ità ex hac *filii & hæredes*: quod jus ad hæreditatem cælestem nanciscimur, Hoc *Adoptioni* debemus. Rom. 8. 17. quod tamen *Justificationis* parti illi, quâ *activa Christi obedientia* nobis *imputatur*, acceptum ferunt Theologi doctissimi; de quo posteà.

Ità ut citrà vel minimam vel veritati vel menti Apostolicæ factam injuriam verba illa hoc modo interpreteris: *Quos vocavit eos justificavit*, hoc est *& justos & filios reputavit*, *reatum* primò, & exinde *inimicitias* abolevit. Illud *Justificationis* strictè & formaliter sumptæ proprium, hoc ei immediatè annexæ *Adoptioni*.

2. Secundò cum dicit Vir doctus *Adoptionem immediatum esse fructum fidei*, qua *Christo primò unimur*, *Justificationem* vero *fidei fructum mediatum*, mediante scilicet hac unione;

Dico.

1. Unionem cum Christo esse fructum immediatum fidei, siquidem eâ solâ *Christum primò excipimus* Johan. 1.12. adeoque *cum eo unimur*. Ephes. 3. 17.

2. Hanc cum Christo per fidem unionem primitùs fieri in *vocatione efficaci*, per quam ad Christum accedimus 1 Pet. 2. 4. eumque in Evangelio nobis gratis oblatum grati accipimus.

3. Concedo *Justificationem* esse *fructum* fidei mediante hac (quæ in vocatione facta est) *unione*, quia *quos priùs vocavit*, *eos* exinde *justificavit* Rom. 8. 30.

4. At *Adoptionem* ità *immediatum* esse fidei *fructum* ut *eâ primò Christo uniamur*, atque ità eâ mediante justificemur minimè concedendum puto, imo potiùs cum *Amesio* contrà statuendum censeo, *Adoptionem* ex fide quidem sequi, non ità tamen immediatè, quia intercedat *Justificatio*, quod in ulteriore hujus sententiæ expositione magis patefiet.

3. Illud interim quod 3^tio loco dicit Adoptionem esse *rem primariam ad quam prædestinamur* parùm invictè probat ex Ephes. 1. 5. quia ibi tantùm dicit Apostolus Deum *nos prædestinâsse ad Adoptionem*: Eâdem siquidem ratione contra eum aliquis probare possit (quod quidem verius est) nos ad *salutem* primariò prædestinatos esse, quia fideles ad *vitam æternam ordinati* dicuntur Act. 13. 48. Quæ loca nos ad Adoptionem & vitam æternam prædestinari dicunt, at *ordinem* vel Decreti vel ejus executionis non dicunt, quasi ex hoc dicendi genere constaret *Adoptionem primum* esse Decreti *effectum objectivum*, quod potiùs *saluti* vel *vitæ æternæ* convenit, quam in *primo signo rationis* Deus in electione decrevit. Imo contrarium suæ sententiæ hinc sequetur. Si enim (prout ille vult) *Adoptio* cæteris *prior* sit in *Decreto*, *posterior* erit in *executione*,

ut

ut *æterna salus* quæ in *Decreti intentione prima* fuit, in *ejusdem executione ultima est*. Ipse etiam *Vir doctus* vult *Decretum Adoptionis* antecedere *Decretum de Christo Mediatore*. At *Christus* in *Decreti executione* nobis *priùs* datur quàm *Adoptio*. Cap. 8.

4. Quartum verò illud quo *Adoptionis* prioritatem astruere vult, nimirum quod *Decretum de Adoptione* non solùm præcedat Decretum de omnibus aliis beneficiis in nos per Christum collatis, sed & *ipsam Christi nobis in Mediatorem præordinationem*, magis videtur à veritate absonum. *Electionem* quidem ad *vitam æternam antecedenter* se habere ad *decretum de Christo Mediatore* ultrò fatemur, cum illa de *fine* sit, hoc de *medio ad finem*. Et quamvis in *Christo* nos *electos* dicit Apostolus Ephes. 1.4. non illud vult quòd *Christus* sit vel *fundamentum* vel etiam *causa* ἀναπόδειπτος *Electionis*, quam totam ad εὐδοκίαν αὐτοῦ refert v. 5. ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ in seipso Pater v. 9. quamvis ἐξελέξατο ἐν αὐτῷ in Christo Filio v. 5. Si verò *Decretum de mediis* ad hunc finem (quod prædestinatio est) spectemus, hîc *Christus* (prout decet) *primas tenet*. Hic primò *caput novi Fœderis* constituitur, quò in gratiam rediremus Isa. 42.6. Hic *victima expiatoria* designatur, quâ in *Justificatione* à reatu absolveremur Ephes. 5.2. Hic *Filius dilectus* agnoscitur, *in quo* (quod ad *Adoptionem* spectat) & nos *filii* & *hæredes* fieremus gloriæ illius ad quam antecedenter electi fueramus Ephes. 1.5. *Filius nobis datus est* Isa. 9.6. *Christus nobis Sapientia, Justitia, Sanctificatio, Redemptio, omnia nobis factus est*, ut *nos in eo omnia* 1 Cor. 1.30. Col. 3.11.

Sed missis his quæ ad sententiæ suæ explicationem proposuit, expendamus ea quæ ad ejusdem confirmationem adducit argumenta. Ea plura sunt.

Primò Adoptionem Justificatione ordine priorem esse probare conatur ex *ordine Trium in Deitate Personarum*, earundemque operationum; & sic instituitur argumentum. *Arg* 1. *Cap.* 10.

Eæ Gratiæ operationes quæ præcipuè & magis propriè tribuuntur *primæ Personæ*, ordine *priores* sunt eis quæ conveniunt *secundæ*, vel *tertiæ*. ordo enim in operando respondet ordini in existendo.

At *Adoptio* est Gratiæ operatio, quæ præcipuè & magis propriè tribuitur *primæ Personæ*. *Pater* enim is est qui propriè *adoptat in filios*, cum pater & filius correlata sint. *Justificatio* verò (cum per *Redemptionem* fiat Rom. 3.24.) *Redemptori*, id est, *Secundæ Personæ* convenit, ut *Sanctificatio* & Glorificatio (quæ in se Sanctificationem comprehendit) *Spiritui Sancto*, *Tertiæ* scilicet *Personæ*, prout hunc ordinem servat Apostolus Rom. 8.30. *Quos prædestinavit eos vocavit*, scilicet *Pater*, unaque *adoptavit*; *quos vocavit justificavit* scilicet *Filius*, quos *justificavit*, *glorificavit* & sanctificavit *Spiritus Sanctus*. 1 Pet. 1.3.4. Gal. 4.4.3.

Ergo (ut *Pater prior* ordine est *Filio* sic) *Adoptio*, quæ *Patris* opus est, prior *Justificatione*, quæ opus *Filii* est.

Respondeo. *Responsio.*

1. Quod ad *majorem Propositionem* attinet, fateor lubens eam passim apud Theologos obtinere; *ordinem scilicet operationum* (præcipuè externarum) *sequi ipsarum Personarum ordinem*, ut operatio primæ Personæ prior ordine sit operatione secundæ, atque ità *Electio* & *Creatio* (quæ operationum omnium

primæ sunt) *primæ* Personæ tribuantur, *Redemptio*, *Justificatio secundæ*, *Sanctificatio tertiæ*. Cum tamen *Operationes ad extra indivisæ* sunt & *communes* omnium, non adeò acriter postulato illi insistendum esse judicò, ut inde dirimenda sit vel ista vel res alia quævis in se satis controversa.

Præcipuè cum ad Divinæ electionis executionem & hominis lapsi restaurationem acceditur, in quâ *primas tenet secunda Persona* Christus mediator; atque in hoc operationum genere post ejus ad hoc munus obeundum à Patre missionem ipsa *Redemptio* omnium *prima* est, quæ tamen *Redemptoris*, hoc est *secundæ Personæ* suo modo propria est atque ipsam *Adoptionem antecedit*, quam Ille *primam* & *primæ Personæ propriam* esse contendit. Sic etiam *vocatio efficax*, quæ nil aliud est quàm *inchoata Sanctificatio*, atque ità *tertiæ Personæ* suo modo *propria*, non ideò inter operationes *ultimas* numeranda est, quæ revera *prima* est (vel ipso fatente) & antecedit cum *Adoptionem* quam ille primæ Personæ appropriare vult, tum *Justificationem*, quam secundæ tribuit. Mutuò in his omnibus & connexis operis conveniunt Sacrosanctæ Personæ omnes: à Patre, in Filio, per Spiritum; à *Patre originaliter*, *per Filium meritoriè*, *per Spiritum operatoriè*. fiunt hæc singula, nimirum Redimimur, Justificamur, Adoptamur, Sanctificamur, & quæ sequuntur reliqua. Adeò ut ex his *Personarum operantium ordinem* magis quàm *operationum* dignoscere possimus, vel potiùs *Personarum operantium*, atque etiam operationum suarum ordinem, at non æquè *rerum* ex his operationibus *productarum*, prout in rebus vel naturâ vel arte factis usu venire solet, ubi *plures causæ* quamvis inter se *subordinatæ unà* tamen & *simul* effecta comproducunt; *subordinatio causarum* non simul infert *effectorum* hujusmodi *subordinationem*.

2. At ad *Minorem* argumenti accedamus. Dicit *Adoptionem* propriè Patris esse; cum *pater & filius correlata sint*. Justificationem verò quia per *Redemptionem* fit Rom. 3. 24. *Redemptoris* esse qui Filius est, ideóque *Justificationem Adoptione posteriorem* esse, prout *Filius Patre* est. Plura quæ reponam habeo

1. Pater non ità seorsim & *separatim* nos *Adoptat*, ut *excludatur Filius*, qui licet ex *naturâ* suâ *Patris* Filius sit, nobis tamen ex *gratia* & ipse *Pater* est *Ab Gnolam* אב עולם *Pater æternitatis* Isa. 9. 6. Neque exstimandum est cum passim in Scripturis Deus *Pater noster* dicatur, & nos *filii* Dei vocamur, Patris vocem semper hypostaticè & *personaliter*, sed aliquando *communiter* sumi debere, & de omnibus Personis intelligi. 1 Johan. 3. 1, 2.

Verum quidem est *patrem & filium correlata esse*, ità ut filius sit patris filius; at verò jam quæritur quisnam ille *pater* sit, cujus respectu nos *filii* dicimur, annon pater *essentialiter* sumptus, quod credimus; an tantùm *hypostaticè* pro *primâ Personâ*, quod ipsi probandum restat. Non quidem negaverim *nos per Filium esse Patris filios*, neque tamen inde negatum vellem *Patris Filium nobis Patrem* esse. Patris filii sumus per *Filium* ut per *Mediatorem*, qui tamen *Filius* nobis *Pater* est ut in se *Deus*.

In hâc nostrâ Filiatione Sacrosanctæ Personæ unà operantur omnes, ut clarè nos docet Apostolus Gal. 4. 4, 5, 6. *Misit Deus Filium suum ut adoptionem* (vel *filiationem*) *acciperemus*. *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* ἐξαπέστειλεν *misit*, imò

προώρισεν *prædestinavit Pater* Rom. 8. 29. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ Ephes. 1. 5. *Prædestinavit*, inquam, & *misit Pater*; at *meruit Filius*, ut & *obsignat*, & certiores de eâ nos reddit *Spiritus Sanctus*. Quod neque ità intelligi debet quasi

Vel Spiritus Sanctus *tantùm* obsignando ad filiationem nostram conferat, cum ex *Spiritu* tanquam causâ Physicâ & primariò operante *regeniti* sumus Johan. 3. 5. atque ità ex *vi* ejus *productivâ filii Dei* efficimur.

Vel *Filius* illius *sola causa meritoria* sit, quin (ut ità dicam) & *decretoria & constitutiva*. De eo siquidem dicitur Johan. v. 12. *Quotcunque autem eum exceperunt* ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι *dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

2. Secundum quod respondemus est, quod concedatur licet Patrem solum nos adoptare in filios (quod speciali aliquâ ratione eum facere ultrò concedimus) non inde tamen probabitur *Adoptionis* præ *Justificatione prioritas*, cum *æquè justificat* ac *adoptat*. *Adoptat Pater*, hoc *meretur* Filius, *obsignat* Spiritus. Eodem prorsus modo *justificat Pater*, hoc *meruit Christus*, *obsignat Spiritus*, ut utrobique eadem omnino sit ratio, neque quoad hoc prioritas aliqua vel posterioritas. *Adoptat Pater* ut summus *Pater-familias*, *Justificat* idem & peccata condonat, ut summus *Judex* vel *Rector*.

Quamvis enim Filius ad nos justificandos obedientiam præstitit, hostiam expiatoriam obtulit, adeòque *Justificationem meruit*, secundùm illud Apostoli Rom. 4. 25. *qui traditus est propter Justificationem nostram*; quod tamen ad οἰκονομίαν Gratiæ attinet vix vel rarissimè in Sacrâ paginâ *Filius Justificare* nos dicitur ut annotârunt Theologi) qui tamen *potestatem nobis dare ut filii Dei vocemur* (hoc est *Adoptare*) exertè (prout jam habuimus) dicitur. In istâ enim οἰκονομίᾳ *Filius Mediatoris* partes agit, *Pater Rectoris* & *Judicis*. Ut in isthoc *Adoptionis* negotio, si τὸ ῥητὸν Sacræ Scripturæ attendamus eadem, si non potior, sit Filii quàm Patris ratio. *Ravanellus. Leydenses in Synopsi.*

3. Quod vero ad argumenti sui confirmationem adducit ex Rom. 8. 30. *Quos verò prædestinavit eos etiam adoptavit*, id est (eo saltem interprete) *Patre*. *Quos vocavit eos etiam justificavit*, scilicet *Filius*. *Quos autem justificavit eos etiam glorificavit*, nempe *Spiritus Sanctus*; unde & tres Personas, earumque cum subsistendi tum operandi ordinem exsculperet, æque adeò *Adoptionem* sub *vocatione* contentam *primæ Personæ* assereret, indeque eam *Justificatione priorem* esse probaret, quia *Justificatio* ibi sequitur tanquam *secundæ Personæ* propria; atguta & coacta & nihil certi solidi habentia mihi videntur hæc omnia. Nam

1. Quamvis nullam lubens vellem *Sacrosanctæ Trinitatis* ex quovis Scripturæ loco ritè exposito probationem rejicere, ne crimini illi meritò obnoxius sim, ob quod *Calvinus* immeritò, sæpiùs tamen *Hunnio*, *Lutheranis* & *Pontificiis* vapulat; nollem tamen, cùm plurima ad eam confirmandam *aperta* sint in Sacrâ paginâ testimonia, nollem, inquam, ut *dubia*, *incerta* & quæ aliter rectè exponi possint, invito & obtorto collo huc trahantur, ne *Judæis* & *Antitrinitariis* & scandalo simus & ludibrio. Quod forsan & hîc fiet, si ex illo Apostoli dicto *Personarum Trinitatem* expiscari vellemus. Nam hîc ex Apostoli mente & verbis etiam & prædestinat & vocat & justificat & glorificat *unus idemque* Deus, nullâ vel expressâ vel spectatâ *Personarum distinctione*.

2. Nul

2. Multò minùs harum *Personarum vel subsistendi vel operandi ordinem* hinc eruere possumus, quasi *prima Persona primò* nos *vocaret*, exinde *secunda* nos *secundò justificaret*, atque ità tandem *tertiò* nos *glorificaret tertia*. Nam *tertia Persona* nimirum *Spiritus Sanctus* propriè nos efficaciter *vocat & regenerat*. Pater, qui *prima Persona est*, & Judex & Rector propriissimè nos *justificat*, sicut unà cum *Filio* æquè ac cum *Spiritu Sancto* nos *glorificat*.

3. Minimè omnium hinc conficienda est *Adoptionis* præ *Justificatione prioritas*, cujus hîc nulla expressa fit mentio & subintelligatur licet, non tamen sub *Vocationis* nomine (ut contendit doctissimus ille Vir) contineri, sed potiùs sub *Justificatione* Adoptioni pluribus nominibus gemellæ & conjunctissimæ satis (ut opinor) priùs ostendimus.

Atque hæc ad primum ejus argumentum satis superque.

Argum. 2. Secundum verò ità se habet. *Quod in Christo præcessit, idem & in nobis præcedere debet.* At *in Christo Filiatio prima omnium præcessit. Ergo etiam in nobis*; ut primò scilicet per Adoptionem Christi fratres facti, Dei per Christum filii priùs fiamus, quàm Redemptionis, Justificationis, Sanctificationis, reliquorumque ex Adoptione profluentium beneficiorum participes simus.

Minorem propositionem multis astruere conatur.

1. Primò ex eo quod Christus *primâ* ipsius *Incarnatione Dei Filius* factus est. At *Redemptor*, & in Justificatione *justitia nobis factus* est suâ (quæ *incarnationem* ipsius posteà *secuta* est) *vitæ mortisque obedientiâ*. *Cap. 11.*

2. Præterea *Redemptor* nobis fieri non potuit antequam *frater* noster esset. Ex lege enim Levit. 25. 25. Ruth. 2. 19. גֹּאֵל הַקָּרוֹב *vindex, propinquus*, *Goel. Itakkarob.* ex *fratribus* est, *Redemptor*, è *consanguineis*, ideoque Christus ut noster vindex & *Redemptor* esset, priùs *frater* noster esse voluit; ideò etiam & *primogenitus & primitiæ* sæpiùs in Sacra pagina dicitur, ut quemadmodum in lege *primogeniti* & *primitiæ* priùs Deo sacratæ ex eo quod ejusdem generis speciei, naturæ cum reliquis fuerint *fratres juniores* omnes, *totamque & massam* & *Rom. 11. 16.* *messem consecrarent*: sic etiam Christus, Incarnatione sua nobis *primitiæ* & *primogenitus frater* priùs factus est ut sui oblatione *postea vindicas nostras ageret*, nosque λύτρῳ suo & soluto pretio redimeret Heb. 2. 11. ità ut non ex *oblatione* ejus *fraternitas* hæc oriatur, sed ex *fraternitate oblatio*.

Cap. 14. 3. Quod ultrà ex similitudine *à marito & uxore* ductâ illustrat; ubi *prior* est *personarum unio* quàm *bonorum communio*; atque ad eundem planè modum per *Adoptionem ipsius Christi* participes vel (ut hac de re loquitur Apostolus Eph. 5. 30.) *membra corporis ejus ex carne ejus & ex ossibus ejus* facti sumus priùs quàm de mortis & obedientiæ suæ *beneficiis* per *Justificationem* participare queamus.

Cap. 19. in fine 4. Tandem itaque concludit, quod cum Adoptio ex morte Christi nil pendeat, sed ex *personali* ejus quà Dei Filius est, *proprietate*, *Justificatio* verò *passione* ejus tota nitatur, ideò ut nostra illa *personæ* ipsius *participatio* antecedit hanc *mortis & passionis*, ità & *Justificationem Adoptio*.

Solutio. Plura hæc sunt quàm ut omnia latiùs persequar. Strictiùs ergo agamus.

Quod ad *Majorem Propositionem* attinet, non ità usque quàque vera videtur, ut omne quod naturæ ordine in Christo primum est, in ejus nobis applicatione primas

primas teneat. Sed (in aliquibus saltem) inverso prorsus ordine, prout in Iridis adumbratione colores contrarium ei qui ipsa Iride est situm obtinent, ità & quod in Christo primum est in nobis erit ultimum. Sic *gloria* illa *Filii* quam *apud Patrem* ab æterno *habuit* inter prima fuit, cujus tamen aliqualis participatio nobis inter novissima erit Iohan. 17. 22, 24. Atque (ut ad rem de qua jam agimus propiùs accedamus) sit ex subdito aliquis suo vitio perduellis factus, & extrema passurus: hujus Patrocinium Filius Regis in se suscipiat, λύτρῳ, solvat, imò pœnas quas alter meruit ipse perferat quo eum non solùm à morte redimat & Regis favori restituat, verùm altiùs ad filii adoptivi gradum evehat: Licet ille *priùs filius* quàm *Redemptor* fuit, *reus* tamen iste ob solutum per eum pretium veniâ indultâ *priùs de Redemptione* & veniâ participat, quàm ad *filiationis* unà cum eo participationem assurgat. Rei quam præ manibus habemus similis, imò eadem prorsus est ratio. Sublapso itaque *Majoris* hujus Propositionis fundamento unà corruit tota *Minoris* (pluribus licet suffultæ tibicinibus) superstructio.

1. Quod enim ad id, quod in ejus confirmatione primum erat, attinet; concedo *Christum priùs* (à primâ scilicet incarnatione suâ *Filium Dei*, & quoad humanæ nostræ naturæ participationem non electorum solùm sed sensu generaliori omnium omninò hominum *fratrem* fuisse; at non nisi *morte* demùm *Redemptorem*. Nego tamen inde sequi ante *Redemptionem ejus nobis applicatam* nos esse vel *Dei filios* genuinos, vel Christi *fratres* quoad gratiam salvificam germanos, secundùm illud Apostoli Gal. 4. 5. *eos qui legi subjecti erant redemit ut Adoptionem acciperent*. neque monumentum aliquod vel temporis, vel rationis assignari, vel verè cogitari potest, quo Dei filii & hæredes simus non redempti adhuc, vel etiam citrà Justificationem peccatorum reatui & æternæ condemnationi obnoxii.

2. Verum etiam illud erat quod ut גֹּאֵל *vindex* noster esset necesse erat ut *Goel.* à priori *consanguineus frater* noster fuerit, ut & *primogenitus* & *primitiæ* esset, quo totam & *prolem* & *messem* reliquam *consecrare* poterit. At hoc non nisi *Heb.* 2. 9, 10. *mortis* suæ interventu, cujus *merito* per fidem apprehenso ut in *Justificatione* *&c.* à *peccati & condemnationis reatu priùs* soluti, in *Adoptione* exinde *amici & filii* Dei efficiamur, ut temerè omnino à viro doctissimo dictum sit. *Adoptionem neque dependere neque fluere à morte Christi.* *Cap. 19. ad finem.*

3. Ad tertium illud quod à similitudine *Mariti* & *uxoris* ductum objiciebatur; quòd *prior* scilicet erat *personarum* unio quàm *beneficiorum* ex eâ profluentium *communicatio*, dicimus verum hoc quidem esse, at non æquè verè rei huic de quâ jam agimus applicandum. Non enim *Solâ Adoptione* unimur personæ Christi, sed æquè (si non priùs) *Justificatione*. Cum enim Apostolus 1 Cor. 1. 9. *nos vocatos esse* dicit εἰς κοινωνίαν *in communionem Jesu Christi*, hanc neque ibi neque alibi ad *solam Adoptionem* restringit, sed unà cum eâ communem relinquit & *Iustificationi* & *Sanctificationi*, & in *his perseverantiæ*; secundùm illud Heb. 3. 14. μέτοχοι γὰρ γεγόναμεν τοῦ χριστοῦ *Christi consortes & participes facti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. Christi* inquam *ipsius æquè* quoad *justitiam* ejus participes facti sumus per *Iustificationem*, ac quoad *filiationem* ejus per *Adoptionem*. Adeoque hinc saltem nulla ei præ *Iustificatione* accedit *prioritas*.

Argum. 3. *Cap.* 12. Tertium Argumentum, quo *prioritatem* hanc probare nititur, desumptum est à contrario omninò rerum constitutarum ac perceptarum ordine, atque sic instituitur.

Quod prius est quoad cognosci, id posterius est quoad esse; At Iustificatio Adoptione prior est quoad cognosci, ergo eâ posterior est quoad esse. Cum enim ex certioratione nobis priùs factâ de peccatorum remissione in Justificatione atque exinde ortâ pace ità demùm de Adoptione nostrâ certi simus, hinc errorem istum existimat de Justificationis (quoad esse) prioritate; cum ex fundamento jam posito contrarium prorsus concludi debuerat.

Resp. *Majorem* quod spectat concedo facilè *naturâ posteriora* sæpenumero priùs *actu cognosci*, ut cum ab *effectis* ad *causas*, ab *individuis* ad *universalia* ascendimus; quare nil opus erat hoc nobis adeò operosè probatum dare, quod tamen facit ille prolixiùs. Non *harum Scholarum* (*Philosophorum*, *Logicorum est*) de *primo cognito* & *cognoscibili* disquisitio. Hoc tamen hîc moneo: cum intellectus noster non semper *analyticus* sit nil impedit, quò minùs aliquando naturæ ordinem servet & quod *naturâ prius* sit, atque ideò priùs in se cognoscibile sit, etiam & *quoad nos priùs* actu cognitum sit, præcipuè in rebus vel actibus individuis, iisque qui à nobis vel in nobis producuntur, quorum producendorum & productorum ratio & ordo, prout fiunt, innotescit, horum utique, cum à priori & ex causis cognitio sit, eodem ordine quo producuntur & cognoscuntur.

Ad *minorem* autem quod attinet, Justificationem scilicet Adoptione priorem esse quoad cognosci; Dico

1. *Cognitionem* hanc, vel de peccatis remissis certiorationem non esse *ipsam Iustificationem*; quæ cùm cognitionis hujus *objectum* sit, ideò cognitione istâ quidem naturâ & ratione *prior* est, at non inde *Adoptione posterior*. Si dicatur, imò ideò posterior est, quia priùs cognoscitur (ut priùs ad *Majorem* Propositionem dixi) hoc non sequitur. Sed

2. Secundo dico, Probandum adhuc restat *Iustificationem Adoptione* semper *priùs cognosci*, nimirum ex *pace & gaudio*, quæ *Iustificationem* sequuntur. Nam

Ephes. 3. 10. 1. Non *eandem semper* viam tenet πολυποίκιλος illa Dei *sapientia* in *fidelibus* de amore suo *certiorandis*. Varia ut hîc sunt media, ità & mensuræ & methodi variæ, prout audiendo, legendo, orando, meditando varia primo occurrunt fidei objecta, ità & varia quibus de ejus amore primo certiores facti sunt argumenta. Huic forsan *remissionis peccatorum* in *Iustificatione*, alteri in *Adoptione filiationis primò* occurrunt argumenta, ut hinc nil de re quam in manibus habemus certo statuendum sit.

2. Si res ipsas spectemus, ut quoad tempus *Adoptio* & *Iustificatio* simul existunt, ità quoad tempus ex rerum naturâ simultanea etiam est utriusque cognitio; idem quod *Adoptionem* probat, eodem tempore suapte naturâ aptum est ad Justificationem etiam confirmandam, & vicissim. Si dicas, at si servetur naturæ ordo, ità fit ut ex *Iustificatione* quasi *cognitu priori* ascendamus ad *Adoptionem priorem naturâ*: imo verò (dico) quid hoc aliud est quàm principium petere? probandum enim restat quod non æquè prima sit ab Adoptione ad Iustificationem, ac à Iustificatione ad Adoptionem probatio; verbi

gratia,

gratia, hæc, *Filius* sum, *ergo remissa mihi sunt peccata*; ac hæc, *remissa mihi peccata* sunt, *ergo sum filius*. Vel si à *Iustificatione* ad *Adoptionem* prior sit probatio, probari debet quod non à *priori* sit, quia & ipsa Iustificatio in suâ naturâ Adoptione prior est.

3. Enim quod ait ex *pace & gaudio de remissione peccatorum in Iustificatione nos ità demùm de Adoptione nostrâ certos fieri*, duo dico 1. æquè immediatè pacem & gaudium & cognitâ *Adoptione* fluere Rom. 8. 15. ac ex *Iustificatione* Rom. 5. 1. Æquè (imò magis) gaudet perductis, si Regem eum in *filium* adoptâsse primo noverit, quàm si solùm *scelera* ejus, eisque pœnas debitas *remisisse* ei primitùs innotuerit. 2. Vel si pax ista immediatè & primariò fluat ex adeptâ venia & Iustificatione primò cognitâ, atque exinde & secundariò cognita Adoptione, nil impedit quin dicamus hac ratione servari naturæ ordinem, atque ex antecedenti probari consequens, & Iustificatione Adoptionem.

Quartum Argumentum sic se habet, *Quod generalius est, id & prius est*; At *Adoptio Iustificatione generalior est*, quia sub se eam comprehendit, quia totam *Redemptionem* comprehendit, cujus Iustificatio tantùm pars aliqua est. Totam vero Redemptionem sub Adoptione contineri tribus argumentis probare nititur. De his mox agemus. Ad generalem verò illam probationem duo interim dicenda sunt. *Argum.* 4. *Cap.* 13.

1. Aliquid magis *generale*, & quod *plura comprehendit* dupliciter dici potest; vel quod in se plura continet ut *in causâ* à qua producuntur & fiunt; atque hoc semper *prius* est, ut *causa generalissima prima* est: vel quod in se plura continet ut in *termino* in *quo convenient & perficiuntur*. Quodcunque sensu priore generalissimum atque omnium comprehensivum est, id omnium ultimum. *Electio* priore sensu reliqua *omnia* sibi subordinata in se *continet*, adeoque & omnium *prima*, *Glorificatio* reliqua media omnia ut sibi præordinata complectitur, in *quâ terminantur*, perficiuntur *omnia*: omnium nihilominus, imo idcirco *novissima* est. *Propositio* ergo illa *major*, *universaliter* & quovis modo sumpta, non est *vera*.

2. Cum in *Minore* dicebatur, Adoptionem *Iustificationem* complecti, imò & *Redemptionem Iustificatione multo latiorem* (utpote præter Iustificationem, & *Sanctificationem*, ipsamque *Glorificationem* ambitu suo continentem) ex ipso doctissimo Viro Respondeo, Adoptionem dupliciter sumi vel *latiore sensu*, quatenus (secundùm ejus sententiam) *omnia a vocatione ad glorificationem* usque in se continet, vel sensu *strictiore*, & magis proprio, quatenus id significat, quo *primùm in filiorum Dei numerum asciscimur*. De latiori illa significatione mox videbimus. Hoc tantùm hîc dicendum est, scilicet in hâc (quam jam tractamus) quæstione de ea non disputari, utrum aliquid quod *quocunque modo Adoptio* dici possit *Iustificatione* vel *prius* vel *posterius* sit, sed utrùm *Adoptio stricte* sumpta (quâ quis *primò filiorum Dei numero ascribitur*) *Iustificationem* item *proprie dictam* antecedat. Et hoc quidem asserit Vir doctissimus, quia vel ità sumpta nil aliud sit nisi vel *ad filiationem electio* ante omne tempus, vel ad eandem in tempore *efficax vocatio*, quod utrumque negatur.

Primum, quia non res eadem sunt *Electio* & *Adoptio*. De *Electione ad A-*

doptionem legimus Ephes. 1. 5. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν At *Electio ipsa Adoptio* nusquam in Sacrâ pagin âdicitur.

Secundum item negatur. Nunquam ex Idiomate Sacræ Scripturæ *vocatio* est ipsissima *Adoptio*, neque ex rerum ipsarum naturâ unquam esse potest, cum vocatio efficax *reale* aliquid & inhærens ponit in subjecto; est enim ipsa Regeneratio & inchoata Sanctificatio; At *Regeneratio* & *Adoptio* quamvis utræque *filiationem* spectent, & filium constituant; at illa *realiter* per modum *generationis*, hæc χαριτῶς & *relativè* tantùm, & per *reputationem*.

Sed ad argumenta ejus accedamus, quibus probare conatur Adoptionem Redemptionem totam, omnesque ejus partes Iustificationem scilicet, Sanctificationem, & Glorificationem in se continere, adeoque iis omnibus magis communem & generalem, atque eo nomine priorem.

Primum illud est quia Adoptio ad *ultimum Redemptionis nostræ beneficium extenditur. Redemptio enim Corporum nostrorum* quæ die ultimo perficitur *Adoptio nostra* dicitur Rom. 8. 23. quia scilicet *filiorum Dei revelatio est*, ut priùs dixerat idem Apostolus ejusdem Capitis Commate 19. ità ut tota *Redemptio* omnesque ejus partes (atque inter has *Iustificatio*) *Adoptionis Revelatio* sint, atque inde Adoptione naturâ posteriores.

Resp. Cui ad manum Responsio est, Nimirum quod hoc totum quod de *Adoptione* dictum est æquè de *Iustificatione* dici potest, atque ideò hinc nil prioritatis Adoptioni accidit. Si enim ideò *Adoptio* ad totam Redemptionem, omnesque ejus partes extendatur, quia die ultimo manifestatur, atque integrè perficiatur, ipsissimum hoc & *Iustificationi* convenit. Quamvis enim quoad Reatûs solutionem *coràm* Deo hîc integrè peragatur, at *coràm Angelis* & *hominibus* ultimo etiam illo die manifestabitur; atque eo sensu *peccatorum* demùm *justificabitur*. Quo etiam in sensu Theologi nostri plurimi illud Servatoris exponunt Matt. 12. 32. de *remissione peccatorum* etiam *futuro sæculo* donandâ, hoc est coràm omnibus manifestandâ. Quoad hoc igitur Adoptionis & Iustificationis par omninò est ratio. Mutuò se manifestant, complectuntur, quia & in se & in subjecto individuè semper connectuntur. Nulla ergo ex hoc argumento *Adoptionis* conficitur vel *prioritas*, vel *major extensio*.

2. Verò argumentum, quo probat Adoptionem Redemptionem totam in se continere tanquam minùs communem, & eo nomine posteriorem, inde sumitur, quia Christus solos *fratres suos redimit* Hebr. 2. 17. Ut fraternitas Redemptionis fundamentum sit, atque Redemptione prior Adoptio. Huic in solutione *secundi* Argumenti in parte satisfactum fuit, cui etiam ampliùs in Responsione ad *quintum* respondebitur.

3. Verò hoc probare nititur ex definitione prædestinationis Divinæ Ephes. 1. 5. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν *qui prædestinavit nos in Adoptionem filiorum*. ubi sub nomine *Adoptionis* continentur bona omnia ad quæ prædestinamur, quia in se, sub se, ea continet omnia, totam scilicet *hæreditatem*, cujus *justitia* illa, cujus in *Iustificatione* participes facti sumus, *pars* tantùm aliqua est, secundùm illud Heb. 11. 7. *ubi Noë justitiæ quæ per fidem est hæres* dicitur. Per Iustificationem igitur participes efficimur partis hujus hæreditatis. At ut *hæredes* simus, necesse est ut priùs simus *filii*. Ergo *Justificatione* & latior & prior est Adoptio. Respondeo. 1. Quod

1. Quod ad locum illum Ephe. 1. priùs satis (ut opinor) responsum est, nimirum ex eo quòd *ad Adoptionem prædestinari* dicimur, non statim sequitur Adoptionem omnibus aliis quibus per Christum fruimur beneficiis vel latiorem esse vel priorem. Æquè dicitur nos ad *vitam æternam prædestinari*, & ad *salutem eligi* 2 Thess. 2. 13. sicut & dicitur Act. 13. 48. At non inde *vita æterna* quæ omnium *ultima* est, *prima* erit. Dici etiam potuit nos *ad Sanctificationem* vel *Sanctitatem prædestinari*, prout & dicitur Commate proximè præcedente Ephes. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante jactum mundi fundamentum ut simus Sancti, &c.* At non inde *Sanctificatio* reliquis omnibus vel *latior* vel *prior* erit. Hæc Synecdochicè dicuntur: cum unum dicitur, reliqua intelliguntur, non quasi in eâ reliqua omnia tanquam in priore & quasi magis generali comprehendantur, sed ob individuam omnium concatenationem, ut qui unàm habet, habeat & omnia.

At quid est quòd *Adoptionis* potiùs quàm reliquorum meminit? Respon- 2.
deo

1. Hoc fieri possit pro re natâ, & quam in manibus habuit. Commate 3. *Sol.*
de *Deo & Patre Domini nostri Jesu Christi* locutus fuit: atque hinc prona & facilis fuit *Adoptionis filiorum* mentio.

2. Vel ibi ubi de *Adoptione* loquitur, de reliquis non silet. Commate 5. de *Prædestinatione ad Adoptionem* loquitur; at priùs Commate 4. (prout diximus) *de Electione ad Sanctitatem* locutus fuerat. Ex isto ergo ad *Ephesios* loco nihil (ut opinor) efficitur.

2. Verò ad illud quòd *justitia* quam ex *Justificatione* consequimur pars sit *hæreditatis* Hebr. 11. 7. At ut *hæreditatem adeamus*, necesse est ut *priùs filii* simus. Ergo *prior* est *Adoptio*; Dico hoc quoad rem ipsam idem esse cum 5. argumento generali, quo *Adoptionis* prioritatem astruit, & proinde eadem erit Responsio.

Quintum hoc Argumentum à *fœdere* & promissione *promissione* Dei sumi- *Argum 5.*
tur, atque sic instituitur,

Prius in fœdere esse debemus quàm fœderis promissionum participes. At *per Adoptionem in fœdere vel fœderati sumus*: per *Justificationem promissionis tantùm participes. Ergo Adoptio Justificatione prior est.* Fœdus initur cum *Abrahamo* & *Semine* ejus Gen. 17. 7. *Semen* ejus est *Christus* mysticus Gal. 3. 16. (hoc est, ipse Christus & fideles omnes Christo per Adoptionem uniti v. 29. atque inde *promissionis filii* Rom. 9. 7, 9.) Necesse ergo est ut per *Adoptionem* de *semine* hoc, & *filii* sint, antequam promissionis participes fiant. Inter promissiones hasce una & præcipua est de *peccatorum remissione*, quæ in *Justificatione facta* est Heb. 8. 10, 12. unde sequitur ut naturæ ordine *priùs* per *Adoptionem semen* & *filii* fiamus, quàm per *Justificationem promissam peccatorum remissionem* assequamur. Atque ità tandem à primo ad ultimum *Adopto* prior erit *Justificatione*. *Resp.*

Respondeo.

Hoc argumentum eodem fundamento intitur quo priora aliqua, quòd ut Christus גֹּאֵל *Vindex*, *Redemptor* noster sit, necesse est ut naturæ ordine priùs *frater* noster sit: Quòd cum *Justificatio* pars & *promissio-* *Goalem*

nii & hæreditatis sit, necesse est ut à priori per *Adoptionem* de *semine* & *filii* simus, quò *jus* ad *promissionem* & *hæreditatem* istam habeamus, ejusque actu simus participes; Idem, inquam, in his omnibus est probationis fundamentum: Eadem ergò omnibus adaptanda est Responsio. Eaque hæc unica est. Agnosco fœdus, promissionem, hæreditatem tantùm filiorum esse & seminis; at verò hoc semen considerari potest vel in *esse cognito & designato*, vel in *esse actualis existentiæ*. In esse *designato prius filii* sunt, quàm promissionis vel *remissionis*, *justificationis* participes sint, quia nulli, nisi *filii* ad promissionem & remissionem *designati* sunt. At quoad *esse actualis existentiæ* ex Divinæ οἰκονομίας ordine & methodo, in Justificatione *remissionem prius* assequuntur quàm ad *filiationis* assurgant dignitatem. Exempli gratiâ. Rex apud se statuat, & Diplomate confirmet, se homines ex unâ solâ familiâ oriundos ad dignitatem aliquam evecturum: In *esse hoc designato* hi soli dignitatis hujus (ut ità dicam) candidati sunt antequam forsan vel *nati* sunt, nedum priusquàm *mali* aliquid *perpetraverint*; At si jam *nati* perduelles & *hostes* facti sint, *prius veniâ donandi* sunt quàm ad *istam dignitatem evehendi*. Eodem prorsus modo res hîc sese habet; similiter & *finis* in *esse intentionali media antecedit*, eaque ad se solùm restringit, & à *priori ordinat*; At in *executione* & *adoptione* ea à *posteriore sequitur*: Sic *Adoptio Justificationem*.

At in contrarium adduci potest illud Apostoli Gal. 4. 6. *Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater*. Ex quo loco aliqui probare vellent Adoptionem omnium primam esse secundùm illud in 2 Pet. 1. 3. *Prius oportet nos filios Dei fieri, quàm Spiritu Dei agamur*, ut ab *Adoptione* necesse sit auspicari.

At verò sic *Adoptio* ipsâ *vocatione prior* esset, quod apertè & constanter vel ipsi negant qui contrariam nobis hâc in re tuentur sententiam, qui *vocationi* in οἰκονομίᾳ Gratiæ nobis applicandæ præ reliquis omnibus *primas* tribuunt, eamque cum ipsâ *Adoptione* vel *eandem* vel saltem *simultaneam* esse volunt.

Si igitur Apostolus de iis qui jam *actu filii* erant (quod videtur) loquatur; *missio* illa *Spiritûs* non de *primâ* illâ quâ *primò regenerati* sunt, intelligenda est? *missio enim illa Spiritûs Adoptionem* actualem *antecedit*, non sequitur: Sed de *secundariâ* vel *posteriori* aliquâ, quâ jam *adoptati Spiritu Adoptionis agebantur*, *ut clamarent Abba Pater*; quod ibi sequitur. Sic enim *Spiritus* in *corda nostra mitti* dicitur, non solùm ad *primitùs* in eis *inhabitandum*, sed & ad *aliquid* in eis (præsertim si extraordinarium quid fuerit) *operandum*: Si verò de primâ illâ (quæ in vocatione fit) Spiritûs missione intelligendus sit Apostolus, tum illud quod dicit (*quoniam estis filii*) non intelligi debet de iis quasi jam actu filiis *quoad esse actualis existentiæ*, sed in *esse cognito & designato*; nimirum quoad Decretum Dei de iis in filios adoptandis; vel quoad impetrationem Christi; *impetrato* scilicet *eis jure filiorum morte filii unigeniti* (ut loquitur *Piscator* in *locum*) non quasi ante ità missum Spiritum actu adoptati vel filii fuissent, cum ex hâc ipsâ missione antecedente jam demùm regenerandi essent, atque ita in *filios* adoptandi.

Sed hæc satis superque ad diluenda Doctissimi Viri argumenta, quibus probare conatus est *Adoptionem naturæ* ordine *Justificatione* priorem esse.

Videa-

Videamus jam tandem quæ in contrariam sententiam adduci possunt, quæ paucissima erunt.

1. Nolo immorari in eo quòd (secundùm *Arminium*) *Justificatio* ad *communicationem mortis Christi* referenda est, *Adoptio* ad *communicationem vitæ*; quod quidem verissimum est. At licet vita quam hic degit Christus majori ex parte mortem ejus anteceſſit; at potior ejus pars, cujus nos participes facti sumus, mortem ejus secuta est. Nobis saltem mortis ejus communicatio *prior* facta est, & dein vitæ juxtà illud Apostoli Rom. 5. 10. *nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus.* Si ergò per *Justificationem* magis propriè *mortis* Christi participes facti simus, per *Adoptionem vitæ* ejus. ex hoc fundamento sequetur *Justificationis* præ *Adoptione prioritas.*

2. Sed secundò hoc præcipuum est. Qui adhuc *hostes* & *inimici* sunt nondum *actu* (quicquid quod ad Patris decretum vel Filii impetrationem fuerint) nondum tamen (inquam) *actu filii* sunt. At *ante Justificationem* nos omnes *actu hostes* Deo & *inimici* fumus. Quod sic probatur. Si ante *Reconciliationem* actualem inimici fumus, tum ante *Justificationem* hoc fumus; quia *Reconciliatio* & *Justificatio* vel *res eadem* sunt (ut priùs disputavimus) vel saltem *dum justificamur, reconciliamur*, secundùm illud Apostoli 2 Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum.* At ante reconciliationem actualem Deo inimici sumus, atteſtante Apostolo Col. 1. 21. *Vos cum essetis quondam abulienati & hostes mente operibus malis intentâ nunc sanè reconciliavit.* Ergo.

At hoc valdè *periculosum* esse existimat Vir Doctissimus, malè enim metuit si Dei *amor* super *Justificationem* fundetur, ne parùm *gratuitus* reddatur, cùm è contrà è Sacrâ Scripturâ edocti sumus, *Deum* nos *amâsse* cum adhuc *peccatores, injusti, inimici* fuimus Rom. 5. & cum *adhuc sanguine nostro polluti eramus, nos lavâsse, purgâsse & miditatem nostram vestibus ornatioribus operuisse* Ezek. 16. 6, 7, 8, 9, 10. atque ideò Justificatio non in causâ est quòd Deus nos pro filiis habeat, sed contrà quia ex Solo amore & merâ gratiâ priùs in Adoptione inter filios nos recensuerit, ideò ex consequente in *Justificatione* à peccatorum sordibus nos purgat. Cap. 15.

At nihil tale est quod hinc metuamus. Nam

1. Nil gratiæ & gratuito Dei amori derogabitur ex *Justificationis* præ *Adoptione* prioritate, imò illustrabitur magis, eò quòd *eos* in *filios adoptare* placuit, qui *in se adeò indigni* erant, ut ad id *per duellionis reatu* ex merâ ejus gratiâ *absolvi* priùs opus habeant. Si in Justificatione. 1. aliquid nostri esset. 2. si id in se meriti aliquid. imò 3. si in se quatenus nostrum est aliquam intrinsecam Adoptionis causalitatem haberet, eò Adoptio minùs gratuita foret. Cum verò Justificatio tota, quanta quanta, *solius Dei* sit (*Deus est qui Justificat* Rom. 8. 33.) cum nil omninò *meriti* sapiat, quæ *demeriti condonatio* est Rom. 4. 7. quæ ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν tota prorsus *gratuita* est Rom. 3. 24. Cum denique in Divinâ gratiæ ἀκολουθίᾳ, *præcedentium* & *connexionem* quidem, at nullam intrinsecam Adoptionis *causalitatem* in se *habet*; (ex rei enim naturâ alicui à Rege reatûs venià indultâ non continuò eum Regis Filium efficit) quomodo ullatenus *gratiæ derogaret* nullus video, divinare nequeo.

Equi-

Equidem si quid *extra* Deum eum *primitùs moveret*, hoc *Primatui* ejus adimeret. Si quid *in nobis*, amoris ejus *causa objectiva* foret, id eatenùs quò *minus* omninò *gratuita* esset efficeret. At ut ordo sit in gratuitis Dei donis, nil ejus gratiæ detrahit, neque minùs gratuita est Adoptio, si Justificatio præcedat, quàm minùs gratuita esset Justificatio si (secundùm Adversarii sententiam) præcesserit Adoptio. Imò illud adjicio; tam longè abest ut *Adoptio* gratuita non esset si à *Justificatione* (& ipsâ omninò gratuitâ) flueret, ut vel eo nomine *magis gratuita* sit: quemadmodum is Domino suo magis i. e. duplici nomine Servus est, qui etiam à servo ipsius natus est juxta illud Psal. 116. 16. *Domine sum Servus tuus, sum Servus tuus* (duplici nomine Servus) quia *filius ancillæ tuæ*. *Adoptio* eò *magis gratuita* est, quia ex *Justificatione* sequitur, quæ ipsa prorsus & omni modo est *gratuita*.

2. Cum objiciebatur Deum *nos amâsse antequam justificavit*, imò *ex eo quòd priùs amavit justificâsse*. Cum verò nihil (quòd ad nos attinet) Justificatione priùs esset præter quam *vocatio*, quæ eadem cum *Adoptione* est, ideoque *Adoptionem Justificationi* præcedere: Dico

1. *Principium* peti tum quòd *Adoptio* prior *supponitur*, quod ipsum est quod quæritur, tum quòd *Adoptio* cum *vocatione* confunditur, quòd priùs negabatur.

2. Dico. Ex gratuitâ Dei electione & Christi impetratione ante Justificationem nos amavit quidem *amore benevolentiæ*, sed ante Justificationem dum adhuc *impii* & injusti fumus, nos *amore complacentiæ* diligere, justitiæ & Sanctitati Dei omninò repugnat. כִּי לֹא אֵל חָפֵץ רֶשַׁע *quoniam non Deus volens iniquitatem Tu es, neque habitabit juxta te malignus* Psal. 5. 4. In Justificatione ex *amore benevolentiæ* antecedente *rei & injusti esse desinimus*, atque ità in *Adoptione* cælestis *Pater* nos ut *filios complacentiæ amore* complectitur.

Ci Lo El Chaphetz Reshang.

3. Tertiò ad *Justificationis* præ *Adoptione* prioritatem probandam plerique & communiter notissimum illum locum afferre solent Johan. 1. 12. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Quotquot autem eum exceperunt dedit eis hoc jus ut filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus.* Vel, ut *Vulgatus* habet, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Ubi *potestas*, vel ejus *filios Dei fieri*, acquiri dicitur ex *fide* & *receptione Christi* quæ *Justificatione* fit. Ex fide ergo justificante filii. Ergo filiatione, Adoptione prior est Justificatio.

Cap. 15, 16. Huic multa eaque notatu dignissima respondet Doctissimus Vir. Præcipua verò Responsionis suæ Capita duo ista sunt.

1. Quòd *Christum recipere & in eum credere* hoc in loco non *Justificationem* sed *Adoptionem* denotat.

2. Quòd ἐξουσία illà *filios Dei esse* non ipsam *Adoptionem* significat, sed *Adoptionis vel Filiationis prærogativas subsequentes.*

Primum quòd *credere in Christum*, *eumque fide recipere* ad *Justificationem* non restringendum est. *Fide* enim non solùm *justificamur* Rom. 5. 1. *Justificati autem per fidem, &c.* Sed & *Adoptamur* & filii Dei efficimur Gal. 3. 26.

omnes

omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Hoc ergò (*in Christi nomen credere*) ad *Adoptionem* referri *potest*, imò hoc in loco *debet*. Quod duabus illis descriptionis partibus ibi positis probat.

Quarum prior est *Christum recipere*. At *Christum recipere* est *ad eum venire* Johan. 5. 40, 43. At hoc opus est *Patris* nos ad Christum in vocatione & adoptione *vocantis*, & fidem ingenerantis, quo Christum fide recipimus, & Filii participes facti ipsi filii efficimur; atque tum demùm secundum opus Dei Patris sequitur, nos jam vocatos & hâc fidei receptione filios factos justificantis. Quod probat ex Matth. 11. 28. *Venite ad me* (in vocatione & Adoptione) & *ego efficiam ut requiescatis* (in Justificatione scilicet) ut & ex 30. ad Philippenses *ut Christum lucrifaciam, & in eo inveniar*: Hoc, eo Interprete, *adoptionis* est, eo fine scilicet *ut non habeam justitiam meam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi*: quæ verba de *Justificatione* exponit, quam *Adoptionem sequi* putat tum ex ordine verborum Apostoli, tum ex rei ipsius naturâ, quia *justum aliquem constituere antequàm filius sit, idem esse putat ac accidens ponere sine subjecto, vel aliquem pro justo reputare antequàm homo fuerit.* *Johan. 6. 44*

Alteram etiam descriptionis illius partem urget; in quâ credentes in nomen Christi *à Deo geniti* vocantur; quæ verba *filiationem* loquuntur, non de *Justificatione* sed de *Adoptione* interpretanda, adeoque *Receptio illa Christi per fidem*, non de *receptione justitiæ* ejus in *Justificatione* exponenda est, sed de *receptione ipsius Christi in Adoptionem*, per quam *unum cum Christo sumus*, atque inde unà *cum eo Dei filii efficimur.*

Hæc fusiùs ex ipso recitavimus, nequid cui Responsionis ejus vis inest consultò & malâ fide prætermisse videremur. Quibus singulis distinctè at strictim respondere operæ pretium erit, quo lucem aliquam fœneremur tum insigni illi Evangelistæ loco, tum huic, in quâ jam versamur, controversiæ.

1. Et primò quod dicit *Christum recipere* & in *nomen ejus credere* quæ illo in loco dicuntur, *malè ad Iustificationem restringi* cum æquè de *Adoptione* dici possint, quia per *fidem* in *Christum credendo* eumque *recipiendo* æquè *Adoptamur* ac *Iustificamur*; *Gal. 3. 26.*

Hoc ultimum facilè concedo. *Fide* enim, quatenus in Christum credit, eumque recipit, non solùm in Justificatione justi reputamur, sed & in *Adoptione pro filiis habemur.* Adeòque ex nudâ *hâc Phraseologiâ credendi in Christum* eumque *recipiendi Iustificationem* contradistinctè *ab Adoptione* ibi designari non efficax satis (ut opinor) institui potest Argumentum.

At cum de *primâ* Christi *receptione* ibi loquatur *Iohannes* (quod patet ex oppositâ aliorum *non receptione* commate 11.) si in Justificatione etsi non prima sit Christi receptio, at *Adoptione prior*; omninò sequi videtur, *eam receptionem* quæ *prior in Justificatione* fit, ibi intelligi.

Probè novi eum hoc negaturum; scilicet Christi receptionem in Justificatione priorem esse eâ quæ fit in Adoptione. Sed hoc (ut opinor) satis jam probatum habuimus in priori Disputatione; nos scilicet per fidem *priùs Christum recipere ad peccatorum veniam* & reatûs solutionem, quàm ad *filiationis honorem* (qui pòst sequitur) assequendum.

Cum verò probare nititur hanc Christi receptionem de eâ quæ in Adoptione fit intelligi debere, quia Christum *recipere* est ad *eum venire*, quod *Patris opus est nos in vocatione & Adoptione vocantis*, & *fidem ingenerantis*, quâ primò ex *Adoptione filii*, & dein in *Justificatione justi* habeamur;

Respondeo

1. Sit *recipere Christum* idem quod ad *eum venire* (quod tamen in loco quem adducit Johan. 5. 40, 43. non expresè dicitur)

2. Fiat hoc utrumque in *vocatione efficaci*, in eâ ad *Deum* per fidem *veniamus*, & *Christum recipiamus*.

3. At hoc nunquam de *Justificatione* in Scripturâ dici (quod hîc affirmat Adversarius) ἀπόλογος est, & (ut opinor) hactenus inauditum. Non adeò fæpe occurrit hæc (Christum recipiendi) phrasis in N. T. occurrit in hoc *Johannis* loco quem jam tractamus; at de ejus sensu jam quæritur. Ad *Colossenses* item. cap. 2. vers. 6. *sicut Jesum Christum Dominum accipistis, ità in eo ambuletis*. At nihil ibi occurrit quod de *Adoptione* potiùs quàm de *Justificatione* intelligendum esse suadeat. Quod etiam dici potest de Matth. 10. 40. Johannis 13. 20. Lucæ 9. 48. ubi eadem phrasis occurrit. De isto denique loco Iohannis 5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, nec me recepistis*. Sit idem (inquam) cum eo v. 40. *Sed non vultis venire ad me ut vitam habeatis*. At in *Justificatione ad Christum venimus*, ut mox patebit.

Estò etiam ut de receptione & accessu qui *in vocatione* fit intelligatur, prout ipsi placet; At quid hîc de *Adoptione?* nisi *vocatio & Adoptio idem sint*, quod ille quidem affirmat, at nos priùs negavimus, atque improbavimus.

Sit denique ut etiam de *Adoptione* intelligatur; Num verò ità ut prorsùs excludatur *Justificatio?* Num præter illum dicet, credet aliquis? Ego equidem non credo. Nil locus hic probat, nil Iustificationis ratio; sed contrarium potiùs. *Christum recipimus*, ad *Christum venimus* in *vocatione*, in *Justificatione*, in *Adoptione* etiam. At ità in *Adoptione* ut non etiam in *Justificatione*, vel *priùs* in *Adoptionè*, atque *posteà* naturæ ordine in *Justificatione*, hujus rei hîc nec vola nec vestigium. Neque hîc probatum dat ex duobus illis, quos adducit, locis; scilicet

Ex Matthæi 11. 28. *Venite ad me, & ego efficiam ut requiescatis*, hoc est, eo interprete venite ad me *in vocatione*, & *Adoptione* scilicet, & *effecti loco* ego efficiam ut requiescatis nimirum in *Iustificatione*. At qualis ista verborum horum interpretatio? ut *Venire* hoc *Adoptionis* sit proprium, cum quo *Iustificatio* nil commercii habeat, sed tantùm in *quiete* (hujus accessûs *effecto*) inveniatur.

Imò verò per *fidem justificantem* (& quà justificans est) *ad Christum venimus*. *Qui sitit, veniat ad me* Johan. 7. 37. Apocal. 22. 17. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ* Heb. 10. 22. Hîc *accessio ad Christum per fidem*, per *fidem justificantem*, cum *aspergine sanguinis Christi à conscientiâ malâ* & accusante, quod propriissimè in *Iustificatione* fit, quæ crimen & reatum tollit, & accusationem Christi sanguine diluit. Quod in ipsissimo *Matthæi* loco obviam sé dat *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, legis* scilicet & *peccatorum onere*, quod propriè *justificationem* & veniam poscit, ut hoc nomine *requiem animabus* inveniant.

Non

Non ergo *venire Adoptionis* erit, & *requies Iustificationis*, tanquam *Adoptionis effectum*; sed ipsum *venire* est *fidei justificantis*, *& requies* hujus in Justificatione per fidem *accessûs* fructus est dulcissimus juxta illud Apostoli Rom. 5. 1. *Iustificati per fidem pacem habemus*, non Adoptati per fidem, pacem habemus in Justificatione.

Neque magis in contrarium probat alter ille, quem adducit, locus ex Philipp. 3. 8. 9. ut *Christum lucrifaciam & inveniar in eo non habens meam justitiam, sed eam quæ est per fidem Christi.* Quid demùm hinc colligit? nimirum ut *Christum lucrifaciam*, *& in eo inveniar*, quod eo Interprete *Adoptionis* est, eo scilicet fine *ut non habeam meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi*, quæ verba de *Iustificatione* exponit, quam ideò *Adoptione posteriorem* concludere vult, acsi hic verborum Apostolicorum sensus sit, *omnium jacturam feci, ut primò per Adoptionem in Christo inveniar, atque ità demùm ex consequente per fidem in Christo justificer.*

Atqui hæc æquè ac prior arguta nimis atque aliena admodùm est loci hujus interpretatio, qui totus de Justificatione agit atque intelligendus est.

1. Inter *Paulum* & *Adversarios* contra quos agit, & quos in *Capitis* initio κατατομὴν *concisionem* vocavit de *Iustificatione*, non de *Adoptione* fuit Controversia.

2. In *Iustificatione Christum lucrifacimus*, cum vel omnium dispendio ipsius Justitiæ compendium facimus.

3. Per *Justificationem* etiam in *Christo invenimur*; dum in peccatorum reatu non deprehendimur. *Tacitam habet relationem ad Dei judicium: Quos comperit in Christo esse, in illis nullam invenit condemnationem.* Sic Beza. Ità ut fidelis quisque *dicere poterit, Tantummodò in Jehovâ est mihi justitia & robur; in Jehovâ justificabitur & gloriabitur totum semen Israël* Isa. 45. 24, 25. unde *Calvinus* hæc Apostoli verba ἵνα εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, non cum aliis, passivè legit *ut inveniar in eo*, sed cum, (refragante quidem *Bezâ*, annotante & probante *Budæo*) *passiva* hæc terminatio sæpè *activè* significat, ideò *activè* hîc ἰμφανισικῶς effert, in *inveniam in eo*, scilicet justitiam; quod proposito huic nostro inservit, dum verba ista non de *Adoptione*, sed de *Justificatione* necessariò intelligenda esse ostendit.

4. Ergo, quæ sequuntur verba *ut non habeam justitiam meam, quæ ex lege est, sed quæ per fidem Christi Dei est, Justificationem* quidem loquuntur, non tamen (ut ille vult) quasi *finem* vel *effectum*, vel *consequens* illius quod in prioribus verbis dicebatur *ut inveniar in eo*, quod ille *Adoptioni* tribuit; sed explicationem eorum continent, ut nimirùm tum (quod ad *Justificationem* attinet) *in Christo invenimur* cum exutâ (quoad in eâ fiduciam omnem) totâ nostrâ justitiâ, induimur solâ Christi justitiâ per fidem apprehensâ atque à Deo gratis nobis imputatâ. Sic Cl. Beza ad illa verba μὴ ἔχων hæc habeat. *Exponit quid sit inveniri in Christo.* Non inquam, quod *inveniri in Christo* ad *Adoptionem solam* pertineret, & sola verba sequentia de *habendâ*, *per fidem Christi*, *Dei justitiâ Justificationem* denotarent; sed utrumque hoc fidelibus in Justificatione suâ contingit; ut scilicet & *in Christo inveniantur*, *ejusque habeant justitiam*, quorum posterius prioris explicatio est. Cum enim hoc *inveniri in Christo* aliquod obscuritatis in se

habeat; lumen fœneratur ex additâ periphrasi illâ *non habendi propriam justitiam*, sed *eam, quæ per Christi fidem Dei est*, quæ *Justificationem* (de quâ ibi agit) magis apertè loquitur & exprimit.

Ad Illud dicit quod „ *justum aliquem constituere antequam filius sit idem* „ *est ac accidens ponere sine subjecto, vel aliquem pro docto vel justo habere* „ *antequam homo fuerit*:

Respondeo negando. Potest enim dari subjectum hujus accidentis (justitiæ scilicet) licet homo *in signo rationis* nondum *Dei filius sit*: quod innotescet meliùs si vel *justitiam* hanc vel *subjectum* ejus spectemus.

1. Et primò quod ad *justitiam* attinet, tenendum est hanc eam justitiam esse non quâ ex *Sanctificatione* justi sumus, id est *inhærentem*, sed cujus ex *Justificatione* participes facti sumus, in peccatorum scilicet condonatione *imputatam*. Jam verò hujus *justitiæ subjectum* esse *solum filium* asserere est *principium petere*, atque id solùm affirmare quod negatur. Contrà dico; hoc modo *justus* censeri quis potest cum *nondum* in *signo rationis filius* sit, imo sic priùs censeri *debet*, ut *exinde* atque ità demùm pro *filio* habeatur.

2. Atque ità si secundò de *subjecto* hujus justitiæ quæramus, subjectum ei non deerit. Licet enim non sit *Filius*. est tamen.

1. *Homo*, qui non est omninò nihil, sed pro subjecto materiali hujus justitiæ imputativæ satis commodè haberi potest.

2. Est præterea *hostis, reus*, quod hujus *justitiæ* vel justificationis *subjectum* vel *objectum formale* constituit. Quà tali enim Deus ei veniam indulget. Atqui non nemo *reus talis* est, cui Rex aliquis veniam hujusmodi dederit, quamvis nondum eum in *filium* adoptaverit, imo *ideò priùs veniam dedit*, ut *ità demum* eum ritè *adoptare* posset.

5. Quamvis nondum filius sit quoad *esse actualis existentiæ*, est tamen in *esse cognito & designato*, ex Dei scilicet electione & Christi impetratione. At talis entitas *intentionalis* (si modo cum Physicâ personæ *existentiâ* conjuncta sit) abundè sufficit ut in eo subjectetur hoc accidens. Sit modo *homo reus actu existens*, atque ad filiationem insuper tanquam à priore designatus, triplici hoc nomine subjectum satis capax erit hujus in Justificatione justitiæ, licet nondum *actu filius* sit, præsertim cum

4. In loco, non solùm homo actu existens, reus item, atque filiationi designatus, verùm & jam *efficaciter* etiam *vocatus*. Amicè enim in hoc cum Doctissimo Adversario mihi convenit, quod in gratiæ οἰκονομίας, in Decreti scilicet Divini *executione* quoad nos, & meritorum Christi nobis *applicatione prima* omnium sit *efficax vocatio*, quam sequitur *Justificatio* secundùm Apostoli methodum, *Quos vocavit eos & justificavit* Rom. 8. 30. vocando & Regenerando fidem ingenerat. Ex fide istâ sic vocatum justificat, vel Christi justitiâ donat. Cui accidenti tantùm abest ut subjectum desit, ut sit quadruplex, *homo, Reus*, in *filium designatus, actu etiam vocatus*, licet *non actu* quoad *Adoptionem filius*, adeò ut licet *nullius antequam homo fuerit, doctus esse poterit*, at optimè potest aliquis ex *imputatâ justitiâ justus* & esse & haberi, si ad *filiationem olim designatus*, actu etiam *homo, Reus, efficaciter vocatus fuerit*, quamvis nondum (quoad naturæ ordinem) actu ex Adoptione filius.

Atque

Atque hæc hactenus de primâ Doctissimi Viri probatione, quâ ostendere conatur verba illa Johan. 1. 12. *Christum* scilicet *recipiendi*, & *credendi in nomen* ejus non *Justificationem* designare, sed *Adoptionem* potiùs, quòd *Receptio Christi* ad *Adoptionem* potiùs spectat quàm ad *Justificationem*.

2. Secunda probationis pars sequitur, atque ex v. 13. proximè sequente desumitur. Cum enim v. 12. dictum fuerat, *iis qui Christum receperunt jus datum fuisse ut filii Dei facti sint*, eos continuò v. 13. describit, quod ex *Deo geniti sint*. Quibus verbis priora illa Christum recipiendi exponi vult, non scilicet *de receptione* obedientiæ Christi in *Justificatione ad justitiam*, sed de *receptione Christi ipsius* in *Adoptione*, ut cum *eo uniti filii Dei* simus, quod fit cum ex *Deo geniti sumus*.

Soluta Doctissimi Viri scribendi ratio impedit quò minùs facilè argumenti vis intelligi, vel saltem ad formam redigi possit. Summa huc redit: postquam dixerat *Johannes*, *Quotquot eum receperunt*, *dedit hoc jus ut filii Dei* sint, statim per modum interpretationis addit *qui ex Deo geniti sunt*. Ergò hinc sequitur quòd illud τὸ ἴλαθον; illa Christi *receptio* ad *Adoptionem*, non ad *Justificationem* referri debet.

Respondeo, imò verò non sequitur. Nulla mihi hæc quantum possum seriò meditanti hujus sequelæ apparet ratio. Hic potiùs genuinus hujus loci videtur sensus, hæc textura; Factâ priori commate de *Filiatione* per *Adoptionem* mentione, satis commodè assurgit Evangelista versu sequente ad eam quæ *Regeneratione* fit; idque duplici ratione

1. Ut ostendat nos duplici nomine inter Dei filios censeri, nimirum non solùm *Adoptione*, sed & *Regeneratione*.

2. Ut *Adoptionis* proximum *fundamentum* & originem innueret, *Regenerationem* scilicet, juxta illud Cl. *Bezæ* in locum; *Filius à suis plerisque exclusus*, *à paucis quibusdam agnitus*, *eos vi suâ regenitos in communem filiationis dignitatem ascivit*. Cui concinit *Piscator* in *Analysi*, quæ sic habet: *Illius fidei tum effectum exponit*, *nimirum jus filiorum Dei seu υἱοθεσίαν*, *id est Adoptionem*; *tum verò etiam causam efficientem*, *quæ est Regeneratio per Spiritum Dei*. Quos enim in *Adoptione* Deus pro filiis habet, hos ordine priùs per Spiritum in vocatione efficaci regenuit. At hoc nil dicit quin id fiat per intermediam in *Justificatione Christi receptionem*. Agnosco lubens nos per fidem Christum recipere æquè in *Adoptione* ac in *Justificatione*. At ut hoc totum intelligatur de *receptione* illâ quæ in *Adoptione* fit, *exclusâ illâ* quæ ordine priùs in *Justificatione* facta est, nil hîc cogit, imò ne verisimiliter quidem probat.

Ut illud præterea adjiciam. Hæc Doctissimi Viri interpretatio ut *Justificationem* excludit, ità *Regenerationem* & *Adoptionem confundere* videtur, quæ naturâ suâ distinctæ sunt. Quamvis enim (quod dicit) *cum ex Deo geniti sumus*, *Dei filii facti sumus*, at non eodem prorsus modo; per *Adoptionem* enim tales sumus χάριτος tantùm & *imputativè*, per *Regenerationem* verò *realiter*, & (si ità de Divinis hisce loqui liceat) modo *Physico*.

Quanta ergo rectiùs, & pleniùs, & gratiæ Divinæ οἰκονομίας convenentiùs dicere possemus Tria hæc *Regenerationem*, *Justificationem & Adoptionem* verbis illis contineri & exprimi? ut primùm in *vocatione regeniti* per *fidem* in

Justificatione Christum recipere dicamur, atque ità à peccatorum reatu priùs liberati, in *Adoptione* tandem ut *filii* habeamur & tractemur.

Atque hæc de primâ D. Viri ad locum istum responsione, Receptionem scilicet eam Christi, *Adoptioni* non *Justificationi* convenire.

Secunda sequitur, quæ spectat collatum in eos qui Christum receperunt beneficium, in illis verbis ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι *Dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Atque hîc distinguit inter ipsam *filiationem*, & *filiorum* ἐξουσίαν, vel inter *filium* quoad ipsam *filiationem* & statum & quoad *filiationis prærogativas*; quæ duæ ut *naturâ* distinguuntur, ità & *tempore* aliquando multùm distant. *Filius quamdiu sub Tutoribus est*, Filius est, sed tamdiu Filii authoritatem potestatem, hæreditatem non adit. Gal. 4. 1, 2. Nos etiam nunc filii Dei sumus, sed nondum *manifestum est quod erimus* 1 Johan. 3. 2. atque ideò, quoad hoc *adoptionem* nostram etiamnum *expectare* dicimur Rom. 8. 23. Duo ergo opera hîc distingui dicit, *Dei Patris* unum, in illis verbis *qui Christum receperunt*; cum enim *Christi receptio eadem* cum *efficaci vocatione* & *Adoptione* sit, hæ Patris operationes sunt, adeoque & *Filiatio Patris* opus est. Alterum verò & distinctum opus *Christi Filii* est, quod in illis verbis continetur ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri.* At hoc non ipsam *filiationem*, sed *filiorum prærotivas* designat, quales sunt *Justificatio*, *Sanctificatio*, & ea reliqua quæ Adoptionem sequuntur omnia. Summa hæc est, hæc duo in istis verbis poni. 1. *Deus pater* dat ut *primò filii* simus, quatenus nos per *efficacem vocationem* & *Adoptionem* ad Christum *trahit* Johan. 6. 44. 2. cum ità jam facti filii sumus, *Christus Filius nos ad Patrem ducit* Johan. 14. 6. 1 Pet. 3. 18. & filiorum *prærogativas* omnes (inter quas *Justificatio* una est) nobis communicat; adeòque vel ex hoc loco inprimis *Filiatio* & *Adoptio Justificatione prior* erit.

Resp.

Pulchra quidem hæc sunt & concinna admodùm fateor. Vereor tamen ne non æquè verè ac doctè atque argutè dicta sint. Plura enim (ut opinor) animadversione opus habent.

1. Quod eâdem chordâ semper erret dum *Adoptionem rem eandem cum vocatione efficaci* esse statuit. Quia enim nulla unquam potest esse justitiæ Christi communicatio, quæ fit in Justificatione, ante ipsius receptionem, ad eum accessum, & cum eo unionem quæ primo fit in efficaci vocatione, hinc sequitur quod cum Adoptionem cum vocatione confundat, hanc *Christi receptionem* & cum eo unionem *Adoptioni* tribuat, atque ideo *Adoptionem Justificatione* naturâ & ordine *priorem* esse statuat.

At nos contrà, quamvis concedamus atque ultro profiteamur primum ad Christum tractionem & accessum primam ejus receptionem, primam denique cum eo unionem in efficaci *vocatione* (quæ omnium prima est) fieri, atque naturæ ordine Justificationem præcedere: Dicimus tamen malè hæc omnia *Adoptioni* primitùs attribui, atque exinde Adoptionem Justificationi præponi, nisi primò probatum dederit *vocationem & Adoptionem res easdem esse*; quod nos falsum esse, easque toto genere differre satis priùs evicimus; adeòque quamvis vocationem Iustificationem Adoptionem *tempore simul esse* credamus, dicimus tamen hanc Divinæ συγκρίσιν in his conferendis rationem & ordinem

Chamierus verò Justificationem omnium primam esse vult, & ipsâ creatione in Christo priorem. Tom. 3. l. 21. cap. 4. §. 22.

ordinem esse, ut *primò in vocatione ad Christum per fidem accedentes*, eum *recipientes*, atque cum eo uniti priùs gratuitò condonatis peccatis *pro reis justi* reputemur in *Justificatione*, atque ità demum peremptis & abolitis inimicitiis ad *filiorum evehamur fastigium*. Hîc ergo πρῶτον ψεῦδος est quod vocationem efficacem cum Adoptione confundat.

2. Quòd Adoptionem ità ad *Deum Patrem* solum restringat, ut *Christo Filio* in eâ conferendâ omnes partes adimat, quod in solutione primi argumenti satis refutavimus. Concedit quidem (Tractatûs sui cap. 18. *Christum Filium medium* esse quò *Deus Pater* omnia hæc beneficia (atque inter ea Adoptionem etiam) ex *gratiâ donat:* ità tamen ut quod ad Justificationem Sanctificationem Glorificationem (quas filiorum *prærogativas* vocat) Christus & medium, & Dominus & dator earum sit. Quod verò ad vocationem, Regenerationem, Adoptionem attinet, *medium* tantùm sit, *Dominus* verò eorundemque *Dator* solùs *Deus Pater* sit. At quàm hoc ἀθεολογον cum Christus (ut cum Doctiss. *Camerone* loquar) *bonorum omnium Procurator, Dispensatorque quæ in nos à Patris ipsius sanguine reconciliati benignitate proficiscuntur.* Si enim Christum spectemus, *in Matt. 16. 18. pag. 16.*

Vel ut *Filium*, secundam in S.S. Trinitate Personam, cum ità æquè ac Pater Deus sit, omnia hæc *ad extra* opera æquè cum Patre communia sunt. Vel si ut *Mediatorem* θεάνθρωπον, vel ità eorum omnium non solùm quoad *meritum procurator* est, & conferendi medium, verùm etiam & quoad ἐξουσίαν & *Dominium* eorundem *Dispensator*, utpote *omnium hæres.* Heb. 1. 2. & *Dominus* Matth. 28. 18. *cui Pater omne dedit judicium* Iohan. 5. 22. *qui Dei domui præest non ut servus, sed ut Filius* Heb. 3. 5, 6. ità ut omnia quæ per meritum impetravit pro imperio etiam dispenset & administret; neque quoad hoc sit aliquid inter *vocationem* & *Adoptionem* ex parte unâ, & *Justificationem* & *Sanctificationem* ex parte alterâ discriminis. Omnia hæc & meruit & confert. De merito nil utrinque dubitatur; neque minùs constat de actuali collatione: De Iustificatione & Sanctificatione fatetur Doctissimus Adversarius, neque immeritò; nam

Quod ad *Justificationem* attinet: ῥητῶς Christo tribuitur. *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos* Isa. 53. 11. ut *autem sciatis potestatem habere filium hominis in terrâ remittendi peccata* Matth. 9. 6. quod ex sensu Apostoli *justificare* est Rom. 4. 6, 7, 8.

Quod ad *Sanctificationem*, aperta hæc sunt ἡγιασμένοις ἐν χριστῷ Ἰησοῦ 1 Cor. 1. 2. *Christus dilexit Ecclesiam ut eam sanctificaret* Ephes. 5. 25, 26. Nam *& qui sanctificat & qui sanctificatur ex uno sunt omnes* Heb. 2. 11. Nam *Spiritum sanctificantem* mittit, qui hoc opus peragat; *caput* est ex quo gratia sanctificans in *membra* defluit.

At de his non ambigitur. Quæritur tantùm de *vocatione* & *Adoptione*, an ità Dei *Patris* opera sint propria, ut *Christo* non sint itidem communia? Hoc hîc asserit Vir Doctissimus; at non ità Sacra Scriptura.

Vocationem quidem sæpiùs Deo *essentialiter sumpto* tribuit quin & Deo *Patri*; at *Christo* eam non derogat, imò assignat κλητοῖς Ἰησοῦ χριστοῦ *vocatis à Iesu Christo* Rom. 1. 6. Et quidem si *Sanctificationem* (quod faciunt) ei ascribant, quomodo *vocationem* (quæ *inchoata est Sanctificatio*) ei denegabunt. *Beza Piscator.*

At

At *Adoptionis* forsan alia videtur esse ratio; cum enim *filiorum est adoptio, Patris* (qui *filio correlatum est*) erit propria. Huic priùs responsum dedimus.

Ab Gnolam. Et quidem *Patris* licet *Filius* sit, nobis tamen etiam אב עולם *æternitatis* Pater est Isa. 9. 6. Quin etiam ut Filius est, *primogenitus* est; nos ejus æquè dignatione ac merito filiationis ejus participes facti, & *fratres* & *filii* ejus sumus Heb. 2. 11, 12, 14. Quod & clarè admodùm clamat insignis iste locus de quo jam agimus, ubi de Christo dicetur ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτοῖς τέκνα Θεοῦ γενέσθαι.

3. Nam illud 3. animadvertendum est quòd verba ista loquantur de *ipsâ filiatione*, non solùm de *filiorum privilegiis*, ut vult Vir Doctissimus. Ex ejus enim sententiâ hic eorum sensus esset; quos Pater priùs *vocando* regenuit, & *Adoptando* filios effecit, his ex consequenti Christus sequentia filiorum privilegia & hæreditatem, *Justificationem* scilicet, *Sanctitatem* & *gloriam* dedit. At longè aliud sonant verba ista; non *filiorum jura*, sed ipsum *jus ad filiationem* ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι *jus hoc ut filii* Dei *sint facti*, ut *Beza*. Vel, ut *Vulgatus*, *Potestatem dedit* (non ut Deo Patre priùs filii facti ex Christi postea dono filiorum hæreditatem adeant, sed) *filios* Dei *fieri*. Donum scilicet hoc est *ipsa filiatio*. ἐξουσία hæc est & privilegium primarium, ex quô quidem sequuntur privilegia illa reliqua, & æterna tandem hæreditas, de quibus solis hæc interpretatur vir doctus, sed perperam.

4. Et (quod 4. in loco animadverto) in quo à nostris Interpretibus recedens ad *Pontificiorum* propriùs accedit interpretationem; *Maldonati* scilicet (cui etiam concinit *Grotius*) qui *filios* Dei hîc non intelligi eos dicit, qui *ex* Deo *jam geniti*, sed *eos qui filiorum fruuntur hæreditate*, *qui in cælo quasi in domo* Dei *sunt*, ut hic sit sensus, eis qui ex Deo geniti eum receperunt dedit *jus ad fruitionem olim in cælo hæreditatis*. Quæ quidem priùs *Theophylacti* interpretatio fuit. Sic enim ille οὐκ εἶπεν ὅτι ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν ἐποίησεν αὐτοὺς τέκνα Θεοῦ, ἀλλ' ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτοῖς τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, τυπέστιν, ἐν τῇ μέλλοντι αἰῶνι ἀπολήψεσθαι πάντας τὴν χάριν. Quam ergo interpretationem eo nomine quòd *Theophylacti* sit, non adeò solicitandam esse vellem, imò neque ideo rejiciendam, quod *Pontificii* alicujus, ne quod *Maldonati* (præ reliquis maledicentissimi) sit, si modò vera & genuina sit; quæ quantum ab hoc absit *Gomarus* in loci hujus examine satis explicavit. Futuram ultimo die glorificationem agnosco *Adoptionem* vocari Rom. 8. 23. at non *propriè* ut vult *Iesuita*, sed *Tropicè*, pro *Adoptionis* scilicet *patefactione*. At hîc de *ipsâ filiatione* agitur, eâque non olim demùm *futurâ* (quò trahi potest *Vulgati Interpretis* lectio *potestatem eis dedit filios* Dei *fieri* in futuro scilicet) sed ut jam *simul ac crediderint Christum receperint peractâ*: unde *Beza* rectiùs reddit, *dedit eis hoc jus ut filii* Dei *sint facti*. Quod ipsum verbum γενέσθαι æquè significare ipse fatetur *Maldonatus*, ut hic sit sensus, eis qui credidissent in nomine ejus hunc honorem, hanc dignitatem tribuisse ut filii Dei non posteà fierent, sed etiam essent. Qui sensus (ipso fatente) ei aliquando placuit. Sed quid tandem? Audite Iesuitam & ingenium Iesuiticum, *Maldonati* inprimis. subjungit enim „ Displicuit postea, cum magis consideravi, cumque hæc apud „ hæreticum Interpretem legi; *Bezam* intelligit. Hem quàm perversè quàm Iesuiticè scilicet *Iesuitis Maldonato* præ reliquis solenne est, ut *veritatem*

licet

ſaltem aliquando *videant*, vel ideò tamen quia illa à *noſtris* explicata eſt, iis invideant, atque eo nomine *rejiciant*. Ego *Maldonato* (quamvis id meruit quidem) ex *talionis lege* ſimilem vicem rependi nollem ut hanc verborum iſtorum interpretationem eò quòd *Maldonati* ſit rejici vellem, ſed quia *ſenſui loci non adeò conveniat*. At utrâque de causâ doctiſſimum virum (à *Jeſuitæ* tam *malitiâ* quàm *Heterodoxiâ* alieniſſimum in hujus tamen loci expoſitione quoad hoc ſaltem, eandem cum eo ferre ſententiam, dum ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι exponi vult non de ipsâ *filiatione*, ſed de ſolis ſubſequentibus *prærogativis* & *hæreditate*, nimirum ut *hypotheſi* ſuæ inſerviret, quâ *Juſtificationem Adoptione poſteriorem* eſſe ſtatuit, atque ideò jus hoc ad filiationem quod hîc ex *Chriſti receptione* (quæ in *Juſtificatione* fit) ſequitur, non *ipſam Adoptionem* denotare, ſed priùs *Adoptatorum privilegia*.

Atque ità tandem pertractata fuit de *Juſtificationis* præ *Adoptione prioritate* Controverſia, unáque *Juſtificationis* cum *Adoptione* inſtituta Collatio.

Jam tantùm reſtat ut quid inter *Juſtificationem*, & *efficacem vocationem*, *Regenerationem* & *Sanctificationem* diſcriminis ſit videamus. Tres iſtas, *vocationem*, *Regenerationem*, *Sanctificationem*, ideò conjunximus, non quòd uſquequaque & omninò idem ſint, ſed qnòd in uno conveniunt, in quo à *Juſtificatione* differunt. *Vocatio.* *Regeneratio.* *Sanctificatio.*

Efficax vocatio & Regeneratio non quidem eandem loquuntur, pro vario tamen loquendi modo, & conceptu, utraque *primam* in animam *gratiæ infuſionem* ſignificat;

Quæ quatenus *Deum* externè per verbum, per Spiritum internè efficaciter nos alloquentem & *vocantem* ſpectat paſſivè *vocatio* dicitur 2 Tim. 1. 9.

Quatenus in eâ à peccato ad Deum *convertimur*, *Converſio* תשובה Ezek. 18. *Teſhubah.* ἐπιστροφὴ Act. 15. 3.

Quatenus ex *ſemine verbi* & Spiritûs *novam Spiritualis vitæ ingenerationem* connotat, ἀναγέννησις 1 Pet. 1. 23. παλιγγενεσία Tit. 3. 5. μεταμόρφωσις, ἀνακαίνωσις Rom. 12. 2. ἀνανέωσις Epheſ. 4. 23. καινὴ κτίσις 2 Cor. 5. 17. *Regeneratio*, *Renovatio*, *Nova Creatura*, & his ſimilia.

At *Sanctificationis* vox latiùs patet, atque non ſolùm *vitæ Spiritualis ingenerationem*, (quaſi eadem eſt cum *vocatione efficaci* & *Regeneratione*) ſed & ejuſdem *augmentum*, *profectum*, ipſamque adeò *perfectionem* & *conſummationem* complectitur: Quod etiam de *Converſione* dici poteſt, quæ non ſolùm *primum convertendi actum* denotat, ut in illo loco Act. 26. 18. *ut convertas eos à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum*, ſed ad *totum pietatis curſum*, à carceribus ad metam, à primâ vocatione ad noviſſimam omnium in glorificatione conſummationem extenditur. *Curſus*, inquam, hic *totus* ab *incepto ad confectum uſque iter*, ad illud Apoſtoli ἡ ἀναλυσίς μου παρέστηκε *Converſio* 2 Tim. 4. 8. jure dici poteſt, idque duplici ratione.

1. Reſpectu *primævæ* noſtræ à *Deo à verſionis*, quæ tanta eſt ut non in ſolâ primâ converſione, verùm poſt maximos in fœliciſſimo hoc itinere progreſſus, dum adhuc viatores ſumus, tantùm in *reditu* ſumus. Hîc *progredi eſt regredi*; dum *progredimur*, *redimus*. Non ἐγγίζει, τὸ βεβαίως ἐγγίσαι πλήσιος, nondum Deum, à quo averſi eramus, plenè attigimus. Unde de *Sanctiſſi-*

morum conversione legimus Isa. 44. 22. vel ipsius *Jeremiæ* cap. 15. 19. *si convertêris* i. e. *uti cœpisti*, ut interpretatur *Zanchius*.

Jer. 3. 2. 2. Respectu *diverticulorum in ipso reditu*; dum enim redimus, sæpiùs à rectâ semitâ divertimus, ut quotidie renovatâ conversione opus sit. Huc illud refer Servatoris ad Petrum Tu *conversus* (post lapsum scilicet) *confirma fratres* tuos Lucæ 22. 32. Quò & illud spectare potest quod jam de *Jeremiâ* adduximus *si convertêris* (*à tuâ* scilicet *diffidentiâ, pusillanimitate & impatientiâ*) *ego te convertam.* *C. à Lapide.*

Sed ipse potiùs ex hoc diverticulo redeam. Id quod jam ago hoc est; ut conversio non solùm primum revertendi actum significat, sed totum insequentem progressum; sic Sanctificatio non tantùm primam gratiæ infusionem, sed & ejus augmentum & profectum donec perficiatur in gloriâ. Sic rectè *Martinius* ad vocem *Sanctificatio. Sanctificatio, Regeneratio & Regenerati gubernatio ad studium bonorum operum.* Et novam vitam & novam obedientiam in se continet.

Inchoata est. Sic *Gentes* in primâ suâ conversione *sanctificari* dicuntur Rom. 15. 16.

Promota. Sic Apoc. 22. 11. *qui sanctus est, sanctificetur adhuc.*

Perfecta denique. Sic 2 Cor. 7. 1. *perficientes sanctificationem. Ipse Deus pacis sanctificet vos totos* ὁλοτελεῖς καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα & quæ sequuntur cætera 1 Thess. 5. 23.

His ità præmissis, cum ex dictis jam novimus quid in se sint *Vocatio*, *Regeneratio*, *Sanctificatio*, & quomodo inter se differunt, facilè constabit (quæ jam quæritur) harum omnium à *Justificatione* (quam nunc tractamus) *differentia*; Quæ optimè atquè accuratè satis explicatus in *Cathechismo* nostro *Majori*, cui nil opus est ut addamus aliquid.

Brevissimè ergo notemus aliqua differentiæ hujus capita.

Primum *Naturæ ordinem* spectat, qui sic se habet. *Justificatio posterior est efficaci Vocatione, Regeneratione* (& *Sanctificatione* etiam quatenus cum *Regeneratione* eadem est) & primam gratiæ infusionem significat. Hunc ei locum assignat *Apostolus* in aureâ illâ suâ catenâ Rom. 8. 30. *Quos autem vocavit, eos & justificavit.* Hunc etiam deposcit *Ratio.* Cum enim per *fidem* tanquam per Instrumentum *justificemur* Rom. 5. 1. Necesse est ut fides se antecedenter habeat ad Justificationem actualem; Nam de justificatione illâ *Antinomorum ab æterno*, vel à *Protevangelio Protoplastis annuntiato*, ut aliis visum est, vel à *morte Christi*, ut aliis, jam non disputamus; hoc forsan in posterùm fiet. Sed cum ad actualem justificationem ex antecedente requiratur fides, ad ipsam fidem antecedenter requiritur in Regeneratione & Sanctificatione (quam vocavimus) inchoatâ Gratiæ infusio, cujus pars primaria fides est. Necesse ergo est ut *Justificatio* (quæ ad sui productionem *prærequirit fidem* actualem, imò & actum fidei) *posterior sit Vocatione* & *Regeneratione* (quæ fidem istam ingenerat) atque ità *Sanctificatione illa inchoata.* Si verò *Sanctificationem* vel *promotam* vel *perfectam* spectemus, quatenus habitûs hujus robur & augmentum denotat, atque opera tam interna quàm externa Sanctificationis & novæ obedientiæ; sic *Justificatio* hâc *Sanctificatione* omninò *prior* est, dum *Christo* tanquam *radici* nos inserit, *ex quo solo fructus noster omnis inventus* Hos. 14. 8.

Johan.

Johan. 15. 4. Qui ideò in primâ vocatione nobis primò *sapientia factus* est, 2. *justitia* in justificatione, & 3. loco *Sanctificatio*, atque tandem ultimò *Redemptio* i. e. plena glorificatio 1 Cor. 1. 30. prout in ultimò aureæ illius catenæ annulo (*quos ex antecedente justificavit, eos ex consequente glorificavit*) *Sanctificatio* ista sub *glorificatione* continetur, cujus inchoatus gradus est, adeoque *justificatione posterior* est: cujus & *fructus* & (quicquid in contrarium blaterant *Antinomi*) *indicium* est, juxtà illud Apostoli 1 Johan. 3. 7. *qui facit justitiam, justus est.* *Rom.* 8. 30.

2. Prima illa inter has differentia *naturæ ordinem* spectavit, secunda *ipsam* in se *naturam* respicit. *Justificatio* (ut & *Adoptio*) tota in se χσπκὴ & relativa est. At *Vocatio efficax*, *Regeneratio*, & *Sanctificatio* aliquid *absolutè & simpliciter positivum* & *inhærens* ponunt. In *Justificatione* est *mutatio status moralis*, in *Sanctificatione mutatio* est *Physica*, illa *conditionis relativè quoad Deum*, hæc *qualitatum internarum in nobis ipsis*. *Forbesius* quidem cum *vocationem efficacem rem eandem cum Adoptione* esse voluit, necessum habuit ut *eam* æquè ac *Adoptionem totam* χσπκὴν esse assereret. At verò *vocatio hæc efficax*, quæ *passivè* sumitur, quatenus homo vocanti Deo accedendo respondet, gratiæ *infusionem*, Regenerationem, Sanctificationem inchoatam loquitur; ubi Deus *suis dat cor novum, & Spiritum novum ponit in medio eorum* Ezek. 36. 26. At hoc *positivum* quid *inhærens*, *inhabitans* clamat, ex efficaci scilicet Dei inoperatione, non (prout in Justificatione fit) nudâ reputatione. Quòd aliquis ex *solâ imputatione Regenitus*, *vocatus*, *sanctificatus* sit quis dixerit? At quòd sic *justificatus* sit dici & optimè potest & omninò debet Rom. 4. *Motus moralis non physicus. Wotton.* *Vide cap.* 19.

3. In Justificatione *peccatum non imputatur* Rom. 4. 6, 7. In Sanctificatione sub *jugum* mittitur, *crucifigitur*, tandemque *aboletur* Rom. 6. 6. Pro exemplo sit *fur ægrotus*. Sit aliquis furti vel homicidii reus, atque valde ægrotet insuper. Ut hic ὁλόκληρος atque ex integro salvus sit opus habet ut & *veniam* habeat quâ tollatur *reatus*; hoc præstat *Justificatio*: quin & medicinam, quæ *morbum* vel *vulnus sanare* potest; hoc confert *Sanctificatio*.

4. Unde 4. in loco Justificatio fidelium omnium *æqualis* est, non item *Sanctificatio*. Cum dico Justificationem omnium æqualem esse, non hoc dico ratione habitâ *peccatorum quæ remittuntur*, quæ aliquorum plura & majora sunt, pauciora, minora aliorum. Sic *huic multum*, *alteri paululum remittitur* Lucæ 7. 47. sed respectu *remissionis*, quia quotquot vel quantacunque peccata fuerint, *ex æquo omnibus remittuntur omnia* עָוֹן וּפֶשַׁע וְחַטָּאָה Exod. 34. 7. *Manassæ* æquè *ac Josiæ*: respectu etiam ejusdem *Christi* quem totum ad justificationem plenariam *æquè* capit ac tenet qui in *fide infirmus* est, ac qui (*Abrahami instar*) *in fide* maximè *corroboratus est*. Unde ἰσότιμος πίστις dicitur 2 Pet. 1. 1. At quoad *Sanctificationem* longè aliter se res habet. Quamvis enim hîc omnia agit *unus idemque ille Spiritus*, *dividit* tamen *singulis prout vult*. *Unusquisque enim proprium donum habet*, ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ οὕτως 1 Cor. 7. 7. ità ut pro *variâ S. Spiritûs* & πολυποικίλῳ χάριτος *communicatione*, *fidei* ἐνεργείας, *fidelium* denique *ætate*, indole ac *diligentiâ* alii in fide *infirmi*, alii *confortati*, hi *pueruli*, illi *juvenes*, *Patres* alii 1 Johan. 2. 12, 13, 14. *Gnavon Vapeshang Vechataah.* *Rom.* 4. 20. 1 *Cor.* 12. 11

5. *Iustificatio* aliquo sensu *simul & semel peragi* rectè dici potest. At *Sanctificatio* (nisi *primam Regenerationem* mox exceperit *Glorificatio*, quod furi in cruce converso accidit) paulatim, gradatim ad perfectionem adolescit. Τὰ μὲ ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος κατὰ σκοπὸν διώκω Phil. 3. 13, 14. Hic σκοπὸς Phil. 1. 25. ἐπιπλοκὴς ἀγωνιῶλω 2 Cor. 7. 1. At *Iustificationem* aliquo sensu *simul & semel* peragi dixi, nimirum quatenus *sententia justificatoria* consideratur quoad *statum*, fidelis enim quivis à primâ Regeneratione ita justificatur ut *nunquam posteà in condemnationem venturus* sit Rom. 8. 1, 33, 34. *Præterita peccata* omnia ità remittuntur ut ne ex *futuris*, *statu* illo *totus* ac penitùs *excidat*. Si verò Iustificationis & Remissionis hujus *certiorationem* spectemus, ea quidem crescit, eosdemque quos ipsa *Sanctificatio* progressus facit. Si verò *particularem* atque *actualem futurorum peccatorum condonationem*, atque primæ illius *justificatoriæ sententiæ applicationem*, hæc non nisi post peccatorum illorum commissionem per *renovatos fidei actus* expectanda est. Quâ de re amplior erit dicendi locus.

6. Hinc ultimò sequitur Iustificationem quoad sententiam illam justificatoriam & quatenus statum spectat in hâc vitâ donec viatores sumus perfectam esse. At claudicamus interim; *peccamus adhuc* 1 Iohan. 1. 8, 9. *Mors sola* ἀμαρτίας ἐγκοπὴ, *peccatorum sepultura. Spiritus justorum consummatorum non* hîc spirant. Ad perfectionem hanc aspirant quidem in cælis tandem obtinendam.

Atque jam tandem primam Quæstionem absolvimus; Quid in se fit *Iustificatio*: & quo in sensu sumatur in *Paulinâ* de eâ *Disputatione*; Cui annexa fuit ejus cum reliquis gratiæ donis salvificis collatio.

Quæstio Secunda.

SEcunda (quam proposuimus) præliminaris Quæstio hæc erat, Quænam ea sunt *opera*, quibus in Sacrâ Scripturâ derogatur nostra *Iustificatio*?

In Sacrâ enim Scripturâ, præsertim in Scriptis Paulinis cum de nostrâ ad salutem & vitam æternam electione, *vocatione*, *acceptatione* vel *Iustificatione* agitur, ab his promerendis, producendis, impetrandis *opera nostra opera legis*, *lex*, & *lex operum* ablegantur.

Sic quod ad *salutem* attinet *Gratiâ estis servati per fidem*, *non ex operibus ne quis glorietur* Ephes. 2. 8, 9. & Tit. 3. 5. *non ex operibus justis*, *quæ fecimus nos*, *sed ex suâ misericordiâ servavit nos.*

Quod ad *vocationem*. *Qui servavit nos*, *& vocavit vocatione sanctâ*, *non secundùm opera nostra*, *sed secundùm propositum & Gratiam* 2 Tim. 1. 9.

Quod ad *Iustificationem* denique illud ῥητῶς extat Gal. 2. 16. εἰδότες ὅτι, &c. *scientes hominem justificari ex operibus legis*, *sed per fidem Iesu Christi*, *etiam nos in Iesum Christum credidimus ut justificaremur ex fide Christi*, *& non ex operibus legis*, *propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro.* Ubi scienter signanter, & triplici negatione asseveranter *Iustificatio operibus legis* derogatur.

Rom. 3. 20. *propterea ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus.* unde tandem v. 28. *sic concludit* λογιζόμεθα γάρ, &c *Colligimus ergo hominem justificari fide absque operibus legis.*

Quæ-

Quæ idcirco vocatur *Justitia absque operibus* Rom. 4. 6. *ad quam* Judæi ideò non *pervenisse* dicuntur, quia *eam consectabantur* non *ex fide*, sed *velut ex operibus legis*. Rom. 9. 31, 32.

Imò non veretur idem Apostolus illud in genere affirmare ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσὶν *Quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt* Gal. 3. 10.

Cum ergo hisce in locis atque aliis crebrò & exertè à Justificationis nostræ causalitate removeantur. 1. *Opera* simpliciter & absolutè dicta ut Rom. 9. 11. Ephes. 2. 7, 8. 2. *Opera nostra* 2 Tim. 1. 9. *quæ nos fecimus* Tit. 3. 5. 3. *Opera legis* Rom. 3. 20: 9. 31, 32 Gal. 2. 16: 3. 10 ut & *Lex operum* Rom. 3. 27: Ut toti futuræ nostræ de Justificatione disputationi lucem fœneremur; Operæ pretium, imò fere necessarium erit altius, imò & anxiùs disquirere, *quænam* demùm ea *opera nostra* sint, *cujusnam* etiam *legis opera* & *quæ lex operum*, quibus omnibus adeò præcisè adimit Apostolus omnem in *Justificatione* nostrâ absolvendâ vel meritum vel efficaciam.

Hâc de re varia fuit, atque adhuc est, variorum sententia.

2. *Pontificiis*, vel saltem eorum aliquibus primò visum erat dicta ista ad *legem* solam *Ceremonialem*, ejusque opera restringere. Cum enim Judæi & Judaizantes Pseudoapostoli & eorum sequaces hybrides Christiani post Evangelium jam ortum legis *Ceremonias*, atque inter eas *Circumsionem* (quæ eorum prima atque primaria fuit) inprimis & impensius urgebant (ut constat ex Act. 15. 1. & aliunde pluries) cujus idcircò Apostolus in Epistolâ suâ ad *Romanos*, ut & illâ ad *Galatas* ubi de justificatione disputat, sæpiùs meminit, eique semper *justificationem* derogat; Putârunt inde de eâ solâ agi, eamque solam in totâ hâc disputatione à Justificationis negotio submoveri, quia de hâc erat præcipuè quæstio, non de *lege morali*, *ejusque operibus*, de quibus videtur non fuisse cum eis controversia.

Hanc sententiam inprimis sequitur *Alphonsus à Castro contra Hæreses*, ad vocem *Fides Hæres.* 2. ubi dicit *Paulum loqui de operibus legis veteris, putà de Ceremoniis, & aliis ritibus, quæ omnia fuerant per Christi mortem deleta, & nullam penitùs virtutem habentia, quapropter nec justificare quenquam poterant, non autem loquebatur de operibus aliorum præceptorum Decalogi*, quòd ex eo probare nititur, quia statim subjunxit Apostolus. An *Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium?* In hâc sententiâ prior fuit *P. Lombardus*, quam etiam *Daventria*, *Virvesius*, alii sequuti sunt, quam etiam *Dominicus à Soto* quamvis ipse non approbat, argumentis tamen aliquot verisimilem eam saltem reddere conatur, quorum inter alia hæc duo præcipua sunt. *Fol.* 210. *C. à Lapide opera illa legis ex quibus neminem justificari Apostolus asserit, per lustrationes, asperstiones & sacrificia, (quæ omnia ceremonialia erant) exponit, atque ità ferè Hammondus noster.*

Primum, quòd postquam Apostolus cap. 3. ad Romanos *operibus legis* Iustificationem derogâsset, statim capite 4. *ante Circumcisionem* Abrahamum *justificatum* fuisse dicat, quasi de *lege Circumcisionis*, hoc est *Ceremoniali* tantùm egisset. Hùc etiam adducere solent, quòd Apostolus in hâc disputatione toties *Circumsionis* mentionem faciat, eamque sæpiùs pro *lege ejusque operibus* quasi exemplum ponit.

Secundum, quòd ad *Galatas* 2. *Petrus* eò quòd *Ceremoniis* aliquanto indulgentior fuerat, hoc argumento à Paulo *reprehensus* erat, quòd non *justificatis*

cetur homo ex operibus legis, quod prorsus ἀπροσδιόνυσον fuisset, nisi de lege *Ceremoniali* intelligendum esset.

Sed hæc ipsa *Dominici* argumenta vel sibi ipsi persuadere non poterant, ut hanc amplecteretur sententiam: atque ipse *Alphonsus*, quamvis hanc *Theophylacti*, *Ambrosii* & *Hieronymi* expositionem esse glorietur, huic tamen non adeò confisus alteram subjungit, atque de operibus *legis moralis* intelligi *posse* concedit, imò & *debet* ex sententiâ *Thomæ*, *Dominici à Soto*, pluriumque Pontificiorum Interpretum, ipsius etiam *Bellarmini*, qui lib. 1. de Iustific. cap. 19. concedit his Apostoli verbis à Iustificatione excludi non solùm legalium *ceremoniarum observationem*, sed etiam *moralium*, nec mirum, cum S. Augustinus tam exertè hâc de re suam protulerat sententiam. Sic enim *de* „ *Spiritu & literâ* cap. 7. habet „ *Ac ne quisquam putaret hîc Apostolum eâ* „ *lege dixisse neminem justificari, quæ in Sacramentis veteribus multa continet* „ *figurata præcepta, continuò subjunxit atque indicat quam legem dixerit, cum* „ *ait Per legem enim agnitio peccati. Illa igitur lex est, de quâ postea dicit,* „ *Peccatum non novi nisi per legem.* Et rursus cap. 14. „ *Legem ex quâ ne-* „ *minem dicit justificari, non tantùm in illis Sacramentis quæ habuerunt promis-* „ *sivas figuras, verùm etiam in illis operibus vult intelligi, quæ quisquis fecerit* „ *justè vivit.*

Benè ergò habet, vel ipsis *Pontificiis* fatentibus disertis Apostoli verbis derogatur Iustificatio operibus non solùm *ceremonialibus*, sed & *moralibus*. An non ergo actum est in universum de *Pontificiâ ex operibus justificatione?* Acumina hîc *Loyolitico* opus est, ut quod Apostolus de omnibus in universum operibus dixerat, distinctione eludant, quò meliùs elabantur.

2. Secundò ergo dicunt, quamvis ex Apostoli mente à *Justificationis formali* ratione arceantur opera non solùm *ceremonialia*, sed etiam *moralia*; non tamen *omnia*, non *ea quæ fidem sequuntur*, atque *ex fide fluunt*, ex quibus nos justificari acerrimè contendunt. Quænam ergò *exclusa* volunt? Ea scilicet, quæ ante *fidem susceptam facta* sunt. Sic *Alphonsus*. Vel quæ *fidem præcedunt*; Sic *Becanus*, *Bellarminus*, alii. At quænam ea demùm sunt? Variè hoc efferunt; aliquando, idque sæpiùs, sic: *Quæ solis viribus liberi arbitrii fiunt.* Aliquando sic, *Quæ viribus naturæ* fiunt; aliquando sic, *quæ propriè opera legis sunt*, ea verò sunt, quæ vel ex *solâ legis cognitione*, vel *obligatione & coactione fiunt*, hoc est (*Salmerone* interprete) ut *Moysi legislatori pareatur*, atque *à lege comminante pœnas temporales, vel alliciente carnalibus promissionibus.* Hanc communem omnium (ut opinor) *Pontificiorum* sententiam, & dicti Apostolici interpretationem *Bellarminus* se confirmare putat ex *Augustini* & *Hieronymi* testimoniis, atque argumentis ex *capite* 4. *ad Romanos* ductis, ut & ex *Scopo Epistolarum* tum ad *Romanos*, tum ad *Galatas* scriptarum, quem unicum esse vult, ut probetur *neminem justificari ex operibus legis fide in Christum, & gratuitâ Dei misericordiâ.* Summa enim totius disputationis *Paulinæ* (secundùm eos) huc redit, ut probet (non, ut nos, *neminem justificari* ex *operibus*, *sed ex solâ fide*, sed) *neminem justificari* ex *operibus sine fide*, sed ex *operibus cum fide*, sive ex *fide tanquam præviâ dispositione profluentibus.* Hoc scilicet præcipuum, hoc unicum, *Paulum* in totâ

totâ suâ de Justificatione disputatione velle contendunt; hoc ut verissimum ipsi acerrimè propugnant. De quo posteà nobis agendum est.

3. Illud interim monendum est *Grotium* (qui inter nos & Pontificios *conciliator* esse voluit, idque non tam eorum sententiam ad nostram flectendo, quàm nostram minuendo, imò sæpiùs refutando, nosque ipsis propiùs adducendo, prout ex *Annotatis suis ad Consultationem Cassandri*, in quibus plus quàm ipse *Cassander Papizat*, *Annotatisque ad N. T.* præcipuè *Epistolas Apostolicas* cuivis plus satis constat; Monendum inquam est hunc *Grotium* hâc in re (ut in aliis plurimis, in *Pontificiorum* castra transiisse, deque re istâ quam jam tractamus vel tertiam, vel potiùs eandem ferè cum eis tenuisse sententiam. *Legis* enim *opera*, quæ à *justificatione* ab Apostolo *excluduntur* exponit de *externis illis* tantùm *operibus* quæ *Iudæi vi legis* (*promissa tantùm temporalia continentis*) *faciebant*. Ad Rom. 10. 4. Sic loquitur, *Hic est cardo totius disputationis hujus, distinguere justitiam internam ab externâ, & ostendere ad internam nullam esse viam nisi per Christum.* Ut verbo dicam & totam *Grotii* de Justificationis significatione & naturâ, totâque Paulinâ de eâ disputatione breviter exponam sententiam, ità se habet:

1. *Opera legis* ei (ut jam dixi) sunt *opera* vel *Ceremonialia* vel *moralia externa & apud homines laudem merentia*, quæ *Judæi suâ vi præstabant secundùm legem Mosis civilem vitam exigentem, & externa tantum & temporalia promittentem.* Hoc habet in præfatione ad Epistolam ad Romanos, & in Annotatis suis ad cap. 3. 20, 27: 10. 4. ad Gal. 2. 16. & passim alibi. Ut justitia legis illi illa innocentia est, quæ in judiciis secundùm legem valebat, & humanâ ope parabilis est, quæ secundùm legem erat, qualiter à Pharisæis urgebatur. Vide Eum ad Philip. 3. 9.

2. *Fides* in Epistolis *Paulinis* quæ imputari dicitur ad Justificationem ipsi est existimatio magnificè sentiens de Dei potentiâ, justitiâ, bonitate, & siquid promiserit, in eo præstando constantiâ (sic in priùs dictâ *Præfatione* suâ) quæ *fides Christi* dicitur, quatenus *cognoscitur Christus & doctrina ejus:* ità habet ad Philipp. 3. 9, 10.

3. *Justificare* ei nihil aliud est, quàm a *vitiis purgare*, *mundare*, *liberare.* Sic ubique passim, præcipuè in prænominatâ illâ *Præfatione* suâ, & in *Annotatis* ad *Act.* 13. 39. adeò ut idem sit *justificare*, & *cor mundare* Act. 15. 9.

4. Ut secundùm eum tota res huc redeat. Cum Apostolus sæpiùs dicat & fusè disputet *neminem justificari ex operibus legis*, nil aliud vellet quàm *neminem veram atque internam adeoque Deo gratam Sanctitatem & puritatem assequi ex operibus externis & vitam civilem spectantibus, quæ Pharisæi urgebant, & quæ a lege Mosis exigebantur, quæ externis promissis externam illam tantùm exigebat justitiam.* En *cor Zenodoti*, en *jecur Cratetis!* Ut nil hîc dicamus

Quòd cum Pontificiis *Justificationem* pro *eodem* cum *Sanctificatione* habeat, quam apud *Paulum sensu forensi* pro gratiosa *reatûs condonatione* & ad *vitam acceptatione* sumi priùs evicimus.

2. Quod *legem*, quam Apostolus ad Rom. 7. 14. *spiritualem*, & commate 7. *internæ concupiscentiæ* condemnatricem esse dixit, ut ipse Salvator priùs

priùs Matth. 5. 22, 28. ille contrà cum Phariſæis *civilem*, *externam*, imò & *Phariſaicam tantùm juſtitiam exigere* ſtatuat.

3. Quod etiam cum *Pontificiis* & *Socinianis* legem *externa* tantùm & *temporalia ſola promiſſa* continere vult, ex cujus tamen obſervatione Princeps ille Lucæ 18. 18. ex Interpretum ſuorum ſententiâ *vitam æternam* expectavit ut hæc, inquam, omittam omnia.

4. Id quod præſens negotium ſpectat, hoc eſt, quod ſi *Grotiana* hæc interpretatio valeret, Apoſtolus *Paulus* in totâ hâc diſputatione adeò nervoſa & divinâ admodùm, in quâ tantoperè ſudat, & (præter alia quæ in reliquis ſuis Epiſtolis inculcat ſæpius & vehementiùs urget) in duabus illis ad *Romanos* & *Galatas* maximè omnium argumentativis *rem* tantùm *ludicram* ageret, & in eo probando totus ſit, quod nemo niſi male ſanus aliquis unquam negaverit, ſcilicet quod vel *Phariſaica*, *vel externa tantùm quoad homines juſtitia ad veram*, *internam juſtitiam non aſſurgeret*, *cor non mundaret*, *adeòque coràm Deo parùm grata eſſet*: quo quid magis ridiculum, tanto Apoſtolo indignum, adeoque Deo quidem ingratiſſimum? Num vero hoc *acumen* ſapit *Grotianum*? Præ quo in interpretandâ Pauli ad Romanos Epiſtolâ noſtri omnes talpæ & tenebriones ſunt. Sic enim de his ille, *Novi Scriptores magnam lucem polliciti plus caliginis intulere*. At mihi ſatius ſit, certè tutius erit in horum *tenebris deliteſcere*, quàm in *luce tam malignâ* apricari.

in præfat. prædict.

Atque hactenus in Controverſiæ hujus ſtatu conſtituendo Adverſariorum tantùm expoſuimus ſententias, qui omnes non *omnia opera* ex Apoſtoli ſententia à *Juſtificatione excludi* volunt, ſed *quædam tantùm*; ſcilicet vel *ſola Ceremonialia*, ut aliquibus placuit, vel *ſola moralia* illa, *quæ ſine fide vi liberi arbitri fiunt*, ut aliis, *externa ſcilicet*, *& civilem vitam ſpectantia*, ut *Grotio*.

4. At 4. in loco nobis expedita eſt fides *omnia* ſignificari; id eſt, opera omnia tam *ceremonialia* quàm *moralia*, tam cum fide, quàm *ſine fide*, tam ex *S. Spiritûs gratiâ*, quàm ex *viribus naturæ*, vel *liberi arbitrii* facta, tam *interna* quàm *externa*, tam *ſpiritualem* & verè Chriſtianam adeoque & æternam quàm *civilem* vitam ſpectantia ab Apoſtolo excludi non quidem à juſtificatis, ſed à *juſtificatione*, neque verò ab ipsâ *juſtificatione* (cujus comites vel pediſſequæ perpetuæ ſunt & indivulſæ) ſed à *causâ juſtificationis* vel *materiali*, vel *formali*, vel *efficiente*, vel *promerente*, vel *conſtituente*. Cum enim *Paulus opera legis* indefinitè, abſolutè excludit, *non debemus limitare quod ipſe non limitavit*, ut *Salmeronis* utar verbis, qui tamen ità loquendo *meliùs dixit* quàm *fecit*. Qui enim Apoſtoli verba non limitanda rectè dixerat, ea tamen licèt non cum aliis ad *opera ceremonialia* peſſimè, malè tamen ad *opera moralia ſine fide ex vi liberi arbitrii facta* limitavit; nos rectiſſimè ad nullas operum ſpecies limitamus, ſed ad *omnia* in univerſum extendimus, hoc eſt, omnia ex mente Apoſtoli excluſa eſſe contendimus à *juſtificationis* ex ſententiâ Pauli & propriè ſic dictæ *naturâ* & *eſſentiâ*. Si quidem cum *Grotio* & *Pontificiis* per *Juſtificationem Gratiæ infuſionem*, ejuſque effecta intelligeremus, λογομαχία tantùm eſſet, & ludos ageremus, diſputando nimirùm an gratia inhærens, ejuſque opera à ſeipſis excludantur. Cum verò Apoſtolus de eâ *juſtificatione* agat (prout & nos de eadem diſputamus) cui (ut cum *Contareno* loquar) *nos*

incum-

incumbere & niti debemus, nimirum *ad peccatorum veniam*, *reatûs condonationem*, & *divinam ad vitam æternam acceptationem*, ab hac *opera omninò omnia* excludit Apoſtolus, quæ etiam nos ab ea excluſiſſima eſſe contendimus, dque ex mente Apoſtoli, ut & vel ipſius aliàs *Pontificii*, atque *Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Contareni*, qui in *libro ſuo Epiſtolari de Juſtificatione* hæc habet cum noſtra & Apoſtoli ſententia conjunctiſſima, *Reſtat inquirere utrânam* (hoc eſt juſtitia vel inhærente, vel imputata & donata) *debemus niti, & exiſtimare nos juſtificari. Egò prorſus exiſtimo piè & Chriſtianè dici quod debeamus niti, niti inquam, tanquam re ſtabili quæ certò nos ſuſtentet, juſtitiâ Chriſti nobis donatâ, non autem ſanctitate & gratiâ nobis inhærente, quia eſt inchoata, imperfecta, quæ tueri* nos non poteſt, (& quæ apud eum ſequuntur cætera his ſimilia) Quibus nil magis piè vel orthodoxè dici poſſit, nil verè Proteſtantium omnium cauſæ conformius, conducibiliuſve vel *Lutherus*, vel *Calvinus* ipſe dicere potuerit. Nondum ſcilicet adeò ſtabilita erat de re hac fides *Tridentina*, quin *Eccleſiæ Romanæ Cardinalis* dulciſſimam hanc de gratuita per Chriſti *juſtitiam imputatam* juſtificatione & profiteri & confirmare auſus ſit. Sed diu ipſi non licuit, brevi enim morte abreptus fuit, an malis aliquorum artibus ipſe nihil dico, ſuſpicantur tamen alii.

Ad propoſitum redeo. Examinandæ jam reſtant variæ de re quam agimus ſententiæ.

Et quod ad tertium illud *Grotii* commentum, nil opus eſt ut quid ultrà dicamus, niſi quatenus cum duplici illa *Pontificiorum* ſententia idem jugum trahit.

Ad quam utramque meliùs tam expendendam quàm refutandam, duo hæc præmunienda ſunt fundamenta.

1. Primum hoc ſit. Illa ſententia *veriſimilior*, *tutior*, & *Paulinæ diſputationi* & ſententiæ *congruentior* eſt, quæ, (ſi cætera quadrent) *minus nobis, plus gratiæ* tribuit. Apoſtolus enim, ut ubique, ſic præſertim in tota iſta de *juſtificatione* controverſiâ in eo totus eſt ut nobis omnem in nobis metipſis gloriandi anſam abripiat, & totum hoc quantumcunque ſit, in ſolidum Deo, Chriſto, *Gratiæ* tribuat.

At noſtra ſententia, quæ excludit non ſolùm *ceremonialia opera* & *moralia fidem antecedentia*, verùm & *ſequentia*, *minus nobis*, *plus gratiæ* tribuit; & cætera quadrant, ut ex eorum quæ contrà objiciuntur ſolutione poſthac patebit. Ergo *tutor* eſt, & *menti Apoſtoli congruentior*.

At minori propoſitioni. 1. Reclamare videtur Ratio: cum ea ſententia minus gratiæ tribuere videtur quæ juſtificationem *operibus ex gratiâ factis negat*, quæ *noſtra* eſt, quàm ea quæ eam iis *tribuit*, quæ *Pontificiorum* eſt.

Quomodo enim *gratiæ* adverſatur ea ſententia quæ iis ſolis operibus, quæ ex *gratiâ* fluunt juſtificationem tribuit?

2. Altiùs etiam reclamat *Bellarminus* ſuorum ſententiam minus gratiæ tribuere. Nam operibus quæ fiunt ex gratiâ id quod redditur non ſimpliciter *merces*, ſed etiam *gratia* eſt, imò *magis gratia quàm merces*. Sic enim argumentatur de Juſtificat. lib. 1. cap. 19.

Reſpondeo

1. Ad primum, *negando* eam ſententiam minus tribuere gratiæ, quæ juſtifica-

ſtificationem denegat operibus quæ fiunt ex gratia, quàm eam quæ eis eam tribuit. Nam Apoſtolus *opera utcunque ſumpta* vel *undecunque profecta gratiæ opponit.* (*Ei qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam* Rom. 4. 4. & Capite 11. 6. *quod ſi per gratiam, jam non ex operibus, alioquin gratia non eſt gratia; ſin ex operibus, jam non eſt gratia alioquin opus jam non eſt opus.*) Licet igitur quatenus ex gratia juſtificante & dein ſanctificante proficiſcuntur eatenùs ſuo loco & ordine gratiam illuſtrent & evehant, quatenus tamen *opera* ſunt, ſi ad *juſtificationem conſtituendam* (ſupra quod ea Deus unquam voluit) evehantur, eo ipſo quòd *opera* ſunt, quòd quovis modo *noſtra* ſint, *naturæ juſtificationis*, adeòque & gratiæ qua juſtificanti *repugnant.* Quod magis adhuc conſtabit ex ſolutione.

2. Secundæ objectionis, quæ *Bellarmini erat*, nempe quòd illud quòd redditur operibus quæ ex gratia fiunt non ſimpliciter *merces*, ſed etiam *gratia*, imò *magis gratia quàm merces.* Ad populum Phaleras! Quaſi verò

1. Horum *merces gratiæ* deputanda ſit, quæ ex *Romanenſium* ſententia æternæ vitæ ex *condigno meritoria* ſunt, id eſt, ut illis placuit, quibus *vita æterna debetur ex rigore juſtitiæ*, ejuſque *commutativæ*, idque ſecundùm *proportionem Arithmeticam*, ita ut *cœlum* (hoc aſſerentibus *Jeſuitis Colonienſibus*) *venale* proponatur, & *Deus* (*Cajetano* judice) *injuſtus eſſet niſi id illis reddat, idque ob abſolutam æqualitatem inter mercedem & meritum*, prout *Bellarmino* viſum eſt. Hæccine *gratiam* ullatenus ſonant? Nonne ſimpliciter *mercedem* clamant?

Si verò objiciant quamvis *gloriæ merces* ex *condigno ſit*, tamen *opera* quoad eorum *cauſam & originem* ex *ſolâ gratiâ* ſint.

Reſpondeo.

2. Quaſi ea ipſa (de quibus loquitur *Bellarminus*) gratiæ in ſolidum aſcribi poſſint, quæ ex parte ſaltem idque in prima converſione *coordinatè*, imò *quoad ipſius actûs determinationem ad concurſum Gratiæ Divinæ antecedenter à libero noſtro arbitrio & pendent & profluunt.* At *Gratia nullo modo gratia eſt, ſi non omni modo gratuita ſit.* Et Juſtificatio noſtra coràm Deo authore Apoſtolo Rom. 3. 14. διπλοῦν τῷ ὠτὸ χαρίζεσθαι duplici nomine, omni modo, tota quanta ſit (ſecundùm Apoſtoli, noſtrûmque ſententiam) *tota gratuita* eſt. *Noſtra* ergo quæ *totum* hoc *gratiæ* tribuit & *lutior* eſt, & *doctrinæ* & diſputationi *Paulinæ* (ſecundùm primum fundamentum) *congruentior.*

2. Secundum fundamentum hoc eſto. Quæſtio hæc (quam jam in manibus habemus) optimè intelligi poteſt, & dirimi debet ex generali Scopo locorum, in quibus de ea agitur & genuino Controverſiæ ſtatu inter Apoſtolum & illos, quos redarguendos & refutandos ſibi ſumit Adverſarios. Rectè enim *Marcus Antonius* apud *Ciceronem in Oratore* putat *nihil æquè juvare dicturum, quàm reſpicere quàm ceberrimè ad id de quo ſis dicturus.* Rectè etiam *lib* 4. de *Trinitate* dixit *Hilarius intelligentiam dictorum è cauſis ſumendam dicendi*, ut & *Ambroſius* (ſive quiſquis ille erat qui *Commentaria* illa in *Epiſtolas Paulinas* ſcripſit) in *præfatione* ad *Commentaria* ſua in *Epiſtolam ad Romanos* ſic habet;

Principia rerum requirenda ſunt, ut notitia ipſarum poſſit haberi: tum enim demùm facilius poterit cauſæ ratio declarari, ſi ejus origo diſcatur. Rectè qui-

quidem: cum ſemel enim de *portu*, quem appellere velimus conſtiterit, facilior erit de *velificationis* ratione dijudicatio. Atque hoc eò magis hîc diſcutiendum eſt quod *Bellarminus* de juſtific. lib. 1. c. 19. ſuam ſententiam ex *Apoſtoli Scopo* in *Epiſtolis ad Rom. & Galatas* ſtatuminat. Non ergò vos pigeat (Auditores) ſi quod hujus Prælectionis reliquum eſt in re *hiſtoricâ* potiùs quàm *polemicâ* inſumetur, ut inde lucem fœneremur non ſolùm rei quam jam agimus, verùm & toti tam *Paulinæ* quàm noſtræ de *Juſtificatione* diſputationi. Illud ergo (quò fœliciùs controverſiam hanc expediamus) exquiſitiùs indagandum eſt. 1. Quos ſcilicet *Adverſarios* habuit Apoſtolus contra quos præcipuè in *Epiſtolis ad Romanos & Galatas*, adeò operosè diſputat. 2. Quodnam ἐπιζήτημα ſeu τὸ κεντρόμβον fuerit: quid, inquam, ſit quod tam impensè *probare* atque confirmare *ſatagit*. Atque hîc multiplex quàm Interpretum quà Diſputatorum occurrit diſcrepantia, atque aliquorum adverſa planè contrarietas.

1. Et primò quod ad *Adverſarios*, vel *pravè ſentientes* attinet quos vel *refutandos* vel *rectiùs inſtruendos* habet, illi duplicis generis fuerunt. Vel enim *Legem Evangelio opponebant*, vel cum *Evangelio componebant*.

Prioris generis erant cum *Philoſophi Ethnici*, tum *Phariſæi*, eorumque fermento imbuti *Judæi* alii Evangelii hoſtes infenſiſſimi, quorum utrique in eo legem Evangelio, opera fidei opponebant, quod hominem *juſtum* adeoque *juſtificatum* eſſe volebant ex *operibus ſine fide & gratiâ Evangelii*, quam idcircò non ſolùm neglectui & contemptui habebant, verùm etiam odio, flammâ ferroque acerrimè perſequebantur.

Philoſophi & reliqui melioris notæ *Ethnici* ſcientiæ atque virtutum ſuarum typho turgebant adeò ut *Chriſtus ipſis ſtultitia fuerit*. Hi per *legem naturæ* ad juſtitiam & fœlicitatem ſibi aditum paratum ſtultè exiſtimârunt; contra quos agit Apoſtolus Rom. 1. 1 Cor. 1. Coloſſ. 2.

Judæi δι' νόμου ζηλωταὶ Moſi ejuſque legi toti innixi *impegerunt in lapidem offenſionis*, exclusâ Chriſti fide ex operibus legis ſolam *legalem* illam *ſectabantur juſtitiam* Rom. 9. 31, 32: 10. 3. Quos in *illa Epiſtolâ*, ut in illâ etiam ad *Galatas*, ad *Philippenſes* etiam 3. & alibi ſæpius perſtringit Apoſtolus. Atque hi demùm fuerunt, qui *legem fidei & Evangelio opponebant*, qui ità legem & opera deprædicabant ut penitùs *excluſam* vellent *fidem Chriſti Evangelicam*, quam ridiculam, atque *peccatoris juſtificationi* ineptiſſimam putârunt. *Act.* 21. 20.

Alii tamen interim fuerunt, qui legem non quidem Evangelio opponendam cenſuerunt, qui *fidem in Chriſtum* ad *Juſtificationem* ac ſalutem inprimis *neceſſariam* eſſe exiſtimârunt, ità tamen ut *legem ejuſque opera Evangelio & fidei* hoc in negotio *annecti* voluerint. De quibus ſic *Ambroſius ex Judæis credentes, & improbè ſentientes de Chriſto, legem ſervandam dicebant, quaſi non eſſet in Chriſto ſalus plena.* Atque hi duplices etiam fuerunt. Nimirum *In præfat. ad Roman.*

1. Hujus ſententiæ authores, ſeductores Pſeudoapoſtoli *Gnoſtici*, ut aliqui volunt, vel *Simoniani*, vel alii quivis, de quibus, deque hujus hæreſeôs exordiis ſic legimus Actorum 15 1. *Porrò quidam qui deſcenderant è Judæâ docebant fratres & dicebant niſi circumcidamini ritu Moſis, non poteſtis ſervari.* De quibus etiam v. 24. Apoſtoli in Epiſtolâ ſuâ Synodicâ hæc habent, *Quo-* 2 Cor. 11. 13.

niam quosdam è nobis egressos (non solùm è *Judæâ* ut v. 1. sed ex *Apostolorum consortio* egressi sunt, quos ideò *Ambrosius credentes* vocavit, qui ergò *fidem Christi* non ut puriputi Judæi execrabantur, sed *profitebantur* potiùs) *Quoniam quosdam è nobis egressos audivimus vos turbâsse verbis, labefactantes animas vestras, dicentes oportere vos circumcidi & observare legem, quibus non mandavimus, visum est nobis, &c.* Hos (præcipuè cum jam ad altius contumaciæ ascenderant fastigium) passim idque acriter infectatur Paulus. ψευδαποστόλους *Satanæ ministros* 2 Cor. 11. 13, 15. *canes, malos operarios, concisionem* vocat Phil. 3. 2. Anathemate ferit Gal. 1. 8, 9. Contra hos præcipuè quasi *fascinatores* Gal. 3. 1. atque fidelium seductores multis agit, atque vehementiùs invehitur.

2. Secundò hoc fermentum sapiebant plurimi horum dolis ac versutiâ vel primitùs irretiti vel (postquam verâ fide imbuti erant) seducti atque abrepti simpliciores Christiani. Hæc enim *gangræna* prout nunc passim, tum etiam longè *latèque serpserat*, & *Thessalonicensium* ferè solâ exceptâ Ecclesiâ (de quâ nil tale apud Paulum legimus) reliquas vel penè vel penitùs invaserat. De *Ephesinâ* hac labe aspersa non adeò patet: non enim in Epistola ad eam missâ ab Apostolo nomine vapulat; tale aliquid tamen nobis subolere videtur, cum eos cap. 4. v. 3. 13. ad *unitatem fidei* adeò exhortetur, & sedulò moneat ne *ampliùs pueri sint, qui fluctuent & circumferantur quovis vento doctrinæ* ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, comm. 14. & ad *Timotheum Ephesiorum Episcopum* scribens τῶν ἑτεροδιδασκαλούντων meminit 1 Tim. 1. 3: 6. 3. Certè præmonuerat priùs Act. 20. 29. *Lupos graves non parcituros gregi post discessum suum in eos ingressuros esse, imò ex seipsis exorituros qui loquerentur perversa, ut discipulos post se abstrahant*, quod tum saltem evenisse putandum est cum Apocal. 2. 4. Christus hanc Ecclesiam *primæ suæ amissæ charitatis* postulat. De *Philippensibus* ab his *canibus* si non prorsus discerptis, at impetitis tamen satis legimus ad Philipp. 3. *Corinthios* hoc ariete quassatos nimis habemus in utrâque ad eos Epistolâ, ut & Colossenses constat ex Col. 2. At ex *professo* magis de hac re agit in ad *Romanos* & *Galatas* Epistolis. Nam (ut *Hieronymus* in *Præfat. ad Galatas* ait) *alibi pro parte, & ut se aliud agenti hæc quæstio obtulerat, ex latere disputatum est, & penè perstrictum: in his autem duabus Epistolis specialiter antiquæ legis cessatio & novæ introductio continetur.*

In præfat. ad Comment. in Rom. Et quidem cum *Romanis* mitiùs agit (prout *Ambrosio* & *P. Martyri* videtur) quòd ex Christianitatis suæ incunabulis lac non usquequaque ἄδολον sed hoc veneno aliquantulum commixtum fuxerint. Hoc *Bucero* non arridet, *Pontificios* verò eo nomine magis ægrè habet, quod *Petrum* illius *Ecclesiæ fundatorem* esse unà cum Patribus antiquioribus contendant. Utcunque illud fuerit, de hoc nihil est quod dubitemus quod jam multa *Judæorum* turba *Romam* confluxerit, partim eorum qui eò priùs per *Pompejum* translati erant, & partim quod *Judæa* jam pareret Romanis atque in *Provinciæ* formam redacta fuerit; inter alios eò multos etiam *fideles* commigrasse (ut de *Priscillâ* & *Aquilâ* constat) censendum est, non sine de legalibus ceremoniis controversiâ, quæ ut glisceret magis satagebant Pharisæorum emissarii ad Christianæ tum charitatis tum fidei dedecus pariter & dispendium.

In præfat. ad Rom.

At

At *Galatas* magis miratur, urget, increpat Apostolus. *miratur* primò eos ità *citò (deserto eo qui eos vocavit in gratiam* Christi*) transferri in aliud Evangelium* Gal. 1. 6. acriùs etiam postèà eos increpat, ἀνόητοι, malè feriatos: *O! amentes Galatæ quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati?* cap. 3. 1. Πολλῆς τὸ σφοδρὸν γέμει θυμοῦ, καὶ μεγάλης φορτικῆς· οὐ τὸ σφοδρὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσι, ὡς εἰπεῖν, ἢ ἐπιφανῆ. Ut hâc de re Chrysostomus, qui deinceps hujus tantæ iræ causam satis justam copiosè explicat. Cujus summa huc redit quod per Christum à legis onere jam liberi facti, Pseudo-Apostolorum veneficiis *fascinati*, ei adhuc *servire* vellent. Gal. 4. 9.

Atque ità tandem de primo quæsito satis constat, quosnam scilicet *Adversarios* habuit Apostolus, quos vel *refutandos*, vel meliùs *erudiendos* susceperat. Hoc tamen huic primo quæsito coronidis loco addam

Nimirum quod Apostolo non adeò ex instituto fuit cum *prioris generis Adversariis* digladiari, licet eos perstringat aliquoties, putà vel cum *Philosophis* & reliquis infidelibus *Ethnicis*, vel cum putis *Judæis* Pharisæorum filiis, qui jam non *argumentis*, sed *vi & armis* instructi *legem Evangelio opponebant*, & Christum & in eum fidem in tantum non agnoscebant, ut aperto Marte persequerentur: sed contra *secundi* generis *Adversarios* disputat, qui *legem cum Evangelio componebant*, qui quamvis *Christum*, & *fidem* & *per eam justificationem* professi fuerint, ad eam tamen assequendam *opera legis* assui voluerint.

Sic seductores *Pseudoapostoli* vel ex *Judæis* vel ex *Gentibus* oriundi, qui hoc inprimis urserunt, quos idcirco acriùs insectatur Apostolus.

Sic etiam & seducti fideles aliqui Christiani, qui huic legis jugo ultrò subdi se passi sunt, & vellent insuper, quos hoc nomine & serio & aliquoties severè increpat.

Hoc fundamento posito (quod quidem fundatissimum est) corruit funditùs illud *Pontificiorum* (quod priùs diximus) commentum de denegatâ ab Apostolo justificatione tantùm *operibus fidem antecedentibus*, & *solis naturæ & liberi arbitri viribus sine gratiâ Christi præstitis*, dum *operibus ex fide* & *gratiâ profluentibus* justificationem assignant & summo cum conatu asserunt; & sic eandem planè pertexunt telam cum quâ *Pseudapostolis* quâ *seductis* illis primitùs *Christianis*, in quos ità animosè insurgit Apostolus. Utrique enim tam illi olim quàm nostri hodie Pontificii in hoc conveniunt quod ad justificationem constituendam *legem cum Evangelio componant*, neutri legem & opera sine fide justificare posse vellent, at utrique legem & opera (si modo cum fide fiant) justificare contendunt. Illis *justificatio* constat ex *operibus cum fide*, Apostolo ex *solâ fide absque operibus* Rom. 3. 28. juxta eorum placita in justificationis negotio ità fides & opera conjunguntur, ut *fides præviæ* tantùm *dispositionis*, *opera* & *gratiæ infusio* Causæ *materialis* & *formalis rationis* locum obtineat, cum ex sententiâ Apostoli ipsa *fides instrumenti* tantùm rationem, *opera* verò vel ex *fide proficiscentia*, in ipsâ *justificationis* ratione *nullum locum* habeant, quamvis in *homine* verè *justificato amplissimum*. Non, inquam, tam contra *Ethnicos* & *Judæos* hîc disputat Apostolus, quàm contra *Pseudapostolos* fidem Christi jactantes, contra ab his illusos verè fideles *Christianos*, at suis *operibus (quæ Christo, & in eum fidei assui* vellent nimium *confisos*.

De justific. lib. 1. c. 19. Quod verò alicubi respondet *Bellarminus* ab Apostolo excludi opera fidelium, ut *Abrahami* ad Rom. 4. Sed non ea quæ ex eorum *fide fluunt*, sed quæ facere aliquoties possunt non ex fide, nam etiam ii *qui fidem habent aliquando operantur non ex fide*, ut cum *peccant*, aut cum faciunt *opera purè moralia sine relatione ad Deum*: tam putidum est commentum, subterfugium adeò miserum ut ad illud erubescere possit purpura *Cardinalitia*, acumen *Loioliticum*, risu potiùs quàm Responsione excipiendum, nisi quod indignemur *Bellarminum* velle Apostoli argumentum eodem vitio laborare quo ipsius ei adhibita Responsio, hoc est absurditate nimiâ. Quis enim pius, vel prudens unquam credere ausit Apostolum tam aliàs prudentem, *Spiritu* etiam *sapientiæ infallibili* (cum hæc scripsit) inflatum, quem ipsi *Athenienses* Act. 17. Disputatorem adeò fortem & ἐλεγκτικὸν experti sunt, cum ad *Romanos* (non adeo fungos) hanc *Epistolam* omnium maximè *disputatricem* & nervosissimam exaravit, nugaturum prorsus, & tanto cum conatu, & tam prolixâ operâ id solùm quod nemo pius, prudens, sanus negaverit probaturum.

1. Scilicet *Abrahamum non justificatum fuisse ex iis operibus* non quæ *fecit* sed quæ *facere potuisset*, atque adeò forsan nunquam fecit (*Potentia* enim non semper *actum* ponit) cum contrà eo in loco à *justificatione Abrahami excludit opera*, non quæ facere aliquando potuisset, sed quæ *actu fecit*, imo quæ (jam justificatus) *ex fide fecit*; imo *opera in universum omnia*, cum eum *ex fide justificatum* esse pronuntiat, idque in oppositione ad opera indefinitè omnia.

2. Illud longè ineptius quod *Bellarminus* Apostolum ibi probare vult, scilicet homines *ex iis operibus non justificari* in quibus *peccant*. Quis hoc vel insanus unquam somniavit ut Apostolo redargutore indiguerit? Certè is non solùm pietatem omnem sed rationem adeoque & hominem exuit qui hominem ullum ex peccato (cujus *stipendium mors* est, quod damnationem meretur) justificandum unquam dixerit.

3. Neque multò minùs frivolum est quod *Bellarminus* tertio in loco posuit, opera illa *moralia* excludi à justificatione quæ vir utcunque fidelis sine *relatione ad Deum aliquando agit*. Nam

1. Quis fando unquam hujusmodi opera justificatoria esse dixerit? cum æquè ab *Ethnicis* infidelibus ac à Christianis fidelibus edi possint, cum etiam (si non actualem, saltem) hàbitualem in operante *relationem ad Deum* habeant, *peccaminosa* etiam sint, atque eo nomine non *justificatoria*, sed pro suo merito *condemnatoria* sint.

2. Quid quod 2. in loco Apostolus ibi *opera ex lege* à *justificationis* ratione *exclusa* vult, At talia *Deum* ut *Legis latorem* agnoscunt, imo ex *legis obligatione*, *ex amore Dei* proficisci debent, ideóque *sine relatione ad Deum* fieri non possunt.

Sed hæc ex transcursu obiter. Ut ad propositum redeam, stat inconcussum *fundamentum* illud jam positum, Apostolum in *Epistolis* ad *Romanos* & *Galatas* rem habere non tam cum *Ethnicis* & *Judæis Pharisaicis*, qui *legem Evangelio opponebant*, quàm cum *Pseudapostolis seductoribus*, & *Christianis* fidelibus à *Judaismo vel Gentilismo conversis*, qui *legem cum Evangelio* (eodem prorsus modo quo hodie *Pontificii*) *componebant*, ut posthac constabit. Ex quo etiam

etiam ὡς ἐν μέρει τῆς παχυλῶς quid de secundo quæsito sentiendum fuerit, conjectari liceat.

Quodnam scilicet τὸ κεφάλαιον fuit, quidve *præcipuum* illud erat quod ex *designato* vel *refutare* vel *probare* voluerit in *Epistolis* ad *Romanos* & *Galatas* Apostolus. *Quæsitum* 2.

Hâc de re, si quæ *antiquorum Patrum* sententia fuerit, quæratis, præstò inprimis est *S. Augustinus*, qui in initio libri *expositionis quarundam Propositionum ex Epistolâ ad Romanos* hæc habet, *Sensus hi sunt in Epistolâ ad Romanos Pauli Apostoli, Primò omnium, ut quis intelligat in hâc Epistolâ quæstionem versari operum legis & gratiæ.* Quem sequitur *Anselmus*, cui primas defert *Stapletonus* præ reliquis omnibus hujus Epistolæ enarratoribus. Hanc *Augustini* sententiam avidè satis arripuit *Cornelius à Lapide* ut inde astrueret suum & reliquorum *Pontificiorum* placitum, nimirum Apostolum in eo esse ut probet *neminem ex operibus legis justificari, sed ex operibus gratiæ.* At hîc illud notandum est; *In Antidotis.* *In Argumento Epist.*

1. Quod illa verba *Augustini*, *Quæstionem versari operum legis & gratiæ* ità intelligi possint ut includant *oppositionem* inter opera legis & gratiam, ut quæstio sit an ex illis vel ex hâc homo justificetur, non quòd (ut *Pontificii* exponunt) quasi continerent *distributionem* operum, vid. Vel *operum legis*, vel *operum gratiæ*, ut utrinque concederetur justificationem esse ex operibus, & illud tantùm à *Paulo* disputari an hoc esset ex operibus legis vel ex operibus gratiæ: quæ mens Augustini ibi non fuit; vel si fuerit, notandum

2. Librum illum ab *Augustino* dum adhuc *junior* & *Presbyter* erat exaratum fuisse, idque fortè ex tempore atque *inter* cum amicis suis *colloquia*, prout ipse fatetur *Retractat.* lib. 1. cap. 23. Exquiramus igitur quid *adultior* jam factus & magis *ex composito* hâc de re scripserit. Id habemus in initio *expositionis suæ inchoatæ Epistolæ ad Romanos*, ubi hæc habet, „ *In Epistolâ quam* „ *Paulus Apostolus scripsit ad Romanos quantum ex ejus textu intelligi potest, quæ-* „ *stionem habet talem, utrum Judæis solis Evangelium Domini nostri Jesu Christi* „ *venerit propter merita operum legis, an verò nullis operum meritis præcedenti-* „ *bus omnibus Gentibus venerit justificatio fidei quæ est in Christo Jesu, ut non* „ *quia justi erant homines crederent, sed credendo justificati deinceps justè vivere* „ *inciperent. Hoc ergo docere intendit Apostolus omnibus venisse gratiam Evangelii* „ *quam propterea etiam gratiam vocari ostendit quia non quasi debitum justitiæ,* „ *gratuito datum. Cœperant enim nonnulli qui ex Judæâ crediderant tumultuari* „ *adversus Apostolum Paulum quod incircumcisos & à legis veteris vinculis li-* „ *beros admittebat ad Evangelii gratiam, prædicans eis ut in Christum crederent,* „ *nullo imposito carnalis circumcisionis jugo.* Hæc ibi magis explicatè dicta habet „ *Augustinus.* Quibus gemella habet in *quæstione secundâ ad Simplicianum* in hæc verba. „ *Hæc autem est intentio Apostoli, quæ per totam Epistolam viget, ut* „ *de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israëlitæ gloriari quod* „ *datæ sibi legi servissent, & ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam* „ *suis meritis percepissent quia legi serviebant: unde nolebant eandem gratiam dari* „ *Gentibus tanquam indignis nisi Judaica Sacramenta susciperent. Quæ orta quæ-* „ *stio in Apostolorum Actibus solvitur. Non enim intelligebant quia eo ipso quod* „ *gratia est Evangelica, operibus non debetur, alioquin gratia non est gratia.* „ *Tom.* 4. *parte* 1.

Et

„ *Et multis locis hoc sæpè testatur fides gratiam præponi operibus, non ut opera ex-*
„ *tinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia, ut*
„ *scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam quia benè operatus est,*
„ *sed benè operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam.* Hæc idcircò
„ à nobis ex *Augustino* fusiùs recitata sunt, quod *Paulinæ* disputationis τὸ
„ ζητούμενον apertiùs & planiùs quàm quod ab aliis Patribus fit, explicent. Nam
In præfat. ad Epist. ad Rom. *Ambrosius*, cum hâc de re agit, de mente Apostoli hæc habet; „ *Docet*
(Apostolus) *Judæos exorbitâsse à lege & Prophetis, & in causâ Christi similes*
„ *factos Gentibus, ut utrique indigeant misericordiâ Dei, non per legem speran-*
„ *do salutem, sed per fidem Jesu Christi; unde omni industriâ id agit ut à lege*
„ *nos tollat, quia lex & Prophetæ usque ad Johannem, & in solâ fide Christi illos*
„ *constituat; & quasi contra legem Evangelium vindicat, non destruens legem sed*
„ *præferens Christianismum. Ostendit enim sic promissum Christum, ut illo adve-*
„ *niente lex cessaret, non toto, quia abbreviatio legis facta est, quæ compendio*
„ *daret salutem.*

In Proœmio ad Epist. ad Gal. l. 1. Et similiter *Hieronymus*, qui eandem dicit esse materiam & Epistolæ Pauli ad *Galatas*, & quæ ad *Romanos* scripta est, specialiter in utrâque *antiquæ legis cessationem* & *novæ introductionem contineri* asserit. Ac si hoc (non solum at) præcipuum foret, quod Apostolus tanto molimine in utraque hâc Epistolâ amoliri vellet, *Justificatio* nimirum ex *lege Ceremoniali* jam exorto Evangelio desitura! atque illud doceret antiquæ legis onera deposita, & *omnia illa* (ut *Hieronymi* verbis utar) „ *quæ in typis & imaginibus præcesserunt, id est,*
„ *otium Sabbathi, Circumcisionis injuriam, Calendarum & trium per annum*
„ *solennitatum recursus, scrupulositatem ciborum, & per singulos dies lavacra ite-*
„ *rum sordidanda, gratiâ Evangelii subrepentè cessâsse.*

At (hoc licet non excluso) *alia* etiam in hâc suâ Disputatione probat Apostolus ex *Augustini* sententiâ quæ secundùm eum (quantum ex ejus verbis constat) *tria* fuere.

1. *Justificationem & Evangelii gratiam* non *Judæis* solis (prout illi acriter contendebant) *esse propriam*, sed & *Gentibus credituris communem*: quod quidem latè prosequitur Apostolus Rom. cap. 4. 9. 10. 11. & quod hinc sequitur

2. *Non justificari nè Judæos quidem, minimè omnium Gentes* ex *operibus legis*, *putà Ceremonialis*. Atque de hoc etiam fusè agit Apostolus Rom. 2. & 4. & passim in Epistolâ ad *Galatas*, ubi *circumcisionem* illam externam & manu factam (de quâ adeò digladiabantur & gloriabantur Judæi) *inutilem*, imò exorto jam Evangelio *exitiosam* esse asserit. Sic enim asseveranter loquitur,
„ *Ecce ego Paulus dico vobis, si circuncidamini, Christum vobis nihil profutu-*
„ *rum. Testor enim rursum omni homini qui circumciditur, eum esse debitorem*
„ *totius legis servandæ: inanes facti estis separati à Christo quicunque à per*
„ *legem justificamini, & à gratiâ excidistis* Gal. 5. 2, 3, 4. Atque his duobus Apostolus duplicem *Judæorum* refellit errorem,

Prior erat *Judæos solos gratiæ hæredes* fuisse, *Gentes* verò utpote *profanas* & *Idololatricas* procul inde *arcendas* in quo errore etiam ipsi *fideles* aliquandiu hæserunt. Cum verò ex *visione Petro* Act. 10. *facta* tandem innotuit, *Gentes*

non

non ampliùs pro pollutis habendas esse, è primo gradu dejecti, in altero saltem consistere voluerunt Judæi.

Quæ 2. eorum hæresis erat, nimirum *conversis Gentibus jugum legis imponendum* esse, atque „ *nisi ritu Mosis circumciderentur eos non posse salvari*, uti constat ex Act. 15. 1. Hæc duo in his Epistolis agi *Pontificii* concedunt, affirmant, Gentes scilicet quamvis priùs impias at tandem Evangelio credentes. 1. à justificatione & *gratiâ Evangelii* non *excludendas* esse: 2. ut illius participes fierent non *circumcidendas*, non *sub jugum legis Ceremonialis mittendas*, ex quâ utpote jam ex Christi adventu cessaturâ ne ipsos *Judæos* justificandos esse. Atque his duobus totam Apostolicæ hujus disputationis summam contineri existimat nuperus *Paraphrastes* & *Scholiastes* noster doctissimus.

vide P. Martyrem in præfat. ad Epist. ad Rom.

Dr. Hæmond in præfat. in Epist. ad Rom. & in Rom. 1. Annot.

Sed his *tertium* adjicere rectè *Augustino* visum est, quod quidem præcipuum est, & quod ipse *Augustinus* in locis prænotatis præ reliquis premit, nimirum *hominem non justificari ex ullis meritis operum (non solùm Ceremonialium; sed cujuscunque demùm generis fuerint) sed ex solâ gratiâ & fide quæ est in Christo Jesu.* Ut ex gratiâ sit quod primò in Christum *credamus*, atque ità credendo *justificati*; deinceps (ut cum *Apostoli* mente, & *Protestantium* sententiâ conjunctissimè loquitur *deinceps* inquam) *justè vivere* incipiemus.

Quod quidem (ut semel dicam) *Paulinæ* hujus disputationis & Scopus & summa est, nimirum ut *merita nostra omnia pessundet*, & *gratuitam Justificationem ex solâ fide Christi*, non *ex operibus* astrueret.

Hoc in ipso ad totam disputationem introitu quasi fundamentum ponit Cap. 1. 17. „ *Justitia enim Dei per illud revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivit.* Ad quod (ut rectè observat *Calvinus*) *ab Epistolæ exordio artificiosè admodum delabitur* Apostolus.

In argumento Epist. ad Rom.

Hoc etiam in sequentibus (si totius Disputationis texturam spectemus) continuo deinceps tenore prosequitur, & invictis argumentis confirmat.

Et primò quidem, cum Judæi & Gentes de meritis & prærogativis suis digladiabantur invicem, quibus scilicet primæ dandæ fuerint (quod huic Epistolæ scribendæ occasionem dedisse consentiunt tam nostri quàm *Pontificii*) dum illi de *lege & operibus* suis, hæ de *Philosophiâ* & *virtutibus* suis gloriantur insolentiùs; Apostolus utrisque gloriandi materiam amputat, dum Capite primo *Gentes*, & Cap. 2. *Judæos* in universum *omnes* legis *violatæ reos* agit, adeòque ex operibus suis non justificandos sed damnandos potiùs ostendit, atque inde neminem ex operibus sed ex fide justificari concludit Capite 3. ubi etiam objectionibus quibusdam occurrit, quæ hunc solùm controversiæ hujus & sensum & statum esse manifestè evincunt.

Pareus in Prolegom ad Rom. Estius in Argumento.

Quod etiam secundo argumento ab exemplo *Abrahami* ex *fide*, non ex *operibus*, *justificati* probat Cap. 4. ubi exertè asserit „ *non operanti, sed* „ *credenti in eum qui justificat impium imputari fidem ad justitiam* v. 5. adeoque justificationem consistere in *peccatorum remissione*, & *gratuitâ justitiæ imputatione* v. 6, 7, 8. quod illustri *secundi Adami cum primo* comparatione confirmat Cap. 5.

Hæc accurata *Paulinæ* Disputationis series & textura est: Hæc unanimis

Proteſtantium omnium (niſi quorundam qui *Papiſmum* aliquantùm ſapiunt) ſententia.

In præfat. ad Epiſt. ad Rom. Tom. 5. p. 99.

„ *Perſtat ergo ſententia & Scopus hujus Epiſtolæ, ſolâ fide nos ſine ullis operibus*
„ *juſtificari, & tamen ideo bona opera non damnari.* Sic *Lutherus.*
„ *Sit ergo nobis iſtorum Capitum propoſita Theſis unicam eſſe hominibus juſti-*
„ *tiam, Dei miſericordiam in Chriſto, dum per Evangelium oblata fide appre-*
„ *henditur.* Hæc *Calvinus.*

In argum. in Epiſt. ad Rom.

„ *Eſt autem hujus Diſputationis ſtatus unam eſſe adipiſcendæ ſalutis rationem,*
„ *quæ in Evangelio abſque ullo populorum diſcrimine proponatur, Jeſum Chri-*
„ *ſtum videlicet per fidem apprehenſum.* Sic *Beza.*

In Annot. marginal. ad Rom. 1. 16.

„ *Docet igitur Apoſtolus hominem juſtificari coràm Deo, id eſt, juſtum à Deo*
„ *cenſeri ac pronunciari ſolâ fide in Chriſtum id eſt propter ſolum Chriſtum fide*
„ *apprehenſum in promiſſione Evangelii, atque ità hominem juſtificari ex me-*
„ *râ Dei gratiâ, non autem ex merito operum ſuorum.* Sic *Piſcator.*

In Argumento.

Non eſt quòd alios commemorem, cum ſit unanimis omnium ſententia, quæ ſi vera fuerit (ut quidem veriſſima eſt) in proclivi ſatis erit quid de duplici illo *Pontificiorum* commento ſtatuendum ſit dignoſcere. Si enim Apoſtolus in eo totus ſit, ut dum juſtificationem noſtram ſoli juſtitiæ Chriſti per fidem apprehenſæ aſtruit, eam operibus in *univerſum omnibus* deroget; ab ejus *formali ratione* excludit non ſolùm (ut illi comminiſcuntur) opera *Ceremonialia*, ſed & *moralia*, neque ſola moralia *fidem antecedentia*, quæ ex viribus naturæ, vel libero arbitrio fiunt, ſed & *fidem conſequentia*, quæ quamvis ex juſtificatione neceſſariò fluunt, ejus tamen *formalem* non ingrediuntur vel *conſtituunt eſſentiam.* Atque hæc de utrâque eorum ſententiâ conjunctim dicta ſint. Jam, ſi placet, de utrâque diviſim & ſigillatim agamus. Et primò de priore.

An cum Apoſtolus nos ex operibus legis juſtificari negat, ſola opera Ceremonialia excludat.

Atque hîc quædam præmonenda, atque etiam ultrò concedenda ſunt.

1. Ex *operibus* hiſce *ceremonialibus*, & de legis Ceremonialis obſervatione *litem* hanc primò *ortam* & intentatam fuiſſe, quod apertè conſtare diximus ex Act. 15. 1. unde adeò crebra in hâc Diſputatione Paulinâ *Circumciſionis* mentio facta eſt, atque ei omnis nos juſtificandi abrogata poteſtas.

2. Quamvis *Hieronymus* rectè priùs dixerat *eandem materiam eſſe in Epiſtolâ ad Galatas, & in eâ quæ ad Romanos ſcripta eſt*, nos videlicet ex nullis omninò operibus legis vel *Ceremonialis* vel *moralis* juſtificari; concedi tamen poteſt (quod aliqui *noſtrorum* æquè ac *Pontificiorum* affirmant) magis *ſpeciatim* de *lege Ceremoniali* agi in *Epiſtolâ ad Galatas*, quàm in eâ quæ ad *Romanos* exarata eſt.

Hoc enim *Galatis* imponebant eorum *turbatores* Pſeudapoſtoli, Legem nimirum ceremonialem, dum eos *cogebant circumcidi* Cap. 6. 12.

Hoc *faſcino Galatæ capti*, atque *à veritate Evangelii traducti* erant, qui ad *infirma & egena elementa rursùs converſi dies obſervabant & menſes, & tempora & annos* Cap. 4. 9, 10. hoc eſt, *Legi Ceremoniali* denuò ſubditi erant.

Atque hinc denique eſt quòd Apoſtolus in eâ Epiſtolâ toties *Circumciſionis* meminit, eamque utpote jam abrogatam inutilem, imò exitioſam eſſe moneat.

neat. Neque satis habuit illud semel dixisse, *in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet nec præputium* Cap. 5. 6. sed id ipsum eisdem verbis adhuc magis urget & inculcat Cap. 6. 15.

3. Tertio in loco hoc etiam ultrò concedimus quòd licèt opera *moralia* æquè excludantur ex justificationis nostræ ratione ac *ceremonialia*, non tamen (si res ipsæ spectentur) *æqualiter*.

Est quidem hâc in re legis *Ceremonialis* potior ratio quoad hoc quod *Novi Fœderis* de justificatione & salute in Christo per fidem nobiscum initi *Ceremoniæ* ejus *appendices* quædam vel *typi* potiùs fuerant, quæ gratiam Evangelii adumbrarent, atque Judæos ad *Christum* venturum *manuducerent* Gal. 3. 24. Atque hinc forsan erat quòd *P. Melanchthon* in *argumento suo Epistolæ ad Romanos*, non tantùm cum *Luthero* in *Epistolam ad Galatas* verè dixit, *Apostolum excludere opera legis generaliter non tantùm* Ceremonialia, *sed prorsùs omnia etiam Decalogi*; sed hæc ultrà habet *Paulus revocat quæstionem, sicut & Prophetæ faciunt, & monstrat quis sit usus legis, & non de solis* Ceremoniis *loquitur, sed de tota lege & præcipuè de Decalogo.* Et quidem hoc in sensu *præcipuè loquatur* Apostolus de *Decalogo*, & opera legis moralis *præcipuè* à justificatione nostrâ arceat, quatenus nimirum *Decalogus Fœdus Operum* (per quod minimè justificandi sumus) in se continet, cum *lex Ceremonialis Fœdus Gratiæ* (quo solo justificatio nostra conficitur) adumbret. *Tom. 3. pag. 883. Comment. prior. in cap. 1. pag. 227. b. Comment. poster. in cap. 2. pag. 306.*

At aliis tamen nominibus à Justificatione lex *Ceremonialis magis* quàm *moralis* arcenda est.

1. Si leges istæ spectentur quatenus in fuerint. Nam (ut rectè habet *Arminius*) legi *morali tribuitur Justificatio eo quod opera ab ea præscripta Deo per se & in se grata sint, & ipsa strictè & rigidè sumpta justitia*, adeò ut qui ea fecerit, *eò ipso* citra absolutionem vel gratuitam imputationem *justus* sit; ut si *minùs nos justificet* (quod minimè quidem jam facit) id totum evenit non simpliciter propter ipsius *legis* (scilicet moralis) sed propter *carnis peccatricis infirmitatem.* τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς Rom. 8. 3. Quâ de causâ illi justificatio non adimitur, nisi eò propter *Carnis nostræ impotentiam* præstita non sit. At legi *Ceremoniali* adimitur, quia *opera ejus Deo per se grata non sint*, neque illum respectum habent, ut (si ipsis inhæserint, quod fecerunt Judæi) absolutio à peccatis contra legem moralem patratis per illa obtineatur, vel ipsa gratiosè in justitiam imputetur. Quâ de causâ, non quia præstita non sit, sed simpliciter propter *ipsius legis* (scilicet *Ceremonialis*) *non propter carnis infirmitatem* justificatio ei adimitur in *Scripturis*. *Disput. publ. Thes. 19. num. 5, 6.*

2. Eo nomine magis jam saltem à justificatione ableganda est lex Ceremonialis, quòd sub Evangelio post *Mosaicæ Pædagogiæ & Politiæ Judaicæ abolitionem* non solùm *mortua*, sed & *mortifera* est. Hoc quidem *Lutherus* in 2. *Caput ad Galatas* dicit *Pontificios fingere è capite suo.* Sed hoc nimio vel mentis vel disputationis suæ ardori tribuatur. Vel potiùs (prout ex iis quæ ibi & præcedunt & sequuntur constat) loquitur partim de lege Ceremoniali quatenùs à Deo instituta, adeòque bona & sancta fuit, partim de ejus usu post Christum quidem natum, non post jam dirutam Synagogam Judaicam. Aliter non tam *Luthero* quàm *Paulo* credimus, qui seriò testatur *iis qui circumciduntur Christum nihil profuturum*, quod maximè omnium *mortiferum* est. *Tom. 5. pag. 306.*

Jam inquam evanuit prorsus lex *Ceremonialis* quoad *obligationem*, quoad *praxin*, quoad *usum*, imò nulli usui est, nisi quatenus ex ejus lectione & meditatione (tanquam legis alicujus jam antiquatæ) quod *in ea adumbratum* fuit, in *Christo adimpletum* cernimus; adeoque, non ut *Judæi* olim *per eam*, sed *ab ea* ad Christum, prout *Christianos* decet, adducimur.

At longè aliter se habet *lex moralis*, quæ adhuc manet, & æternùm *manebit*, non quidem δωρεὰν ζωοποιῆσαι uti loquitur Apostolus Gal. 3. 21. non *justificatoria*, non *vitæ promo-conda*, ut posteà constabit, sed

1. *Vitæ regula*, qualis nullis uspiam jam est *lex Ceremonialis*; non *Gentibus*, quibus eam nunquam imposuit Deus; non *Judæis*, quibus tantùm ἄχρι διορθώσεως impositа erat, tum penitùs desitura Gal. 3. & 4.

2. Quæ adhuc etiam præceptis, comminationibus, maledictionibus suis peccatores vel sub Evangelio ad Christum amplexandum, & per eum justificationem quærendum adigat. Atque eâ ratione etsi minimè nos justificare poterit, *justificationi* tamen nostræ modo quali quali *inservit*. Quod de *lege Ceremoniali* jam rectè dici nequit. Ejus quidem olim apud *Judæos* duplex usus ad *Justificationem* erat secundum duplicem ejus tum in *legem moralem* & *peccata* adversus eam patrata, tum in *Christum* & *fidem* in illum respectum. Juxta priorem *Chirographum* fuit *obsignans debita* & *peccata*. Juxta posteriorem continebat *umbram* & *typum Christi*. Secundùm posteriorem Christum typicè monstravit, secundùm priorem confugere ad Christum compulit. At utroque hoc jam sub Evangelio privatur munere. Non ampliùs Christi venturi typus esse potest, cum ipse Christus jam venerit: neque, cum jam *esse desiit*, ad *Christum quærendum* aliquem *compellit*. *Non-Entis* enim *nulla est efficacia*.

Arminius ubi prius.

At lex *moralis, eandem quam priùs* (si ullam usquam propriè dictam habuit) ad *justificationem* provehendam etiamnum retinet *efficaciam*.

Christi *venturi* nunquam *typus* erat, nedum jam *nati* & *passi* esse potest.

At *Christum* verò typis illis adumbratum, & in eo justificationem adipiscendam ut priùs sub *lege* peccatores *minis* suis adegit, ità etiam sub Evangelio ad eundem Jesum clare patefactum jam amplexandum, dum eos *peccati & iræ reos agit*, æquè vel acriùs potiùs extimulat.

Sed nolo ampliùs *duplicis hujus legis* in isto Justificationis negotio inter se *comparationi* immorari, cum *utramque* atque utriusque opera à *justificandi ratione formali* simpliciter *excludi* jam contra *Pontificios* sigillatim demonstrandum sit. Et primò quidem non solùm *opera legis Ceremonialis*, ut eorum aliquibus visum est.

1. *Non solum opera Ceremonialia.*

UT verò hoc argumentis aliquibus firmemus, ordiamur (si placet) ab eo quod Apostolus Rom. 3. 20. continuò adjungit Conclusioni suæ, de quâ jam acturi sumus. Sic verò ibi loquitur „ *Propterea ex operibus legis nulla* „ *caro justificabitur in conspectu ejus*. Quibus illud „ *Per legem enim est cognitio peccati*. Per *Evangelium* etiam *peccati cognitio* est, prout ex *medicinâ morbi*. Sed lex non *sanando*, sed *vetando*, *puniendo* atque vulnus cruentando pec-

cati

cati notitiam ingerit. Atque ex hoc sic expositio primum ducamus argumentum.

Apostolus à justificatione excludit opera illius *legis*, per *quam cognitio peccati* est. At non per *solam legem Ceremonialem* est *cognitio peccati*. Ergo non *sola ejus opera excluduntur à Justificatione*. *Arg.* 1.

Lex quidem *Ceremonialis* peccatum retegit, atque in ejus cognitionem ducit, quatenus tum *lustrationibus* suis peccati *fœditatem*, tum *sacrificiis mortem* ei debitam indicat, quo nomine *adversùm nos Chirographum* audit Colos. 2. 14. *Sacrificia etiam illa anniversaria* ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν κατ' ἐνιαυτὸν *peccatorum commemoratio* dicuntur Heb. 10. 3. Et *Circumcisio* nativam suam *immunditiem* eis exprobravit, & quâ ob eam digni erant, *excisionem* subinnuit, ut *Paraphrastes* noster ad eum locum rectè annotavit. Sed hoc lex *Ceremonialis* tantum *accidentaliter* facit, quatenus *manu ducit ad Christum peccati expiatorem*. *Dr. Hammond. Pareus.*

Hoc *primariò* non facit lex illa, uti *Cameroni* visum est. Certè non *sola* lex ceremonialis, hoc enim lex *naturalis* facit Rom. 2. 15. *De triplici fœdere Thes.* 68.

Imò non *præcipuè*. Hoc enim *lex moralis* sibi vendicat; secundùm illud Rom. 7. 7. *non noveram peccatum nisi per legem*. At quam legem intelligit? Eam quam indicant verba continuò sequentia „ *Nam concupiscentiam non* „ *cognovissem esse peccatum, nisi lex dixisset Non concupisces*. At hæc *lex moralis* „ est, utpote Decalogi præceptum ultimum.

Cujus violatio propriissimè & ex rei ipsius naturâ *peccatum* est.

Quæ non Judæos solos, sed omnes omninò homines obligat ejusque violatores quosvis pœnis æternis obnoxios reddit. Quorum priora duo ex omnium sententiâ (atque ex aliquorum saltèm illud tertium) *legi Ceremoniali* non conveniunt. Cum ergo ex hoc argumento constat quòd per *legem moralem* præcipuè ingeneretur *peccati agnitio*, ex Apostoli eo in loco argumentatione sequitur non *sola legis Ceremonialis opera à justificatione excludi*.

Si verò regeratur, Quamvis non ex solâ lege Ceremoniali sit agnitio peccati, Apostoli tamen proposito suffeciisse, si ex eâ (licèt non solâ) peccati agnitio sit, scilicet ut probet ex eâ solâ nullos justificari, cum ea peccatum ex quo condemnentur retegat. *Obj.*

Respondeo *Resp.*

1. Hoc Apostoli argumentum probare quidem neminem ex solâ lege Ceremoniali justificari. Sed dico illud argumentum *non solùm* hoc probare; æquè enim & *fortiùs* probat neminem per *legem moralem* ejusque opera justificari, cum medium, quo in eo argumento utitur (*agnitio* scilicet *peccati*) *æquè* vel *magis potiùs* (ut ostendimus) legi *morali* conveniat, quam *Ceremoniali*. 1.

2. Etiam respondeo neminem fuisse qui hominem *ex solâ lege Ceremoniali* justificandum censuit, saltem eorum neminem, contra quos Apostolus ibi disputat. *Arg.* 2.

Quod secundum nobis suggerit argumentum, quo probemus *non sola opera Ceremonialia* hîc ab Apostolo à *Justificatione* excludi. Hîc enim disputat Apostolus contra *Judæos* & *Judaizantes Pseudapostolos* (ut priùs ostendimus) at hi non solùm *Ceremonias legales* & *opera supererogatoria*, sed etiam *moralia* ad justificationem arcessebant. Sic eos *in lege acquievisse* dicit Apostolus

Rom. 2. 17. in quâ verò lege? in eâ nimirum de quâ proximè egerat v. 15. Ea verò erat, cujus *opus in Gentium cordibus scriptum fuisse ibi dicit*: at hoc nequaquam de lege Ceremoniali dici potuit, quæ etiam *legi*, de quâ ibi agit, *opponitur* v. 25, 26. vel saltem *distinguitur*, ubi sic legimus „ *Nam circumcisio quidem proderit, si legem* (i. e. moralem) *observes, si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.* Ubi *circumcisio* (quæ legis Ceremonialis erat) à *lege in quâ* Judæos *acquievisse* priùs dixerat apertè *distinguitur*; prout in toto illo Capite, in quo *legis* mentio fit (quæ sæpiùs fit) *legis* nomine *lex moralis*, quamvis non sola forsan intelligatur, saltem *comprehenditur*.

Huc illud etiam spectat quod *Luc.* 18. legimus de *Pharisæo* ad *sui justificationem* (à quâ tamen excidit v. 14.) non solùm de *jejuniorum* suorum frequentiâ & *decimarum solutione* (quæ aliquatenùs forsan ad legem Ceremonialem pertinebant) sed de eo quod *non rapax, non injustus, non mœchus fuerat* (quæ legem moralem spectabant) gloriante.

Arg. 3. Quod etiam tertii argumenti loco esse potest. Nam cum Apostolus in Justificationis negotio *gloriationem omnem excludi* dicat Rom. 3. 27. atque id non *ex lege operum, sed ex lege fidei* ibidem asserat, sequitur *omnia ea opera* excludi ex quibus *gloriandi ansam* quivis arripere solebant. At ea non solùm opera Ceremonialia sed præcipuè *moralia* erant. Insignia quidem olim erant illa quæ Judæis præ Gentibus indulta erant Privilegia, ut Apostolus fatetur Rom. 3. & 9. atque inter ea Ceremonialia aliquo loco habenda sunt, ut ex iis locis constat, ubi inter eorum prærogativas τὰ λόγια τ Θεῦ, οἱ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία recensentur, è quorum censu Ceremonialia nequaquam eliminanda sunt. Imò illud ultrò fatemur *Judæos*, (cum pro ingenio suo leviori semper jactabundi & κενοδόξοτεροι fuerint) *Ceremoniarum* suarum nomine & pompâ se insolentiùs venditâsse, quod *Pontificii* etiam hodie faciunt, *Barbarorum Indorum* more qui se *plumis* ornant pro *vestibus*, vel *puerorum* instar qui *crepundiis* ludunt: at qui ex eis *cordatiores* aliquantùm fuerunt, & magis *soli* quidpiam sapiebant opera sua *moralia jactitabant*, ut *Pharisæus* ille, de quo jam diximus, ut & reliqui quò majorem gloriandi materiem haberent, veram & solidam pietatem & charitatem non quidem verè sectabantur at simulabant tamen. Cum ergò ex Apostoli sententiâ *omnis gloriatio* à *justificatione excludatur*, ex ejus etiam sensu non solùm *opera Ceremonialia* excluduntur, sed *inprimis moralia*, in quibus *præcipua* est *gloriandi* materia.

Arg. 4. Quartò Apostolus Justificationem derogat operibus illius *legis*, quæ semel violata *iram* Rom. 4. 15. quæ *maledictionem operatur* Gal. 3. 10. At ea non sola lex *Ceremonialis* erat, sed præcipuè *moralis*. Nam ibi sequitur *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro* legis. Sed utramque paginam libri illius non implent sola *Ceremonialia*: *Moralibus* ibi locus suus relinquitur, isque præcipuus. Et quòd ad *Dei iram* attinet, quamvis concedimus Deum nolle præcepta sua *positiva* & *Ceremonialia* impunè violari, non putamus tamen eum *minùs* provocari ad *iram* si transgrediamur *Decalogum*, quàm si defecerimus in quibusdam *ritibus* & *Ceremoniis*. Atque huc inprimis facit quod ea lex quam Apostolus 2 Cor. 3. 7, 9. *ministrationem mortis & condemnationis* vocat, ἐντετυπωμένη ἐν γράμμασι *in lapidibus informata*

P. Martyr in præfat. ad Rom.

(scili-

(scilicet in lapideis illis Tabulis exarata) ibidem dicitur: at hoc manifestè constat de Decalogo intelligi, non de lege *Ceremoniali*, quam non *Deus*, sed *Moses*, non in *tabulis lapideis*, sed in *libro* scripsit Exod. 24. 4.

Quintò Apostolus Tit. 3. 5. *Justificationem* & *salutem* nostram negat esse ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς *ex operibus justitiæ* vel justis, *quæ nos fecerimus*. Jam verò quamvis *justitia* aliqua *Ceremonialis* in ipsâ lege Ceremoniali spectari potest, quo in sensu Christus dixit *decere eum implere omnem justitiam* Matth. 3. 15. nimirum quatenus *justitiæ* nomine non intelligitur ipsa *justitiæ virtus*, sed *quicquid nobis faciendum ex mandato incumbit* ut rectè annotavit vir doctus; quamvis, inquam, hoc in sensu *justitia* aliqua *ceremonialis* esse poterit; quæ tamen *moralis* est, ea demùm *vera* ac *solida justitia* est secundùm illud Apostoli *Qui facit justitiam, is justus est* 1 Johan. 3. 7. Ergo ex Apostoli mente à justificatione excluduntur vel hujusmodi opera justa, & *non tantùm* Ceremonialia. An verò locus iste probet ea tantùm *moralia* opera excludi quæ *nostris* viribus ex *libero arbitrio* sine Dei gratiâ fieri possunt, quod Pontificii ex eis verbis (ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς *quæ fecimus* nos) exsculpere satagunt, dicendi locus erit cum ad secundam illam eorum sententiam accessuri sumus. Interà temporis

Arg. 5. *quem locum Aquinas in Rom.* 3. 28. *ad hoc idem probandum adducit. Dr. Hammondus ad Rom.* 1. *annot. in initio.*

Sexto in loco hanc quam jam impugnamus unicus ille locus Ephes. 2. 8, 9. triplici quassat ariete. Sic verò se habet τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν θεοῦ τὸ δῶρον· οὐκ ἐξ ἔργων ἵνα μή τις καυχήσηται *Gratiâ enim servati estis, per fidem, non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Arg. 6.

1. Quòd *Gratiæ* justificatio tota defertur. Quod etiam fortiùs effert idem Apostolus Rom. 3. 24. δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι non solùm χάριτι sed & δωρεάν. *Justificamur* non solùm *ex gratiâ*, sed *gratis ex gratiâ*, id est duplici nomine, adeoque *omninò gratuito*. At non magis, imò *minùs gratuita* foret Justificatio nostra si ex *operibus moralibus* esset quàm si ex *Ceremonialibus*, nam *gratia merito* & *debito* opponitur. At ad *meriti* rationem propiùs accedit opus *morale* quàm *Ceremoniale*: opus enim *morale in se* & *ex se bonum* est, cum opus *Ceremoniale* nil *in se* bonitatis naturalis & intrinsecæ habeat, sed tantùm *jure positivo*, & ex legislatoris mandato & imperio, adeò ut si justificatio *operi morali* concederetur, *magis ex merito*, & *minùs ex gratiâ* foret, quàm si operi *Ceremoniali* tribueretur

2. Ut eo in loco Justificatio soli *gratiæ accepta fertur*, sic *operibus* in *totum derogatur* οὐκ ἐξ ἔργων *non ex operibus*: quod non *restrictivè* sed *indefinitè & generaliter* dicitur: non ex *operibus aliquibus*, putà *Ceremonialibus*, dicitur; sed *omnino* & *universaliter nullis*; non *moralibus*, vel à *gratiâ & fide* (ut postea ostendendum restat) *profluentibus*.

3. Illud adjungit Apostolus, *ne quis glorietur*: sed opera *moralia* magis quàm *Ceremonialia gloriandi materiam suggerere* priùs evicimus.

Septimò huc etiam illud facit quod *P. Martyr* rectè annotavit. Objicit sibi Paulus cum ostendisset nos beneficio Christi à lege jam esse liberos, *peccemus liberiùs, quo Gratia abundet magis*. Si verò de *lege Ceremoniali* nostrâque ab eâ liberatione solâ priùs disputâsset, ut nulla hujus objectionis faciendæ *occasio* inde data fuisset, ità alia (de quâ Apostolus nil dixit ne cogitavit unquam) directa & data facillima & maximè obvia fuisset *responsio*.

Arg. 7.

Nulla,

Nulla, inquam, tale aliquid objiciendi data fuiſſet, *occaſio* ſi verò hoc ſolùm probâſſet nos à *lege Ceremoniali* per fidem Chriſti liberatos eſſe, inde aliquis niſi rationis prorsùs expers hoc modo ratiocinari poſſet, *Maneamus ergo in peccatis*, id eſt, ideò *peccemus in moralibus*, quia *liberamur* à *ceremonialibus*.

Vel ſi adeò malè ſanus aliquis fuiſſet qui hæc ità ineptè objiceret, facilis & obvia *reſponſio* fuiſſet. *Elenchum* eſſe, vel idiota quivis hoc ei ſtatim reponeret, Apoſtolum illud tantùm probâſſe nos *liberatos eſſe à Ceremoniis*, ſed *teneri adhuc lege morali*, ne *impunè peccemus*.

Sed Apoſtolus qui longè alium objectionis ſuæ ſenſum eſſe novit, *aliam* etiam propoſito ſuo accommodam *reſponſionem* adaptat; nobis ſcilicet à peccato juſtificatis integrum non eſſe *peccare ampliùs*, quoniam per Chriſtum juſtificati, *eidem Chriſto inſiti* ſumus, adeòque *peccatis mortui*, quià unà *cum eo ſepulti*.

„ *Cum quidem Apoſtolus verè probaſſet nos à lege morali liberatos eſſe quoàd*
„ *juſtificationem inde accerſendam, proclive erat (non rectæ rationi ſed) impietati*
„ *ita argumentari cum à legi liberi ſimus, liberè (quia impunè) peccemus quam*
„ *objectionem Apoſtolus non refellit diſtinctione operum antecedentium & ſequen-*
„ *tium fidem, quòd facto opus eſſet ex Pontificiorum hypotheſi*, ſed *declaratione*
„ *ſequelæ ſanctificationis ad juſtificationem*. Hæc *Tilenus*.

Arg. 8. Apoſtolus de eâ *lege* agit, quæ *vitia moralia* vetat, *concupiſcentiam* Rom. 7.7. *homicidium, dolum, maledicentiam* & his ſimilia Rom. 3. à verſu 10. uſque ad 20. At hæc ad *legem moralem* ſpectant. Adeoque *ejus opera* ex juſtificatione excludit Apoſtolus.

Argum. 9. Præterea non erat quòd Apoſtolus adeò inſudaret probando hominem ex operibus *legis Ceremonialis* non juſtificari quoniam non ſolùm *impium* ſed & *abſurdum* prorſus fuiſſet quempiam *juſtificationem* ex *operibus Ceremonialibus* expectare cum ſupinâ & latâ *moralium negligentiâ*. Non quidem negaverim ex *Judæis* tunc fuiſſe aliquos adeò impiè deliros (prout apud nos hodiè atque inprimis apud *Pontificios* nimis multi ſint) ut omnium licèt *moralium* præceptorum *incurioſiſſimi* fuerint dummodò *Ceremonialibus probè defuncti* fuerint ſe omnium *beatiſmos* judicaverint. Hoc enim nomine ipſe Salvator *Phariſæos* reos agit quòd *Mentham & Anethum & cuminum decimarent* dum τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου *miſſa facerent* Matth. 23.23. At verò illud notandum eſt *Hypocritas iſtos Phariſæos* non *ſolùm* Ceremoniis nudis fucum feciſſe, ſed *precum ſatis longarum, Eleemoſynarum*, & id genus operum *moralium* aliorum, oſtentatione ſe venditâſſe. Siquidem aliàs abſurdum minus fuiſſet *legis moralis violatores* impios *juſtificationem* expectare unquam poſſe ex puris *putis ceremoniis*. Cum

1. *Ceremoniæ appendices* tantùm erant *legis moralis*, *primæ* ſcilicet *Tabulæ*, prout legis *Politicæ*, *Secundæ* erant. At quid magis puerile vel ad juſtificationem minùs utile quàm *appendices*, *minutias*, *circumſtantias* hujuſmodi *ſectari*, neglectui vel etiam deſpicatui interim habitis operibus *moralibus*, quæ rei *ſummam & ſubſtantiam* ſpectabant? ſecundùm illud Apoſtoli ſi *tranſgreſſor legis fueris*, *circumciſio tua facta eſt præputium* Rom. 2.2.25. nam

2. *Qui*

2. *Qui circumcidebatur debitor fuit totius legis servandæ* Gal. 5. 3. adeoque sine istâ legis impletione nulla ex circumcisione, aliisve Ceremoniis expectanda erat justificatio.

3. Si (quod Adversarii fatentur) Apostolus probaverit *neminem* ex *ceremoniis* vel *operibus Ceremonialibus* justificari, quæ ad *primam* legis *Tabulam* pertinebant: videtur ex eo probâsse (ut *P. Martyr* rectè colligit) multò minùs aliquem ex operibus *secundæ Tabulæ* justitiam posse consequi, ergo non ex *operibus moralibus.* *In Præfat. ad Epist. ad Rom.*

Sed ultimò illud efficacissimè probat Apostolum à justificationis ratione excluisse opera tam *moralia* quam Ceremonialia, cum Rom. 3. 20. dixerat διότι *Quapropter* ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus, & rursus v. 28. λογιζόμεθα γάρ, *colligimus*, vel *syllogizando concludimus igitur* fide justificari hominem absque operibus legis. In utroque Commate manifesta est non *occupatio nova*, ut vult *C. à Lapide* in v. 20. sed *conclusio*, & ex *præmissis* & *priùs disputatis illatio* prout idem *Cornelius* fatetur saltem v. 28. Optimè ergo ex *præmissis* ritè perpensis constabit de rectâ *conclusionis* intelligentiâ. Aliter *quatuor terminis* constaret *syllogismus Apostolicus*, atque *homonymiâ* laboraret tota ejus argumentatio. Si ergo præmissæ non de solâ lege *Ceremoniali*, sed *præcipuè de morali* agebant, certè *Conclusio*, si non *præcipuè*, saltem *æquè* de *morali* ac de *Ceremoniali* intelligenda est. Quænam ergo illæ *præmissæ* erant, quænam tota Apostoli Capitibus 1. 2. 3. (ex quâ hanc tandem *conclusionem* iteratò infert) *Disputatio?* hæc scilicet, *omnes homines* tam *Gentiles* (Cap. 1.) quàm *Judæos* (Cap. 2. & 3.) *Legis violatores esse.* Atque sic argumentatur. Si *omnes homines* tam Gentes quàm Judæi legis *Prævaricatores* sint, tum ex *illius legis operibus nulla caro* (hoc est neque Judæi neque Gentes) in *conspectu Dei justificabantur.* (Ex quâ enim violatâ condemnatio sequitur, ex illâ nulla est expectanda justificatio) At tam *Gentes* cap. 1. quàm *Judæos* cap. 2. & 3. probaverat legis *violatores* esse. Ergo ex illius legis operibus justificari nequeunt. *Argum.* 10. *Ex eâdem scatebrâ non prodeunt vita & mors Calvin. in Rom.* 3. 20.

At quænam ea demùm *lex* erat, cujus *violatæ rei* ibi peraguntur omnes tam *Gentes quam Judæi?*

Non quidem *Ceremonialis*, vel non *omninò*, vel saltem non *præcipuè.* Non *omnino* quoad *Gentes*; non *præcipuè* quoad *Judæos.*

Non *omnino* quod ad *Gentes* attinet. De *lege* enim ibi agit quæ *Judæis & Gentibus communis* erat, ex cujus violatione se *probâsse* dicit & *Judæos* & *Græcos* sub peccato esse Rom. 3. 9. *totumque mundum* ὑπόδικον *condemnationi Dei obnoxium* fieri v. 19. At hæc lex *naturalis moralis* fuit, cui *Gentes* æquè ac *Judæi* subditi erant. Cum enim lex *Ceremonialis Gentibus nunquam lata* fuit, ejus violatæ *reæ peragi* nequeunt: *ubi enim non est lex, ibi nec transgressio est.* Rom. 4. 15. neque Apostolum *Gentibus* vitio vertisse eas *legem Ceremonialem* non observâsse in totâ priore Disputatione apparet vel alibi uspiam.

Non *præcipuè* (imò in totâ illâ præcedente *Disputatione* non *omnino*) quod ad *Judæos* spectat. In totis enim his tribus Capitibus *Judæis* ob legem *Ceremonialem* ab eis *violatam* Apostolus *dicam non impingit*, non ob omissa *sacrificia quorum satur Deus* fuit Isa. 1. 12, 13, 14. non ob *neglectam* vel parvi pensam

Circumcisionem, quam *urgebant nimis* Act. 15. deque eâ *gloriabantur* insolentiùs. Non ergo *legis Ceremonialis violatæ rei peraguntur* vel *Judæi* vel *Gentes* in priore Disputatione.

At quid de *lege morali* sentiendum est? nempe eam ipsissimam esse cujus *prævaricatores* & *Judæos* & *Gentiles* evincit Apostolus. Gentes quidem Capite 1mo à versu 18. ad finem usque, ubi longa nimis peccatorum contra Legem moralem ab ipsis patratorum pertexitur series. *Idololatræ* peraguntur *oppleti omni injustitiâ*, *malitiâ*, *scortatione*, & his similibus. Judæos etiam ejusdem Legis violatæ reatu involvit Cap. 2. & 3. dum eos partim confusè & generaliter ejus *legis transgressores* dicit quæ à *circumcisione* distinguitur Cap. 2. 23, 25, 27. At hæc Lex moralis erat, partim in specie & nominatim eos *furti*, *adulterii*, *sacrilegii* cap. 2. 21, 22. & cap. 3. 9, 10. & sequentibus *doli*, *maledicentiæ*, *homicidii*, reliquorumque peccatorum *moralium*, citatis ad id ex sacrâ Scripturâ testimoniis: quæ omnia cum de *Judæis* dici ostenderat v. 19. continuò tandem v. 20. concludit, Ex *operibus igitur legis*, *moralis scilicet*, (cujus tam Gentes quam Judæos prævaricatores prius probaverat) ex hujus inquam legis *moralis* operibus & mihi tutò concludere licet *nullam carnem* in conspectu Dei justificari. Unde etiam hujus legis operibus in hâc Paulinâ disputatione derogari justificationem, & non tantum operibus legis Ceremonialis. ὅτι ἔδει δικαιοῦν.

Justificationi opponuntur *peccata* & *iniquitates* (Rom. 4. 6, 7.) At hæc non solùm in *Ceremoniis* locum habent *P. Martyr* in Rom. 4. 6. pag. 101.

Philip. 3. 6, 7. rejicit eam *justitiam legis* secundùm quam *inculpatus* erat, at *inculpatus* erat non tantùm quoàd *Ceremonialia*, verum & *moralia*, adeoque *omnes legis partes*. vide *Zanchium* in locum pag. 191, 192.

Restant tandem ad hanc absolvendam controversiam quædam Adversariorum argumenta diluenda.

Obj. 1. Quorum hoc primum cuivis magis obvium est, quòd Apostolus in totâ hâc Disputatione tam in Epistolâ ad Romanos quàm in illâ ad Galatas tam crebrò *circumcisionis* meminit, eamque quasi pro exemplo ponat, cum *justificationem legi abrogat*, ut Gal. 5. 2, 4. *Ecce ego Paulus dico vobis, si circuncidamini, Christum vobis nihil profuturum. Evacuati estis à Christo quicunque per legem justificamini*, & à *gratiâ excidistis*, ut & alibi: acsi *circuncidi* & per *legem justificationem expectare* pro eodem haberet, adeoque cum justificationem legi derogat, de *lege circumcisionis*, hoc est de *lege ceremoniali* intelligi debet.

Vide Calvinum in Rom. 3. 20.

Sol. Respondeo: hoc inde non sequitur, eò quòd hujus (quod jam dicitur) facti alia eàque verissima ratio assignari & potest & debet. Crebrò enim in hâc Disputatione *circumcisionis* mentionem facit Apostolus, dum *legem ejusque opera* à justificatione excludit, non quòd circumcisionis legem id est *ceremonialem solam* hinc ablegari vellet: Sed

Scimus autem eos externis modò larvis gloriari. Calvin. in Rom. 3. 20.

1. Quia à Circumcisione lis ista primùm orta fuerat Act. 15.

2. Quia de *circumcisione* inprimis *gloriabantur Judæi*, quod ex Rom. 2. 23, 25. atque aliis locis constat, imo ex eo quòd ipse Apostolus Philip. 3, 4, 5. cum ostendit quòd si *quisquam alius ipse præ reliquis* (dummodo id vellet) *id de*

id de quo in carne confidat habeat, illud primo loco ponit (*circumcisus octavo die*) quasi *circumcisio* (pro Judæorum more) omnis *confidentiæ* atque gloriationis carnalis caput *summum* ac *primarium* fuerit.

3. Quia ideò Judæi & Judaizantes Pseudapostoli, cum *legis moralis* satis *incuriosi violatores* essent (uti constat ex Rom. 2. 23. & Gal. 6. 13.) *circumcisionem* tanquam ad *salutem necessariam* impensiùs urgebant, utpote *succini* instar, quod *stipulas*, non *Magnetis* qui *ferrum* trahit, ità isti leviores ceremoniarum quisquilias summo impetu captabant, dum quæ *graviora legis* erant flocci facereant, prout homines *desperatæ salutis* illicò animam daturi (ut cum Medicis loquar) κεχριδίζειν id est *floccos vellere* solent. His ergò adeo lethaliter ægrotis ut medelam adhiberet Apostolus, circumcisionis (ut ità dicam) *emplastrum* hoc jam *inutile*, imò & *noxium*, factum *avellit*, abripit, idque eò crebrius atque aliquando animosius, quò illos de illo magis *gloriari*, ei confidere, idque aliis cum *Judæis* tum *Gentibus* tanquam παιφάρμακον non solum propinare, verum imperiosiùs ingerere viderit.

4. Idque ultimò quia *Circumcisio* totius *Judaismi introitus* & prima initiatio fuit, ut & ejusdem permanens in posterum *character* & tessera, adeò ut hâc semel ablegatâ lex tota quatenus saltem Mosis Pædagogia fuit, à justificationis Evangelicæ negotio unà simul exulare jussa sit.

Deinde circumcisio illorum opinione quædam in legis justitiam initiatio erat. Simul ergo videbatur opus primariæ dignitatis, imò quasi justitiæ ut operum fundamentum. Calv. in Rom. 3. 20.

Hæ & hujusmodi forsan aliæ rationes erant, quare Apostolus adeò crebrò in hâc suâ Disputatione *circumcisionis* meminit; non aut eam solam unaque cùm eâ legem tantùm ceremonialem (cujus pars magna & primaria fuit) à justificatione excluderet, ut illi inde probare satagunt. Ut enim quæstionem hanc de justificatione à circumcisione quidem (ut priùs dixi) ortam pleniùs dirimeret, non in solâ circumcisione vel lege ceremoniali insistit Apostolus, sed eam ad *fontem* (ut *Melanchthon*) vel (ut *P. Martyr* loquitur) ad *genus* revocat, atque ut à *fortiori* probaret nos *legalibus ceremoniis* non posse justificari, magis *generaliter* probat, id *nullis omninò operibus* fieri, non ipsius *moralis* legis operibus, nedum *ceremonialis*. Atque hæc de primâ objectione dicta sint.

Vide Hoornbeck. summâ controversiarum de Græcis pag. 843. vide P. Martyrem in Præfat. ad Rom. 4.

Obj. 2.] Secunda est *Alphonsi à Castro* ad vocem *Fides*, *hæresi* 2dâ fol. 210. b. quam ex eo recitat *Bellarminus* de *Justificatione* lib. 1. cap. 19. atque talis est. *Paulum* in duabus istis Epistolis circa hoc versari ut ostendat *legem Mosaicam*, quæ solis *Judæis* data fuerat *jam cessâsse*, *legemque Christi novam* esse *omnibus communem*, ideò post illa verba *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus* legis, statim subjungit *An Judæorum tantùm Deus, nonne & Gentium.*

Non intra Ceremonias se continet nec disputat specialiter quid illæ valeant, sed universam legem complectitur.

Sol.] Cui hæc quæ respondeam habeo.

1. Qualiscunque hæc objectio demùm fuerit, & ut ad rem quam vult *Alphonsus* probandam satis accommodata, ad id tamen non satis virium habere agnoscere videtur *Bellarminus*, dum eâ non obstante in contrariam it sententiam. Nil magni ergo ab eâ *nobis* metuendum est, cui minùs fidem habent ipsi *Pontificii*. Hæc *ad hominem* responsio sit. Quod *ad rem* attinet.

Calvin ubi suprà.

2. Perplexa nimis videtur hæc argumentatio, & ad id quod probare vellet satis inepta, nam sic instituì debet: *Apostolus postquam concluserat hominem justificari ex fide sine operibus legis*, *continuò* addit, *An Judæorum*

tantum Deus, nonne & Gentium? Ergo à justificatione excludit tantum opera legis Ceremonialis, non item *moralis*. At quænam hîc est vel saltem apparet hujus sequelæ ratio? An ea semper Commatum connexio est ut cum versus antecedens de re unâ egerit, in proximè sequente de re aliâ agi non possit? (prout usu venire solet in *scriptis Paulinis*, atque in *hâc* inprimis *Epistolâ* (ut annotârunt viri dicti) ex abrupto à re unâ ad aliam transcurrit sæpiùs pro magis *fervido*, nimirum suo, *ingenio*, & variâ rerum ac personarum de quibus vel cum quibus agebat scribendi ratione) vel etiam an hîc ipsorum terminorum ea connexio est ut ex *antecedente* aptè & necessariò eliceretur *consequens* nimirum ex eo quòd cum *Paulus* dixerat *hominem ex fide justificari sine operibus legis* immediatè addat, *An Deus tantum Judæorum?* inde directè concludi posset, Ergo loquitur de *solis operibus Ceremonialibus*?

Et sic ferè hæc connectit P. Martyr Probat illud quòd proposuerat, absque operibus neminem justificari, nam si ex illis penderet justitia, Deus videretur tantummodò fuisse Deus Hebræorum &c. Videeum in locum. Ipse Bellarminus duplicem in Epist. ad Galatas quæstionem tractari vult, specialem unam an ceremoniæ legales ad Christianos pertineant, generalem alteram an per legem justificatio sit. de justif. l. 1, c. 19.

Si verò dicatur hinc optimè sequi, quia si *ex operibus legis* esset *justificatio*, tum ii soli justificarentur qui *legi suberant*. At hi soli *Judæi* erant; ii enim ab Apostolo ex hoc describi solent quòd ὑπὸ νόμῳ Rom. 3. 19. & ἐν νόμῳ Gal. 4. 3, 4. quòd *in lege* & *sub lege* fuerant, *Gentes* verò *sine lege* fuisse dicantur Rom. 2. 12. & præterea (quòd *Alphonsus* habet) cum Apostolus in eo sit ut probaret *legem Mosaicam Ceremonialem* post *Christum* cessaturam, de illâ lege eum locutum fuisse credendum est, cum *legis opera* à *justificatione* excludit. Cum verò lex illa *Ceremonialis Judæorum propria* erat, apta satis horum duorum versuum connexio est, *justificamur ex fide sine operibus* legis, *An Judæorum tantum Deus*, &c. & verba hæc sequentia clarè ostendere videntur cujusnam legis opera in verbis antecedentibus à justificatione exclusa sint, scilicet illius quæ *Judæis propria* erat, hæc verò *Mosaica* & *Ceremonialis* fuit.

Respondeo.

1. Ad id quod argumenti *Alphonsi* basis est; negando Apostolum in duabus his Epistolis in eo totum esse ut probaret legem Mosaicam *Ceremonialem* jam cessaturam. Sit illa (quod *Calvinus* concedit) *una* quam astruit Propositio, sed non est *unica*, imò non *præcipua*. Illa enim hæc fuit *Nos solâ fide justificari* sine *operibus legis non solùm Ceremonialis* sed *& moralis*, ut ex serie Disputationis Apostolicæ priùs satis probavimus. Hanc probandam proponit: hanc in utrâque fusiùs imò acriùs persequitur; hanc ἐπῶς (& Disputantium more) concludit; ad hanc quæ in utrâque Epistolâ doctrinam spectant reduci possunt & debent ferè omnia; atque inter reliqua hoc quod *Alphonsus* præcipuum esse vellet, scilicet *jam desituram esse legem Mosaicam*. Cum enim adhuc continuandam, imò *Gentibus* (si *modò salvæ esse vellent*) *imponendam* contendebant *Judæi* & *Pseudapostoli*, Apostolus contrà in eo totus est ut probet *Gentes æque ac Judæos solâ fide justificari* non ex *operibus* ne quidem *moralibus*, ne *dum Ceremonialibus* jam cessaturis, adeo ut unâ eâdemque operâ & Adversariorum πρῶτον ψεῦδος refutavit, *legis* scilicet *Mosaicæ continuationem*, & simul primarium illud Evangelii dogma, quod sibi expoliendum sumsit, nimirum *justificationem ex fide sine operibus* inconcussè statuminavit.

2. Quod verò ad duorum illorum versuum connexionem attinet, quòd cum in *priore* concluisset *hominem justificari ex fide* non *ex operibus legis*,

legis, continuò addat, *An Deus tantùm Judæorum? nonne & Gentium?* ejus ratio non est quam fingit *Alphonsus* quòd per *opera legis* opera sola *Ceremonialia* intelligat quæ sola à justificatione excludi vellet. Sed quòd cum priùs probaverat tam *Judæos* quàm *Gentiles contra legem moralem reos* hujus Capitis versu 9. adeoque *nullam carnem* (id est vel Judæorum vel Gentium) ex *operibus illius* legis (cujus prævaricatores erant) *justificari* posse v. 20. atque tandem concluserat ἄνθρωπον *hominem* id est non *Gentilem* ut *Ambrosius* exponit, sed indefinitè universaliter, *quemvis*,* *omnem hominem* tam ex Gentibus quam Judæis, *fide sine operibus legis justificari*, ulteriore ἐξεργασίᾳ hoc versibus sequentibus inculcat & explicat; *Gentes* scilicet (quas *Judæi* exclusas vellent) ut eodem reatûs nexu implicatas, ità & ejusdem cum justificationis tum justificandi rationis (per fidem scilicet sine operibus) cum Judæis participes futuras. Sic *Nostri* [Piscator, Pareus, & ex *Pontificiis Aquinas* in locum] & ad mentem Apostoli appositissimè. Nil ergo probat *Alphonsus* ex duorum horum versuum connexione *opera legis Ceremonialis tantùm* excludi; Sed si connexiones sectandæ sint, ex connexione partium ejusdem commatis (vicesimi scilicet) ubi postquam concluserat, *nullam carnem justificari ex operibus legis*, continuò eodem versu addit, *quia per legem agnitio peccati est*, contrarium planè constat, excludi scilicet *opera legis moralis*, quia per *hanc legem* præcipuè sit *peccati agnito*, ut priùs ostendimus.

* ἐξαιρῶν τὸ λόγῳ εἰς εὐρυχωρίαν τὴν οἰκουμένην τὰς Θύρας ἀνοίξας τῆς σωτηρίας, φησὶν Ἄνθρωπον, τὸ χεῖρον τῆς φύσεως ὀνομάζων. *Chrysost. in Rom.* 3. 28.

Sed exauctorato tandem *Alphonsi* argumento, videamus an magis prò hâc causâ forsan militent ea, quæ à *Dominico Soto* in aciem ducuntur. Sic vero ille. *in Rom.* 3.

Obj. 3. Postquam Apostolus cap. 3. neminem ex *operibus legis justificari* concluserat, cum statim in initio Capitis 4ti *Abrahami* exemplum adduxerat, in eo multus est ut ostendat *Abrahamum* ante *Circumcisionem* justificatum fuisse. At quid adeò hîc *circumcisioni* insistendum erat, nisi ut hoc demùm ostenderet se, cum ex operibus legis ullum justificari negaverat, id solùm de *lege circumcisionis* atque reliquorum *Ceremonialium* intellexisse?

Sol. Respondeo.

1. Hoc etiam argumentum ex *Capitum*, ut prius illud ex *commatum connexione* duci ad probandum rem prorsus eandem in utroque tractari, quod non semper tenere, præcipuè in *Paulinis* scriptis, atque in *hâc* minimè omnium *Epistolâ*, priùs ostendimus.

2. *Chamierus* respondet Paulum in *circumcisionis* mentionem venisse, non ut probaret non justificari homines ex lege, sed potiùs *justificationem* non *Judæis* esse *propriam*, sed *propositam* esse *Gentibus*. Quæ Responsio ideò magis approbanda est, quia (ut rectè *Chrysostomus* habet) duo præcipuè fuerunt, quæ *Judæorum* mentes turbârunt: primum *aliquos fide justificari sine operibus legis*. 2dum *Gentes hujus per fidem justificationis æque Judæos participes fieri*: quorum cum hoc posterius eos angebat maximè; ideò cum prius illud Capitis 4ti octo primis versibus probaverat, posterius hoc fusiùs prosequitur in sequentibus; quod priùs itidem *Capite* præcedente *tertio* egerat, ubi post longam Disputationem v. 28. priorem illam Propositionem concluserat, *omnes fide*, non *operibus legis justificari*; continuò *secundam illam Propositionem* (ut eam in eum locum vocat *Calvinus*) aggreditur. *de justif. l.* 21. *cap.* 9. *in Rom.* 3. 28.

ditur, & docet *Gentes æquè ac Judæos hujus ex fide justificationis factas esse participes.* Vacillat ergo hoc *Dominici* argumentum, cum Apostolus (dum de *Abrahami* circumcisione ibi loquitur) cum priore non prorsus eandem quæstionem tractet, licet ei connexam.

3. Vel si concederetur rem eandem utrobique tractari, atque Apostolum probare velle neminem ex operibus legis justificari ducto argumento à *Circumcisione* quam *exempli* loco ponit, sic nimirum; *Abrahamus non ex legis operibus justificatus est quia non ex Circumcisione, quia antequam circumcisus erat, justificatus erat.* Hinc tamen neutiquam sequetur per *opera legis* à justificatione (in Conclusione illâ) excluſa tantùm intelligi *opera Ceremonialia* ex quorum numero erat *Circumcisio*, quia tantùm pro *exemplo* ponitur, adeòque Synecdochicῶs pro *tota lege* sumitur; At *lex Mosis moralem* legem non minus comprehendit quàm *Ceremonialem.* Quâ verò de causâ *Circumcisionis* præcipuè meminit, atque *exemplum* à lege Ceremoniali potiùs quàm à *morali* sumere vellet, in primæ objectionis solutione priùs dictum est.

4. Et illud addatur Quamvis *Circumcisio* tempore Abrahami & sub lege *Ceremonialis* erat, tamen (ut lex *Ceremonialis primæ Decalogi Tabulæ appendix* erat) *obedientia* ei præstita *moralis* erat. Ità & hujusmodi tum temporis opera *Ceremoni-moralia* erant. Adeò ut cum Apostolus *Ceremoniarum* observationi *justificationem* derogat, quatenus sub *lege* factæ sunt, etiam & *moralibus* operibus derogat.

Vide P. Martyrem in præfat. ad Rom. 4.

Obj. 4. Quarto ergo in loco ad alterum *Dominici Soto* argumentum accedamus, quod tale erat. Quod Paulus Galat. 2. cum *Petrum* ob nimiam suam in re Ceremoniali Judæis indulgentiam reprehendit, hoc argumento & nomine id facit, quia non *justificatur homo ex operibus legis.* Quam sententiam in totâ ferè sequente Epistolâ exequitur. At hoc Apostoli argumentum ἀπρογσδιόνυσον omninò esset si non opera *Ceremonialia* in illâ quam probandam sibi sumpsit Propositione intelligenda sint. Quænam enim consequentiæ hujus ratio est? Homo *ex operibus moralibus non* est *justificandus.* Ergo *Petrus eo nomine* à *Paulo reprehendendus* erat quod nimius observator erat *Ceremoniarum.*

Sol. Respondeo

1. Concessimus priùs in illâ Epistolâ ad *Galatas* Apostolum pro datâ ab eis occasione magis opera *Ceremonialia* attendere, atque iis omnem *justificandi* facultatem adimere;

2. Ità tamen ut à Ceremonialibus potuerit occasionem sumere *latioris* disputationis quæ *moralia* comprehenderet;

3. Quòd & fecit in illâ Disputatione, ut priùs ex *Melanchthone* ostendimus.

4. Quod jure facere potuit, scilicet à *Circumcisione* & *lege Ceremoniali* facto initio toti exinde legi vel *morali* adimere justificandi potestatem: quia lex *moralis* æquè ac *Ceremonialis* à *Mose* tradita fuit. *Æquè* etiam, atque aliquâ ratione quatenus *meritum magis* sapit, *justificationi* (quæ tota ex *gratiâ* est) *magis contraria* est.

5. Ultimò. Idem de utroque hoc *Dominici Soto* argumento dici potest quod priùs de priore illo *Alphonsi* dictum fuit, nimirum quod non ipsos *Pontificios* ad illam amplexandam sententiam cogant. *Alphonsi* argumentum

Bellar-

Bellarmino parùm placuit. At verò hæc *Dominici* ne se ipsum quidem adducere possunt, ut illam quam probare volunt ipse approbet sententiam, nimirum Paulum in hâc suâ Disputatione à justificatione excludere opera tantùm *Ceremonialia*. Quæ ergo cum ἀυτοπαθέκειτο sit, parùm fidei apud nos habeat.

Non desunt tamen alia, quibus aliquatenùs incrustari possit.

Quinto enim in loco hoc suadere saltem videtur illud quod Apostolus justificationem adimit *operibus*, sed *legis* operibus, quod *Calvino* videtur *Chrysostomum*, *Origenem*, *Hieronymum* movisse ut in illam opinionem concederent. *Obj.* 5. *In Rom.* 3. 20.

Sed ad manum est Responsio. *Sol.*

1. Non solùm ab *operibus legis* sed absolutè & simpliciter ab *operibus* à Paulo derogatur justificatio χωρὶς ἐξ ἔργων Ephes. 2. 9. & ad Rom. 4. 2, 4, 5. ne Abrahamum *ex operibus justificatum fuisse* probatur argumento ducto ab ipsâ *naturâ* & *merito operis quâ operis*, non quà *Ceremonialis*. Si enim justificatio (quæ secundùm Apostolum tota gratuita est) non *ex operibus* sit, quia operi ex ejus merito merces debita sit (quod Apostoli ibi argumentum est) certè opera *Ceremonialia* non ideò excluduntur quia *Ceremonialia*, sed eo etiam quia *opera* sunt, quibus *merces* ex *merito debita* est. Quod cum opera *moralia æquè* imò *magis* tangit, ea, ex *æquo* saltem, ex mente Apostoli, *excluduntur*.

2. Ipse *Calvinus* eodem in loco 2^dam. eamque aptam satis responsionem adhibet, nimirum, quia „ *opera eatenus sunt justa coram Domino, quatenus,* „ *illi cultum atque obedientiam reddere per ea studemus, quo expressius detra-* „ *heret Apostolus vim justificandi operibus universis, ea nominavit opera quæ* „ *maximè possunt justificare, si quæ sint. Lex enim est quæ habet promissiones,* „ *citra quas nullum esset pretium nostrorum operum coràm Deo.* Hæc *Calvinus*, „ ex quibus videmus quâ ratione *legis opera* dixerat Paulus, non ut legis *tantum Ceremonialis* opera excluderet, ut isti volunt, sed ut *opera* omnia & præcipuè *moralia* ablegaret, dum iis justificationem adimit, idque quoad præcipuam rationem quâ *maximè justificatoria* essent, quatenus nimirum *opera legis* sint à *quâ eorum pretium statuitur*. Adeò ut hoc argumentum causam illam non probet, sed jugulet.

Illud verò ultimò objici potest quod Apostolus in tota hâc Disputatione cum *Judæis* vel saltèm *Judaizantibus* rem habeat, & contra *justificationem ex operibus* legis Mosaicæ (quam illi adhuc retinendam censebant) disputet, atque ideò Rom. 3. cum jam v. 28. rem totam concluturus erat, nimirum *hominem fide justificari sine operibus legis*, commate 27. immediatè præcedente *Judæum* ità compellet, *ubi est gloriatio tua? O Judæe* scilicet (*Judæum* enim *gloriantem* & in *lege* suâ *acquiescentem* induxerat) Cap. 2. 17. ut & in initio Capitis tertii de *Judæorum prærogativis* (de quibus adeò *gloriabantur*) egerat: unde verisimile videtur de *Mosaicâ* eorum *lege* tantùm agere, solisque *ejus operibus* justificationem derogare. *Obj.* 6.

Respondeo *Sol.*

1. Priùs ostensum èsse Apostolum disputâsse non solùm *Judæos* legis *Mosaicæ* violat ores fuisse, sed etiam *Gentes* in *legem Naturalem* prævaricatas fuisse,

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York

fuisse; atque inde concluſisse neque has neque illos, id est omninò *nullos* ex *cujuſvis* legis *operibus* juſtificari, ſed ſolâ in Chriſtum fide Evangelicâ.

2. Si de ſolâ lege Moſaicâ egiſſet, ea tamen non *ſola Ceremonialis* erat, ſed & moralis, in quâ etiam impensè *gloriabantur*. Cum ergo toti *legi Moſaicæ* juſtificationem derogat, non *ſolis* hoc facit *operibus Ceremonialibus*, de quibus jam diſputamus.

3. Quod ad illam interrogationem attinet ubi *eſt gloriatio Tua*? Dico, Pronomen illud *Tua* quamvis in *Vulgato Latino* Interprete addatur atque inde à *Latinis Patribus Ambroſio*, *Hieronymo* retineatur, qui ideo Apoſtolum ibi ad Judæum loqui volunt. Quod quidem & *Græci* etiam Patres, *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus* faciunt; At

1. Planè conſtat *Origenem* ibi de *ſolâ* lege *Ceremoniali* hoc non intellexiſſe, ex eo quod dum ibi ex legis operibus neminem juſtificari fusiùs diſputat; Inter opera legis opera *moralia* enumerat; nimirum *juſtitiam*, *caſtitatem*, *ſapientiam*, & virtutes cæteras. *In Rom. c. 3. lib. 3. pag. mihi 505.*

2. Dico in *Græco* Textu non apparet hoc Pronomen *tua*, ne apud *Chryſoſtomum* vel *Theophylactum*, quamvis *Theophylacti Latinus Interpres Montanus* in ſuâ verſione officiosè nimis illud intertexuit, prout & *Ruffinus* in ſuâ *Origenis* interpolatione.

4. Concedamus licet Apoſtolum in interrogatione illâ *Judæum* alloqui & docuiſſe omnem illi de lege ſua ejuſque operibus gloriandi anſam abreptam fuiſſe, quid inde tamen concludere poſſunt Adverſarii quo minùs Apoſtoli concluſio de Juſtificatione ex *ſolâ* fide *ſine operibus* legis generaliter intelligenda ſit, de operibus non ſolùm legis Ceremonialis ſed & moralis vel cujuſcunque alterius? Hoc enim præcedentis Diſputationis ſeries & textura tota liquidò evincit. Cum enim *Gentiles legis* ſibi *connaturalis* violatæ reos egiſſet Capite 1. *Judæos* vero *legis* ſibi *latæ* Capite 2. & 3. atque ità utroſque peccati reatui pariter obnoxios probâſſet, ſecundùm illud Cap. 3. 9. *Quid igitur præcellimus? Nullo modo; nam antè cauſati vel criminati ſumus & Judæos & Græcos omnes eſſe ſub peccato: Gentiles* utpote manifeſtè *reos* & ἀνυποδικήτους non ultrà ibi proſequitur, *Judæos* verò (qui hâc in re ſibi præ πᾶς ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοῖς ſortem longè potiorem aſcribere ſolebant) ulteriùs criminationibus onerat ex Sacris Scripturis hinc inde petitis à v. 10. ad 18. quas de *Judæis* ſpeciatim intelligendas oſtendit v. 19. adeòque majorem eis relinqui reatum, at nullam ſuâ præ reliquis ſorte gloriandi materiam. Inde v. 20. & rurſum 28. generalem ſuam (de quâ præcipuè agit) Concluſionem infert, *nullam Carnem*, hoc eſt nec Gentes ex operibus legis ſuæ *naturalis*, nec *Judæos* legis ſuæ *Moſaicæ* vel *Ceremonialis* vel *Moralis* juſtificari. Interrogatio ergo illa *ubi ergo eſt gloriatio*, ſi vox illa *Tua* addatur, & tota Judæis ſolis proponi intelligatur, inſervit Minori principalis ſyllogiſmi probandæ; *Judæos* ſcilicet ex *parte* ſuâ *peccati reos* eſſe, non Concluſioni generali ità limitandæ, quin generaliſſimè ex mente Apoſtoli ſumenda ſit, *nullum omnino hominem ex nullius legis operibus juſtificari*, non tantùm Ceremonialis Moſaicæ. Cum verò *legis Moſaicæ* mentio inciderit, ut totam hanc de lege Ceremoniali controverſiam ſemel finiam *Gal. 2. 14.*

5. Illud ultimo in loco non abs re adjiciendum conſeo, quò ad ſequentem

Diſpu-

Disputationem præstruatur aditus, scilicet si *Pontificii* in hâc Disputatione Paulinâ per *opera legis* intelligi vellent non *opera solius legis* Ceremonialis, sed *totius legis Mosaicæ quatenus Mosaicæ*, non tamen illud (quod maximè vellent) probaturi sunt, nimirum quod quamvis *Judæi* ex operibus *legis Mosaicæ* quà *Mosaicæ minimè* justificari poterant, *fideles tamen Christianos* ex iisdem operibus, *quatenus ex fide & gratiâ* profluunt justificari quàm *maximè*. Quod posteà patebit, cum prior eorum sententia de Ceremonialibus solis à Justificatione hîc exclusis satis jam refutata sit, & meritò quidem à nobis saltem improbanda, utpote

1. Quæ à mente Apostoli & totâ Disputationis ejus serie prorsus aliena est.

2. Quæ prout annotavit *P. Martyr* nonnullis occâsionem præbuit *avertendi homines* à *studio hujus Epistolæ*, dicentibus à *Duodecimo Capite usque ad finem dignam esse quæ legeretur, eò quod ibi præclara institutio de moribus conscripta* sit, sed *usque ad illud Caput, cum nihil aliud tractatur quàm Ceremoniæ, & contentiones & legalibus Ceremoniis, nostrâ parvi refert ea cognoscere.* *In præfat. ad Rom.*

3. Quæ denique ab *Aquinate*, *Bellarmino*, aliisque plurimis *Pontificiis* jam meliùs edoctis rejicitur. Quin & ipse *Alphonsus à Castro* primas licet huic sententiæ tribuat, illi tamen malè confisus secundam parariam adjungit. Sic enim ille loco priùs notato, *Potest adhuc aliter responderi ad hoc argumentum, ut dicamus Paulum loqui in illis locis de operibus ante fidem susceptam factis, quæ omnium consensu nullius sunt meriti apud Deum, & de his nos etiam fatemur nihil prorsus agere ad hominis justificationem.* Atque in hâc responsione & sententiâ (missâ priori) insistunt *Bellarminus de justificatione* lib. 1. cap. 19. *Becanus Summæ Theologiæ Scholasticæ* parte 2. Tractat. 4. cap. 2. & alii plurimi; Apostolum nimirùm à justificatione excludere non *opera quæ fidem sequuntur & à gratiâ fluunt*, ex quibus nos justificari contendunt, sed ea *sola, quæ fidem præcedunt*, & quæ *solis viribus naturæ & liberi arbitrii fiunt.* *In Rom. 3. Becanus part. 2. tract. 4. cap. 2.*

An ab Apostolo à justificatione excludantur ea tantùm opera quæ fidem præcedunt & solis liberi arbitrii viribus fiunt.

Hoc acriter propugnant *Pontificii* prænominati & alii. *Nostri* verò (si *Grotium* ejusque sequaces exceperis) oppugnant omnes, atque his ferè argumentis.

Atque primùm eo, quo *Bellarminus* priorem refutavit sententiam, nimirùm quòd Apostolus *simpliciter* excludit *opera*, nullâ mentione factâ *legis Mosaicæ*. Hinc enim intelligimus non excludi solùm *legalium* Ceremoniarum observationem, sed etiam *moralium*. Hæc ille. Cujus pace nobis idem dicere liceat de *operibus fidem sequentibus* atque eodem modo sic argumentari, Apostolus simpliciter excludit *opera* in genere nullâ mentione factâ vel *Ceremonialium* vel etiam *moralium fidem antecedentium*, atque hinc intelligimus excludi non solùm Ceremonialia, vel moralia quæ *ex vi liberi arbitrii, sine fide* fiunt, sed & *fidem consequentia*, quæ ex *gratiâ* profluunt. Quod enim *Salmero* in hac ipsa Controversia pro refutatione prioris sententiæ de *Ceremonialibus* dixit, idem nobis æquo jure dicendum est in refutatione hujus secundæ sententiæ de *moralibus fidem antecedentibus*. *Non est distinguendum* *Arg. 1.* *Ubi priùs.*

ubi lex non distinguit, sed omnia simpliciter, indefinitè & generaliter à justificatione excludit,

Et quoad *verba*, nam simpliciter οὐκ ἐξ ἔργων dicit Apostolus Ephes. 2. 9.

Et quoad *sensum*, cum nihil sit quod limitationem hanc de *operibus fidem antecedentibus* suadeat, prout ex solutione argumentorum postea constabit. Imò contrà plura sunt, quæ *opera etiam fidem sequentia* in illâ Apostoli sententiâ includi invictè probant, quod ex mox adducendis *nostrorum* argumentis confirmabitur.

Arg. 2. Quorum (secundo in loco) illud unum est, quod Apostolus, cum contra justificationem ex operibus disputat Rom. 4. argumentum ducit præcipuè ex *debito* & *merito operum*. *Ei vero qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam*, sed *secundùm debitum* v. 4. Cum ergò *justificatio* ex ejus mente tota *ex gratiâ* sit, ea *opera* ex vi hujus argumenti præcipuè à gratuitâ justificatione arcentur, *quibus* ex *merito merces* debita sit. At hæc sola opera sunt quæ *fidem sequuntur* & *ex gratiâ fiunt*, quæ *Pontificii* pleno ore, perfrictâ fronte clamitant esse *ex condigno* & *rigore justitiæ vitæ æternæ meritoria*.

Quod verò ad *opera fidem antecedentia* attinet, quæ ex sententiâ *Alphonsi à Castro* jam citati *omnium consensu nullius sunt meriti apud Deum*, quæ vel *Ethnicus* ex solius liberi arbitrii, vel Judæus ope legis sine fide Christi imò cum odio Christi & nominis Christiani edere potest, cum eo solo nomine quod *sine fide* fiant, *Deo placere nequeant* Heb. 11. 6. imò *peccata*, vel saltem peccaminosa *sint* Rom. 14. 23. absurdum planè fuisset, Apostolum adeò insudasse probando ex illis *operibus* nos non justificari, ex quibus propter hoc ipsum *maledictio* & *condemnatio* meritò expectanda est.

Argum. 3. Tertiò ut opera omnia hinc excludit Apostolus, ità & *omnium hominum opera*, vel renatorum, qui jam fide & gratiâ donati sunt. Frivolum enim illud *Origenis* est, qui in illa sententia Apostoli Ex *operibus legis non justificabitur ulla Caro*, per *Carnem homines carnales* intelligit, qui in *Carne* sunt & *secundùm Carnem* vivunt. Quid enim tanto conatu Apostolo opus erat ut probaret tales ex operibus suis non justificari, quod apud omnes in confesso erat? Per *nullam Carnem* ergo Synecdochicè *nullum hominem* intelligi liquidò constat ut & alibi sæpius Gen. 6. 12. Psal. 56. 5, 12. Isa. 40. 5, 6. ideoque quod à Paulo πᾶσα σὰρξ dicitur, à Davide Psal. 143. 2. per כָּל־חַי effertur. Cum ergo *nulla Caro*, & *nullus vivens* pro eodem sint, per *Carnem* non solùm *Carnales*, sed *viventes* omnes intelligere necesse est, sed & spiritualiter renatos omnes. Durum enim & absonum nimis foret, ut qui Deo *vivunt* ne inter *viventes* numerentur.

In Rom. 3. 20.

Col-Chai.

Sed ut misso hoc, magis speciatim agamus,

Romani & *Galatæ* isti ad quos scribit jam *sancti* erant Rom. 1. 7. Gal. 1. 2. 3. 2, 5. 4. 9. *eorum* tamen *operibus* justificationem adimit.

Ipsum *Paulum* quis *renatum* esse negaverit? qui tamen *legi mortuus* est Gal. 2. 19. & in *propriâ suâ justitiâ inveniri* noluit Philip. 3. 9.

Act. 13. 22. *David vir secundùm cor Dei erat*, qui tamen non in operibus suis, sed

in

in *gratuitâ peccatorum suorum condonatione beatitudinem* adeoque justificationem suam collocavit Psal. 32. 1, 2: 130. 3, 4: 143. 2. Rom. 3. 6, 7, 8.

Abrahamum denique, qui meritò *fidelium Pater* audit, qui ex *fide operabatur*, quem etiam ipse *Bellarminus* fatetur eo tempore *renatum* esse, & ex *fide multa bona opera fecisse*, hunc inquam, talem tantum *Abrahamum* Apostolus dicit ex *operibus suis neutiquam justificatum*, sed *fidem ejus in justitiam imputatam* fuisse Rom. 4. 2, 3. ut quamvis experibus tam præclarè gestis gloriandi materiam habere potuerit, nullam tamen apud Deum habuisse asseveranter pronuntiet. Atque hinc est quòd *Chrysostomus* Homiliâ 8vâ in Epist. ad Romanos de hoc ipso *Abrahami* prolato exemplo agens, quò magis *fidei* in justificatione efficaciam eveheret, hæc pulchra habeat; nil mirum est hominem non habentem opera fide justificari, (cum scilicet nil amplius habeat) τὸ δὲ κομῶντα εὐ πεπρᾶχθαι, μὴ σπουδάζειν, ἀλλ' ἀπὸ πίστως γυμνὸν δίκαιον τοῦτο ἢ θαυμάσαι, καὶ μᾶλλον τὴν πίστιν τὴν ἰσχὺν ἐμφαῖνον. Unde constat ex *Chrysostomi* sententiâ eo nomine mirandum adeoque & adorandum esse justificationis mysterium, quod *Abrahamus* plurimis licèt *præcaris gestis* aliunde stipatus fuerit, his tamen omnibus *quoad* hoc insuper habitis ex *solâ fide justificatus* sit.

De justif. l. 1. c. 19. Quamvis magna esset copia exemplorum, tamen Paulus hoc sibi de Abrahamo deligit quòd ille fuisset & vir Dei & præclarissimis virtutibus instructus, & quòd is ab Hebræis perpetuò jactaretur, ut quem agnoscerent patrem ac principem sui generis, tantique apud eos fuit ejus authoritas, ut beatorum locus apellatus sit sinus Abrahæ. P. Martyr in præfat. ad Rom. 4.

Quid ad hæc *Bellarminus*? Tria respondet,

1. Apostolum excludere opera quæ *Abraham* facere potuisset non ex fide, nam etiam qui fidem habent aliquando *operantur non ex fide*, ut cum *peccant*, aut cum faciant *opera purè moralia sine relatione ad Deum.*

Quæ responsio quàm inepta, absurda, & *Bellarmini* quà *Jesuitico*, quà *Cardinalitio* acumine indigna sit, antea pluribus demonstravimus, quam idcirco ut talem inpræsentiarum missam facimus.

2. Dicit Apostolum cum dicit *Abrahamum justificatum* esse ex *fide*, non ex operibus, non *rejicere opera facta ex fide*, sed *affirmare illa non esse facta sine* fide quia si *talia* fuissent, *nunquam eum justificâssent.*

Respondeo.

1. Utrumque hoc facere potuit Apostolus, idque satis congruenter. Potuit utique simul affirmare & opera *sine fide facta*, & *opera* in universum *omnia* à justificatione excludi, atque illud *prius* per hoc *posterius* invictè probare. Judæi & Judaizantes Pseudapostoli fidei hostes, hominem ex *operibus legis sine fide factis* justificari contendebant. Hos Apostolus refutat argumento efficacissimo à *genere ad speciem negativè* ducto. Homo ex *nullis omninò operibus*, sed *solâ fide justificatur*, non ergo ex *operibus legis sine fide factis. Fides* ad justificationem *necessaria* est. Ergo non *sola opera justificant*, quod *Pseudapostoli* vellent. *Fides sola justificat*, ergo *nulla omninò opera justificant*, quod *Apostolus* probat.

2. *Pontificii* totam Apostolicæ Disputationis seriem pervertunt, ac si in eo esset ut probaret *neminem justificari ex operibus sine fide*, cum ille hoc probandum sumit *Neminem ex operibus omninò justificari*, sed *solâ fide*; vel unum quemque justificari solâ fide sine operibus, uti constat ex totâ suâ Disputatione, & ex eâ probatâ Conclusione Rom. 3. 20, 28.

3. Atque hoc est quod 3tiò respondeo quod in totâ hâc Pauli de justificatione Disputatione non *opera sine* fide & *opera ex fide* opponuntur, sed *opera fide*, vel *fidei operibus* si verò dicatur *fides* opponitur

tantùm *operibus legis*. At *opera legis* non sunt *opera fidei*, ideoque exclusis operibus legis non simul opera fidei excluduntur; Respondeo 1. Opera fidei & opera legis non adeò divelli debent, quin quæ opera *fidei* sunt quoad *principium* ex quo fluunt, *legis opera* verè dici possunt, quatenus à *lege jubentur*. 2. Cum Sæpiùs justificatio *operibus legis* adimitur, nunquam usquam à *Paulo* justificatio (quod volunt Pontificii) *operibus fidei* tribuitur; de hoc apud *Paulum* altum est silentium, ejus vero quod apud *Jacobum* occurrit alius prorsus sensus est, ut contraria fuit omninò occasio, de quo hîc non jam dicendi locus est.

Quod vero ad locum illum Rom. 4. qui de *Abrahami* justificatione disputat, attinet, quæstio non est, *quo operum genere* justificabatur, an fidem suam antecedentium vel consequentium, sed an *ex operibus omninò*. Sic enim in Hypothetici Syllogismi propositionis parte antecedente (uti fieri solet) quæstio disputata continetur in verbis illis commate 2. *Si Abraham ex operibus justificatus fuit*. Dicit *ex operibus simpliciter* & *in universum*, non speciatim vel *fidem* ejus *antecedentibus* vel *consequentibus*.

Cum etiam in ejusdem syllogismi assumptione negat eum ex operibus justificari, ab eo intelligi opera *omnia*, & *præcipuè fidem suam consequentia* (ex quibus eum justificari Adversarii nostri volunt ex his quinque constare potest,

1. Quod opera *Abrahami* ante *fidem* suam facta, si quæ in S. Scripturâ extant spectemus, talia erant (*Idololatrica* scilicet) quæ damnationem meruerunt. At nimis futilis adversarius foret quàm ut Apostolicâ refutatione dignus esset, qui ex iis justificationem somniaret, nedum assereret. *Josh.24. 2, 15.*

2. Eis *operibus Abrahami* ibi justificationem ejus derogat, de *quibus apud homines gloriari* posset. At ea illa καυχήματα, ἀνθρωπάρεσκα erant ob quæ Heb. 11. & libro *Geneseos* decantatissimus erat, quæ jam renatus, justus & justificatus edidit.

3. In hoc argumento Apostoli *justificatus* sumitur pro *non operante* v. 5. *ei verò qui non operatur, reputatur fides ejus in justitiam* (scilicet ut inde justificetur) ergò ex ejus scopo & mente ex *nullis operibus* ne vel à *fide profectis* justificatur. Quod vel inde magis patet, quia

4. Argumentum sumit à *mercede operibus debita* v. 4. *ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. At hoc omnia complectitur, *Ea etiam quæ ex fide* & gratiâ fiunt. Si enim duo mercenarii tibi agrum fodiant, unus ligone proprio, alter ligone abs te sibi donato, non minùs huic quàm illi laboris mercedem dabis ex debito. Vel si minùs hactenus quatenus ligonem tuum ei commodaveras, hâc tamen ratione hoc ex debitâ mercede ductum argumentum *magis* & *præcipuè* opera ex fide facta complectitur, quia (ut priùs dixi) secundùm *Pontificiorum* placita hujusmodi *operibus merces ex rigore justitiæ debita est*, cum *opera* non *ex fide facta* (ipsis fatentibus) cum *merito nil commercii* habeant.

1. *Ea etiam. Ut Pareus argumentatur.*

2. *Ea præcipuè.*

5. Hoc inde magis adhuc patet, quòd ibi *fides* & *gratia* loco *operum* substituitur, vel potiùs in *justificationis* negotio *operibus opponitur*. Jam verò si aliquid non solùm argumento à naturâ rei de qua agitur ducto tollitur, sed ex adverso aliud quid ponatur, prius illud duplici nomine apertiùs & fortiùs negatur.

gatur. Exempli gratia si dixerim *Titius hæreditatem* non *adibit* quia *ipse prorsus alienigena* est, tum etiam quia *Sempronius præstò est qui verus hæres est*, Titium eò fortiùs hæreditate pello. Idem prorsus hîc occurrit apud Apostolum. Quæritur an operibus adeundâ sit hæreditas, vel justificatio. Negat Apostolus, dum & *operantem hæredipetam* ut *alienigenam* abigit, quia ex *opere mercedem* flagitat, quod à *justificatione* (quæ tota *gratuita* est) omninò *alienum* est; & simul, ut *Jehoiada* olim *Joashum* ità Apostolus *Fidelem* in Christo credentem *verum regni hæredem coram* sistit qui solâ *fide* & *gratiâ* nititur, quæ cum vera *Evangelicâ justificatione conjunctissima* est; atque ità in malam rem abeat *Athalia Babylonica*, dum verè fidelis justificatione & regno potitur *solâ fide* per *solum Christum omnium hæredem.* 2 Chron. 23.

3. Ad id quod tertio in loco respondet Bellarminus, quòd *Apostolus loquitur cum conditione, Si Abraham justificatus est operibus non procedentibus ex gratiâ fidei (ut ii putabant qui suis viribus tribuebant justitiam) certè habuit gloriam, sed non apud Deum. Et quoniam satis constat Abrahamum habuisse gloriam etiam apud Deum*, inde colligit *eum non esse justificatum ex operibus sine fide, sed ex fide, ex quâ bona opera verè procedunt.*

Respondeo

Chamierus Bellarmino ἀνυπολογίστως hîc vitio vertit, quod *cum conditione* pro ex *Adversarii hypothesi* dixerit. Ego potiùs ei impingo *malam argumenti* sui *formationem*, & *expositionem argumenti Apostolici falsam*, & menti Apostoli prorsùs contrariam. nam *De justif. l. 22. cap 2.*

1. *Perplexa* nimis est hæc *Bellarmini argumentatio*, quod quidem ei solenne est. Dum enim argumenta sua solutè proponendo *Oratorem* passim magis agit quàm *Disputatorem*, ità involvit omnia, ut si ad *formam* redigerentur *in fumum* statim *abirent.*

2. Siquis hîc satis expeditam esse dixerit, ac si hac forma argumentaretur Apostolus,

Si Abraham ex operibus sine fide factis justificatus esset, habuisset gloriam apud homines solùm, sed non apud Deum. At habuit gloriam etiam apud Deum. Ergo non est justificatus ex operibus sine fide factis;

Respondeo

1. Quid nobis cum *operibus sine fide factis* in hoc argumento Apostoli? cum ipse de *operibus* simpliciter *omnibus* quatenùs *mercedem* debitam exposcunt, & de operibus Abrahami *maximè eximiis* loquitur, quæ duplici hoc nomine de *operibus ex fide factis* intelligi debent.

2. Concedo hoc Apostoli argumentum ità formari à *Pontificiis* ferè omnibus, atque à *Patrum* aliquibus. *Chamierus* etiam ex *nostris* addit *P. Martyrem* & *Piscatorem.* Illud ex eorum inspectis *Commentariis* mihi non usque adeò constat. Sed *Ludovicus de Dieu* liquidò satis in hâc videtur esse sententiâ, ut nimirum totus ille versus 2. (*Si Abraham justificatus erat ex operibus; habuit de quo gloriaretur, sed non apud Deum*) ad Syllogismi *majorem Propositionem* pertineret. Cui *Minor* subintellecta Propositio ità subjungenda erat *sed habuit Abraham unde gloriaretur etiam apud Deum.* Ergo non ex operibus justificabatur.

At *Calvinus* & *Beza*, ut *Arabs* item Interpres, & plerique *nostrorum* ità for-

formari volunt argumentum Apostolicum, ut verba illa *sed non apud Deum*, non sint *pars Majoris Propositionis*, sed ipsa *Minor Propositio* Syllogismi Apostolici, quem hoc modo formari volunt, Si *Abraham ex operibus justificabatur, tum haberet de quo gloriari posset, idque non solùm apud homines, sed etiam apud Deum.* *Sed* subsumit Apostolus, etsi inde haberet forsan de *quo gloriaretur* apud *homines*, neutiquam tamen apud *Deum*, ergò *ex operibus non justificabatur.* Ità ut in varia hac Syllogismi istius formatione *contraria* planè esset *Assumptio unius Syllogismi ei* quæ habetur in *alterâ*, quarum una hæc esset, *At Abraham habuit de quo gloriari posset:* Altera id prorsus negaret, & diceret *At Abraham non habuit de quo gloriaretur.*

Quarum posterior quæ nostra est verior est, & Apostoli menti & Disputationi tum hîc tum alibi congruentior.

Ephes. 2. 9. 1. Quia Capite præcedente versu 27. *omnem* in *justificatione gloriationem* excluſam esse dixerat. Fuit quidem (quod objiciunt) *Paulo* sua καύχησις quatenus *exultationem* potiùs significat quàm proprii nominis *gloriationem*; *in infirmitatibus* 2 Cor. 11. 30. non de rebus *præclarè* gestis, *de sinceritate* cordis *Heb.* 3. 6. 2 Cor. 1. 12. non de *merito* operis; *in spe gloriæ gratuito* conferendæ Rom. 5. 2. non *operibus ex justitiâ debitæ:* contra *Thrasonicos calumniatores Pseudapostolos* ad *Apostolatûs sui authoritatem vindicandam* 2 Cor. 10. 8. (atque in eo se pro *insipiente* habet 2 Cor. 11. 16.) non *coràm* Deo, cum (ipso Apostolo teste) *Christus nobis omnia factus sit*, ut *nulla caro coràm* Deo *glorietur* 1 Cor. *In Rom.* 4. *pag.* 102. 1. 29, 30, 31. Agnosco quidem *P. Martyrem* affirmare *Paulum* voluisse eos qui justificantur gloriationem habere apud Deum; *Bucerum* etiam majore πειθανολογίᾳ hâc in re uti ubi hæc habet „ si (*Abraham*) *nihil consecutus est,* *Rom.* 4. 1. „ *de quo coram* Deo *glorietur, quid absurdius quàm dicere eum justificatum?* At nil minus volunt quàm *de se* & *operibus suis* gloriationem. *Bucerus* enim verbis immediatè sequentibus sese explicat per hanc coràm Deo gloriationem intelligere *Deo sui approbationem*, * quam etiam (uti *P. Martyr* seipsum exponit) in eo consistere vult, quod ex *eo* (Deo) non autem à *suis operibus* justitiam nanciscantur. Hæc utique verè justificatorum seria & solida est gloriatio quòd cum *in se nihil*, à *Christo omnia* habeant, secundùm illud Apostoli *Gloriamur in Christo Jesu*, nec *confidimus in carne* Philip. 3. 3. ut *qui gloriatur, in* Domino *glorietur* 1 Cor. 1. 31. *Mihi autem absit gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi* Gal. 6. 14. Si cum *L. de* Dieu dicatis Apostolum de hâc in Christo gloriatione loqui, atque sic argumentum suum instituere si ex operibus justificatus fuit Abraham, habet quod glorietur; at non apud Deum, i. e. carnalem tantùm habet gloriationem, quæ apud Deum non valet; at habuit Abraham quod gloriaretur etiam apud Deum, id est tali gloriatione quæ valeret apud Deum eique grata esset. Ergo non fuit justificatus ex operibus, vel non invênit justitiam secundùm carnem. *Caro* enim non habet quod *apud Deum glorietur.* At *fides* habet, quippe quæ *gratiam Dei* & *mortem Filii ejus amplexa* meritò *gloriatur æternam se redemptionem invenisse. Carnalem* igitur ex operibus *gloriationem* excluſit præcedente Capite. At *gloriationem hanc fidei* in solo Christo hîc Abrahamo denegari non vult, cujus fides tantopere à Deo prædicatur; cum etiam *in Deo gloriari* jubemur, & *Christus* ideò nobis *justitia factus* dicitur ut *in Domino* ** Ut Gal.* 6. 4.

glorie-

gloriemur 1 Cor. 1. 31. Hæc quidem quoad *rem vera & pia* sunt, & quamvis quod Argumenti Apostolici formationem attinet cum *Pontificiis* conveniant, quoad tamen rei *sententiam Pontificia* ex *operibus justificationi* planè contraria sunt. An verò ex mente Apostoli ità formetur ejus argumentum præter hoc primum duo præterea mihi scrupulum injiciunt.

2. Quod talis (qualem volunt) *Assumptio* hîc nusquam apparet, scilicet, At *Abraham habuit de quo glorietur apud Deum*, sed contrarium potiùs dici videtur. Cum altera hujus argumenti formandi via integrum Syllogismum hîc nobis exhibet, ità nimirùm. Si *Abraham ex operibus justificatus fuit, habuit de quo gloriaretur*; *At non habuit*, saltem *non apud Deum*, quæ duæ propositiones habentur commate 2. & Conclusionem, *Ergo non fuit justificatus ex operibus* commate primo in interrogatione illa, *Quid dicemus Abrahamum patrem nostrum secundùm carnem* invenisse? Hoc est, Nihil, nullam veram justitiam assecutus est, nam *invenire* est *assequi*, & *secundùm carnem*, & ex *operibus* pro eodem hîc sumuntur, uti ex horum duorum versuum connexione constat qui non tam προληπτικῶς (ut vult Piscator) quam ἀποδεικτικῶς conjunguntur. Quod enim ad illam Piscatoris objectionem attinet, Si cohæret hic versus cum superiori per ἀποδειξιν non per Prolepsin, Apostolus verba sua ità collocasset εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη ἔχει καύχημα πρὸς τὸν Θεὸν, ἀλλ' οὐκ ἔχει; nil absurdi esset si cum *Chamiero* dicamus illam particulam *apud Deum* semel expressam *intelligi* repetendam in priori membro. Neque enim magis durum est talem *particulam* subintelligi quàm *totam Assumptionem*, ut illi volunt, in sua Syllogismi Apostolici formatione.

3. Hoc etiam suaderi videtur ex Commate 3. ubi postquam in fine Commatis secundi Apostolus dixerat *Abrahamum* non *habere de quo gloriaretur apud Deum*, continuò addit τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει, &c. & prius illud negatum ex eo probat, Abrahamum scilicet non habere de quo gloriaretur apud Deum, quia *fides ejus à Deo gratuito ei imputabatur ad justitiam*, cum contra si ex *operibus*, non *gratuitum* fuisset, sed ei *debitum*, de *quo apud Deum gloriari poterat*.

Concedo quidem ex sententiâ *Ludovici de Dieu* versum 3. ad eam confirmandam non invitò trahi posse: subintellectâ enim illâ (quam volunt) *Assumptione*, *At Abraham habuit de quo gloriaretur apud Deum*, ultrò sic argumentari proclive erat *Aut non habuit hanc gloriationem*, *aut per fidem habuit*. *At habuit*. *Ergo per fidem habuit*. Quod probare pergit ex Scripturâ v. 3. An verò ista argumentandi series tam rectè ac liquidè fluit quàm illa prior, ego cum doctissimo de Dieu loquar *Judicium esto penes doctos*.

At verò utcunque hoc demùm fuerit, ut ad *Pontificios* tandem redeam, nihil hinc Patrocinii erit sententiæ suæ de *operibus ante fidem* hîc (ut illi volunt) intellectis.

At forsan dicent, imò verò quàm maximum. Si enim de *operibus ante fidem factis* intelligatur locus iste, liquidò apparet consequentiæ hujus Apostolicæ ratio, si Abraham ex operibus ante fidem factis justificatus fuit, haberet gloriam sed non apud Deum; id est, apud homines haberet, qui exteriora tantùm spectant, sed non apud Deum qui corda rimatur, fidei vacua, sine quâ Deo placere nequeunt: Sed *Abraham habuit gloriam apud Deum*. Ergo *Obj.*

conclu-

concluditur non juſtificabatur ex *operibus ex libero arbitrio & propriis viribus factis* & *fidem antecedentibus*. Sed non inde concludi poteſt *Ergo non juſtificabatur ex operibus à gratiâ & fide fluentibus*, quia non ſolùm *externè coram hominibus* facta ſunt, ſed etiam *coram Deo* vel ipſo teſte oculato internè & quoàd principium *ex fide* fluunt, adeoque *Deo grata ſunt*, de quibus *coràm eo gloriari* poterat.

Reſpondeo.

1. De Aſſumptione illâ affirmativâ (ut eam volunt) *At Abraham habuit de quo gloriaretur* nihil jam repetam, quæ jam ſatis exagitata fuit.

2. Quod ad *Majorem illam Propoſitionem* ſi *Abraham juſtificatus eſt ex operibus ſuis viribus ante fidem factis, gloriam ab hominibus licèt habuiſſet, at non coram Deo.* Quæro, quare non etiam *coràm* Deo? imò verò eatenus magis gloriationem habuiſſet æquè apud Deum ac apud homines ex hujuſmodi *operibus* quæ ſuopte Marte feciſſet quàm ex iis ad quorum operationem *fide* & *gratiâ Dei* adjutus fuerat.

Ad id verò quod dictum erat, *opera illa quæ propriis viribus facta ſunt*, eò *quòd ſine fide facta ſint*, *Deo placere non poterant*, adeoque non quòd de iis *gloriari* poſſet, haberet: Dico hoc quidem veriſſimum eſſe juxta veritatem Evangelicam, & quòd *Chriſtiani* omnes fateri debent. At hoc parùm morabantur *Judæi*, contra quos (ex parte ſaltem) Apoſtolus ibi diſputat. Illi enim *fidem* Chriſti ad *boni operis* æſtimationem *neceſſariam* eſſe *negabant*, dummodò in *ſe bonum* ſit quò magis *ſuis viribus* ſine fide & gratiâ Dei adjuti id præſtiterint, eò magis *Deum ſibi obnoxium* haberent, & de eo, ejuſque juſtitia meritò *gloriarentur*.

Illud unicum reſtat ad argumenti hujus tertii noſtri explicationem & vindicationem, ut animadvertamus *Pontificios* veterem ſuum Interpretem ſecutos vocem Apoſtoli καύχημα per *Gloriam* tranſtuliſſe. Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet *gloriam*, ſed non apud Deum. Sic enim faciliùs concedi poſſet affirmativa illa eorum *Aſſumptio*, quam in argumento hoc Apoſtolico ſubintellectam volunt. Scilicet *At Abraham habuit gloriam apud Deum.* Et quidem *gloriam apud Deum habuit*: eam ſcilicet *gloriam* quâ *omnes* in ſe *per peccatum deſtitui* dixerat cap. 3. 23. πάντες γὰρ ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Hanc *Gloriam Dei omnibus per peccatum deperditam Abrahamo per fidem* in juſtificatione ſuâ *reſtitutam* libenter agnoſcimus. At hoc interim advertendum eſt hanc *gloriam Dei* nil niſi *approbationem* Dei ſignificare ut Johan. 12. 43. At hujuſmodi *gloria* multum diſtat ab hâc de quâ jam agimus *gloriatione*; *gloria* illa *Dei activè ſumpta Dei noſtrûm approbatio eſt*, hæc *noſtra* eſt *coram Deo noſtrûm venditatio*, vel ſaltèm *approbatio*: ea ſcilicet, quam Capitis prioris v. 27. à *juſtificatione excluſiſſimam* eſſe voluit. Neque hîc aliquid valet *Toleti* ſubtilitas, qui inter καύχησιν & καύχημα ità diſtinguit ut καύχησιν *gloriationem* & *jactantiam* ſignificet, at καύχημα tantùm *laudem* & *approbationem*, atque ideò Apoſtolus καύχησιν illam à juſtificatione ibi excluſit, at hîc καύχημα hoc Abrahamo in juſtificatione ſuâ tribuit. At curioſa nimis imò planè falſa eſt iſta duarum harum vocum differentia. Idem Etymon habent, idem omninò ſignificant, niſi quod καύχημα gloriandi *materiam*, καύχησις ipſam gloriandi *actionem* ſignificet, quæ ambo

ibi δόξα legitur, hîc καύχημα: gloriatio.

quod

quod ad *justificationem* attinet eôdem redeunt, à quâ ut omnis abest *gloriandi materia*, ità ab eâdem procul abesse debet omnis *gloriandi actio* vel gloriatio. Cum ergo καύχησιν omnem *gloriationem* à Justificatione Capite priore excluserat, ne καύχημα ullum, ne minimam gloriandi materiam ne Abrahamum quidem ne vel in maximè illustribus & à fide suâ profluentibus operibus inveniisse consequenter asserit, adeòque ne ab his eum justificatum fuisse concludit. „ Hoc *Testimonium usque adeò perspicuum & illustre & firmum est, quod etiam Andradius confitetur, inter Pontificios aliquos egregiæ* „ *eruditionis viros in hâc salebrâ hærere, nec se posse explicare.* Hæc *Kemnitius*; „ Exam. parte 1. pag. 152. qui ideo meritò hoc ibi addit „ *Magis igitur jam amo & pluris facio hoc Testimonium, quod video ne specie quidem ali-* „ *quâ a Pontificiis eludi posse.* „

Sed huic 3tio nostro argumento (efficacissimum ut sit) nimis diu immorati sumus. In eis quæ sequentur brevior ero.

Quartum hoc sit *Opera* quæ Justificationem *sequuntur* justificationem non ità causaliter constituunt ut *ex iis justificemur*. At opera, quæ fidem sequuntur, sequuntur etiam justificationem. Ergo non eam ità constituunt ut ex iis justificemur. De *Majore* liquet, quia *effectum causam* suam nec *constituit*, nec *antecedit*. Nec de *Minore* major erit controversia, si vel decantatissimæ illi *Augustini* sententiæ credamus *Bona opera sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum*, vel saltèm si rei ipsius cedamus manifestæ veritati. Quamvis enim *Pontificii fidem* inter *præparationes* justificationi antecedaneas primam statuant, eamque in eâ præparatione timoris, spei & similium (quæ in hoc censu numerare solent) operativam, adeòque hujusmodi quædam opera vel operationes *post fidem ante* formalem *justificationem* edi posse vellent, ea tamen opera adhuc *præparatoria*, non *formaliter justificatoria* esse concedent. Si verò dicant quòd opera quæ à fide tanquam præparatione antecedente fluunt, in ipso justificationis actu formaliter justificant, adeòque licèt ad fidem consequenter, ad justificationem antecedenter se habeant adeòque licèt fidem sequantur, non itidem & justificationem. Respondeo. Nos quidem *fidem* non ut *opus*, sed quatenus in ipso justificationis actu formali Christum apprehendit pro *instrumento passivo* ponimus adeoque ad ipsius justificationis actualis ἀποτέλεσμα quamvis non *tempore*, saltèm *naturâ antecedenter* se habere agnoscimus. Sed *Pontificii* hunc nos justificandi modum planè negant, execrantur. Opera ergo alia fidei quæ formaliter nos justificent assignare debent, quæ illud efficere possint. At ea omnia non solùm *fidem*, sed & *justificationem sequentur*, cum non nisi à *jam justificato* fieri possint, ut *bonus fructus* non nisi à *bonâ arbore* Matth. 7. 18. à *palmite jam Christo insito* Johan. 15. 4, 5. ferri nequit. At in *ipso justificationis actu* Christo *inserimur*. Ergo non nisi jam actu justificati hujusmodi bonos fructus edimus, adeòque consequenter ad justificationem benè operamur, (secundùm illud Augustini *ut non justificatio factoribus accedat, sed factores legis justificatio præcedat. Justitiam homo non operatur nisi justificatus*) opera igitur ista *justificationem sequuntur*, quod probandum erat.

Arg. 4.

De fide & operibus cap. 14.

De spirit & literâ cap. 26. *in Psal.* 110.

Si verò adhuc regerant Adversarii opera ista quidem justificationem sequi,

justificationem verò ipsam in *infusione habitûs* vel gratiæ consistere, quæ justificationem cum constituat, non sequitur;

Respondeo

1. *Justificationem* in *infusione gratiæ* non *consistere*, ut cum ad illam Controversiam deventum erit, constabit, neque *habitum fidei*, sed *actum* credendi pro *instrumento* esse, quo mediante justificamur, postea demonstrandum erit.

2. Dico opera ista quæ fluunt ab habitu nobis infuso cum ipsâ habitûs infusione vel habitu infuso malè confundi; infusio enim habitûs vel ipse *habitus infusus* operatio & opus *solius Dei* est: at *opera* inde profluentia *nostra* etiam sunt, quorum illud Justificationem, & hominem vel ex eorum sententiâ *injustum* invenit Rom. 4. 5. hæc vero cum post habitum infusum exerantur justum & justificatum præsupponunt, adeoque Justificationem sequuntur. Ergo eam non causaliter efficiunt.

Arg. 5. Quintò. Quocunque demùm modo quoad hoc se habeant vel *antecedenter* scilicet vel *consequenter*, aliud procul dubio in se habent, quod vim omnem justificandi eis adimit: hoc nimirum quod non *perfecta*, imò magis vel minùs, aliqualiter scilicet *peccaminosa* sint *quasi pannus menstruatus universæ justitiæ nostræ* Isa. 64. 6. *Quis dabit mundum ex immundo?* Job. 14. 5. Quod *Gregorius* sæpè se dixisse ait, scilicet quod „ *omnis humana justitia injustitia* „ *esse convincitur, si districtè judicetur. Precè ergo post justitiam indiget, ut* „ *quæ succumbere discussa poterit, ex solâ Judicis pietate convalescat*, quando & mala nostra pura mala sunt, at bona, quæ nos habere credimus pura bona esse nequaquam possunt, *nisi* (quod addit *Bernardus*) „ *fortè meliores* „ *nos esse credimus, quàm Patres nostros, qui non minùs veraciter quàm humiliter dicebant omnis justitia nostra tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura justitia ubi non potest adhuc culpa deesse?* Quæ non de comparatâ ad Deum, sed *in se simpliciter consideratâ* justitiâ, eâque in *singularibus operibus*, non in *toto vitæ cursu* spectatâ (ut cavillantur *Pontificii*) apertè intelligenda sunt. Sed de hoc amplius posthac dicendum est. Ad præsens pro indubitato sumimus opera fidei vel sanctissimi cujusvis aliquid imperfectionis adeòque peccati in se habere. unde concludimus ne sanctissimum ex iis (quantum ipse potest) vel sanctissimè factis justificari posse. Quæ enim veniâ opus habent & condemnationem merentur, ex iis nullus unquam justificabitur.

Moral. lib. 9. cap. 2. *Lib. 35. c. 6.*

Si vero dicatur *veniam* non ità à *Justificatione* abhorrere quin mutuò coalescere possint, ut ex iis operibus, quæ aliquatenus veniâ indigent aliquis justificari poterit, cum non solùm *Pontificii* dicant venialia aliqua peccata operibus nihilominùs justificatoriis adhærere posse, sed & *nostrorum* aliqui peccatorum *veniam* totam & integram Justificationis rationem complecti, alii eam Justificationis partem saltem unam esse statuant;

Respondeo

1. *Nulla peccata* suâ naturâ sensu *Pontificio venialia* esse, sed omnia *mortalia*, ac proinde condemnatoria, adeoque Justificationis impeditiva.

2. Quod ad nostros attinet, potiorem eorum esse sententiam, quæ totam Justificationis essentiam à peccatorum veniâ exhauriri negat; sed ex *imputatâ*

Christi

Christi *justitiâ* insuper *justitiæ imputationem* & *pro justo* reputationem adjungi efflagitat; de quo (favente Deo) postea dicendum erit.

3. Qui Justificationem totam in peccatorum remissione collocant, nil minus sentiunt quàm ut ex iis ipsis rebus vel *operibus* quæ *veniâ* indigent quis *justificaretur* unquam: nam ex *veniâ* licet *Justificationem* consequamur, ex *operibus* tamen illis quæ *veniâ* opus habent (quod ipsum antecedentem reatum connotat) *condemnationem* meremur. Ex indultâ à Principe proditori sceleris sui condonatione ipse proditor eatenus *justificatur* quatenus à *reatu & pœnâ liberatur*; ex *proditione* interim suâ non hoc assequitur, quæ contrarium prorsus merebatur, non *veniam*, sed *mortem*. Adeò ut quamvis in gratiosâ salutis & gratiæ Divinæ ἀνωνομίᾳ *condonatio* & *justificatio* (sensu priùs dicto) *amicè coeant* & conspirent, quoad *hoc* tamen planè *contrariantur: condonatio* enim hominis condonati in se considerati *personalem reatum* loquitur, cum *justificatio* non *reatum* sed *justitiam* ejus declarat, quæ cum in se reo nulla sit, *Sponsoris sui justitia gratis ei imputatur*, atque ità ex istâ imputatione ex eâque peccatorum condonatione verè & plenè justificatur.

Sextò. Ex quibus non *eligimur*, ex iis neque *justificamur*, eadem enim tam *Arg. 6.* in *electione* quàm in *justificatione* est *gratia prorsus gratuita*. Pariter *gratis* utique & *justificamur* Rom. 3. 24. & *eligimur* Ephes. 1. 5, 6. Et *operum* (*intuitus* æquè *gratiæ* in *Justificatione* opponitur ac in *electione* Rom. 4. 4, 5: 11. 6.

At ne ex *operibus ex fide factis eligimur* Rom. 9. 11. *Propositum Dei secundùm electionem manet, non ex operibus sed ex vocante.* 2 Tim. 1. 9. *qui nos liberavit, & vocavit vocatione sanctâ, non secundùm opera nostra sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* In priore loco *electio operibus* ἐκ τῶν *derogatur*, in posteriore *opera nostra & propositum Dei ex gratiâ* ἀντιδιαστέλλεται *opponuntur*. Si verò respondeatur hæc quidem de *operibus* intelligenda sunt, sed *nostris*, hoc est (ut seipsum explicat Apostolus Tit. 3. 5.) ἃ ἐποιήσαμεν ἡμεῖς *quæ nos ipsi fecimus*, id est, interprete *Bellarmino*) quæ nos *propriis viribus, non ex gratiâ & fide Christi*, fecimus;

Respondeo

Contrarium planè ex his locis omnibus constare, in quibus *opera* cum *gratiâ electionis* non *componuntur*, sed quoad electionis causalitatem ex *adverso opponuntur non ex operibus, sed ex vocante*; non *secundùm opera nostra sed secundùm propositum suum & gratiam.* Totum hoc quantumcunque est *operibus nostris* non aliquibus (ut volunt Adversarii) sed prorsus *omnibus* adimit, cum id totum in Dei *vocantis* & *eligentis propositum* & *gratiam* (cui unicè debetur) refundit. Neque illud Apostoli *opera justitiæ, quæ nos fecimus* Glossam illam *Pontificiam* de *operibus ex viribus nostris sine fide factis* ullatenùs admittere, sed contrarium potiùs loqui videtur, scilicet opera, quæ *fecimus Nos* jam vocati & Spiritum Sanctum *copiosè super nos effusum renovati* (sic *Clemens* in *Epist. ad Romanos* οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως) Eaque ἐν ἀγαπήσει id est vel quæ *& ipsa in se justa*, & quæ *nos* in *justitiâ jam constituti* vel *justificati* *Vide Bezam in locum.*

cati fecimus, quæ opponi videntur *operibus ab ipsis nondum regenitis factis*, & versu 3. prætcedente numeratis, *rebelles, errantes, cupiditatibus & voluptatibus variis servientes, in malitiâ & invidiâ agentes, &c.* Si verò dicatur Apostolum de *seipso* atque *aliis* jam *renatis* loqui, de *operibus* verò ab *ipsis ante Renovationem factis vel saltem faciendis*, quod cum *Pontificiis Calvinus* etiam & *Hyperius* atquè *nostrorum* aliqui volunt, quod etiam verbum ἐποιήσαμεν in Aoristo præteriti temporis significativo suadet, quæ fecerimus nos, vel antea fecimus; Contextus denique hoc cogit; Apostolus enim ibi in eo est ut fideles hortetur ut *neminẽ maledicerent*, sed *omnem lenitatem erga omnes exhiberent* v. 2. idque, ut *Piscator* vult, duplici argumento, 1. à pari, quòd nos ipsi *aliquando ante conversionem tales eramus.* Ergo quod ipsis tum fieri noluissent, ipsi aliis ne faciant. 2. quòd ipsi fideles à statu illo misero ex *nullis suis operibus justis* (quæ tum omninò nulla erant) sed *ex merâ Dei Gratia* liberati erant; ergo nullam causam haberent nondum conversos contemnendi, sed sperandi potiùs fore ut illis quoque, quantumvis indignis & ineptis, eadem *Dei gratia & misericordia* contingat.

Hyperius.

Respondeo

1. *Aoristum* aliquando *præsens tempus* denotare ut ἐδίδουσιν Matth. 3. 17. ἐκάθισεν Matth. 23. 2.

2. Quamvis hîc *præteritum* designet, non tamen inde sequitur hoc de *solis operibus ante conversionem præteritis* intelligi. Nam illud ἔσωσεν *servavit* nos quod Apostolus ibi dicit, non solùm ad *primam eorum conversionem* & regenerationem (de quâ loquitur v. 5.) restringi debet, sed ad totum post regenerationem *gratiæ & pietatis cursum* ad *æternæ* in cælis *vitæ hæreditatem* extenditur, uti patet ex v. 7. ut non solùm *opera ante conversionem*, verùm & *post conversionem* præterita comprehendi possint; prout illa *bonorum operum* nomenclatura quæ (observante *Estio*) sexies in illâ Epistolâ occurrit, vel ipso fatente de *operibus verè justis* intelligi debet.

3. Illud enim est 3°. respondeo illud ex Contextu ductum argumentum rectè quidem probare opera *omnia ante Regenerationem* (secundùm *Calvini, Hyperii, Piscatoris* sententiam) comprehendi. Dico tamen cum *Beza* „ tam *operum subsequentium* quàm antecedentium *justitiæ detrahatur salutis nõ-* „ *stræ beneficium*, quod apparet ex antithesi *operum* & *gratiæ*, itidemque *nostræ regenerationis* & *nostræ per gratiam justificationis* versiculis duobus proximè sequentibus.

4. Quod si morosè adhuc insistant, neque opera *fidem* & *Conversionem sequentia* hîc intelligi patientur, nobis sufficit si *aliis Scripturæ locis* justificatio non solùm operibus illis quæ *fidem antecedunt*; sed & his etiam quæ *eam sequuntur* detrahatur. At hoc priùs probatum est.

Arg. 7. Argumentum nostrum septimum duci potest à consideratione eorum, quos in hâc suâ de justificatione disputatione habet Apostolus vel coarguendos vel meliùs instruendos. Hi verò non fuere puri *puti Judæi*, qui fidei hostes erant, ut probaret *eos* ex *operibus suis sine fide* (quam ejurarent) *factis* minimè *justificari*, quia si contra eos solos ageret, (ut *Tilenus* rectè observat) inepta & ridicula esset illa ejus argumentatio Gal. 2. 21. *Si per legem est justitia, ergo Christus frustra mortuus est.* Hoc enim haud gravatè concessuri, imò ultrò & ex animo,

De Justificatione Disp. 1. Thes. 35.

animo, blaſphemè licet, aſſerturi fuiſſent puri puti Judæi ſed *Judaizantes* deceptores Pſeudapoſtolos & Doctores *refutat*, *ſemi-Judæos* deceptos *Chriſtianos* (quibus ſcribit) meliùs *inſtruit*, qui *Chriſtum fruſtrà mortuum* eſſe neutiquam concederent, qui *hominem ex operibus ſine fide factis juſtificari* nunquam dicere auſi fuiſſent, ſed tantùm *Moſen cum Chriſto legem cum Evangelio, opera cum fide* in *Juſtificationis negotio conjungi* noluerunt. Sic *Eſtius* Pontificius in Gal. 2. 16. „ *Ea Judaizantium, (adverſus quos agit Apo-* „*ſtolus) doctrina, legem cum fide Chriſti miſcere, & ex utraque pariter ſalutem expectare.* Quæ eadem atque ipſiſſima cauſa eſt, quam *Pontificii* hodie agunt, dum non *opera* quidem *ſine* fide, at cum *fide conjuncta* vel *ex fide profluentia* hominem juſtificare contendunt; Et ſic cum *Origine* legis *& Evangelii mixturam quandam confuſaneam faciunt.* Cum ergo Apoſtolus illam *Judaizantium* olim ſententiam refutaverit, ſequitur quòd & *Pontificiorum* commentum (cum idem omninò ſit) ſimul etiam explodat.

Pro Argumento octavo illud ſit quòd prius attulimus ad probandum non *ſola opera cerèmonialia* excludi; quod æquè & hîc valebit, quò probemus etiam non excludi *ſola opera moralia fidem antecedentia.* Tale verò fuit, quòd niſi ità eſſet, nullo prorſus fundamento niteretur illatio illa, quam ex doctrinâ ſuâ de juſtificatione Apoſtolus adverſarios facere ſolitos eſſe innuit *Faciamus malum ut bonum eveniat* Rom. 3. 8. & *Permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat* Rom. 6. 1. quod de jam Chriſto inſitis & *juſtificatis* dicitur, uti conſtat ex verſibus 2, 3. ſequentibus, *Abſit* qui *mortui ſumus peccato* &c. Hoc inquam, ſuppoſito quòd de jam regeneratis loquatur, dico nullam hujus illationis adverſariis anſam dari ex Apoſtoli de juſtificatione doctrinâ ſi ſenſu *Pontificio* ſumatur, ſcilicet ſi à juſtificatione excludantur ſola opera fidem antecedentia. Agnoſco quidem ſi de *nondum regeneratis* ſermo eſſet, hujus illationis ſpecies aliqua fuiſſet, hoc modo ſcilicet, ac ſi nondum converſus peccator impius ſic impiè colligeret, cum *opera fidem antecedentia* nihil ad juſtificationem futuram conferant, quid opus eſt ut ipſe, dum irregenitus ſum, hujuſmodi opera faciam, imò in *peccatis potius permaneam*, iiſque magis indulgeam, ut in juſtificatione & eorum condonatione major appareat Dei indulgentia. Cum verò (ut jam probavi) Apoſtolus de jam *peccato mortuis* & *Chriſto implantatis* loquitur, ſi (ſecundùm *Romanenſium* ſententiam) excluſiſſet *ſola opera fidem antecedentia*, nulla omninò fuiſſet illius ſequelæ ratio *Ergo permaneamus in peccato.* Quis enim unquam colligeret ideò *poſt fidem peccatis indulgendum*, quia *opera fidem antecedentia minimè juſtificant?* Cum è contrà ſi (prout volunt *Pontificii*) *opera fidem ſequentia juſtificent*, proclive eſſet cuivis, præſertim Apoſtolo, ità Adverſariorum cavillationi reſpondere, à ſe *opera tantùm fidem antecedentia* à juſtificatione excludi, at *opera bona fidem ſequentia* tantùm abeſt ut à juſtificatione excludantur, ut eam *formaliter conſtituant*, adeòque hoc nomine (ut ex iis juſtificemur) quàm maximè neceſſariò præſtanda ſunt, peccata verò ableganda omnia. At Apoſtolus ad profanam illam Adverſariorum cavillationem refellendam nullam hujuſmodi diſtinctionem *operum fidem antecedentium* & *ſubſequentium* adhibet, ſed individuum *juſtificationis* & *ſanctificationis* nexum urget, utpote opera omnia tam *fidem conſequentia*

Arg. 8.

quàm *antecedentia* à juſtificatione excluſerat. Quòd his argumentis ſatis probatum dedimus.

Arg. 9. Nil ergo Mantiſſæ loco ſuperaddere opus eſt, quod *Noſtrorum* aliqui huc adferunt, quod Apoſtolus in argumento ſuo priore (tribus primis illis Capitibus) cum tam Gentiles quàm Judæos fidei Chriſti hoſtes, adeoque verâ fide vacuos peccati reos egiſſet, & ſic *opera fidem antecedentia*, vel quæ *non ex fide fiunt*, excluſiſſet; ut hoc *Pontificiorum* (de juſtificatione ex *operibus fidem ſequentibus*) commentum anteverteret; Capite 4to ſecundùm adjunxit argumentum ab *Abrahamo* ſumptum, ubi oſtendit quòd ut neque *Judæi* nec *Gentes* ex *operibus ſuis ſine fide factis* juſtificari poſſunt, ſic neque ipſe *Abrahamus* ex *ſuis*, quamvis egregiis & à *fide* ſuâ *forti admodum* & *roboratâ prodeuntibus*.

Arg. 10. *Si non excludantur hæc opera, non excluderetur gloriatio, quia gratia quâ*
» *ad opera gratiæ & fidei apti reddimur, ſecundùm Adverſarios non eſt irreſiſti-*
» *bilis. Habet ergo homo quod glorietur de bonâ ſuâ voluntate, quod gratiæ non*
» *reſtitit; quam gratiæ non tenetur acceptam referre, quia à gratiâ hoc ipſum non*
Loc. com. pag. 903. *habuit quod gratiæ non reſtitit.* Hæc *Maccovius*.

Quod ad Adverſariorum contra hanc noſtrorum ſententiam *Objectiones* attinet, iis ferè omnibus in ſententiæ noſtræ atque argumentorum noſtrorum explicatione ſatis ut opinor ſatisfactum eſt, verbi gratiâ 1. quòd Apoſtolus eis operibus juſtificationem derogat quibus *merces* ex *merito* non ex *gratiâ debita* eſt, quæ ut *Bellarminus* vult *operibus fidem antecedentibus* non *ſequentibus* convenit. 2. Ex eo quòd Apoſtolus cum *opera* à *juſtificatione* ablegat illud habet ubi *eſt gloriatio tua*? *tua* inquam id eſt ex *operibus tuis viribus præſtitis*. 3. Ex *Scopo Apoſtoli* in *Epiſtolis ad Romanos & Galatas*, quibus omnibus priùs reſpondimus.

Obj. 1. Illud prætereà eſt quod urgent ex Gal. 2. 16. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Quod ſic exponunt, *Opera legis* non juſtificare *quatenus* ſunt *legis*, ſed quatenus *fide fiunt*, ità ut opera vim juſtificandi à fide accipiant, atque eatenùs habeant. Ex eo enim quod non juſtificant niſi *per fidem*, manifeſtè ſequi videtur quod per *fidem* & *cum fide conjuncta* omninò juſtificent. Ut ſi dicerem *fides non operatur niſi per charitatem*, in eo quod *nego* eam *ſine charitate operari*, cum Apoſtolo *affirmo* eam per *charitatem operari*: ità hîc in negativo hoc affirmativum comprehenditur: *Non niſi per fidem*, ergo *per fidem* opera juſtificant. *Fides* quidem ut *conditio* & *formalitas operum* ut *juſtificatoriorum* requiritur; at ea propter juſtificatio *operibus* ità ſanguine Chriſti tinctis & *fide informatis* non derogatur, ſed apertè tribuitur.

Sol. Reſpondeo

Tota hujus argumenti vis ambiguâ Verſione *Latinâ* nititur. *Græca* ſic habent: ϗ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Jam verò illud ἐὰν μὴ Vulgatus Interpres reddit per *niſi* acſi exceptionem faciat ab eo quod præcedit, ut ſenſus ſit hominem non juſtificari ex operibus legis, niſi fides in Chriſtum ad ea opera accedat; quæ ſi acceſſerit, juſtificari eum per legis opera; & ſic ἐὰν μὴ *conditionaliter* intelligatur, & *conditionem* indicaret *ſine quâ nulla* unquam opera juſtificare poſſent, at *cum eâ quàm maximè*. *Noſtri*

contrà

contrà particulas illas non *conditionaliter* ſed *adverſativè* & *excluſivè* ſumendas eſſe contendunt atque ità verba illa vertunt *Homo non juſtificatur ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti.* Sic *Beza*, *Piſcator*, *Pareus*, alii. In hunc ſenſum ut *non ex operibus omninò* juſtificaretur homo, ſed (ex oppoſito) ex *fide, eâque ſolâ.* Videndum jam eſt utra harum, noſtrane an *Pontificiorum* verior ſit Verſio & Interpretatio; idque ſtatim conſtabit, ſi vel rem ipſam & reliqua Apoſtoli quæ ibi habentur verba ſpectemus, vel ipſarum harum particularum ἐὰν μὴ (de quibus hîc præcipuè ambigitur) propriam & genuinam ſignificationem.

1. Quod enim ad rem ipſam, atque Apoſtoli hoc in loco & ſcopum & verba etiam ſpectat: Vis demonſtrationis Apoſtolicæ (ut in *Analyſi* ſuâ rectè annotavit *Piſcator*) eſt in *Syllogiſmo disjuncto*, cujus *Major Propoſitio* ex *partibus* inter ſe *adverſativè* oppoſitis conſtat, ex quibus *negatâ unâ altera ex adverſo ponitur*, ità nimirum *Aut ex operibus legis juſtificamur, aut ex fide. Sed ex fide. Ergo non ex operibus legis.* Cum ex *Pontificiorum* hujus loci interpretatione longè aliter imò contrariè inſtituatur Apoſtoli argumentatio, ſcilicet ex *negato uno negari alterum*, adeoque *poſito uno poni alterum* prout in *Syllogiſmo conditionali Hypothetico* fieri ſolet. Cum enim in eis verbis ἐὰν μὴ διὰ πίστεως *conditionem* contineri volunt, ità Apoſtoli argumentationem interpretantur ac ſi ex *negatione* iſtius *conditionis rem conditionatam tolleret.* Sic enim intelligunt illa verba *homo non juſtificatur ex operibus legis niſi ex fide Jeſu Chriſti*, ac ſi *fides* (vel quod ex *fide fluere debent*) *conditio* ſit requiſita ut *opera legis juſtificent*; adeòque ſi *opera non ſint ex fide, non juſtificant* ex ſenſu *Apoſtoli.* Unde ex tali *negativo* contrarium *affirmativum* ſequitur, ſi *modo ſint ex fide, tum omnino juſtificant* ex ſententiâ *Pontificiorum.* In quo dupliciter peccant, quod ſibimet æquè ac Apoſtolo contradicant.

1. *Sibimetipſis*, quòd ità *operibus legis* tribuant quod alibi ſemper negant, neque aliter auſint vel poſſint, cum Apoſtolus toties ἀφορίζω idem negaverit. At regerent, neque ſe neque hîc Apoſtolum dicere opera legis in ſe ſpectata juſtificare, niſi ex fide fiant. At inquam ego, hæc eorum *conditio* eſt *contradictio in adjecto*, ut *opera legis* ſint, & tamen ex *fide fluerent*, non quidem ex *ſenſu noſtro orthodoxo*; nos enim facilè concedimus bona *opera* quæ *ex fide fiunt* rectè *opera legis* dici poſſe, ut eadem opera quoad *principium* ex quo fluunt *opera fidei ſunt*, quæ quatenus à *lege mandantur opera legis* ſunt; at longè aliter *Romanenſes*, quibus ea ſola *opera legis* ſunt, quæ ſolâ *legis cognitione abſque fide, ſolis liberi arbitrii viribus* fiunt. Atque idcirco dicere *opera legis juſtificant, ſi ex fide fiant* (quod tamen illi Apoſtolum hîc dicere faciunt) eſt ex eorum communi ſententia ἀσύστατα loqui: Hoc *Eſtium* non latuit, qui in Commentariis ſuis in hunc locum hæc habet; „ *Sententiam reddit obſcu-* „ *ram particula Niſi, quæ ſi propriè, ut Latinis auribus ſonat, accipiatur,* „ *exceptionem faciet ab eo quod præcedit, ut ſenſus ſit hominem non juſtificari ex* „ *operibus legis, niſi fides in Chriſtum ad ea opera accedat, quæ ſi acceſſerit,* „ *juſtificari eum per legis opera. Sed cum hic ſenſus juſtificationem dividat,* „ *partim eam tribuens operibus legis, partim fidei Chriſti, quod eſt contra de-* „ *finitam & abſolutam Apoſtoli ſententiam, manifeſtum eſt interpretationem illam,* „ *tanquam Apoſtolico ſenſui & Scopo contrariam repudiandam eſſe. Sibimetipſis ergo* „

contra- „

contradicunt, qui ex hoc loco, & particulâ illâ *Nisi* pro justificatione ex operibus legis ex fide factus disputant.

2. At *Apostolo* magis.

Qui non *hypothetice*, sed *disjunctivè* hîc disputat, non ponendo uno ponit aliud vel tollendo uno tollit aliud, ut in *connexis* fieri solet, sed ponendo uno (fide scilicet) tollit aliud, (id est opera omnia) ut fit in *disjunctis* & *oppositis*. Sic Rom. 3. 28. fidem & opera in re justificationis non *componit*, sed *ex adverso opponit*, *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis* χωρὶς ἔργων νόμου, non (ut hîc exponunt) *opera legis cum fide*, sed *fides absque operibus legis*, quod idem est ac *sola fides*. Cum enim *fides* & *opera* ab Apostolo in justificationis negotio semper *sola opponuntur*, his (ut semper fit) sublatis, *hæc sola relinquitur*, & sic in hoc etiam (de quo jam agimus) loco, postquam in initio commatis dixerat Apostolus *Scientes non justificari hominem ex operibus legis* ἐὰν μὴ διὰ πίστεως (quòd illi *nisi per fidem* reddunt) ut quid per illud ἐὰν μὴ vel *Nisi* intelligitur meliùs constet (scilicet non *conditio*, sed *oppositio*) continuò in fine Commatis addit, *etiam nos in Christum Jesum credidimus ut justificemur ex fide Christi & non ex operibus legis* ἐκ πίστεως χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου, *propterea quòd non justificabitur ex operibus legis ulla Caro*. Ubi non ponit *fidem* quasi *conditionem operum justificatoriorum*, sed *negatis operibus fidem solam justificare* clarè asserit; atque hoc aptissimè, pro ratione habitâ eorum contra quos eo in loco disputat Apostolus, qui non *Ethnici* fuerunt, vel *puri Judæi*, qui *fidem Christi abnuerent*, sed *Judaizantes Christiani*, qui *fidem in Christum necessariam tenebant*, sed *legis* insuper *opera* ad *justificationem adjungi* voluerant. Hoc sæpius dixi; hoc etiam vel ipse *Estius* Pontificius hoc in loco ultrà fatetur. „Ea Judaizantium (adversus quos agit Apostolus) erat doctrina legem cum „fide Christi miscere, & ex utrâque pariter salutem expectare. Unde ad hanc rem (de quâ jam agimus) addit, „verùm constat voculam *Nisi* frequenter „in Scripturis *Adversativè* sumi, ut idem valeat quod *sed tantum*. Quod rectà nos ducit ad secundum illud, quod proposuimus, nimirum

2. Ad vocularum illarum ἐὰν μὴ considerationem & significationem propriam, in quà consistit vis tota hujus argumenti *Pontificiorum*; ubi hoc quæritur, utrùm particulæ istæ ἐὰν μὴ hoc in loco *conditionem* vel *exceptionem* denotent, an potiùs *adversativè* sumantur, ut *exclusionem* vel *oppositionem* significent, nimirum cum Apostolus hîc dicat *Homo non justificatur ex operibus legis* ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, utrùm hæc verba hæc ultima *conditionaliter* vel *exceptivè* sumi debent, atque ità reddenda sint, *nisi per fidem*, vel *nisi ex fide*, scilicet *nisi ex fide fiant*: ut cum *justificatio legis operibus* derogatur, id cum exceptione intelligendum sit, nimirum *nisi opera ista* ex *fide fiant*; talia enim opera hominem justificant; Qui sensus est *Pontificius*; An potiùs *exclusivè* & *adversativè* sumenda sint, atque ità reddenda, *homo non justificatur ex operibus legis, sed per fidem*; Quæ *nostrorum* sententia est.

Ad quam dirimendam Controversiam.

1. Concedo *particulam* ἐὰν si *per se* ponatur, ut & altera illa εἰ Propositionis *Hypotheticæ* signum esse, adeoque *conditionem* indigitare; Hoc ubique obvium.

2. Si

2. Si verò *altera* illa *particula* μὴ adjiciatur, tum ἐὰν μὴ (ut & εἰ μὴ) variè ut apud τὰς ἔξωθεν ità apud LXX. Interpretes in V. T. & in N. T. usurpatur. Aliquando affirmandi vel asseverandi vim habet Marci 10. 29, 30. *Nullus est, qui reliquit domum, fratres, sorores*, &c. ἐὰν μὴ λάβῃ *quin certo certiùs recipiet centuplicia*, ut per *quin*, *sed*, *non*, nisi, sed sæpissimè fateor per *Nisi* reddatur. Ad cujus propriam significationem designandam locorum in quibus occurrit ἀντιθέσεις inprimis observandæ sunt, an in initio vel fine sententiæ ponatur, an cum affirmativis vel negativis præcedentibus vel sequentibus conjungatur. Sed hæc fusiùs tractare *Grammaticorum* est. Ut quod nostrum est agamus,

1. Concedo primùm quòd sæpiùs in N. T. *conditionaliter* ponitur & *conditionem negativam* sensu suo includit, & per *si non* vel (ut sæpissimè) per *Nisi* verti debet.

2. Et quia conditio negativa *exceptionem* includit, *exceptivè* sumitur sic Lucæ 13. 3, 5. Apoc. 2. 5, 22. ἐὰν μὴ μετανοῆτε, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς, ἐὰν μὴ μετανοήσωσιν nisi resipuerint. Quod nostri reddunt except ye repent & except thon repent, &c.

3. At *exclusivè* & *adversativè* etiam usurpatur, ut Matth. 26. 42. εἰ οὐ δύναται τοῦτο τὸ ποτήριον παρελθεῖν ἀπ' ἐμοῦ, ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω. *Si poculum præterire non possit, sed contra ebibendum sit.* Fateor quidem plura loca à *Nostris* ad hoc idem probandum adduci ut Gal. 1. 7. Matth. 12. 4. 1 Cor. 7. 17. Apoc. 9. 4: 21. 27. ut & illud Johan. 17. 12. *Nemo ex iis perit, nisi filius ille perditionis*, quod non *exceptivè*, sed *adversativè* sumendum docet ex *Nostris Camero*, ex *Pontificiis Lucas Brugensis*. Illud tamen interim neutiquam dissimulandum, in omnibus illis locis ab eis huc adductis non occurrunt eædem omninò particulæ cum his de quibus in hoc ad *Galatas* loco agimus; Hìc enim legimus ἐὰν μὴ, in iis verò omnibus εἰ μὴ. Nec verò inde habent Adversarii quo malæ fidei notam nostris inurant cum de ἐὰν μὴ agatur, pro eo εἰ μὴ ipsis obtrudant, atque ità & ipsis & aliis quà auditoribus quà lectoribus imponant. Nam *In myrothecio. in locum.*

1. εἰ & ἐὰν Græcis Grammaticis idem sunt.

2. ἐὰν μὴ & εἰ μὴ tam à *suis* quàm à *nostris* per eandem vocem Latinam *Nisi* sæpiùs redduntur, ut juxta eos pro eodem sumantur.

3. Hæ particulæ ἐὰν μὴ hoc in loco non solùm à *Nostris*, verùm etiam à *Pontificiis* Adversativè sumuntur v. g. à *Titelmanno*, *Adamo Sasbout*, *Estio* in suis in hunc locum Commentariis, ut & ab *Augustino* & *Hieronymo*, qui licet illud *Nisi* in versione retineant, in expositione tamen suâ *adversativè* sumunt, & per *sed* explicant. „ *Nisi per fidem Jesu Christi, hoc est, non lege* „ *operum, sed lege fidei.* Sic *Augustinus. Aiunt quidem, si hoc ità sit, ex operibus* „ *legis neminem justificari, sed ex fide Jesu Christi.* Sic *Hieronymus* in locum, vel quicunque is demum sit Autor Commentariorum quæ *Hieronymo* tribui solent. Imò ipse *Grotius* quamvis operibus fidei in negotio justificationis nimium tribuere solet, hîc tamen ἐὰν μὴ pro ἀλλὰ poni vult, & alibi pluries non *exceptivè* sed *adversativè* usurpari ad Matth. 12. 4. Johan. 5. 19: 15. 4. Apoc. 9. 4: 21. 27. „ Sic etiam *Erasmus*, qui quamvis sermonis novam formam hîc esse „ dicat, vulgari tamen more sic dicendum putat, non justificatur ab operibus, *C. à Lapide Estio. De Spiritu & lit. cap. 13.*

„ſed per fidem. Cur *novam dicendi formam* eſſe dixerit ego parum intelligo. At *Camero* ad Johan. 27. 12. dicit „ *hoc iis non videtur inſolens, qui tenent*
Alla „ *quæ ſit phraſis linguæ nam Syriacum* אלא *vertitur Græcè* ἀλλ᾽ μὴ, *non per excep-*
„ *tionem ſemper, ſed ut plurimùm adverſativè.* Hæc ille. *Beza* quidem in
Im lo Chi im. hunc locum dicit particulas illas Hebraicas אִם לֹא & כִּי אִם à LXX. Interpretibus reddi per ἀλλὰ adverſativum, Iſai. 59. 2. 2 Regum. 5. 17. Gen. 24. 38. & per ἐὰν μὴ Gen. 22. 16. unde factum ut ἐὰν μὴ ſcripſerit Paulus pro ἀλλὰ.
Chi im. Quòd quidem de כִּי אִם ab iis factum reperio in locis ab eo allatis. At par-
Chi im. ticulæ illæ כִּי אִם à negotio hoc noſtro nimis remotæ ſunt; at illæ אִם לֹא
Im lo. magis conjunctæ ſunt, at non occurrunt אִם לֹא in Textu Hebraico, nec ἐὰν μὴ apud LXX. Interpretes in loco citato. Illud *Piſcatoris* in hunc locum
Im lo Alla. magis quadrat ab אִם לֹא *Hebraico* ortum eſſe *Syriacum* אלא atque à *Syriaco* אלא originem ducere *Græcum* ἀλλὰ, ideoque cum Syrus Interpres אלא, Græcus verò Textus ἐὰν μὴ habeat, vel ea propter hoc ἐὰν μὴ per Syriacum אלא vel Græcum ἀλλὰ id eſt adverſativè exponendum eſt: quo etiam in ſenſu *Latinam* vocem *Niſi* uſurpari ſatis oſtendunt tum noſtri tum
Beza, Pareus, Corn. à Lapide. Epiſt. famil. l. 33. in Andriâ. etiam Pontificii, ex *Cicerone*, ubi dicit „ *de re nihil judicare poſſum, niſi (id eſt ſed) mihi certè perſuadeo te talem virum nihil temeri feciſſe.* & *Terentio*, *Neſcio, niſi mihi Deos ſatis ſcio iratos fuiſſe, &c.*

Piſcator quidem hoc in loco *Ellipſin* eſſe vult formæ exegeticæ τοῦτ᾽ ἔστι, ut integra oratio eſſet *ſcientes non juſtificari hominem* ex *operibus legis*, *id eſt non juſtificari eum, niſi per fidem.* Sed (vel ipſo fatente) nil hîc ellipſi opus eſt, ſi Græcum hoc ἐὰν μὴ pro Hebræo אִם לֹא vel (ut *Cornelio à Lapide* placet)
Ak particulâ Hebraicâ אֶלָּ֫ ponatur prout *oppoſitionem* vel antitheſin ſignificat, quam licet *Eraſmus* (ut priùs oſtendimus) *novam ſermonis formam* vocat, imò *Adamus Sasbout* in locum dicit „ ſe cogi dicere Apoſtolum hoc in loco „ nec Latinè nec Græcè ſed contra omnem Grammaticam locutum niſi „ fortè Hebræa Phraſis ſit, ſatis aptè tamen non ſolùm *Hebræo* ſed & cum *Græco* tum *Latino* Idiomati Apoſtolum locutum ex jam dictis conſtat: in ſenſu ſcilicet non *exceptivo* (qualem volunt *Romanenſes*) ſed prorſus *excluſivo*, vel *adverſativo*, quod ipſe *C. à Lapide* in locum fatetur & patere affirmat ex antitheſi, cum vult Apoſtolus juſtificationem non tribui *operibus legis* ſed *fidei Chriſti*, adeoque concludit *Niſi* hîc eſſe *adverſativum*, idemque eſſe quod *ſed* & hæc quidem rectè. At quæ apud eum ibi continuò ſequuntur, vix capio. Sic enim habet. „ Secus eſſet ſi ſimpliciter ſine anti-„ theſi poneretur, verbi gratiâ cum dico, Homo non vivit niſi per animam, „ *Niſi* hîc idem valet quod hæ duæ, per quas exponi debet Homo vivit, „ per animam, & per nullam aliam rem vivit homo, quam per animam. Unde infert „ Malè ergo Novantes hîc exponunt *Niſi per fidem Chriſti*, id eſt „ (inquiunt) ſed tantùm per fidem Chriſti. Imò vero non malè, ſed benè, imo optimè vel eo nomine *Noſtri* (quos *veterator* iſte *Novantes* vocat) expo-nunt *niſi* per *ſed tantum per fidem Chriſti.* Nam dupliciter peccat ſubtilis iſte vocularum trutinator.

1. Quòd

1. Quòd existimat in illo suo exemplo *homo non vivit nisi per animam nullam* poni *Antithesin*; at reverâ ponitur: quamvis enim res excluſæ non verbis particulatim exprimantur, in *genere* tamen ponuntur, vel saltem subintelliguntur, cum (vel ipso fatente) sensus sit, *hominem vivere per animam solam*, & nullam rem aliam.

2. Quod dicat cum *Antitheſis apertè ponitur* (uti hoc in loco homo non justificatur ex operibus, *niſi* per fidem Christi) hoc *Niſi* idem esse cum *ſed*, sed non idem cum *tantùm* vel *ſolum*, prout fit cum *antitheſis non ponitur*, ut in priori illo ab eo allato exemplo, imò verò vel maximè cum antitheſis ponitur, & res excluſæ omnes exprimuntur & negantur, *Niſi* utrumque & *ſed* & Tantùm significat; ut hoc in loco, homo non justificatur ex operibus legis, *niſi* per fidem Christi, hoc *Niſi per fidem* idem est cum *ſed per fidem* idque per *fidem ſolam* tantùm, cum ex Antitheſi rejiciantur *opera* quæ ad justificationem aliàs maximè conducibilia videri possint, adeòque cum eis alia *omnia*. Proinde nil verendum est, quin non minùs audacter quàm verè & tutò cum *Hyperio* affirmare possimus *Æquipollent Niſi fide, Tantùm fide, ſola fide*. Quas loquendi formulas (ut rectè observat) *Origenes*, *Hilarius*, *Ambroſius*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus* usurpant, cum contra Hæreticos agunt. Imò ex Pontificiis *Titelmannus* non veretur hoc ità efferre „ *Ex operibus legis nemo poteſt coràm Deo juſtificari*, sed *Tantùm* per fidem in Chriſtum. Non abhorret à voce *Tantùm* ut neque veteres neque ipsum *Thomam* à voce *ſolâ* abhorrere fatetur *A. Sasbout* in loco priùs laudato. Concludamus hoc totum disertissimis verbis *Calvini* in hunc locum „ Cum Apostolus dicat *neminem juſtificari ex operibus legis*, *niſi per fidem Chriſti*, Non significat tantùm „ opera non sufficere nisi accedat Fidei adminiculum; sed propositioni negativæ excluſivam opponit, ac si diceret non operibus, sed solâ „ fide: alioqui inepta esset atque ab instituto extranea sententia, nam Pseudapostoli non repudiabant Christum neque fidem, sed postulabant Ceremonias „ conjungi. Si ejusmodi conjunctionem recepisset Paulus, consensus fuisset inter eos. Fruſtrà igitur Paulus tam odiosâ concertatione turbâsset Eccleſiam. *In locum.* *In locum.*

Atque ità tandem hunc locum, atque ex eo *Pontificiorum* argumentum palmarium deductum expedivimus, in quo si diutiùs hæsimus, facilè condonabitis, si seriò animadvertere velitis quantum in eo desudârunt Adversarii, quantumque in eo situm fuerit ad totius de *juſtificatione* doctrinæ quam agimus explicationem.

Ad quam non minùs forsan confert 2^dæ. objectionis consideratio & Refutatio. Hanc affert *Bellarminus* lib. 1. de Justificatione. cap. 19. atque ità se habet, ex variis Pauli Apostoli dictis desumpta, qualia hæc sunt *ſi ex lege hæreditas, ergo non ex promiſſione* Gal. 3. 18. imò *exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio* Rom. 4. 14. *Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt* Gal. 2. 21. *Evacuati eſtis à Chriſto qui in lege juſtificamini, à gratiâ excidiſtis* Gal. 5. 4. Quæ consecutiones *firmiſſimæ* sunt, si (prout illi volunt) à justificatione excludantur *opera facta ſine fide* & gratiâ ex solâ cognitione legis & viribus liberii arbitrii, quoniam si *Lex* & *Natura* earumque opera sufficiant ad *juſtificationem*, sufficiunt etiam ad *hæreditatem*: & tum quid opus est ad hanc *Obj.* 2.

consequendam gratuitâ promissione? Imò quid opus est vel *Christo*, vel *fide* vel *gratiâ*, cum *natura*, *lex*, & *liberum arbitrium* ad hæc abunde sufficiant? Contrà verò si secundùm nostram sententiam) à justificatione excludantur *opera post fidem* ex *gratiâ facta*, consequutiones istæ *infirmissimæ* sunt, neque aliquid efficiunt.

Nam non sequitur, si justificemur ex operibus per gratiam & fidem factis,

Vel ideo *hæreditatem non esse ex promissione*, adeòque *abolitam esse promissionem*, & *exinanitam fidem*, imò contrà sine *promissione* non fuisset *gratia*, sine *gratiâ* non fuisset *fides*, sine *fide* non fuissent hæc *opera justa*, quibus redderetur *hæreditas*,

Neque *gratis mortuum* fuisse *Christum*, neque nos à *Christo evacuatos* fuisse, neque à *gratiâ excidisse*, quia hujusmodi opera necessariò requirunt *Christum*, ejusque *gratiam*, sine quibus *opera* ista non omninò *essent*, nedum *justificarent*.

Resp. Quibus omnibus sic Respondemus,

Et primò in genere

1. Has consecutiones *firmissimas* quidem esse (ut rectè dicit *Bellarminus*) atque efficacissimè expugnare eorum sententiam, qui *justificationem* ex *operibus sine fide & gratia factis* astruere vellent. At quinam hi demùm erant? *Ethnici* scilicet & *Iudæi*, quorum hi per opera legis vel *Ceremonialis* vel *moralis* justificari vellent, illi per opera moralia vel *naturæ* vel *habituum suis viribus acquisitorum*. Neutri Christo vel soli vel omninò nitebantur, quem utrique impiè execrabantur. At tales non erant hi *Galatæ*, vel *Romani*, contra quos hisce in locis disputat, vel quos meliùs instruit Apostolus; *Christum*, *Gratiam*, *Fidem* non aversabantur, non à justificatione excludebant, sed *amplexabantur*, *profitebantur*, atque ad *justificationem necessariò requiri* ultrò agnoscebant: tantùm *opera* legis his *adjungi* vellent, ut ab utrisque pleniùs & perfectiùs constaret justificatio. Hoc ipsissimum hodie faciunt *Pontificii*, contra quos idcirco æquè disputat Apostolus, ac contra olim insensatos *Galatas*.

2. Quod verò 2dò. dicit *Bellarminus*, has Apostoli consequentias *infirmissimas* esse si (prout nos volumus) à justificatione excluderentur etiam *opera ex gratia & fide facta*, quia per hujusmodi opera non evacuatur vel excluditur vel Christus vel ejus fides & gratia, cum ad hæc opera verè justa edenda omnes necessariò requirantur utpote ex quibus tanquam ex causis necessariis proficiscuntur; Contrà (hoc non obstante) *firmissimas* esse asserimus; Nam *Christus*, *fides*, Gratia in negotio justificationis *evacuantur*, non solùm cum à justificatione penitùs *excluduntur*, quod fit ab *Ethnicis* & puris putis *Iudæis*, verùm etiam *alia quævis his quasi in subsidiis adjungantur*, ideoque illud Gal. 5. 4. non *Ethnicis* vel *Iudæis*, sed ipsis *Galatis* dictum, *Inanes* (vel vos *Galatæ*) *facti estis*, *separati à Christo*, *quicunque per legem justificamini*. Ut & iisdem *Galatis* jam *credentibus*, vel forsan ipsi *Petro* illud etiam dictum est si
Col. 3. 11. *per legem est justitia*, *ergo gratis Christus mortuus est*. Christus qui (in hoc præsertim justificationis negotio est) *omnia in omnibus*, nihil est, si non om-
Rom. 3. 28. nia. *Gratia nullo modo est gratia, si non omni modo gratuita. Fides* quæ
Ephes. 2. 8, 9.

sine

sine *operibus justificat*, hîc aut *sola* est aut *nulla*, licet non *solitaria*. Quamvis igitur (uti objicit *Bellarminus*) *Christus*, *gratia*, *fides*, *ad bona opera necessariò requirantur*, adeòque eatenùs non prorsus denegantur, quod tamen ad illud attinet, de quo adeò solicitè disputat Apostolus (de *gratuitâ scilicet justificatione*) si modò justificatio inter fidem & opera dividatur, prorsus evacuantur.

Evacuatur utique *Gratia*; nam quamvis objiciant hæc opera verè justa fieri ex gratiâ; tamen *non sola* est Gratia.

Nam 1. quatenus est *ex operibus*, eatenus (ut Apostolus ipse disputat Rom. 4. 4.) *merces ex debito* & justitiâ postulatur, neque hactenus operarius gratiam agnoscit sive *proprio* sive *donativo* ligone opus fecerit.

2. Imò ex *Pontificiorum* sententiâ opera hæc non ex solâ gratiâ fiunt, sed *ex parte*, imò quoad *determinationem actûs* adeòque ad ipsam actualem operationem vel solùm vel saltem *præcipuè* ab hominis *libero arbitrio*; at evacuatur gratia si in opere suo præcipuo vel superiorem, imò vel parem sibi adjunctam habeat, prout in Regno humano se res habet, ubi non patitur *Cæsarve priorem*, *Pompejusve parem*.

Evacuatur denique confunditur & pervertitur tota *Fœderis Gratiæ* natura, ratio, administratio, & à *Fœdere Operum* formalis distinctio: Cum enim in *Fœdere Operum tota justificatio* nostra ex *bonis operibus* futura erat quæ per lapsum *nulla* erant, Deo pro summâ solâ misericordiâ & [illegible] placuit ut in *Fœdere Gratiæ* tota penderet ex *solâ fide* Christum apprehendente & applicante, qui obedientiâ suâ legi plenè nostrâ vice satisfaceret, dum opera nostra non expiatoria, non justificatoria, sed tantùm *via ad regnum* essent, & *gratitudinis* nostræ *specimen*. Jam verò *Pontificiorum* de *justificatione* ex *operibus per fidem* factis commentum hanc in *Novo Fœdere* peccatores justificandi *methodum* prorsùs invertit, & nos ad *Fœdus Operum* reducit, dum *ad opera*, ut ab eis justificemur, amandat. Quamvis enim *Christum*, ejusque *fidem* & *gratiam* ad *justificationem* nostram *necessariò requiri* concedant, ex quibus & *peccatorum* veniam, & *benè operandi facultatem* arcessant (neque verò hoc in totum & solidum cum *ex parte* hoc *libero hominis arbitrio* tribuant) hoc tamen totum ex eorum sententiâ tantùm in antecessum est, ut viam paret, nobisque adminicula subministret, quorum ope *ea opera* edamus ex *quibus* (prout in *Fœdere Operum* futurum erat) *formaliter justificemur*.

Atque hæc ad hanc Adversariorum objectionem in genere dicta sint. Quod ad illas particulatim allatas instantias & consecutiones attinet, nil opus est eas sigillatim prosequi, cum ex iis quæ in genere jam responsa sunt facilè diluatur quicquid *Bellarminus* expiscari conatur.

1. Ut cum dicit, si *excludantur opera fidem sequentia à justificatione*, *nulla vis esset consequentiæ illius Apostolicæ*, tum *gratis mortuus est Christus*, & *evacuati estis à Christo*, & *à gratiâ excidistis*, quia tantùm abest ut exinde gratis mortuus esset Christus, & ii qui hanc sententiam tenent à Christo evacuarentur, & à gratiâ excidèrent, ut contrà ex *morte Christi hanc gratiam habeant*, atque ex his utrisque & *fidem & opera ex fide* profluentia.

Reſpondeo

1. Non quidem hâc ratione gratis mortuum fuiſſe Chriſtum quoad *Sanctificationem* & juſtitiam inhærentem quæ à ſpiritu ſuo profluunt. Renovatio enim iſta (ut cum *Kemnitio* Exam. parte 1. pag. 134. loquamur) non *eſt opus ſeu effectio humanarum virium, ſed eſt donum & operatio Spiritûs Sancti, unde bona opera vocantur fructus Spiritûs* Gal. 5. *& eſt beneficium Dei Mediatoris, propter cujus meritum credentes renovantur Spiritu mentis ſuæ, &c.*) At quoad *juſtificationem* (de quâ jam agimus) omninò *gratis mortuus eſſet.* Cum enim ideò mortuus eſt, ut pro nobis *juſtitiæ Divinæ ſatisfaceret*, atque ità nos *coram Deo juſtificatos* ſiſteret, ſi (ex *Pontificiorum* ſententiâ) ex *operibus per fidem factis juſtificaremur*, *quoad* hoc ſaltem *ſupervacua* planè foret *Chriſti mors* & ſatisfactio, nilque aliud vel mereretur vel efficeret quàm ut nobis facultatem acquireret ex operibus nos ipſos juſtificandi. Quod quantum Divinam in peccatore juſtificando οἰκονομίαν perturbat, imò & deſtruit ſi *Pontificii* vel non videant vel videre nolint, nos ex Sacrâ Scripturâ meliùs edocti planè novimus, & certò credimus à veritate *Evangelicâ* alieniſſimum eſſe. Omninò ergo valet conſequentia Apoſtoli ſi *ex operibus vel ex fide factis juſtificaremur* (ut volunt Adverſarii) equidem *hactenus* (ſenſu ſcilicet jam expoſito) *gratis mortuus eſt Chriſtus*, à *gratiâ illâ excidimus*, & à *Chriſto* (quoad hoc) *evacuati ſumus*, cum aliam nos *juſtificandi* rationem inimus quàm ipſe Chriſtus unquam inſtituit.

2. Illud prætereà firmat conſequentiam Apoſtolicam, nos à *gratia excidere* & *à Chriſto evacuari* ſi ex *operibus* vel *per fidem* factis *juſtificari* velimus, quia licet opera iſta quatenus à Spiritu Chriſti & in eum fide fiant, eatenùs bona & Deo accepta ſint, atque ex ejus indulgentia nos rectà ad vitam æternam ducant; Nihilominus cum (teſte Apoſtolo) *qui ex operibus legis juſtificari* vult, *debitor totius legis ſervandæ* efficitur Gal. 5. 3. Jam verò qui optimè ex fide operatur, hoc debitum legis totius perfectè implendæ non perſolvit cum in pluribus peccat, adeòque à legis impletione deficit, à gratiâ excideret cum in condemnationem incideret, ſi ex operibus illis juſtificationem, vel ex eorum merito ſalutem expectaret.

2. Quod ad duas illas reliquas conſecutiones attinet, *ſi ex lege eſt hæreditas*, ergo *non ex promiſſione*, imò *exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio:* quas nullas eſſe contendit *Bellarminus* ſi opera ex fide facta excludi intelligantur, quia quamvis ex *talibus operibus juſtificaremur*, non inde ſequetur exinaniri fidem vel aboleri promiſſionem, quia ſine promiſſione non fuiſſet gratia, ſine gratiâ non fuiſſet fides, ſine fide non fuiſſent hæc opera (hoc eſt) ex juſtificatione per hæc opera non evacuatur fides & promiſſio, quia à fide & promiſſione fit ut hæc opera fiant, cum ex effecto poſito non tollatur, ſed ponatur Cauſa.

Reſpondeo

1. Concedendo *bona opera* non niſi per *fidem* fieri, atque etiam *bona opera & fidem* ipſam electis *promitti*, ideoque bona iſta opera quæ ex fide & promiſſione fluunt hactenus nec fidem nec promiſſionem tollere, ſed ponere & ſtabilire.

Aſſerimus tamen, quamvis non ipſa bona opera, ex operibus tamen iſtis

juſti-

justificationem tollere & *fidem* & *promissionem*. 1. inquam fidem si non quoad *esse absolutum*, at quoad *officium* suum in peccatorem *justificando* ei designatum: hoc enim *credendo*, *non operando*, exequitur.

Imò hactenus *fidem quoad esse* suum tollit hujusmodi ex operibus *justificatio Pontificia*, in quantum nulla talis est vera fides, quæ exinde nos justificare vellet quod bona opera edat, sed quatenùs Christi justitiam nobis gratis imputatam apprehendit & applicat.

2. Atque idem ferè de *promissione* dici potest. Nam promissa licet sint bona ista opera, atque eatenùs bona opera & promissio inter se non pugnent, promissio tamen illa de quâ Apostolus loquitur Rom. 4. & Gal. 3. non erat vel *promissio aliqua indefinita* vel definita aliqua de *justificatione ex operibus* obtinendâ, qualis in Sacrâ Paginâ nulla apparet uspiam, sed Promissio erat *Christi* & per eum *benedictionis* in *genuinos omnes Abrahami filios*, hoc est (ipso Apostolo iisdem in locis interprete) *Justificationis per Christum & fidem gratis imputatam sine operibus*, non quidem ab ipsâ *fide justificante* absentibus, sed nec ad *justificationem* ipsam *constituendam* operantibus. Jam verò hanc *Promissionem* sic ab Apostolo expositam & explicatam omninò *tollit Pontificia* ista ex operibus *justificatio*.

Restat adhuc tertia *Bellarmini* objectio, quam habemus in Responsione suâ ad argumentum quod *Kemnitius* & alii nostrorum adducunt ex *tertio ad Philipp.* ad improbandam justificationem ex operibus *post fidem* & *ex fide* factis, ubi Apostolus *omnia pro stercoribus habet* ut *Christum lucrifaciat*, & *in eo inveniatur non habens suam justitiam quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, id est justitiam quæ est ex Deo per fidem*, quòd ex eo *Kemnitius* magis firmat quòd Apostolus non solùm in *præterito* locutus est ἡγημαι *duxi* omnia damnum esse propter Christum v. 7. sed etiam in *præsenti*, cum jam conversus erat, ἀλλὰ μὲν οὖν καὶ ἡγοῦμαι „Quin etiam *duco* omnia damnum „esse & stercora, ut Christum lucri faciam. *Obj.* 3. *Beza.* *Et Beza.* *Et Zanchius.*

Quid ad hæc *Bellarminus*? duo respondet.

1. Quamvis loquatur Apostolus in tempore & præterito & præsenti; „non tamen de rebus diversis, sed de operibus iisdem ante fidem factis; se „nimirum illa opera sua in Pharisaismo facta non solùm in initio conversionis „pro detrimentis habuisse, sed nunc etiam illa eadem nihili facere, & non „solùm pro detrimentis sed etiam pro stercoribus habere, quòd indies magis „ac magis intelligat illorum operum inanitatem; quòd probare conatur ex „antithesi quam facit Apostolus cum dicit *ut inveniar in illo non habens meam „justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ est ex fide Christi*, ubi opponit *ju-„stitiam suam*, id est opera sua justa facta ex fide, quæ sunt verè justa co-„ram Deo, *justitiæ suæ*, id est operibus suis justis factis in lege sine fide, „quæ non poterant esse verè justa coràm Deo.

2. Blasphemiam *Kemnitio*, & nobis impingit, quod „opera facta ex „fide & gratiâ Christi stercora nominamus, quæ ad Galatas 5. fructus Spi-„ritûs idem vocat Apostolus. Ergonè Spiritûs Sancti fructus stercora sunt? „& quomodo 2 Tim. 4. B. Paulus gloriatur & dicit Bonum certamen cer-„tavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi „corona justitiæ, quam reddet mihi justus Judex: Itanè de stercoribus glo-

riari

„ riari debuit tantus Apoſtolus? Et quæ debetur ſtercoribus corona juſti-
„ tiæ? & quis ille eſt juſtus Judex, qui ſtercora coronare dignatur? Dein-
„ de quam gratiam debemus Deo, qui nos creavit in Chriſto Jeſu in bonis
„ operibus, &c. Epheſ. 2. Si iſta opera nil ſint aliud niſi ſtercora? Deni-
„ que ſi ità ſint, certè facienda & amplectenda non ſunt, ſed excutienda, at-
„ que abjicienda ſunt. Eat nunc Kemnitius, & queratur quod eum hoſtem
„ bonorum operum eſſe dicamus.

Hæc *Bellarminus* pro ingenio ſuo *Cardinali-Jeſuitico* Pompaticè ſatis & Magiſterialiter: At longè ſecùs *S. Auguſtinus* qui hunc locum enarrans, piè & humiliter Paulum quaſi alloquens dicit „ *Obſecro te expone hoc paululùm.* Et continuò addit „ *Deo potiùs dicamus* (& nos etiam jam dicamus) „ *ut* „ *illuminet & nos, à quo & ipſe illuminatus eſt, qui Epiſtolam iſtam ſcripſit* „ *nobis non atramento, ſed Spiritu Dei vivi.* Inſignis ſiquidem (ſiquis alius) eſt iſte locus, qui juſtificationis noſtræ rationem & hoc ipſum de quo jam quærimus, ſi penitiùs introſpiciatur, egregiè illuſtrat. Ad exceptiones verò *Bellarminianas*

Serm. 15. de verbi Apoſtoli.

Inſignis locus, ſi quis juſtitiæ fidei definitionem habere cupiat, & tenere veram ejus naturam. Calvin. in Loc.

Reſpondeo

1. Concedendo nudam illam *temporis mutationem* ab ἥγημαι in ἡγοῦμαι non quidem *ſatis* probare *rei* etiam de quâ loquitur *mutationem: tempore* enim *mutato* potuit eſſe *res eadem*, ut ſi in utroque commate locutus fuiſſet Apoſtolus de ſolâ juſtitiâ ſuâ Phariſaicâ & prærogativis Judaicis; dicere potuit, non ſolùm has omnes ἥγημαι *pro damno habui* in *initio Converſionis*, ſed etiam *jam* in *Chriſtianiſmo provectior factus*, adeòque tum de earum omnium inanitate, & Chriſti perfectâ juſtitia meliùs edoctus, *jam inquam* magis *expertus* in *præſenti* ἡγοῦμαι eas omnes præ hac *damnum eſſe judico.* Ideoque cum hanc temporis mutationem ad firmandam ſententiam ſuam afferunt *Noſtri* non eam per ſe *ſeparatim* urgent, ſed *conjunctim cum reliquis* quæ ibi occurrunt, cum tota nimirùm illa Apoſtoli ſententia ἀλλὰ μὲν γε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι.

Primò enim ἀλλὰ μὲν γε καὶ plena illa neque adeò uſitata quinque particularum conſtellatio & in unum quaſi conglomeratio *magnum* quid ſonat, & longè *majus* & quod *priori commate* dicebatur. *Vulgatus* quidem has partilas per *Veruntamen* reddidit, quod *corrigentis* eſt, ſed malè, cum rectiùs per *Quinetiam* reddendæ erant, quod *amplificantis* eſt, conſentientibus ipſis *Pontificiis* C. *a Lapide*, *Eſtio*, qui hæc habet „ Nec ocioſa eſt particula *Et* „ vel *Etiam*; ſervit enim incremento orationis Rhetorico, nam ſenſus eſt, „ Plus aliquid dicam.

Quod 2do in loco magis illuſtrat non ſolùm *temporis*, ſed & *rei* de qua loquitur *mutatio* ἅπινα πάντα verſu priore in πάντα hoc verſu; non ſolùm *illa Judaica*, verùm etiam *omnia* præ Chriſto damni loco habeo, non πάντα τοῦτα vel ἐκεῖνα quæ priùs dixerat, ſed ſimpliciter & abſolutè πάντα. At quænam illa πάντα in univerſum omnia. *Chryſoſtomus* πάντα per τὰ παρόντα exponit. At *Ambroſius* ſic habet „ Non ſolùm hæc, ſed & omnia, & ſimiliter „ Theodoretus „ Non ſolum quæ de ſeipſo retulit Apoſtolus, ſed omnia etiam alia, &c. Nam (ut verbis *Corn. a Lapide* utar) „ Dignius & con-
„ venientius erat animo Paulino non tantùm omnia bona Judaiſmi, ſed om-

nia

nia omninò præ Christo parvi facere. At, opinor, non adeò angustus est istius universalissimi *Omnium* ambitus, quin in eo vel *renatorum opera* vel optima contineri possint. Quodque ea reapse comprehendantur, atque in hoc Commate ab Apostolo subintelligantur magis patet.

Primò si consideremus *contra quos hîc agit* Apostolus, nimirum vel *Christianos Judaizantes*, vel *Judæos fidem Christi profitentes*, qui non sola opera legalia *sine fide facta* ad justificationem venditabant, sed ea *cum fide* ad *peccatorem justificandum conjungenda* contenderunt, ergo hæc ipsissima *opera* licet cum *fide conjuncta* à *justificatione excludit* Apostolus, cum contra illorum sententiam disertè disputat.

Secundò hoc idem constat ex *Antithesi* illâ quam Commate 9. adhibet Apostolus ex quâ Belllarminus suam sententiam exculpere conatur μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει. *Ut inveniar in eo non habens meam justitiam, nempe quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, id est justitiam, quæ est ex Deo per fidem.* Hanc *Antithesin* sic interpretatur & explicat *Bellarminus*. „ Opponit justitiam suam, id est, opera sua justa facta ex fide, quæ „ sunt verè justa coràm Deo, justitiæ suæ, id est operibus suis justis factis „ in lege sine fide, quæ non poterant esse verè justa coràm Deo. Vah! quàm *Jesuiticè*, hoc est, *vafrè* quidem sed *falsissimè Glossa* hæc *Bellarminiana* non solùm à mente & verbis ipsis Apostoli *aliena* est, sed iisdem ex adverso *contraria*! Nam

1. Apostolus non opponit *justitiam suam justitiæ suæ*, quod facit *Bellarminus*, sed *justitiam suam justitiæ Dei.*

2. Neque secundò opponit *justitiam ex operibus ante fidem justitiæ ex operibus ex fide factis*, ut *Bellarminus* vult, sed *justitiam ex lege justitiæ fidei Jesu Christi.*

Atque hæc duo certissima sint ex ipsis Apostoli verbis sensûs sui κεφάλαια, ut ea sit *justitia*, quam in negotio *justificationis abnuit* quæ primò *nostra* sit, secundò quæ ex *lege* sit. Ea vero *justitia* per quam *justificari*, & in quâ tandem coràm Dei Tribunali *inveniri* velit, ea est quæ 1. *Dei justitia* est. 2. *Justitia fidei Iesu Christi.*

Jam verò quod ad primum attinet Ea justitia *Nostra* est & dici debet non solùm quæ est ex operibus nostris viribus sine fide factis, sed etiam quæ est ex *operibus à nobis factis* quamvis *ex fide* & gratia Dei inhærente. Quamvis enim posteriora hæc à Deo fiant per *auxilium speciale*, ut & priora illa per *auxilium magis commune*, *nostra* tamen justitia verè & propriè dici potest, idque duplici nomine & quod *nobis inhæreat*, & quod *actiones* ejus *à nobis* (licet à Gratia adjùtis) *fiant* & edantur, quo in sensu fides *Nostra* dicitur, ut cum Christus sæpè in Evangelio dixit Fides *Tua* te servavit. *Vide Zanchium in Philip. 3. 9.*

Sed contrà *justitia fidei*, id est justitia, per quam fide mediante justificamur, nullo modo nostra est, prorsùs *aliena* & *externa* est, *tota Dei* est, δῶρον Θεοῦ ὁλόκληρον (ut eam vocat Chrysostomus in locum) Christi scilicet quà Mediatoris, à *Deo* gratis sine operibus vel meritis *donata*; *applicata* quidem per *fidem* nostram, non ut ejus causaliter *productivam* (eo modo quo est

productiva *bonorum operum*) sed solummodò ut ejus *apprehensivam*, atque ad eam à Deo solo oblatam datam & imputatam accipiendum natam atque in εὐαγγελίᾳ Evangelii designatam.

Cui simile etiam de 2do κεφαλαίῳ priùs notato dici potest, nimirùm de *justitiâ legis*, & *justitiâ fidei Jesu Christi*: nam prior illa justitia, quæ Commate 6. dicitur *justitia ἡ ἐκ νόμου*, in Commate 9. ἡ ἐκ νόμου atque alibi ἀλλὰ νόμου δικαιοσύνη Gal. 2. 21. ut & δικαιοῦται ἔργα νόμου Rom. 8. 4. unde etiam νόμου δικαιοσύνη dicitur Rom. 9. 31. *Justitia* hæc quæ vel *in lege*, vel *ex lege*, vel per *legem*, vel denique *legis*, adeòque *legalis* dicitur pro variâ suâ Nomenclatione rem in genere eandem at varium eam considerandi modum designante; *Justitia* inquam hæc *legis* non tantùm *justitiam operum Ceremonialium* vel etiam *Moralium sine fide & gratiâ* factorum comprehendit, sed etiam eorum, quæ *a renatis per fidem ex præscripto legis facta sunt*. Quamvis enim multùm & in multis differant *irregenitorum* opera *sine fide*, & renatorum *ex fide* facta; Quamvis etiam regenitorum opera *quoad principium* ex quo à *gratiâ* fiant, & *fidei* opera sint: quoad tamen operum horum *substantiam* & *regulam*, *legis opera* & sunt & rectè dici possunt; Et sic *justitia legis* est *justitia operum qua operum* quocunque modo factorum, & dicitur justitia ἐκ νόμου vel ἀλλὰ νόμου quia *in lege præscribitur*, & in ejus observatione consistit, & justitia ἔργα νόμου quia *lex eam imperat*, & *hominem* juxta *eam operantem justum* esse *pronuntiat* secundùm illud Rom. 2. 13. οἱ ποιηταὶ νόμου *factores legis justificabuntur*, hoc enim est legis edictum, *Qui fecerit hæc vivet in ipsis*, atque hæc ipsissima est *legis justitia* Rom. 10. 5. Idcòque quando Apostolus negat *nullam carnem justificari ex operibus legis* Rom. 3. 20. atque contrà v. 28. affirmat & *concludit hominem justificari ex fide sine operibus legis*, vox illa *legis* additur non ἀφαιρετικῶς & *distinctivè*, sed ἀποφαντικῶς & *explicativè*, non ut *distingueret opera legis* & *liberi arbitrii* ab *operibus Evangelii & fidei*, ità ut non quidem ex *illis* at ex *his* tamen homo justificaretur, ut volunt *Pontificii*, sed ut *explicaret* quæ *nam sit legis justitia*, nimirum *justitia operum juxta legem factorum*, adeòque *justificari ex operibus* & *justificari ex lege* idem sunt; ut apud eundem Apostolum justificari χωρὶς νόμου Rom. 3. 21. & χωρὶς ἔργων Rom. 4. 6. pro eodem sumuntur. *Justificationem ex lege* ergò invehunt *Pontificii* cum *Justificationem ex operibus* fingunt, & sic ab *Evangelio* ad *legem*, à *Fœdere Gratiæ* ad *Fœdus operum* miseros peccatores miserè imò impiè remandant.

Obj. Nec est quòd regerant quòd hæc sua sententia *fœdus gratiæ* & *gratiam & fidem Evangelii* inprimis *statuminet*, quòd *ea sola opera* ad justificationem valere adstruat, quæ ex *fide & gratiâ Evangelii* profluunt.

Sol. Nam hoc tantùm dicit gratiam & fidem Evangelii *adminicula* quidem esse, quibus homo bona opera edendi facultatem acquireret, ut per fidem & Evangelium adjutus ad operandum ipse ex operibus hujusmodi justificationem acquirat: atque ità novo quidem *adminiculo*, at *eâdem* prorsus *viâ* homo *justificaretur* in *Novo Fœdere*, quo in *Veteri*, *Operando* scilicet, & legi in propriâ personâ satisfaciendo, utcunque ad id præstandum à fide Christi adjutus, quoad rei tamen *substantiam* & *materiale* justificationis & Fœderis *conditionem* eâdem planè justificationis viâ & ratione quæ fuit in Veteri Operum Fœdere;

fœdere; Nam ut *Operarius* non *gratuitò* ſed ex *juſtitiâ mercedem* ſuam ex pacto expoſcat perinde eſt utrùm ligone *proprio* vel *mutuato* à Domino ſuo vineam ejus excolat. At longè alia juſtitia eſt *Novi Fœderis*, quod (teſte Apoſtolo Hebr. 8. 6.) *aliis iiſque præſtantioribus promiſſis ſancitum* eſt, juſtitia, inquam, quam Apoſtolus hoc in loco juſtitiæ legis opponit, quam δικαιοσύνη τὴν ἐκ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐν Θεῷ ἐπὶ τῇ πίστει ſignanter vocat, non ſolùm *ex Deo* eſt; ſic enim *juſtitia legis* ſuo modo eſt, ſed inſuper *Chriſti* eſt, quatenus *morte & obedientiâ ſuâ legis juſtitiæ noſtro in loco integrè ſatisfecit*, atque eatenùs, in *Chriſto* ſcilicet, ad noſtram juſtificationem conditio Fœderis Operum adimpleta eſt. Nos verò quod attinet, juſtitia & juſtificatio Evangelica tota ἐκ πίστεως, ἐκ πίστεως, ἐπὶ πίστει eſt, prout hîc & alibi variè loquitur Apoſtolus. Ἐκ πίστεως, & ἐκ πίστεως ex *fide* & *per fidem* non quatenus ad eam *efficiendam* cauſaliter *operatur*, ſed quatenus *Chriſtum*, ejuſque oblatam *juſtitiam* externam quaſi manu *prehendit* & *accipit*, ità ut tota etiam ἐπὶ πίστει ſit, hoc eſt, tota fidei Chriſtum apprehendenti innitatur, eique ſoli deſignetur, quæ veriſſima illius Phraſeôs ἐπὶ πίστει Interpretatio eſt, non illa *Pontificiorum*, quia per fidem cognoſcimus hanc juſtitiam ex Deo eſſe, vel quia fides eam impetrat, ejuſque initium & fundamentum ſit. *Fides* quidem rectè juſtitiæ hujus *fundamentum* dici poteſt, quatenùs juſtitia iſta ſolo *Chriſto* per *fidem apprehenſo nititur*, non (ut illi volunt) ut ejus *initium*, ex quo *efficienter produceretur*. *Eſtius in locum.*

Si verò objiciant *juſtitiam* ſuam & *juſtitiam fidei opponi* ab Apoſtolo, at fides & bona opera non *opponuntur*, ſed ſubordinantur. Ergo juſtitia horum operum non eſt noſtra juſtitia illa, quam juſtitiæ fidei opponit Apoſtolus; *Obj.*

Reſpondeo *Sol.*

1. Vel ex *Pontificiorum* doctrinâ *noſtra* dici poteſt quia *nobis inhæret*, *nobis agentibus* & operantibus *producitur*, imò nobis ex parte à *nobismet ipſis operantibus*, quatenus *liberum noſtrum arbitrium* cum *gratiâ Dei* in ejus productione *conjungunt*, eique operationis *determinationem*, adeòque partem primariam aſſignant.

2. *Subordinantur* quidem *fides* & *bona opera à fide edita*, opera ſcilicet hæc fidei ſubordinantur quatenus ab eâ tanquam à *cauſâ* fluunt, & poſt juſtificationem per fidem priùs obtentam in viâ *Sanctificationis* ad gloriam perducunt. At *Pontificii* ſubordinant *fidem operibus*, *Chriſtum Moſi*, dum *Chriſtum*, & in eum *fidem* tanquam *ſupplementum* tantùm introducunt, ut *eorum ope bona opera agere poſſimus*, ità tamen ut *bona* iſta *opera* ſint *materia juſtitiæ*, & ipſa *forma juſtificationis*. Hæc *ad homines*.

3. Ad *rem ipſam*, *ſubordinantur fides* & *bona opera* hæc, ut *juſtificatio* & *ſanctificatio* ſubordinantur, & ſuo cuique ſervato loco & ordine amicè conveniunt; ſed quoad *juſtificationem* ipſam omninò *pugnant* & mutuò ſe tollunt, ut ſi fide *juſtificemur*, tum *non ex operibus*, ſi *ex operibus* tum *non ex fide*, quia ſi *ex operibus*, tum *non ex gratiâ* Rom. 11. 6. ſi verò *ex fide*, tum *ex gratiâ* Rom. 4. 16.

At forſan illud etiam hîc opponi poteſt, Apoſtolum hîc de iis loqui quæ *Obj.* dum in *Judaiſmo* & *Phariſaiſmo* ſuo hæſit magni faciebat & pro lucro habuit

buit v. 7. At talia ipsi non erant *opera* à *fide Christi* edita, quæ tum *nulla* erant, imò quæ unà cum ipso Christo odio habuit & persequebatur infensissimè. Ergo non ea erant in *quibus* jam *conversus* hîc *inveniri* noluit, sed ea quæ *ex lege* erant, hoc est quæ *ex legis cognitione*, vi *liberi sui arbitrii*, *nondum conversus* fecit, de quibus tum inprimis gloriabatur.

Sol. At meminisse oportet *Theologos nostros* concedere quidem versum septimum loqui de *operibus suis* ante *fidem factis* & de privilegiis suis reliquis *Judaicis* versibus prioribus enumeratis, quæ tum magni faciebat. Sed addunt præterea & invictè probant versibus his 8 & 9. sequentibus Apostolum ultrà progredi, atque reliqua omnia, imò *ipsam operum justitiam*, quam jam *conversus* assecutus erat, quam etiam non ut olim odio habuit, imò (quod ad Sanctificationem attinet) summo amore & studio prosecutus est, in *justificationis* tamen negotio pro *damno & stercoribus* habuisse.

2. Quod an *blasphemum* sit, quæ secunda *Bellarmini* objectio erat, jam paucis videndum erit. At hoc enixè negamus & detestamur & *Bellarminum* ex adverso *blasphemiæ* postulamus, quòd eam non tam nobis ità Apostolum verè interpretantibus, quàm ipsi Apostolo ità & loquenti & sentienti impingere ausus sit. Et si ità loquendo *blasphemat* Apostolus, æquè priùs *blasphemavit* Propheta *Isaias*, qui Capite 64. 6. *omnes justitias nostras* rem *immundam* & *panno menstruatæ* similem vocat. Utrùm verò sordeant magis עדים apud Prophetam, an apud Apostolum σκύβαλα penès ipsos Adversarios esto judicium. *Chiddim*

Agnosco illum Prophetæ locum variè exponi. Non solùm enim *Pontificii* dicunt Prophetam ibi locutum in *personâ* non *piorum*, sed *impiorum*, quod multis probare conatur *Bellarminus* lib. 4. de justificat. cap. 20. sed & ex *nostris* duo iique præcipui. *Lutherus* nimirum & *Calvinus* in suis ad illum locum Commentariis idem ferè sentiunt. Sic enim *Lutherus*. „ Hoc loco aliquando sumus usi contra justitiam humanam; bona quidem sententia est, sed non hujus loci. Putat enim pios apud Deum conqueri se in Captivitate Babylonicâ propter impiorum scelera ità puniri, acsi ipsi immundi essent, & eorum justitiæ tanquam pannus menstruatæ. *Calvinus* sic. „ Hic locus citari à quibusdam solet ut probent adeò „ nihil esse meriti in operibus nostris ut coràm Deo putida ac fœtida sint. „ Sed hoc mihi videtur alienum à Prophetæ sensu, cum de toto humano „ genere non loquatur, atque eorum querimoniam describat, qui in exilium „ missi iram Domini in se sentiebant, ideoque se cum justitiis suis panno „ inquinato similes esse fatebantur.

Non loquitur de singulis, sed de universo corpore, quod cum infra homines abjectum atque extremâ clade affectum esset panno sordido comparat.

* *Chamiero Tom. 3. lib. 18. Pareo contra Bellar. de justif. l. 4. c. 20. Abbot. cont. Bishop cap. 4. de justificat sect. 3. cap. 48.*

Quæ *Bellarminus*, & cum eo *Pontificii* alii ad hunc locum atque ejus sensum vel enervandum vel corrumpendum afferunt, cum à * *Nostris* præclarè profligata sint, & hujus loci fusior explicatio nobis eum obiter tantùm citantibus parùm tempestiva fuerit, missa faciam. *Luthero* hâc in re minùs assentior, qui pios non quidem obmurmurantes facit, ac conquerentes tamen se ob impiorum peccata (quos sordido huic panno à Prophetâ similes dici vult) se communi clade obrui; cum *Daniel* de iisdem temporibus & malis

malis agens & conquerens, *ſuum* æquè ac reliquorum peccata & reatum lugens confiteatur Dan. 9. 20. quod itidem & hîc facit *Iſaias* ſuo & reliquorum piorum nomine. Neque valet illud quòd *Calvinus* objicit Prophetam non de *toto humano genere locutum* fuiſſe, ſed *de iis* qui tum *in exilium miſſi* erant, quòd idem eſt quòd *Bellarminus* & *Pontificii* alii reſpondent; cum tales piorum Confeſſiones licet uno tempore editæ in aliis cauſis ſimilibus ad omnes omnium temporum pios applicari tum à *Noſtris* tum ab ipſis *Pontificiis* & ſolent & debent: hæc præcipuè, niſi fortè *meliores nos* eſſe credimus quam *Patres noſtri* erant, qui non minùs veraciter quàm humiliter aiebant *omnes juſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ mulieris*, ut cum *Bernardo* loquar de verbis Eſaiæ Sermone 5, qui ibi & ſæpiùs alibi, ut & *Auguſtinus* [a] & *Hieronymus* [b] de optimorum juſtitiis hæc interpretantur, ut & ipſe tum *Lutherus* in aſſertione art. 31. tum *Calvinus* Inſtitut. lib. 3. cap. 2. ſ. 25. Quin & ex ipſis *Pontificiis Pighius* [c] in hoc Articulo magis ſanus, & *Ferus* [d] tum in aliis Articulis multò adhuc ſanior hunc locum pro argumento ducunt contra operum bonorum perfectionem. Sed hæc de loco hoc Prophetæ obiter tantùm à nobis allato dixiſſe ſufficiat; ex quibus tamen conſtat non magis hîc *blaſphemâſſe Apoſtolum*, cum juſtitiam ſuam ex operibus σκύβαλα vocat, quam *Propheta* qui *juſtitias* vel juſtiſſimorum quorumlibet *pannum menſtruatæ* vocaverat.

Origenes in Rom. 3. quis vel ſuper juſtitiâ ſuâ gloriatur, cum audiat Deum per Prophetam dicentem omnis juſtitia veſtra ſicut pannus mulieris menſtruatæ?

a *Soliloq. cap. 28.*
b *in Iſai. 64.*
c *In Controverſia de fide & juſtific.*
d *in Matth. 20.*

Ut ad locum Apoſtoli de quo jam agimus redeamus, atque ut oſtendamus neque Apoſtolum neque Nos hoc de juſtitiâ operum ex fide factorum interpretantes *blaſphemare*, prout blaſpheme nobis impingit *Bellarminus*, tria dicimus.

Quicquid videmur habere juſtitiæ pannæ menſtruatæ mulieris comparatur.

1. Bona hæc opera non pro *ſtercoribus* ducimus, prout à *Spiritu Sancto* in nobis fiunt: ſic enim authorem ſuum referunt, pura & intaminata ſunt, ſed quatenus *à nobis* fiunt & prodeunt; ſic enim ſordibus noſtris maculata ſunt. *Quis enim dabit mundum ex immundo* Job. 14. 4. atque eo reſpectu Prophetæ עֲדִים Apoſtolo σκύβαλα, piis omnibus ſuæ impietatis conſciis pro *rejectamento* ſunt.

Gniddim

2. Nec ſic *abſolutè* ab Apoſtolo vocantur, ſed *comparatè* ad *Chriſtum*, ejuſque *juſtitiam* nobis per fidem applicatam utpote *Agni inculpati & immaculati* 1 Pet. 1. 19. Hunc *comparativum* ſenſum ſequuntur *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Theodoretus*, alii, quem & ipſa verba Apoſtoli loquuntur.

3. Sed & illud (quod ſcopum Apoſtoli maximè attingit) præcipuè annotandum eſt, non hîc *tam rem ſpectari quàm qualitatem*, ut verbis *Calvini* utar. Apoſtolus pro damno & ſtercoribus habet non ipſam *inhærentem juſtitiam*, ejuſve opera *in ſe* ſpectata, ſed in ipſis poſitam pro *juſtificatione* obtinendâ fiduciam. Ut *Eſtius* in locum dicit hoc non de *lege ipsâ*, ſed de *juſtitiâ legis* intelligi. Sic nobis dicendum non intelligi de *juſtitiâ inhærente*, & *operibus ex fide factis*, ſed de *ex iſtis juſtificatione* quoad *hoc*, noſtramque in eis *fiduciam*, ut ex eorum vel præſtatione juſtificationem, vel meritis ſalutem æternam obtineremus; ut *in eis* die *ultimo inveniri*, & *juxta ea*, eorumque juſtitiam perfectam de nobis *ſententiam* ferri velimus. Quoad hoc, inquam, Apoſtolo, & cuivis verè fideli *damnum*, σκύβαλα ſunt, σκύβαλα

quia ob commixtas sordes nostras *fœtent*, & hominem commaculant, *damnum* quòd ità homini summe *noceant*, cum à *Christo*, in quo solo tota nostra de salute & justificatione obtinendâ fiducia collocanda est *abstrahunt*, adeòque (ut *Cornelii à Lapide* verbis utar) *impedimenta sunt Christianismi, & consequenter gratiæ & salutis.* Ut enim de *Reubene* à patre *Jacobo* dictum legimus, quamvis *principium & excellentia dignitatis & roboris fueris*, tamen *non excelles quia ascendisti cubile Patris tui* Gen. 49. 3,4. Sic res quælibet dignitatem & excellentiam suam retinent, quamdiu locum, ordinem, officium, finem eis designatum servant, quam primum verò hinc exorbitant, dum vel altiora petant, ad inferiora decidant, vel quovis alio modo alio versùm flectantur, à dignitatis suæ solio corruunt & deturbantur. Sic etiam de *justitiâ inhærente*, ejusque *operibus* statuendum atque æstimandum est, si ad altiora præ iis ad quæ in οἰκονομίᾳ gratiæ à Deo designata sunt, si ad *justificationem* assequendam, si ad *vitam æternam promerendam* à nobis adhibeantur, *cubile patris* jam *ascenderunt*, non *excellent*, detrimenta, recrementa, damna σκύβαλα fiunt. Sic hoc in sensu ea Apostolus vocat, neque (pace *Bellarmini*) *blaspemat* interim; quæ alias, dum locum, ordinem, & officium suum servant, ut S. Spiritûs & fidei justificantis *fructus* sunt, ut gratum *Deo & Christo obsequium præstant*, atque ità ad *vitam æternam via Regia sunt*, præclarissima, illustrissima sunt, margaritæ pulcherrimæ, pretiosissimæ sunt, præ quibus mundana omnia, decantatissima Ethnicorum Herôum omnium κατορθώματα, præstantissima irregenitorum omnium opera, ipsa σκύβαλα sunt.

Atque his ità semel positis, in fumum abeunt reliqua omnia *Bellarmini*, quæ conglomerat non tam *argumenta* quàm *scommata*.

Et quasi de sententiâ nostrâ triumphatâ ante victoriam ἐπινίκια.

Qualia hæc erant.

Ergone Spiritus Sancti fructus stercora sunt?

Absit, ô bone, quàtenus *tales* sunt, at quatenus bona hæc opera à *nobis* fiunt, aliquid nostrarum sordium admixtum habent, quo nomine ad nostram justificationem coràm Deo minimè sufficiunt, ad quam nunquam destinata erant, quæ si ad hanc adhibeamus, *idola* fiunt, adeòque licèt *Idola* ex *purissimo auro* fuerint, nihilque scoriæ admistum haberent, simul ac *coli* incipiunt, *stercorea* evadunt, & *Dii stercorei* meritò in S. Paginâ vocantur.

Progreditur *Bellarminus*, *Paulus* ob *cursum* suum ritè *consummatum* repositam sibi dicet *coronam justitiæ*, quam justus Judex ei redditurus erat. Unde sic Rhetoricatur Jesuita „ Itane de stercoribus gloriari debuit tantus „ Apostolus? & quæ debetur stercoribus corona justitiæ? & quis ille est „ justus Judex, qui stercora coronare dignatur? Thrasonicè, & (quòd *Bellarmino* solenne est) veteratoriè, scilicet ut indoctum & incautum lectorem facundiâ & sermonis elegantiâ captaret, modesto crebriore illâ *stercorum* recitatione sententiæ nostræ nauseam induceret, quam his artibus deturpare & exosam reddere satagit. Sed apud cordatos & paulò perspicaciores nil valent istæ offuciæ, quibus in promptu est Responsio, & sordium illarum absterso. Nam

1. Quod *Bellarminus* de Apostoli *gloriatione* loquitur, hîc nuspiam apparet, quam

quàm in hoc negotio Apostolus penitùs *exclusam* esse dixerat Rom. 3. 27. Quatenus quidem gloriatio *animi exultationem* (quod sæpè facit) significat, sic Apostolum (ut priùs ostendimus) sæpè gloriantem habemus, atque eo in sensu & hîc eum gloriari non ægrè concedimus, at nequaquam sensu *Pontificio*, de bonorum suorum operum *meritis*.

2. Bona *opera* eatenùs tantùm pro *stercoribus* habet Apostolus, quatenus *ex iis justificationem* expectamus, at eatenùs non *coronat* ea Deus, imò magis quàm *Paulus* unquam pro *stercoribus* habet. Ergo non *coronat stercora*.

3. Quod verò *bona* ista *opera* (quæ si ad justificationem adhiberentur quasi σκύβαλα rejiceret) quatenus *fructus Spiritûs* & fidei sunt, *via etiam Regni*, & *gratitudinis nostræ testimonia coronat justus* Judex, id quidem ex summâ ejus *indulgentiâ* fit, quod eorum defectus & maculas condonet & operiat: & ex solâ *veracitatis justitiâ* (quatenus quod promisit præstat) non *commutationis* ex *debito & merito* ea remunerat, ipso *Espencæo Pontificio* teste, qui in illum locum hæc habet „ Justitiæ genus est præstare quod promiseris; quâ ra-
„ tione Deus seipsum nobis quodammodo debitorem constituit, ut si non
„ ob merita eum nostrâ appellare, ob promissa tamen possimus. Quod ipse ex *Augustino* hausit, qui sic inquit „ Coronam Paulus exposcit ex miseri-
„ cordiâ quidem promissam, sed jam ex justitiâ solvendam; justum enim est
„ ut reddat qui debet, debet autem qui promisit ex gratiâ, licet non ex de-
„ bito, &c.

Cum tertiò addit *Bellarminus* „ Quam gratiam debemus Deo, qui nos
„ creavit in Christo Jesu in bonis operibus, si ista opera nihil aliud nisi ster-
„ cora?

Respondemus

Nos propter bona opera nostra *Deo* debere *gratias* vel quàm maximas, non ut *Pharisæus* ille jactabundus, (quem jam sequuntur *Pontificii*) *Deus, Gratias ago quod hæc & illa operatus sum* ut inde *justificaretur*, à quo tamen eum excidisse legimus Lucæ 18. 11, 14. Sed (ut ipse Apostolus eo in loco dicit) quod à *Deo in Christo Jesu ad bona ista opera creati sumus*, qui in nobis nihil sumus, nil tale ex nobis efficere potuimus: quod insuper (cum bona ista opera nostra, etsi in se jam perfecta essent, cum de præsenti debita sint, debitum illud antiquum Adami peccato nobis contractum solvere non potuerint, imò cum sordibus nostris heu nimiùm inquinata sint, adeòque ad justificationem nostram vel constituendam vel impetrandam prorsùs imparia & inepta, imò hoc nomine σκύβαλα sint, quod, inquam, his omnibus non obstantibus) non solùm eorum vitia gratis condonare, nosque imputatâ Christi justitiâ gratuitò justificare vellet, verùm etiam ea ipsa opera, peccaminosa licet eòque morte æternâ dignissima, ex eâdem gratiâ, vitâ æternâ remunerare & coronare dignatus fuerit. Hæ pro illis *gratiarum* in æternùm humiliter *agendarum* nobis causæ satis justæ sunt, eæque amplissimæ, non (quod *Bellarminus* vult) quia ex *iis justificamur*, *eorumque merito glorificamur*, ad quæ efficienda nihil valent, si verò in his fiduciam ponamus, ζημία, σκύβαλα, *damnum, stercora* sunt.

„ Non ideò tamen (ut *Bellarminus* infert) non facienda, & amplectenda, sed
„ excutienda & abiiçienda sunt.

Quasi

Quasi verò *abjicienda* sint *ipsa bona opera*, quia *abjicienda* est omnis nostrûm ex iis *justificandorum fiducia*, vel quasi præter *meritum* nullum esset benè operandi *incentivum* ut nec Reus aliquis ob veniam indultam & ut alia posteà acciperet præmia Principi in quantum poterit inservire debeat, hisi ex isto servitio suo vel *veniam* suam *impetraret*, vel ulteriora illa præmia *mereretur*. Vel imbellis aliquis *Mephibosheth Davidi* ob ingentia & immerita in eum collata beneficia quantum pote erat *famulari* nec *vellet*, nec *deberet*, quia (cum *claudus* sit) inter famulandum *cespitaverit*, neque aliquid tantâ Majestate dignum facere potuerit. Ità quidem animatus est plus æquo inflatus *Romanensium* typhus, qui *bona opera*, si modò *peccati labe aspersa* fuerint *excutienda & abjicienda* censet, quia ex iis *justificari* & per ea *gloriam æternam* ex *condigno mereri* non possunt. At longè aliter sapit humile & gratum verè *fidelium* ingenium; cum nihil ad justificationem & æternam vitam vel ex congruo vel ex condigno promerendam se proferre posse non magis humiliter quàm verè judicat, ad *justificationis* assecutionem, & *vitæ æternæ meritum*, quod attinet, *Christi justitiæ imputatæ* & *meritis* in totum nititur, *operum* etiam suorum vel *optimorum inquinamenta* dolenda, veræ pœnitentiæ lachrymis abluenda, & quotidianâ carnis mortificatione *excutienda* & *abjicienda* esse & censet & curat: ipsa tamen *bona opera*, ut *in se* & quatenus à *S. Spiritu fiunt* inprimis *expetenda*, ut *viam ad Regnum*, ut *gratitudinis nostræ testimonium*, non (ut vult *Bellarminus*) excutienda & abjicienda, sed facienda, imò magni facienda, amplectenda & palàm exhibenda, secundùm illud Apostoli Tit. 3. ubi postquàm gratuitam (non ex operibus) justificationem asseruisset οὐκ ἐξ ἔργων Commate 5. ἵνα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνου χάριτι, &c. versu 7. continuò Commate 8. illud adjungit πιστὸς ὁ λόγος, καὶ περὶ τούτων βούλομαί σε διαβεβαιοῦσθαι ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι οἱ πεπιστευκότες τῷ Θεῷ *ut qui crediderint Deo* (ità nimirum *gratis justificanti*) *curent benè agendo præcedere* ut *Beza*, vel *bonis operibus præesse*, ut *Vulgatus*, quod iteratò ponit v. 14. quod magis sedulum innuit verè fidelis hâc in re & officium & studium.

Matth. 7. 21

Ex his igitur satis (ut opinor) constat quàm ante *victoriam triumphum* canit *Bellarminus*, & quàm immeritò *Kemnitium* contemptim proterit & conculcat, dum ità desinit,

„ Eat nunc Kemnitius, & queratur quòd eum bonorum operum hostem „ esse dicamus.

Imò potiùs eat tandem *Bellarminus*, & queratur quod nos eum gratiæ & gratuitæ per Christi fidem justificationis inimicum esse dicamus, & nostrûm bona opera pro loco & ordine suo serio asserentium calumniatorem acerrimum.

De justif. l. 1. *c.* 19.

Tantùm adhuc expendenda restant quædam *Patrum* à *Bellarmino* allata testimonia, quibus sententiam suam stabilire conatur. *Hieronymi* scilicèt in *Epistolâ* ad *Cteśiphontem*, & *Augustini* de *Gratiâ & lib. arb.* cap. 7. & *de Prædestinatione Sanctorum* Capite itidem 7. & in *Præfatione in Psalmum* 31. & (ut addit Jesuita) ubicunque de hâc re disputat; ubi eos docere ait, per *opera* quæ *fidei opponuntur*, & à *justificatione excluduntur*, intelligi *opera quæ fidem præcedunt*, quæque *solis viribus liberi arbitrii fiunt*.

Lib. 3. *contra* 2. *Epist. Pelag.*

Quibus

Quibus omnibus illud in genere respondeo, nos gravatim ferre in *rebus* fidei, quæ *solo Divino Testimonio* nituntur, vel *Patrum*, vel *quorumvis hominum* vel doctissimorum & sanctissimorum nimis premi *testimoniis*, quibus plurima ψευδεπίγραφα subjectâ fide attribuuntur, quorum etiam scripta, licet genuina, Hæreticorum pravitate & versutiâ, scribarum negligentiâ & insciti â, *Indicibus* præcipuè *Expurgatoriis* solo gehennali igne piandis, contra omnem Antiquitatis, veritatis, fidei, candoris reverentiam miserè interpolata, fœdissimè delumbata, mutata, depravata sunt: qui denique cum *homines* fuerint se & *falli potuisse*, & aliquoties *actu falsos* esse non minùs humiliter quàm veraciter ultro fassi sunt, nec aliter sibi credi postulant, nisi quatenus veritati in S. Scripturâ patefactæ consentiunt. Ut plures alios omittam, quod ad duos illos spectat, quos hîc testes suos *Bellarminus* adhibet, *Hieronymum* scilicet & *Augustinum*. Ille in Psal. 86. hæc habet „ Quamvis ergo sit aliquis „ sanctus post Apostolos, quamvis disertus sit, non habeat auctoritatem. Atque alibi * Patres sic legendos suadet „ ut magis judices quàm sequaris. * *ad Lætam* „ In *Apologiâ* vero contra *Jovianum* de seipso ità loquitur ubicunque Scri- „ pturas non interpretor, sed liberè de meo sensu loquor, arguat me quilibet. Quod etiam forsan in suis *S. Scripturæ Expositionibus* (quæ plus satis argutæ & *Allegoricæ* esse solent) maximè omnium factu necessarium est. *Augustinum* autem quod attinet, ut plurima, hâc de re ab eo similiter scripta omittam, libet tantùm ea exscribere quæ habet Epist. 19. ad eundem *Hieronymum* quem cum seipso hîc à *Bellarmino* allegatum habemus. Ea verò hæc sunt, & vulgò satis nota „ Ego solis illis scriptoribus qui jam Canonici appellantur hunc „ timorem & honorem didici deferre, ut nullum eorum scribendo aliquid „ errâsse audeam credere: alios autem ità lego, ut quantâlibet sanctitate, „ quantâve doctrinâ præpollentes sint, non ideò verum putem, quia ipsi ità „ senserint, sed quia mihi vel per ipsos auctores Canonicos vel probabili ra- „ tione, quod à verò non abhorreant, persuadere potuerunt. Nec te, mi „ frater, sentire aliquid aliter existimo; prorsus, inquam, non te arbitror, „ sic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum & Apostolorum, de quo- „ rum Scriptis quod omni errore careant dubitare nefarium est. Quæ cum *ipsi de se ipsis* ingenuè profitentur, non est quod ad *fidem de rebus fidei* nobis ingenerandam *imperiosè* nimis à quibusdam *obtrudantur*, minimè omnium à *Pontificiis* eos, eorumque Testimonia (cum *contra eorum placita* apertè militant) *flocci facientibus*.

De bono Perseu. cap. 21. contra 2. Epist. Pelag. l. 4. c. 8. cont. Cresc. l. 2. c. 31. ad Paulin. Epist. 32. ad Fortunat. Epist. 3.

Neque hæc à me ita dici velim, ac si vel eorum dignitati, atque authoritati debitæ quicquam detrahere ausim, (quorum nominibus, antiquitati, doctrinæ, pietati assurgo) vel quod *Iuelli* reliquorumque, tam nostratium, quam exterorum Theologorum Reformatorum ausis Heroicis, imò rebus hâc in re præclarè gestis invideam, vel minimum detraham, qui nimirum ex 4. primis Conciliis Oecumenicis, & Patrum Antiquorum scriptis doctrinam *nostram* confirmare, *Pontificiam* refutare, omnibusque pro illâ stabiliendâ ex ipsis allatis Testimoniis κατὰ πόδας respondere in se suscipere ausi sunt, & fœlicem in eo præstando operam collocârunt, quorum hâc etiam in re κατορθώματα & *Trophæa* veneror & suspicio. Ut neque è contra vel *Amesio* nostro vitio verterè ausim, qui in *Bellarmino* suo *enervato*

hujusmodi allata Testimonia, plerunque missa facit; vel ab eorum sententiâ multùm absim, quid existimant hujusmodi cum *Pontificiis* agendi & disputandi rationem Authoritatem humanam plus æquo evehere de *S. Scripturæ Authoritate Divinâ* & omnimodâ *sufficientiâ* aliquid demere, Adversariis supra quod par est gratificari, *aliquorum* denique, saltem *infirmiorum* (dum à munitissimo S. Scripturarum fortalitio ità longinquiùs abstrahantur) *saluti minùs consulere.* Miseret me quidem piarum animarum, cum in *Martyrologio* nostro video eas non tam *Scripturæ* quàm *Patrum* Testimoniis premi. Tœdet etiam, cum ab *Aquinate* passim in *Summâ* suâ, & à reliquis *Scholasticis* opinionum suarum firmamenta à *Doctoribus* & *Aristotele* sæpiùs sumi quàm à *Sacrâ Paginâ*, quasi non quid *Christus summus Doctor*, & *Pater sæculi* dixerit, sed quid *Doctores* alii senserint id demùm præcipuè attendendum esset. Ego sanè nec adeò servili fide vel ingenio sum, ut cujusvis *Patris* vel sanctissimi & doctissimi αὐθεντικοῦ mihi ad *fidem* saltem *divinam* sufficiat, neque interim inter morosos & nimis iniquos donorum S. Spiritûs æstimatores connumerari vellem, qui nimiâ istâ Patrum veneratione offensi *nihil* de *iis audire* vel *dicere* sustinent. Sed optima est in his omnibus *mediocritas*, atque idcirco, uti *Patrum* scripta & Testimonia non abjicimus, imò veneramur, ità & *Divinarum Scripturarum* regulæ atque authoritati subjici, juxtaque eam & examinari & dijudicari volumus, servato semper inter scripta Prophetica & Apostolica, aliorumque quorumvis licet Catholicorum & Sanctissimorum virorum sive veterum sive recentium hoc duplici discrimine;

1. Quod *sola Scriptura Sacra* testimonium habet *infallibile*, *Doctores alii labi*, *falli*, decipi & decipere *possunt*.

2. Quod soli *Scripturæ* Divinitùs inspirate *propter seipsam* credi debet, aliis propter Scripturam, eorumque cum Scripturâ convenientiam.

Atque hæc, quamvis obiter, fusiùs tamen jam à me semel dicta sunt, ut mihi pro Apologiâ sint, si in hoc nostro Prælegendi in posterum cursu ab hujusmodi Testimoniorum explicatione & vindicatione (nisi ubi res id necessariò postulaverit) abstineam.

Tum inprimis quia in hâc de *fide* & *justificatione* Controversiâ *Patres* quamvis *rei summam & caput* quod attinet *nobiscum* planè *consentiant*, dum (explosâ omni in operibus & meritis nostris fiduciâ) *Justificationem* adeòque & salutem nostram Dei tantùm *gratiæ* & *Christi meritis* nobis applicatis in solidum acceptam ferunt: Ante tamen exortum *Pelagium*, unàque cum eo hanc (cum aliis ei annexis) controversiam *minus cautè*, & *laxè* forsan loquuti sunt; imò post diffusum plus satis *Pelagii* venenum ipse *Augustinus* & reliqui alii dum *fidem* pro *notitiâ* tantùm & *assensu* habent, *Justificationem* etiam (quoad vocis hujus usum apud eos frequentem) cum *Sanctificatione* confundunt, non adeò accuratè & secundùm *Scripturæ analogiam* vel scripserunt vel senserunt, ut *Lutherus*, *Chemnitius* & alii *nostrorum* (frendeant & debacchentur licet *Pontificii*) rectissimè annotârunt.

Atque his fusè nimis in antecessum dictis, Testimonia illa *Hieronymi* & *Augustini* à Bellarmino pro sententiâ suâ allata breviter perpendamus.

Locum tantùm notat, verba non recitat.

Et primò quod ad *Hieronymum* attinet; Miror quid *Bellarmino* in mentem venerit, ut *Epistolam* ejus *ad Ctesiphontem* quasi sententiæ suæ astipulatricem

cita-

citaverit, cum in eâ nihil uſquam appareat, quod tale quid ullatenùs aſſerat, nedum *apertè*, (quod dicit Bellarminus.) Quod proximè ei accedere videtur illud eſt quod *Capite* 4. occurrit, ubi quamvis „ Dei mandata poſſibilia eſſe non negaverat continuò addit „ Sed quomodo hæc intelligenda „ ſit ſententia, Vas Electionis apertiſſimè docet, quòd erat impoſſibile le„ gi, in quo infirmabatur per Carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſi„ militudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne: Et ite„ rùm, Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro, quod ne de lege „ Moſis tantùm dictum putes, & non de omnibus mandatis quæ uno legis „ nomine continentur, idem Apoſtolus ſcribit dicens, Conſentio enim legi, &c. Ubi totum quod *Hieronymus* aſſerit, eſt, quòd totam noſtram Dei mandata implendi facultatem & poſſibilitatem Chriſto ejuſque Gratiæ tribuit, legi verò in univerſum derogat, quia *ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* At quis *juſtificationem* ex *operibus fidei* hinc exſculpet? vel ſaltem juſtificationem illam, de quâ nos diſputamus, & ipſe in loco allegato diſputat Apoſtolus, juſtificationem ſcilicet in *peccatorum remiſſione*, & *fidei imputatione* ſitam, prout idem Apoſtolus eam deſcribit proximè ſequente Capite? Si verò objiciant hinc conſtare *S. Hieronymum* ità *Paulum* interpretatum eſſe, quod probationi *Bellarminianæ* ſufficit; illud enim probaturus erat *Bellarminus Hieronymum* hîc *apertè* docere per *opera*, quæ *fidei opponuntur* & à juſtificatione excluduntur intelligi *opera quæ fidem præcedunt*, quæque *ſolis viribus liberi arbitrii* fiunt; Dico, nihil minùs quam *Apertè*. Imò, ſi omninò, illud *obſcurè* admodum hîc docet *Hieronymus*. Quod enim *apertè* hîc docet hoc ſolum eſt, *Ex Chriſti gratiâ nos poſſe* Dei *mandata implere*, *non ex operibus legis*, ad quod adducit illud Apoſtoli, *Ex operibus legis non juſtificacari ullam carnem.* Ubi ſi voce *Juſtificationis* præter Apoſtoli mentem pro *ſanctificatione* abutatur, Nomenclaturam illius ſæculi ſequitur, in quo periculosè nimis *Juſtificationis vox* pro *Sanctificatione* poni ſolebat, unde *Pontificii* tandem (ſummo cum dulciſſimi Fidei Articuli diſpendio) *res* ipſas *confundere* auſi ſunt, atque inde tantas in Eccleſiâ Tragœdias excitârunt.

Idem ferè etiam dici poteſt ad tria illa allata ex *Auguſtino* Teſtimonia, de Gratiâ & lib. Arb. cap. 7. de Prædeſtinat. Sanct. lib. 1. cap. 7. & in Præfat. ad Pſam. 31. Quibus in locis, & præcipuè in ultimo, hoc inprimis agit *Auguſtinus*, ut duplex vitetur vorago & præcipitium, à ſiniſtrâ unum, à dextrâ alterum, inter confeſſionem infirmitatis, & audaciam præſumptionis. Primò, ne dum confitemur infirmitatem noſtram, credamus nos fide ſalvos fore quamvis in malis operibus perſeveremus, dummodò credamus. Hoc perſtringit loco primo allato ex cap. 7. de gratiâ & lib. Arbit. & præcipitium ei ſiniſtrum eſt. Secundò, Ne quis contra præſumendo de viribus ſuis ſibi hoc tribuat, & (ut loquitur) *potentatui voluntatis ſuæ*, „ ſe poſſe implere „ juſtitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege ità facere ut in nullo offen„ dat, atque in poteſtate ſuâ ſe habere vitam ſuam, ut omninò nuſquam la„ batur, nuſquam deficiat, nuſquam titubet, nuſquam caliget. Hoc ei à dextrâ præcipitium eſt, quod cavendum monet, dum fidem ad bona opera prærequiri oſtendit lib. 1. cap. 7. de Prædeſt. Sanct. Ubi hæc habet „ ex „ fide autem dicit (Apoſtolus) juſtificari hominem, non ex operibus, quia

„ ipsâ prima datur, ex quâ impetrantur cætera quæ propriè opera nuncupan-
„ tur, in quibus justè vivitur.

Utrumque latiùs & acriùs exagitat & persequitur in Præfatione ad Psalmum 31. Ubi hujusmodi plura occurrunt. „ Ne præsumas ad Regnum Dei
„ justitiâ tuâ, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei „ Nemo
„ sit superbus extra viam, nemo piger in viâ. Ergo non credendum sine
„ operibus, nec opera sine fide valent. Crede in eum qui justificat impium,
„ ut possint & bona opera tua esse bona opera, nam nec bona illa appellaverim, quamdiu non de radice bonâ procedunt. Unde tandem concludit
„ Nemo jactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in operibus acceptâ
„ fide.

Utrumque nos ex animo exosculamur, & ultrò profitemur, & *fidem antecedere bona opera* (quod *Pontificii* una nobiscum contendunt) & *bona opera necessariò sequi fidem*, (quod negantibus *Pontificiis*, nos cum *Augustino* asserimus.) At quid hinc nobis, nostræve huic (de qua jam agimus) sententiæ præjudicii erit? Num enim hinc sequetur vel ex operibus nos justificari, quod nos cum Apostolo negamus vel opera tantùm fidem antecedentia ab Apostolo, secundùm *Augustini* sententiam à justificatione excludi, quod hîc contendit *Bellarminus*? Enim verò nihil minus. Nam

1. Quamvis ex interpretatione *Augustini* Apostolus (in illis verbis, (*Fide justificatur homo sine operibus*) à justificatione excludat *opera fidem antecedentia*, non inde tamen concludi potest, ex *Apostoli*, ipsiusque *Augustini* sententiâ non excludi etiam *opera fidem sequentia*. Utraque enim excludi possunt, & ipsâ (ut priùs probavimus) excluduntur. Quamvis enim quod ad alia attinet, & in suâ enim *naturâ* & *origine*, opera *ante fidem* & *post fidem* peracta toto cælo differant, quatenus tamen ad *hominem justificandum* adhibentur, in hoc conveniunt; nimirum in justificandi modo & ratione; quod utrobique sit *ex operibus* tanquam ex *justificationis causâ materiali* juxta antiquum *Fœdus Operum*, quod illi affirmant; non ex *remissione peccatorum* & *imputatione justitiæ* Christi tanquam *causâ formali*, & ex *fide* tanquam *medio* vel *instrumento* juxta rationem & *ὑπογραμμὸν Fœderis Gratiæ*, quam nos cum Apostolo asserimus.

2. Concedamus licet *Augustinum* cum vulgò *Fidem* pro nudo *assensu* veritati Divinæ, vel pro *fidei externâ professione* posuisse, *Justificationis* etiam vocabulum pro more sui sæculi latiore sensu sumpsisse, quatenus totum & *universum justitiæ statum* comprehendit tam *imputatæ* in *peccatorum remissione*, quam *inhærentis* in ipsius *justitiæ* & *sanctitatis infusione* & *operatione*, nil (quod ad sententiæ nostræ summam attinet) nobis oberit, nam

Si *Fides justificans* (malè illud quidem) pro *nudo assensu*, vel *professione* sumatur, nos ultra fatentes habent, nos *eâ solâ* neutiquam *justificari*, eamque à *charitate* & *bonis operibus*, adeòque & à *salute* separari posse.

Si etiam *justificationis* vox abusivè pro *sanctificatione* sumatur, vel *justitiæ & gratiæ infusione*, fatemur itidem, *à tali justificatione* impropriè dicta, hoc est, *à sanctificatione*, si rem ipsam spectemus, excludi *opera sola fidem antecedentia*, non *consequentiâ*, quæ in *sanctificatione continentur*, ut & ex hujusmodi operibus constat, vel saltem exeritur ipsa sanctificatio. Si verò de *justificatione*

tione Paulinâ agamus, deque *Operibus à justificatione* istâ *ab eo excluſis: hanc justificationem* in *peccatorum remiſſione* & *imputatione justitiæ* Christi sitam, *ab eâque*, hoc est, à *formali vel materiali ejus ratione opera omnia* tam *fidem antecedentia* quam *conſequentia* ab Apostolo excludi obnixè asserimus, quod & ipsissima *Psalmi* illius, quem ibi enarrat *Augustinus*, verba apertè clamant, quæ ad idem ipsum probandum ab Apostolo adducuntur Rom. 4. „ Ei verò qui non operatur sed credit in eum qui justificat im-„ pium imputatur fides ejus in justitiam. Sicut etiam David declarat bea-„ tum eum hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus, dicens, „ Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata: „ Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum. Quod etiam eo in loco asserit & urget ipse *Augustinus*, qui in omnibus illis à *Bellarmino* adductis locis, in eo totus est ut ostendat *gratiam* Dei & *antecedere*, & non minùs *gratis* quam *efficaciter* & *bona illa opera*, ipsamque etiam *fidem*, quod utinam cum *Pontificii*, tum alii liberi arbitrii propugnatores cum *Augustino* æquè asſererent.

Atque hæc dicta sunto de *Testimoniis* illis, quæ ex *Patribus Bellarminus* attulit, quibus probari vellet *ea sola opera à* Paulo *à justificatione excludi*, quæ *fidem antecedunt*, non quæ sequuntur, ex quibus ipse cum suis assectis *Pontificiis* reliquis hominem justificari statuit.

Restant quædam etiam Theologorum nostrorum dicta, quæ, si minùs perpendantur, incauto alicui Lectori huc spectare videntur: quæ nè alicui offendiculo esse possint, breviter proponenda & explicanda sunto.

Primum D. *Parei* est in Rom. 3. 20. Ubi verba illa Apostoli *Propterea ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus*, sic exponit, *hoc est per obedientiam legis in statu peccati extra Christum.* Unde videtur intelligere ea sola opera à justificatione excludi, quæ ab homine fiunt dum adhuc in statu peccati, & extra Christum est, non ea, quæ jam Christo insitus ex fide facit.

Respondeo

1. Hanc non esse *Parei* mentem apertè ex eo constat, quòd eodem in loco hæc mox adjicit „ loquitur de operibus legis, prout nunc vel à non renatis „ præstantur, quæ justificare non possunt, quia nulla bona sunt, cum sine „ fide fiant: vel à renatis inchoantur, quæ ipsa etiam justificare non possunt, „ quia non sunt perfecta, & fiunt à jam justificatis fide. Quibus clarè testatur Apostolum eo in loco à justificatione excludere opera tam *renatorum*, quam *non renatorum*, adeòque quæ in verbis priùs allatis πληρῶς & ex parte dixerat, in posterioribus illis, quæ adduxi, plenius exequitur.

2. Neque enim qui verba Apostoli *ex parte* exponit de *operibus* in *statu peccati extra* Christum factis quòd ea à justificatione *excludantur*, exinde statim existimandus est dicere *Opera* quæ à *jam per fidem Christo insitis* fiunt *includi*, ut ex iis justificemur. Nam

3. Quod ipse monet *Pareus*, Opera illa renatorum fiunt *à jam fide justificatis*: Ergo ipsam justificationem *sequuntur*, non *constituunt*. Quam primùm enim per *fidem Christo insitis* sumus, *justificamur* illicò. Unde sequitur quod *opera* ea omnia, quæ abiis (qua tales sunt) fiunt, justificationis suæ *effectum* sunt, non *causa constituens*.

4. Ergo & ultimò, & quod *Parei* menti eo in loco maximè convenit, cum obedientiam legis à juſtificatione excluſerat, illa verba addidit *in ſtatu peccati extra Chriſtum.* Non quòd ex iis operibus quæ à nobis jam in ſtatu gratiæ, & Chriſto inſitis, fiunt, juſtificemur, quod mox rejicit & refutat: Sed ne hoc ex *legis ipſius defectu* fieri cogitemus quam quamvis *quoad hoc infirmatam* eſſe idem Apoſtolus dicat Rom. 8. 3. tamen non *ex ſe*, ſed *per carnem* ità infirmatam eſſe ibidem etiam dicit, *noſtro* ſcilicet *vitio, non ſuo*; nam ſi *à nobis impleta* fuiſſet, nos ex eo *juſtificâſſet.* Sed cum ex lapſu ab *iſtâ legis impletione deficimus*, inde fit ut à *juſtificatione* per eam ſimul *deficiamus.* Hanc *Parei* mentem fuiſſe apertè conſtat ex verbis quæ continuò adjungit, quæ hæc ſunt, „ Non derogat juſtificationem legis obedientiæ, „ nam homo ante lapſum fuiſſet juſtificatus operibus legis, & poſt lapſum „ lex præſcribit obedientiam perfectam, quæ ſi à quoquam præſtaretur, eum „ certè juſtificaret, ſicut Chriſtus homo perfectâ conformitate cum lege fuit „ juſtificatus; ſed loquitur de operibus legis prout nunc vel à non-renatis „ præſtantur, quæ juſtificare non poſſunt, quia nulla ſunt bona, cum ſine „ fide fiant: vel à renatis inchoantur, quæ ipſa etiam juſtificare non poſſunt, „ quia non ſunt perfecta, & fiunt à jam juſtificatis fide. Priora ergo illa *Parei* verba, licet rem non adeò dilucidè & plenè explicent, forſan etiam minùs accuratè dicta ſint, nil tamen fermenti *Pontificii* in ſe admiſti habent, vel ſaltem *ex mente Authoris*, quam in verbis ſequentibus clarè in contrarium explicat. Atque hæc de *Pareo.*

Piſcator ſecundus eſt, à quo quædam exciderunt, quæ *Pontificiam* ſententiam de ſolis operibus noſtris viribus & libero arbitrio factis à juſtificationis ratione excluſis ſtatuminare ſpecie ſaltem videntur. Qualia ea ſunt, quæ habet in Analyſi ſuâ ad Rom. 3. 20. & Gal. 2. 16. in quo utroque loco, ubi Apoſtolus dicit hominem ex fide *juſtificari*, *non ex operibus legis*, *Piſcator* dicit „ Argumentum Apoſtoli ſic formari, Aut fide juſtificamur, aut operi- „ bus legis. Sed non operibus legis. Et majorem Propoſitionem ſic explicat, „ Homo juſtificatur vel juſtitiâ propriâ ſuiſque viribus & meritis partâ, ob- „ ſervatione nimirum perfectâ legis Dei aut juſtitiâ alienâ, ſibi autem donatâ „ & imputatâ. Unde conſtare videtur ex Apoſtoli ſententiâ ſecundùm hanc *Piſcatoris* explicationem, quod juſtitia operum, quam à juſtificatione excludit ea ſola eſt quæ *noſtris viribus*, non quæ *gratiâ Chriſti* nititur, ad quam *opera quæ ex gratiâ* fluunt pertinent; ideòque à *juſtificationis* ratione non *excluduntur.* Idem etiam fere habet lib. 1. de juſtificatione. Cap. 8. His reſpondeo

1. In Authoribus legendis non adeò ventilandas eſſe verborum minutias, ut ex illis tanquam fidiculis ea extorqueamus, quæ contradicant perpetuo ſcriptorum ſuorum tenori & ſententiæ. Hâc in re minùs ingenuè, imò peſſimè agunt *Pontificii*, *Remonſtrantes*, alii cum *Calvino*, & ſcriptoribus noſtris aliis Orthodoxis, dum aliquando malè intellectus, & ſæpè pejùs interpolatas & miſerè truncatas ex ſcriptis eorum ſententias aliquas arripiunt & obtorto collo trahunt ad id probandum, à quo per totam ſcriptorum & dictorum ſuorum ſeriem ex animo abhorrent.

Ad præſens inſtitutum quod attinet, cum *Piſcator* ubique in ſcriptis ſuis hac de

de re rectissimè sentiat, & *omnia omninò opera* tam *fidem sequentia* quàm *antecedentia à ratione justificationis excludat*: quicquid verba illa ejus allata prima fronte innuere videntur, non minùs contra *prudentiam* quàm *charitatem* peccare ille censendus est, qui ea in sensum constanti ejus alibi, ubique ferè sententiæ contrarium præter, imò contra mentem ejus pertraheret. Sed ad rem ipsam quod attinet

2. Respondeo quòd *Piscator* in istâ suâ Textûs Apostolici Analysi apertè duo illa Fœdera à Deo nobiscum inita designat, & Apostolum hoc modo arguere vult, quòd justificamur vel juxta Fœdus Gratiæ ex fide in Jesum Christum, vel juxta Fœdus Operum, ex operibus scilicet nostris viribus factis, adeòque ex meritis nostris: at hanc posteriorem nos jam lapsos justificandi, rationem rejicit Apostolus: atque opera nostra à justificatione excludit. Ideòque priorem illam nos justificandi viam ponit & statuminat. Hic Apostoli sensus: Hæc *Piscatoris* ejusdem Analysis & explicatio. At quid hoc ad probandam *justificationem* ex *operibus nostris* à *gratiâ factis*, & *fidem sequentibus*?

Reponi forsan potest vel *maximè*, quia ista tum ratiocinatio Apostoli, tum ejusdem Analysis à Piscatore facta ea tantùm opera excludit, quæ *juxta Fœdus operum* ex *nostris viribus sine fide & gratiâ* fiunt. Ergo non negat, imò ponit *opera ex gratiâ & fide profluentia* esse *justificatoria*. *Obj.*

Imò verò ex adverso tantùm abest ut hoc *ponat*, ut *neget* prorsus, nam *Sol.*

1. *Paulus* nunquam nusquam dixit nos *ex operibus ullis justificari*. Hoc quidem Apostolus *Jacobus* alio sensu asserit, sed *Paulus* sensu *suo* (nimirum quod ad Dei acceptationem & coràm eo justificationem attinet) semper contrarium dicet, & invictè probat. Neque verò

2. Ex eo quòd negat nos *justificari ex operibus nostris viribus factis juxta Fœdus operum*, omninò sequitur eum concedere vel asserere nos justificari ex *operibus ex fide factis in Fœdere Gratiæ*. Nam in istis duobus Fœderibus (quod ad *justificationem* spectat) non *opera* & *opera* opponuntur, ut justificemur in *fœdere operum* ex *operibus nostris viribus factis*, in *fœdere gratiæ* ex *operibus à fide & gratiâ factis*: sed *opera* & *fides* opponuntur, *opera* scilicet in *priori* illo Fœdere, Fides in hoc *novo*. Et cum opera *simpliciter* à justificatione excludantur, quocunque modo se habeant, & qualiacunque fuerint *omninò & penitùs* excluduntur. Cum enim opera ad justificationem in priore *tantùm* Fœdere pollebant, illo *abolito* semel *Fœdere*, ipsa *omninò* à justificatione *excluduntur*. Quamvis enim opera Novo Fœderi adsint, eaque (cum ex gratiâ Christi fluant) longè præstantiora sint iis quæ ex viribus nostris fiunt, ad longè tamen *aliud officium* designantur in *Fœdere Gratiæ*, quàm olim in *Fœdere Operum* assignata erant: in eo, ut ex iis homines Deo grati & pro *justis à Deo haberentur*, & coram eo *justificarentur*, & *eorum merito* (ex Fœdere) *debitè* ad *vitam æternam* à Deo *acceptarentur*. At in *Fœdere Gratiæ longè aliter*; ut *Dei Gratiâ dignè ambulemus*, & in eorum tramite *ad vitam æternam* tanquam in *viâ Regiâ* tandem perveniamus. Imò insuper (si velint) ad *justificationem* illam, quam *Pontificii* volunt, ut reverâ (licet hîc imperfectè) *inhærenter* justi simus, & pro talibus habeamur. Quò tendit Apostoli *Jacobi* de hâc re Disputatio. At si *justificatio* in sensu *Paulino* pro *peccatorum remissione*, & *gratuitâ* Dei ad gratiam & gloriam *acceptatione* sumatur,

ſumatur, hoc nobis præſtant *Chriſti merita*, non *noſtra*; non *opera noſtra*, ſed *ipſius juſtitia* & obedientia gratuitò à Deo nobis *imputata*, & à nobis per fidem *accepta*, cum ſummâ gratiarum actione. Ad hoc opera vel optima noſtra nil valent, licèt aliòs in fines valeant plurimùm. Quamvis enim *ex gratiâ* fiant, *noſtra* tamen non ſunt; ex quibus ſi juſtificaremur, confunderentur duo illa *Fœdera*, *Operum* & *Gratiæ*, cum ità *eadem* in utroque eſſet *juſtificandi* ratio (ex operibus ſcilicet) cum hâc ſolâ differentiâ, quòd in Fœdere Gratiæ *novum* tantùm eſſet gratiæ *adminiculum*, quo adjuti benè operari poſſemus, atque ità demum *non aliter* quam in *Fœdere Operum* juſtificaremur. Quod adversâ fronte pugnat cum εὐαγγελίῳ gratiæ in Evangelio, cum longâ illâ & accuratâ *Pauli* in Epiſtolâ ad *Galatas*, & præcipuè in illâ Epiſtolâ ad *Romanos* diſputatione, ut ex totâ ejus ſeriè conſtat, & clariſſimè ex Cap. 10. ubi dicit „Judæos ignorantes Dei juſtitiam, & pro„priam juſtitiam conſtituere ſtudentes juſtitiæ Dei non ſubjectos fuiſſe: „& cum Moſes juſtitiam quæ eſt in lege deſcripſerit, quod qui eam præſtiterit „per eam viveret, contrà juſtitiam quæ ex fide eſt non hoc dicere, ſed „propè eſſe in ore, in corde, verbum ſcilicet fidei, nempe ſi profeſſus fueris „ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo quòd Deus eum „ſuſcitaverit ex mortuis, ſervaberis. Ex quo loco hæc in rem noſtram annotanda ſunt,

1. Quòd contra *Judæos* agit, qui *Dei juſtitiæ non ſubjecti* τὴν τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην ζητοῦσι *propriam juſtitiam ſtabilire* ſatagebant. At verò quænam *propria illa* fuit *juſtitia?* An ea, quæ adeo propria & ſua erat, ut juſtitia eſſet *operum factorum* ex *ſolis viribus propriis*, & *libero ſuo arbitrio*, & ex *vi legis* ea extrinſecùs tantùm proponente & jubente? At quis præter *Pontificium* hoc credet unquam? Num ità ſolis propriis viribus nitebantur, ut Spiritûs Dei auxilium intrinſecum, adeòque & gratiam ad hæc & ſuſcitantem & corroborantem penitùs non agnoſcerent: cum ipſe Phariſæus (quod genus hominum ſui atque operum ſuorum fidentiſſimum erat) Deo gratias agit quod bona opera præſtiterit, & quod aliis hominibus, præſertim *Publicanis peccatoribus* quoad hæc antecelleret Lucæ 18. 11, 12. Qui verò de re aliquâ Deo gratias agit, eo ipſo rem illam vel ex toto, vel ſaltem ex parte Deo acceptam refert. Unde *Auguſtinus* de *verbis Domini* Serm. 36. locum illum enarrans hæc habet „videant nunc, audiant iſta, neſcio qui impiè garrientes, & de „ſuis virtutibus præſumentes, audiant qui dicunt, Deus me hominem „fecit, juſtum ipſe me facio. O! pejor & deteſtabilior Phariſæo. Phariſæus „ille ſuperbè quidem ſe juſtum dicebat, ſed tamen inde ille Deo gratias „agebat &c. & tamen tanquam ſuperbus & inflatus reprehenditur, non quia „Deo gratias agebat, ſed quia velut nihil ſibi addi cupiebat. Sic etiam *Gregorius* 7 *Homil. in Ezek.* „Rectè ergo gratias Deo agebat à quo acceperat „bona quæ fecerat. Unde *Stella* in illum locum Evangelii cum *triplex ſuperborum genus* eſſe dixiſſet primum eorum, qui *ea quæ habent à Deo ſe habere non agnoſcunt*; ſecundum ſi *à Deo, ex proprio tamen merito*, vel 3. ſi à Deo, ejuſque gratiâ, non ſuo merito, tamen de *eis tanquam de ſuis gloriantur*; *Phariſæum* hunc ad hoc *tertium ſuperborum genus* retulit. Et *Calvinus* maximè omnium diſertè in illum locum hæc habet. „Neque enim

„repre-

„ reprehenditur quòd se venditet liberi arbitrii viribus, sed quòd operum „ meritis Deum sibi placatum esse confidat, cum ista gratiarum actio minimè „ gloriantis est de propriâ virtute, quasi adeptus sit à seipso justitiam, vel „ suâ industriâ sit promeritus, quin potiùs Dei gratiæ ascribit quòd justus est. „ Quanquam autem Deo gratias agens fatetur quicquid bonorum operum „ habet merum esse ejus beneficium, quia tamen operum fiduciæ innititur, „ seque aliis præfert, cum suâ precatione rejicitur &c. Sciamus ergo quamvis „ bonorum operum laudem Deo quis ascribat, si tamen eorum justitiam „ imaginatur salutis suæ causam esse, vel in eam recumbit, perversæ arro- „ gantiæ damnari. Hæc ille in rem nostram quàm appositè. Fateor quidem *Maldonatum* contrarium sentire, quòd Pharisæus simulatè tantùm Deo gratias egisset, quòd ità loquatur: „ ità totâ sibi oratione placet, ut minimè „ obscurum sit, eum sibi eas virtutes attribuisse, quasi suâ illas diligentiâ „ esset assecutus, nec Deo gratias egisse ut gratias illi ageret, sed ut se laudaret. Et *Brugensis* cum quæstionem proponit an Deo gratias egerit quod ipsius munere à sceleribus & vitiis servatus fuisset, à quibus non valuisset solis liberi arbitrii sui viribus cavere & abstinere, incertum esse respondet, imo magis verisimile esse dicit ad *hujusmodi scelera cavenda* non agnovisse alium quam *generalem Dei concursum*. Sed hos non adeò moror. Fortiùs moveret *Theophylacti* authoritas, qui Pharisæo ὑπερηφανίας notam inurit, ὅταν τις ἐν τῷ Θεῷ εὐχὴν ἑαυτῷ ἐπαγγέλληται τὰ κατορθώματα, & dicit quod ἑαυτὸν ἀσεβῆ ποιεῖ τὸ κατόρθωμα τῇ οἰκείᾳ ἰσχύϊ. Quòd si de *Pharisæo* illo & forsan de plerisque Pharisæis verum fuerit, at non *omnibus* prorsus *Judæis* de quibus illo in loco agit Apostolus, impingi meritò debet.

Si verò objiciatur, licèt Judæorum plures Dei Spiritûsque auxilium sibi in bonis suis operibus grati agnoverint, at non *gratiam Christi*, non *fidem Evangelii*, sine quibus *opera* eorum *bona* non erant, nedum *justificatoria*, qualia secundùm *Pontificiorum* sententiam sola sunt opera ex gratiâ Christi, & fide in eum profluentia. *Obj.*

Respondeo (quod sæpè anteà docuimus & probavimus) eos, quos Apostolus in illâ suâ de justificatione disputatione vel refutat vel meliùs instruit, non si omninò, certè non tam fuisse *Judæos meros*, qui justificationem expectârunt ex operibus suis legalibus extra Christum ejusque gratiam factis, quàm Judæos illos, & Judaizantes reliquos, qui licèt in Christum credebant, tamen ad justificationem suam opera sua legis (quod *Pontificii* jam faciunt) simul conjuncta esse vellent, quæ à justificatione excluſa Apostolus hîc asserit, cum eos *justitiam* hanc *suam stabilire* cupientes, *justitiæ* Dei (in Christo scilicet) *subjectos non* esse dicit. *Sol.*

2. Quod secundum est quod eo in loco annotari vellem, quòd Apostolus ibi ut in totâ illâ Disputatione de nostrâ justificatione non opponit *opera fidem antecedentia* operibus *fidem sequentibus*, quasi *illa* sola non *hæc* à justificatione excluderentur, sed in universum *opera omnia* hâc in re opponit *fidei*, ex quâ *solâ* nos *justificari* ostendit, quòd multifariam ex eo loco constat.

1. Ex eo quòd versu 2. dicit Judæos *zelum Dei habuisse* quòd putârunt Doctrinam Evangelicam de *justificatione per fidem* non ex operibus *opera omnia*, adeòque & *legem* ipsam *evacuare* velle; atque inde ex *zelo legis* confir-

mandæ contra *doctrinam fidei* adeò exarserunt. Si verò putâssent *Apostoli* atque *Evangelii* doctrinam eam fuisse quæ hodie *Pontificiorum* est, tantùm scilicet abesse fidei *justificationem à bonis operibus* evacuandis ut ab ipsis talibus *operibus justificaremur*, zeli istius sui ardor protinus aliquatenus saltem deferbuisset.

2. Quòd v. 3. *Dei justitiam propriæ justitiæ* opponit, quam illi *stabilitum* ibant, jam verò *stabilire propriam justitiam* non est tantùm velle justitiam coram Deo ex se & viribus suis habere, sed velle *operibus propriis vitam mereri* sive *viribus propriis*, sive *viribus gratiæ* ea opera præstentur. Nam *In Rom.* 10. 3. *propria* justitia (ut rectè annotavit *Pareus*) dicitur quatenus opponitur *alienæ*: opponitur autem alienæ non tantùm ratione *principii* ex *quo* est (nam sic justitia operum ex fide fluentium rectè aliena dici potest, cum à Deo sit) sed & ratione *formæ*, per *quam* est, & ratione subjecti, in *quo* est, & sic justitia *fidei* sola *aliena* est, cum *justitia operum fidem sequentium* sic (nimirum quoàd *formam* & *subjectum*) *nostra* rectè dicitur.

3. Quòd v. 4. dicit *Christum esse finem legis ad justitiam cuivis credenti*; ubi (ut *Piscator* rectè observat) probat quòd priore versu dixerat Judæos *habuisse zelum Dei & legis sed non secundùm scientiam*, quia ignorabant *verum legis finem*. Illi enim *legis finem* putabant fuisse *justitiam operum*, hoc est Deum in hunc finem legem tulisse, ut ipsius Populus *justitiam ex operibus* in *lege præscriptis* acquireret. Cui è contrà Apostolus *Christum verum legis finem* esse dicit; hoc est, Deus ideò legem Judæis tulit, ut eos ex eâ *peccati convictos* & maledictioni subjectos ad *Christum* ejusque justitiam à Deo imputatam & per fidem apprehensam deduceret. Unde constat *Pontificios* æquè ac *Judæos* finem legis ignorare, dum *operibus*, non fidei (*juxta legem operanti*, non in Christum credenti) justitiam atque justificationem assignant.

4. Quod etiam versibus 5, 6. & sequentibus adhuc clariùs patet, quòd justitiam fidei & legis ità distinguit & opponit, quòd quoad justitiam fidei, *corde tantùm creditur ad justitiam* comm. 8. 10. rem totam fidei defert; at *justitiam legis* in eo sitam esse dixit, quod *qui præstiterit ea quæ lege mandantur*, *vivet per illa*. Non dicit hanc legis justitiam in eo consistere, quòd quis *ex solis liberi sui arbitrii viribus* eam præstiterit, sed quocunque demùm modo præstiterit, *operibus* scilicet vel *ante fidem* vel *post fidem* factis. *Opera* enim *fidelium*, imò *quà fidelium* verè *opera* sunt, adeòque ex totâ Apostolicæ disputationis serie, quod ad justificationem attinet, *fidei* opponuntur; licet quatenus ex eâ fluunt, vel, quatenus sanctificatio justificationi subor- *In Rom.* 10. 4. dinatur, optimè conveniant. Quod *P. Martyr* simili non incongruo illustrat *Differentiæ* & *Proprii* apud Dialecticos. Ut enim *Differentia* naturam & speciem constituit; sic Dei justitia nostram justificationem facit. Et ut *Proprium* naturam *jam constitutam* sequitur, sic justitia bonorum operum consequitur justificationem.

5. Quintò & ultimò illud huc facit, quòd ibi Apostolus in eo *justitiam* legis & *Fidei* opponi dicit, quod cum *justitia fidei* sit *verbum propè in ore & corde nostro*, adeoque magis facilis sit, atque omnes de æternâ vitâ potiundâ, & ab inferno liberatione anxias conscientiæ dubitationes animis nostris eximit,

ut,

ut, *Quis ascendet in cœlum, & quis descendet in abyssum*, cum ex Christi ascensu in cœlum, & in ad infernum descensu de iis certi reddimur: Contrà, legis justitia integram ejus præstationem exigit, quæ cum nobis jam lapsis impossibilis sit, impossibilis etiam ex eâ cœli aditus erit & ab inferno liberatio; unde necessariò exorituræ sunt continuæ illæ ànimæ & conscientiæ timoratæ carnificinæ, trepidationes & dubitationes, *Quis ascendet in cœlum, & quis descendet in abyssum?* Jam verò si ex Apostoli sententiâ iste *justitiæ legis* character sit, quatenus *justitiæ fidei* opponitur, procul dubio justitia *operum ex fide factorum* ad *justitiam legis* quam Apostolus hîc à justificatione excludit pertinebit, non ad *justitiam fidei*. Nam quamvis ea opera fidei multa & præclara fuerint, cum tamen in multis *deficiant* illa ipsa opera, & in longè pluribus aliis peccent vel justissimi quique qui ea operantur, necessum habent ut perpetuò dubitent, & trepident anxii. Ex quo firmissimum contra *Pontificiorum* sententiam argumentum conficitur. Justitia, quæ ex *se parit dubitationes & cor anxium reddit de salute*, non est *justitia fidei*, quam hîc adstruit Apostolus, (Hoc exertè dicit Apostolus „ quæ ex fide est justitia ità „ dicit ne dixeris in corde tuo quis ascendet in cœlum aut quis descendet in „ abyssum.) At justitia ex *operibus vel à fide factis*, si quoad justificationem & salutem promerendam iis nitamur, *dubitationes has parit*, imò (cum optimi quique se in plurimis à lege deficere noverint) si hâc conditione cum iis agatur, de salute desperationem ingenerat. Ideòque ex hoc Apostoli *νεκρωσει* non ad *justitiam fidei*, quam hîc stabilire conatur Apostolus, sed ad *justitiam legis* quam à justificatione nostrâ excludit Apostolus omninò pertinebit. Opera ergo ista fidelium (ut cum *P. Martyre* loquar) justificatorum *propria* sint, at fides *justificatorum* quà justificatorum formalis *Differentia* est. Lex quatenus nos peccati & maledictionis reos agit, ad veniam ex gratiâ impetrandam *ad Christum* ut *Pædagogus* ducat, adigat. At *accusandi* idcirco illi sunt, qui ex *Pædagogo Patrem* faciunt à *lege* & *operibus* justitiam petentes, quæ ab uno *Christo*, ejusque *justitiâ* nobis à Deo *imputatâ* & per fidem *apprehensâ* expectari debet. *P. Martyr in Rom.* 10. 4.

Atque ità tandem absolvimus hanc secundam Quæstionem Præliminarem: *Quænam scilicet ea opera sint quæ Apostolus in Epistolis ad Romanos & Galatas à justificatione excludit*, in quâ fusiùs ostendimus ea non sola esse opera legis *Ceremonialis*, vel etiam moralis, quæ *fidem antecedunt*, & ex *viribus naturæ* vel *liberi arbitrii* fiunt, ut *Pontificii* contendunt; sed *Opera* in universum *omnia* fidelium quæ *fidem sequuntur*, & à jam renatis prodeunt; quæ licet suo ordine & loco in se bona & Deo *grata* sint, quibus etiam *fideles* ex mandato Apostoli Tit. 3. 14. *καλῶν προϊστασθαι præesse debent*, ut indè Deo & Redemptori Christo grati sint, atque in iis tanquam in *viâ Regiâ* ad cælum rectà tandem perveniant, ad *peccatoris* tamen *justificationem coram Deo*, cum ad hoc ab eo minimè ordinata, & in se & quatenus à nobis fiunt imperfecta & peccaminosa sint, non valent, imò ipsa veniâ, adeòque & *justificatione* egent.

Appendicis loco amicum & placidum examen (si placet) ineamus eorum quæ Doctissimus *Paraphrastes & Scholiastes* noster nuper edidit in ea verba „ Ne existimate me venisse ut dissolvam legem aut Prophetas, &c. Matth. 5. 17. Quæ quia cum re de quâ hactenus egimus conjuncta sunt, ea aliquantùm

tùm ingenuè discutere operæ pretium erit. Hæc verò eo in loco habet Vir Doctissimus.

Quòd *duplex* scilicet in Novo Testamento hujus vocis ὁ νόμος vel *legis* sit *significatio.*

Vel ut sumitur pro *totâ illâ legis* οἰκονομίᾳ in V. T. prout in se *simpliciter consideratur*, & à *Mose tradita* erat,

Vel quatenus *Christi & Evangelii exclusiva* erat, hoc est quatenus à *Pharisæis* & *Judæis* aliis & Judaizantibus *Gnosticis* & reliquis Heterodoxis *Christo* post ejus adventum (quò minùs eum & Evangelii fidem reciperent) *opponebatur.*

Priore sensu multa agnoscit in lege illâ cum permissa, tum mandata fuisse, quæ ἐν καιρῷ διορθώσεως Heb. 9. 10. post Christi adventum reformanda & corrigenda erant, utpote vel tunc desitura ut *Ceremonialia*, vel in forensibus & moralibus plura (qualia illa de *Divortiis* & alia) imperfecta, in melius tum immutanda, cum altiora & perfectiora quam quæ lex exigere videtur & Ecclesiæ sub Evangelio adultæ convenientiora à Christo proponenda & injungenda erant.

Eam tamen legem minorenni illi Ecclesiæ sub lege statui satis congruam, & hominibus tum temporis in ordine ad *salutem æternam* traditam esse agnoscit; atque vocem ὁ νόμος vel legis, quatenus *Codex* erat & *Corpus Constitutionum* per *Mosen* traditarum ante Christi Reformationem, eique non contrariarum, hoc in sensu ab *Evangelistis* & in *Actis Apostolorum* ferè usurpari dicit.

Sed Judæi, imprimis *Pharisæi*, eorumque sequaces *Gnostici* hanc *Mosaicam legis* οἰκονομίαν postquam advenerat Christus & exorto Evangelio quoad omnia mordicùs etiamnum retinendam, ex ejus observatione *justificationem* expectandam, adeòque *Evangelium* (utpote ei contrarium) non admittendum, sed *flammâ ferroque persequendum* esse censuerunt.

Atque hinc *secundam* legis *significationem* exsculpit Vir Doctissimus, quatenus *Christi & Evangelii exclusiva fuit*; atque hoc in sensu ut plurimùm sumi vult in *Epistolis Apostolicis*, quarum plurium *maximam partem* contra hanc *Judæorum* & *Gnosticorum* sententiam scriptam esse asserit, & inter reliqua loca hæc enumerat. Rom. 3. 20. „ Propterea nulla caro ex operibus „ legis justificabitur in conspectu ejus, hoc est (illo exponente) ex *observatione formæ à Mose præscriptæ* prout à *Reformatione Christi differebat*, vel ex nudâ observatione partis *exterioris* & *Ceremonialis* sine *interiore* & *magis substantiali*, hoc est Circumcisionis sine puritate interna.

Huc etiam refert ejusdem Capitis 3. ad Rom. v. 21, 28. Ubi dicimur „ justificari χωρὶς νόμου & χωρὶς ἔργων νόμου, id est *sine lege* quatenus Christi *exclusiva* à *Judæis facta* est.

Huc etiam illud Commatis 27. ubi νόμος ἔργων opponitur νόμῳ πίστεως ubi νόμος ἔργων exponit de lege externâ, νόμος πίστεως de lege internâ.

Ut & illud versûs 21. ubi Apostolus dicit „ justitiam Dei manifestam „ esse χωρὶς νόμου (hoc est, eo Interprete, sine lege hoc *secundo in* sensu, videlicet *Christi exclusivo*) sed „ comprobari testimonio ὁ νόμου legis scilicet in *sensu priore* sumptæ, & *à Mose traditæ.*

Sic

Sic etiam in illo Rom. 4. 13. ἡ διὰ νόμου ἡ ἐπαγγελία τῷ Ἀβραὰμ per *legem* intelligit mandatum de *Circumcisione*.

In eundem modum exponit v. ejusdem Capitis 14, 15, 16. ubi de iis qui ἐκ τοῦ νόμου sunt loquitur Apostolus, & dicit „legem iram operari, scilicet de lege in hoc secundo sensu sumptâ: ut & loca alia in Capitibus 6, 7, 8. ad Romanos: illud τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου & similia alia in Capitibus 2, 3, 4. ad Galatas. Quæ omnia, quoniam rem de quâ hactenus, proximè pertingunt, paulisper oculis haud limis perpendamus.

Atque ex his quæ à Viro Doctissimo dicta sunt, aliqua utpote rectissimè dicta ultrò concedimus.

1. Aliam quidem esse rationem *legis* quatenus *per Mosen tradita* erat, & *Pædagogi* instar Evangelio inserviebat, aliam verò quatenus *Judæi & Pharisæi* eâ pessimè *abutebantur*, dùm eam *Evangelio opponebant*, eamque ità per omnia retinendam censuerunt, ut ejus gratiâ *fidem Christi* omninò *rejicerent*, & odio inimicissimo *persequerentur*.

2. Verè etiam dictum agnoscimus, *legem* à Mose Judæis traditam esse in ordine ad *vitam æternam*; nam hoc idem Apostolus Rom. 7. 10. asserit ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωὴν *Mandatum ad vitam* erat. Ex accidente quidem & vitio nostro *ministerium mortis* est 2 Cor. 3. 7. *suâpte* tamen *naturâ* & *primariâ Dei* institutione tum cum ipsi primo *Adamo*, & postea per *Mosen* populo Judaico eam tradidit, *ad vitam erat* quatenus *viam ad vitam monstrabat*, & ut in eâ incederent *hortabatur*. Imò quod majus est dico, *Judæos fideles* in ejus rectâ observatione *vitam actu consecutos* fuisse, nimirum dum *Ceremonialia* peragendo *Messiam* sub eis delitescentem *fide intuebantur*, & præceptis minisque *legis Moralis* territi ad eundem *Messiam* quò *vitam adipiscerentur confugiebant*: sic enim legis ac peccatorum suorum *onere* πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι *ad eum accedentes animabus suis requiem inveniebant*. Matth. 11. 28, 29.

3. Ac proinde verissimum est Pharisæos & Judæos reliquos dum *Ceremonialibus* post Christi adventum *retinendis*, iisque æquè ac *moralibus* ad *justificationem* adhibendis immotè & pertinaciter adhærendo legem Evangelio opponebant, *Consilium Dei spreviſſe adversus semetipsos* Lucæ 7. 30. & dum pro zelo legis fidem Christi repellebant se *indignos vitâ æternâ judicâsse* Act. 13. 46.

Rectissima hæc omnia, & viro tanto digna. In aliis tamen ab eo ibi allatis pace ejus ἐπέχω, imò contrarium sentire mihi liceat.

1. In eo quòd sæpius *Christi* sub Evangelio διόρθωσιν vel *Reformationem* in eo, saltem ex parte, statuat, quòd in *re morali nova mandata dederit*, & sublimiora & *perfectiora* præ iis *quæ lex exegerit* mandaverit: Quod *Papismum* & *Socinianismum* sapit; quorum tamen eum minimè reum ago, utpote cum in Scriptis suis his eum multoties renuntiâsse satis noverim; ut neque de hâc ejus sententiâ (cum à præsenti nostro instituto alienum foret) jam aliquid in contrarium dicere in animo habeam, de quâ alius forsan, isque magis opportunus erit dicendi locus.

2. Quòd *Plurium Epistolarum partem maximam contra Gnosticos scriptam* esse asserat, quò omnia fere in Epistolis semper & ubique refert, & nonnulla in Evangeliis, hæc obiter dicam,

Non adeò forsan certum esse *Gnosticos* adeò summo manè exortos, nedum hoc nomine notos fuisse. Quamvis enim plurima in Epistolis Apostolicis dicta ipsis eorumque tum placitis tum vitæ instituto apprimè quadrent, quin & in locis aliquibus Apostolus ad ipsum *Gnosticorum* nomen alludere videatur, ut in illo Rom. 2. οὐ γινώσκεις τὸ θέλημα v. 18. & ἔχοντα τὸν μόρφωσιν τῆς γνώσεως v. 20. præcipuè in illo 1 Tim. 6. 20. ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, & in aliis his similibus ut etiam nomen *Gnosticorum* vel tum ipsi notum esse videri possit; de eorum tamen origine varii variè sentiunt. *Irenæus* lib. 1. cap. 26. *Carpocratem* illius Sectæ authorem facit. *Epiphanius* Hæresi 27. eam ex omnium illorum *Simonis*, *Menandri*, *Saturnili*, *Basilidæ*, *Nicolai*, *Carpocratis* & *Valentini* erroribus efflоruisse scribit. *Hieronymus de viris illustribus* eos *Basilidem* authorem habuisse dicit, atque exortos *Adriani Imperatoris* temporibus circa Annum 129. quem in hoc sequitur *Daneus*. At hic annus *trigesimus* erat post *Johannis Apostolorum ultimi mortem*, plusquam *sexagesimus* post *Petri & Pauli Martyria*. At forsan de eo Tempore ab *Hieronymo* dictum est, in quo ex hoc nomine magis noti erant & *Gnostici* vulgò dicebantur, qui priùs ab ipso Johanne Apocalyps. cap. 2. 6, 15. *Nicolaitæ*, ut & *Borboritæ* ab aliis vocabantur. *Augustinus* enim (ut & *Philastrius*) eos *Nicolai* Discipulos facit, & in sexto Hæreticorum ordine immediatè post *Nicolaitas*, & ante *Carpocratianos* & *Valentinianos* ponit, ut ipsius *Nicolai*, adeòque non solùm *Johannis* magis grandævi, verùm *Petri*, *Pauli*, reliquorumque Apostolorum temporibus eos exortos fuisse, viruſque fudisse haud absimile sit, cum Simon Magus (qui hæresium omnium dux & princeps, à quo, teste *Eusebio* Historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. „ Caput totius pravitatis & omnis „ hæresis principium cœptum est, & ut Irenæus lib. 1. cap. 20. loquitur „ universæ hæreses substiterunt, cum, inquam *Simon* iste Apostolorum tempore prout ex Actis Apostolorum, & Historiis Ecclesiasticis satis constat) vixit & pestem suam diffudit, cujus etiam vestigiis tam quoad dogmata, quàm vitæ rationem *Gnostici* institerunt, unde à *Simonianis* falsi nominis scientiam initia accepisse idem *Irenæus* eodem in loco testatur, non diffitendum quin Apostoli in Epistolis suis hos perstrinxerint, *Petrus* & *Judas* impugnando *dogmata* eorum pessima, & *turpissima vitæ suæ instituta*, *Paulus* insuper ad (quod sibi arrogabant) *Gnosticorum* nomen alludendo, *Johannes* denique de nomine (*Nicolaitarum* scilicet) arguendo. Quòd verò Doctissimus Vir *omnia ferè quæ in Apostolorum Epistolis* & scriptis *occurrunt huc trahat*, & de *Gnosticis* hisce ubique interpretetur, plus satis διρήμαλι isti suo indulsisse videtur; idemque ipsi accidisse quod iis qui *hypothesi suæ nimis inserviunt* omnia quæ occurrunt huc transferunt; ut *Ille qui naves omnes* quæ portum appulerunt *suas* esse dixit, vel qui per *vitrum colore aliquo infectum* prospiciunt, omnia quæ per id vident *ejusdem coloris* esse putant. Illud saltem certiùs affirmaverim, hinc factum esse ut plures in scriptis Apostolicis locos aliter quam Interpretes alii tam Veteres quàm Recentiores Orthodoxi exponat, & Testimonia plurima quæ communiter Nostri (neque illi ex indoctioribus, sed eruditissimi & pientissimi quique) contra Pontificios & Socinianos alioſque Heterodoxos summo cum judicio adducere solent (quod etiam *Grotius*, quem in plerisque sequitur, fecit) non sine magno veritatis dispendio, Protestantium omnium,

Et Nicephorus l. 4. c. 2.

omnium, Orthodoxorum imprimis, præjudicio eludere & enervare conatur. Sed hæc obiter tantùm, forsan etiam fusiùs quàm par erat, dicta sunt.

3. Quod cum re quam agimus conjunctius est, in priùs allatis nimis dubiè vel minùs constanter loqui videtur. Cum enim illud Apostoli *neminem ex operibus legis justificari* exponit de lege sine veniâ & misericordiâ, quam Christus attulit, & ad illud quod de *maledictione* legis Apostolus loquitur, explicationis gratia hoc addit, à qua nemo præter Christum nos liberat, quod *partem negativam* verissimè pronuntiat, quod etiam Christiani omnes fatentur, nimirum *legem* ejusque *opera* quatenus à Pharisæis *Evangelio opponebantur neminem* unquam *justificare* posse, quin etiam *legem* in se & citra oppositionem illam adversus Christi Evangelium sine veniâ per Christum partâ *neminem justificare* ne *Pontificii* dicere ausint: Dubium tamen adhuc est, & quæri potest quoad *partem affirmativam & positivam*, utrùm lex sine illâ Pharisaicâ ejus adversus Evangelium oppositione (quæ secunda ejus fuit significatio, utrùm inquam) lex in primo sensu *quatenus a Mose tradita* est *cum Christo conjuncta* hominem formaliter vel meritoriè justificet? Concedimus quidem 1. legem quatenus nos *peccati & mortes reos* agit, adeòque quasi *ex accidente* nos ad *justificationem* obtinendam ad *Christum* foràs mittit, ex Evangelii οἰκονομίᾳ & Gratiâ ad justificationem nostram hoc in sensu *aliquatenùs operari*, quin & ultrà 2. nos *secundum legem justificari*, nimirum quatenus Christus *Sponsor* noster *Legi* per omnia tam agendo quàm patiendo præstitit, quod *nobis* gratis *imputatur* ex Dei indulgentiâ. At ideò nos ex *operibus legis quæ nos fecimus justificari*, de quo ibi agit Apostolus (etiam cum Christo, & Deo propter Christum veniam peccatorum & defectuum nostrorum indulgente) non dicit Apostolus, imò contrarium omnino dicit. Quod tamen dicunt *Pontificii*, quod si etiam dixerit vir Doctissimus, audacter dicam eum cum *Gnosticis* (quos maximoperè impugnat) idem omninò dicere: ipsi enim Christum à justificatione nostrâ non excludebant, sed *legem* cum *Christo* ad nos *justificandos* conjunctam voluerunt. Atque hoc præcipuum est quod animadverti vellem. Reliqua quæ sequuntur, quamvis veritati, quam asseruimus non minùs officiant, quoniam tamen ex priùs dictis dependent, & faciliùs innotescere possint, breviter & leviori brachio percurram omnia. Ex quibus

4. In loco illud unum est, quòd νόμου ἔργων & νόμου πίστεως *legem operum* & *legem fidei* quas distinguit, & inter se opponit Apostolus de *lege internâ & externâ* exponat, quasi Apostolus cum nos *ex lege operum* justificari negat, à justificatione *opera* tantùm *externa* (quibus solis nitebantur *Judæi*, ut *Pontificii* hodie *operi operato*) excluderet, ex *operibus* interim internis & à *corde per fidem purgato profectis justificemur*, quod Pontificii asserunt. Sed hoc *Grotianum* (reverâ per omnia *Pontificium*) commentum priùs multis profligavimus. Rom. 3. 27.

5. Ejusdem Commatis est quòd illud Rom. 3. 20. de *nullâ carne ex operibus legis justificandâ in conspectu Dei* exponit de *observatione formæ* à *Mose præscriptæ prout* â *Reformatione Christi differebat*. Quòd ampliùs sic explicat, *ex nudâ observatione partis exterioris & Ceremonialis sine interiore & magis substantiali*, animæ scilicet puritate; Quasi opera *tantum Ceremonialia*, vel saltem

moralia

moralia externa à *justificatione* excluserit Apostolus. At quid hoc nisi purum putum *Grotiano-Pontificium* est?

6. Quòd illud nos justificari χωρὶς νόμου & χωρὶς ἔργων νόμου exponit de lege *quatenus* à Judæis *Christi exclusiva* facta est; affirmare videtur legem *primo sensu* sumptam, quatenus *à Mose tradita* est, & Christum non excludit, sed eum *Christo conjungitur*, nos justificare, eodem quo prius dictum laborat morbo, & eâdem ratione rejicitur.

7. Quòd in illo Rom. 4. 13. non *per legem Promissionem Abrahamo factam esse*, legem interpretatur de *mandato Circumcisionis: Pseudo-Hieronymum* in illum locum sequitur, qui *Bellarmino* judice *Pelagius* fuit. Is enim ità in hunc locum, hîc legem *Circumcisionem* appellat. At *Orthodoxi* (quos noverim) omnes, imò ipsi *Pontificii* hoc non *solùm* de *Circumcisionis mandato* intelligunt, sed Circumcisioni *legem* magis *universaliter sumptam* addunt. Sic *C. à Lapide*. In versibus quidem præcedentibus crebra Circumcisionis mentio facta est: at hoc totum ex ratione quæstionis, quam ibi proposuit Apostolus: utrùm scilicet fides imputata erat Abrahamo in justitiam, cum semel circuncisus fuerat, vel cum adhuc in præputio? Controversiam interim illam generalem, quam per tot Capita ibi tractat (nimirum *utrùm justificemur ex fide vel ex operibus legis*) ibi adhuc persequitur, in quâ vox *legis* generaliter sumitur, adeò ut cum Apostolus hîc vocem illam νόμου sine articulo ponit, docti aliqui eum *legem Naturæ* includere statuunt: certè *legem Moralem* includit; nam *eam legem* hîc in Comm. 13. intelligit quam v. 15. *iram operari* dicit. At hoc inprimis legi *morali violatæ* convenit. Non incongruè ergo *Pareus* de lege tam *Naturæ* quàm *scriptâ* eam exponit; *Grotius* certè (quem Vir doctissimus sequi solet) de *lege Mosis* interpretatur, cum Textum illum ità παραφράζει „ Promissio illa non Abrahæ facta est sub „ conditione observandi legem Mosis, quæ nondum tum erat. Et cum *Grotius* (ut & ipse Vir Doctissimus hoc ipso in loco) *Caput* 3. *ad Galatas* tanquam locum huic Parallelum adscribat, lucidissimè apparet eo in loco non de *lege* vel *mandato Circumcisionis* quæ paucis aliquot annis post promissionem ei datam ipsi imposita erat loqui Apostolum, sed de *lege eâ quæ quadringentis triginta post promissionem Abrahæ factam promulgata erat*, quòd ἀνατίθησι dicit Apostolus Gal. 3. 17. Illud solùm *Estii* adjicere liceat, qui hæc in hunc locum habet „ Poterat Judæus dicere, si non ex Cir- „ cumcisione justitia est, saltem ex lege (ubi Circumcisionem à lege apertè distinguit) „ Docet igitur Apostolus quòd præcedente Capite docuit, ex „ lege non esse justitiam. At *lex* in præcedente illo Capite non solùm de *lege Circumcisionis* intelligebatur, nisi *Synecdochicè* quatenus *totam legis Mosaicam* (cujus primaria pars erat) *significavit*.

De Scriptoribus Eccles.

Alia non prosequar; ut cum illud Rom. 7. 4, 6. ubi *nos legi mortuos*, à *lege liberatos* dicit Apostolus. Et Rom. 8. 3. τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου in *secundo illo suo sensu* sumit, scilicet quatenus *Judæi legem Evangelio opponebant*, non quatenus in se erat, & à *Mose tradita* erat. Multùm abnuo. A legis enim Fœdere, maledictione, ad peccatum irritatione & in se ad bonum quodvis operandum & justitiam nobis impetrandam sterilitate atque ἀδυναμίᾳ per

Christum

Christum liberamur; non *tantùm quatenus à Pharisæis Christo opponebatur.* Ex *infirmitate* enim *Carnis* ipsius *legis* est τὸ ἀδύνατον. In nobis lapsis hæc præstare ipsi legi impossibile est, non solùm ex Judæorum malitiâ eam fidei opponente, sed ex propriâ ipsius legis nobis in peccatis mortùis vitam spiritualem ingenerandi, & vitales ejus operationes edendi impotentiâ.

THESES ET PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ.

Rom. IV. 5.

Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην.

Ei verò qui non operatur, *credenti autem* in eum qui justificat impium, *reputatur* fides ejus ad justitiam, secundùm propositum Gratiæ Dei. Vulg.

Sed credit. Beza. *Imputatur* Beza.

PRobè memini, me, in ipso primo hujus Operis ingressu in animo mecum habuisse, vobis etiam hîc palàm fidem dedisse, non semper & continuè in spinosioribus *Controversiarum* dumetis vos (unà mecum) perplexos detenturum; sed in amœniora *Sacrarum Scripturarum* latifundia, (quæ piam sanctæ animæ voluptatem ingenerare possent) aliquoties expatiaturum, atquè ità partitis operis nunc *Controversiis* tractandis, nunc *Scripturarum Periochis* saltem aliquibus interpretandis vacaturum. Quò meliùs ergo fidem liberem cum de *justificationis* doctrinâ, deque iis, quæ circa eam agitantur Controversiis agere in me, cum bono Deo, susceperam, post Quæstiones illas duas Præliminares (*Quis genuinus vocis Justificationis sensus?* Et *Quænam ea opera sint quibus justificationem nostram derogat Apostolus?*) fusè satis ventilatas, priusquàm ad quæstiones alias (quæ Justificationis magis speciatim spectant) accedam, liceat paulisper Doctrinam per intervallum in liberiore sacrarum Scripturum campo apricari, atque ea loca præcipuè perlustrare, quæ subsecuturis Disputationibus facem inprimis præferre poterint.

Cum verò à nobis *Justificationis* doctrinam aggressuris methodus exigat, ut ab ejus *subjecto* vel *objecto* (quod cætera præcedere solet) inciplamus quod *subjectum* verba illa Apostoli jam prælecta (πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ „ credenti in eum qui justificat impium) satis indicant; Agamus igitur cum bono Deo, & *Textum* hunc *Apostolicum* pro modulo nostro explicemus. Quod ut fæliciùs & pleniùs faciamus, non pigebit ἀκριβῶς hanc totam quinque primis hujus Capitis versibus comprehensam excutere, ejusque *Analysin* & *sensum* tam quoad verba quàm quoad Apostolicæ argumentationis mentem & sententiam, quantum Deus nobis largiri dignabitur, expromere. Sic verò incipit Apostolus.

Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν κατὰ σάρκα;

Quid ergò dicemus inveniſſe Abraham Patrem noſtrum ſecundùm carnem? Vulg.

Quid igitur dicemus Abraham noſtrum nactum eſſe ſecundùm Carnem? Beza.

v. 2. Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν.

3. Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

4. Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ ὀφείλημα.

5. Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην.

Beza quod glorietur.

Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam ſed non apud Deum.

Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & [a] reputatum eſt illi ad juſtitiam.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur [b] ſecundùm gratiam, ſed [c] ſecundùm debitum.

Ei [d] autem qui non operatur, [e] credenti autem in eum qui juſtificat impium reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei. Vulg.

a *Imputatum.*

b *Ex gratiâ*
c *Ex debito.*

d *Ei verò.*
e *Sed credit.*

Hujus θεωρίας hæc ſumma eſt. *Abraham juſtificatus fuit ex fide, non ex operibus. Ergo eodem modo juſtificantur omnes.* Hanc Concluſionem evicerat Apoſtolus Capite 3. Commate 28. argumento ex omnium tam *Gentium* quàm *Judæorum* reatu ducto, quod latè & fusè admodùm proſecutus eſt tribus antecedentibus Capitibus. Illi verò argumento hîc novum annectit, quod ab *Abrahami* exemplo & inſtantiâ petit. Ut verò rem altiùs repetam, cum Apoſtolus in hâc ſuâ de juſtificatione diſputatione (quantum mihi videtur) duo in ſe connexa & conjunctiſſima ſimul demonſtranda ac confirmanda ſibi proponit, quorum primum & præcipuum eſt, *homines juſtificari ex fide Chriſti, non ex operibus legis*, ſecundum verò *hanc juſtificationem non Judæorum propriam* eſſe, ſed & *Gentibus credentibus communem*, quòd à priore ſequitur, ſi enim ex operibus legis fuiſſet juſtificatio, tum Judæis ſolis in peculium ceſſura eſſet, quia ii ſoli antonomaſticè *ſub lege* erant Rom. 3. 19: Cum verò non fuerit *ex operibus legis*, aliis etiam præter Judæos ad eam aſſequendam jam patet aditus: Cum etiam ex fide Chriſti ſit, vel Gentes licet maximè peccatrices hujus participes eſſe poſſunt, cum 1ò. quod ad Chriſtum attinet, ille προτίθεμαι Dei fuit quod *paravit ante faciem omnium populorum*, æquè ſcilicet lumen detegendum Gentibus ac gloria populi ejus Iſraëlis Lucæ 2. 30, 31, 32. Et 2dò. quod ad ipſas Gentes attinet ipſæ ex Dei gratiâ *fide* (hujus juſtificationis conditione atque inſtrumento) jam *donatæ* erant ut conſtat ex Act. 13. 48: 15. 7: 21. 25. & ex locis aliis plurimis. At hæc duo ægerrimè tulerunt Judæi, & pertinaciter negârunt, nam ex operibus ſuis juſtificari voluerunt, atque ex iis *juſtitiam ſuam ſtabilire* ſatagebant Rom. 10. 3: Gentes verò utpote idololatricas & omni flagitiorum genere contaminatiſſimas faſtidioſiſſimè averſabantur & à gratiæ iſtius cum eis conſortio procul arcebant Act. 21. 28. Duo ergo hæc conjunctim probanda in ſe ſuſcipit Apoſtolus, *homines*, inquam, *non ex operibus legis juſtificari*,

cari, & *Gentes* etiam hujus *juſtificationis* participes eſſe. Sic Capite 3. cum verſu 28. prius illud concluſerat λογιζόμεθα γὰρ „ concludimus igitur fide ju- „ ſtificari hominem abſque operibus legis, continuò ſecundum illud addit verſibus proximè ſequentibus „ An Judæorum Deus ſolùm annon & „ Gentium? Certè & Gentium, &c. Atque eodem prorſus modo in hoc Capite prius illud (*Juſtificationem ex fide non ex operibus*) novo argumento primò confirmat octo primis verſibus, & dein verſu 9. & ſequentibus ſecundum illud aſtruit „ Iſta igitur beatificatio in Circumciſionem ſolùm, an & in „ Præputium cadit, &c. Duo ergo hæc ut priùs ità & hîc probat, ſed novo (ut dixi) argumento: at quoto apud Interpretes non adeò conſtat, an 2do. vel 3tio. vel 4to. *Pareus* hoc tertium argumentum eſſe vult, (in *Analyſi Capitis* „ duobus argumentis prioribus addens, &c.) *Beza* quartum eſſe exiſtimat. Primum ab omnium reatu ductum eſt tam Gentium Capite primo quàm Judæorum Capite 2. & 3. ad verſum 27. ſecundum ab eo quòd *gloriatio excluditur per legem fidei, non operum* Cap. 3. 27. 3°. ex eo quòd ſi ex operibus legis eſſet juſtificatio, tum *Deus Iudæorum ſolùm eſſet*, qui *ſub lege* erant, cum etiam & *Gentium Deus ſit*, quæ *fidei* æquè ac *Iudæi participes* erant Cap. 3. v. 29, 30. Quibus in hoc Capite ſuccedit quartum ab *Abrahami exemplo* petitum, eum ſcilicet *non ex operibus, ſed ex fide juſtificatum* fuiſſe, atque idcircò nos omnes. *Sic etiam Sclater in Locum.*

Ità ſcilicet diversè abeunt Sacræ Scripturæ Doctiſſimi Interpretes, dum ejus expoſitionem ac præſertim Analyſin juxta *Regulas Dialecticas*, ſeu potiùs Orationis ductum & ſeriem ſecundùm *Capitum & Commatum* (prout nunc habentur) *diviſionem* diſtinguunt & explicant. Me quod attinet, iſta hâc de re in genere & punctim dicta ſunto;

1. Piè fateor, imò profiteor ſanctiſſimum ſapientiſſimumque Dei Spiritum Sacras Scripturas ſummâ cum ratione exarâſſe, optimâque methodo ad fines ſibi propoſitos (ad fidem ſcilicet & obedientiam in nobis ingenerandam, augendam, exercendam) prudentiſſimè digeſſiſſe omnia, neque abhorruiſſe vel à *Topicis Dialecticis*, vel à variis *Syllogiſmorum* aliarumque argumentationum generibus ac Regulis, quibus ſæpiùs *Cryptice*, aliquoties integrè & *apertè* uti dignatur, contra quod *Veronius* Jeſuita non tam audacter quàm ineptè aſſerit *Scripturam nullibi vel unam ex Principiis Rationis conſequentiam continere.* Nos verò non ſolùm cum *Meiſnero Philoſophiæ Sobriæ* ad *Theologiæ* Sacrarium *aditum* concedimus, modò (monitore *Baronio*) ei *ancilletur*. Et *Vedelii Rationale Theologicum* (non quidem *Durandi Rationale Divinum*) admittimus ſed & in ipſo Sacræ Scripturæ penetrali veriſſimam ſummam rationem locatam agnoſcimus, Spiritumque ſanctum in eâ per Amanuenſes ſuos θεοπνεύστους exarandâ, ut quoad *verba* & *orationem* inſtrumenta *Grammatica* & *Rhetorica*, ità quoad eorundem *ſenſum*, contextum & ſeriem, *Logicas* etiam *argumentorum inventiones*, *axiomatum diſpoſitiones*, *ſyllogiſmorum conſequentias* ubique adhibuiſſe ultrò fatemur.

2. Quin & 2. dicimus in quibuſdam ſpeciatim Scripturæ libris præcipuè *Eriſticis* & magis *argumentativis*, præcipuè in iſtâ *Pauli* ad *Romanos* Epiſtolâ maximè omnium in iſtâ quæ prioribus ejus habetur Capitibus *de juſtificatione peccatoris diſputatione* creberrimas, continuas ferè, denſiſſimas certè nobis

occurrere logicarum *rationum*, *conſequentiarum*, *connexionum* Phalanges. Cujus vel illud ſolum clariſſimum indicium eſſe poteſt, quòd alicubi unius cujuſque Commatis initio, vel ſaltem cujuſque ferè ſecundi particulæ *connexivæ*, *illativæ*, *cauſales* & ejus generis alia occurrant. V. G. γὰρ, δὲ, εἰ δὲ, διὸ, διὸτι, ἀφ' οὗ ἄρα ἄρα ἔν, τί ἔν, ὡς, ὥστε, εἰ, εἰ δὲ, νυνὶ δὲ, ἐπειπερ, & his gemellæ ut Apoſtolus cum hanc ſcripſerit, quaſi *in Tyranni ſcholâ diſputâſſe*, & totus in Syllogiſmis eſſe videatur. Non immeritò quidem *Origenes* in hoc Caput dixit Apoſtolum non ſine *arte Dialecticâ* hîc diſſerere. Et quidem tanta, tamque concinna argumentorum, connexionum, methodi totiuſque diſputationis accuratione, ut *Beza* (idque non abs re) affirmare non vereatur „ne in illius quidem Auctoris profani libris, quantumlibet artificiosè „ac penè morosè iſtius artis præcepta ſequuti, tale exactæ methodi exem„plum extare.

In Epiſtolâ dedicat. ad Oleviani Comment. in Rom.

3. Quod ad Librorum Sacrorum in *Capita* & *Commata* diviſionem attinet, ingenioſum ſatis & utile inventum agnoſco. Quod *Balæus* [a] & [b] *Godwinus Stephano Langton* Archiepiſcopo Cantuarienſi, alii [c] *Hugoni Cardinali* acceptum ferunt, alii litem ſub Judice relinquunt. Certum tamen eſt Judæos hoc à Chriſtianis Europæis hauſiſſe, quos hâc in re *Rabbi Nathan* in Concordantiis ſuis ſe ſequi fatetur. Non quin longè antè in Veteri Teſtamento *legis* diviſionem habuerunt in *Parashoth* & *Sedarim*, ut & *Prophetarum* in *Haphteroth*; quarum priores aliqui ipſi *Moſi* tribuunt, alii ad tempora *Ezræ* referunt; de quibus præter Scriptores Judaicos ex noſtris *Mercerus*, *Buxtorfius*, *Schickardus*, *Rivetus*, *Hottingerus* aliique conſulendi ſunt. *Utile*, inquam, *inventum* eſſe fateor, cujus adminiculo Sacræ Scripturæ ſententiæ & periodi & faciliùs inveniri, & fæliciùs memoriæ mandari, quin & Narrationum atque argumentationum Periochæ, ſeries (dummodò ritè atque accuratè fiant) optimè definiri, diſtingui, adeòque & explicari poterint.

a *Centur.* 3. *p.* 275.
b *De præſul. in Steph. Langton p.* 126.
c *Genebrard Chron. p.* 644.

Ad rem tamen, quam jam in manibus habemus, hæc interim monenda ſunt

1. Hanc Librorum Sacrorum in Capita & Commata diviſionem non adeò *antiquam* eſſe, ſaltem hanc *quam jam habemus*. Fuit quidem antiquioribus Scriptoribus *alia* Capitum, Capitulorum & Titulorum diviſio, quam videre eſt apud *Sixtum Senenſem Bibliothecæ* ſuæ *Sanctæ* libro 3. Ille verò ibidem teſtatur hanc *Arithmeticam Capitum diſtinctionem recentem* eſſe, nec ante *quingentos annos* ullum ſive apud Hebræos, ſive Græcos inveniri Divinæ Scripturæ locum *numeratim citatum*, præter *Pſalmos*, quorum, ut ex Actis Apoſtolicis apparet (ubi *ſecundi Pſalmi* mentio fit Act. 13. 33.) uſque ab initio naſcentis Eccleſiæ adjectis numeris mentionem faciebant, quos numeros à LXX. Interpretibus appoſitos eſſe tradit *Hilarius*, at *ſolis Pſalmus*, non libris Scripturæ reliquis. *Elias enim Levita* * affirmat ex ſententiâ Rabbinorum „totam legem fuiſſe olim quaſi Paſuk unum, ſive unam ſententiam. Et *Cabbaliſtæ* dicunt *legem à Moſe ſcriptam* fuiſſe non ſolùm *ſine* punctis & accentibus ſed & *verſuum diſtinctionibus*, prout invenitur in multis antiquorum Bibliorum exemplaribus, & quod ad N. T. attinet in Venerandæ Antiquitatis *Claromontano* Codice, quem *Clariſſimus Beza Academiæ* noſtræ

pag. 153.

In præfat. Pſalmorum.
* *In præfat. Maſoreth.*

ſtræ dedit, in cujus *Archivis* inter κειμήλια adhuc ſervatur. Hæc ergò Sacræ Scripturæ in Capita & Commata Diviſio primò non adeo *antiqua* eſt.

2. Multo minùs *authentica* & *Divina* θεόπνευστος, ſed omninò *humana*.

3. Nec inde quis diffiteri poteſt quin aliquid *humani patiatur:* non enim aliquoties adeò *accurata* eſt, imò nonnunquam *confuſa* & *perverſa*, cum alicubi conjunctiſſima disjungit, alibi conjungit disjunctiſſima. Ipſi equidem Judæi de עֲרוֹב פָּרָשׁוֹת i.e. de *confuſione* & *commixtione Paraſcharum* ſuarum & loquuti & conqueſti ſunt, cui & medelam adhibere conatus eſt *Maimonides*, & cum eo alii. Ex noſtris nullos veſtrûm latet *Junium & Tremellium* in ſuâ Sacri Codicis Tranſlatione *vulgatam* Capitum *diſtinctionem* utpote minùs commodè inſtitutam *immutâſſe* leviter, atque (ut Rainoldus noſter rectè judicat) „ haud abſque magnâ ratione, quod & *Genevenſes* in *verſu primo Capitis Secundi Haggæi* fecerunt; nec habent *Pontificii* quod hac in re carpant, cum (quod idem *Rainoldus* monet) „ Sixtus Quintus Pontifex in „ Bibliis Vulgatæ editionis Romæ excuſis Anno 1590. diſtinctionem ver- „ ſuum in unoquoque fere Capite novam fecit, atque à prioribus omnibus „ diſcrepantem. Hoc certè oculato Lectori ſatis obvium eſt vulgatam noſtram verſuum diſtinctionem pluribus in locis valdè incongruam eſſe. Ut reliqua taceam, hujus rei guſtum vobis præbeant duo illi loci Iſa. 9. ubi primi verſûs prima illa verba כִּי לֹא מוּעָף לַאֲשֶׁר מוּצָק לָהּ „ magnâ ſenſûs perturbatione (ut doctiſſimus *Medus* noſter acutè pariter ac rectè notavit) ab ultimis præcedentis Capitis verbis divelluntur, quibus (ut ab „ Hieronymo & in Bibliis Regiis fit) conjungenda ſunt. Cui ſimile occurrit Commate primo Capitis quarti Epiſtolæ ad *Coloſſenſes*, ubi quòd de *Dominorum officiis* docet ab eo quod de *ſervorum officio* habetur in fine Capitis præcedentis quaſi vi quâdam allatâ avellitur, cui omninò conjungi debet, ut in eo *finiretur Caput tertium*, & *Caput 4tum* ritè *ordiretur* ab *officiis generalibus*, quæ jam habemus in *Commate Secundo* & ſequentibus. Aliquoties certè in hâc vulgatâ Arithmeticâ Capitum diſtinctione illud accidit, quod in *Anglicanâ* noſtrâ *Pſalmorum Rhythmicorum verſione* uſu venire ſæpiùs ſolet, ut in partes dividantur magis pro *quantitate* vel *verſuum numero æquales*, quàm pro *rerum naturâ* ſatis aptè *cohærentes*: prout *Judæi* etiam in legis *Paraſchis* ſuis legendis earum brevitatis vel longitudinis rationem habent, atque ideò earum duas breviores bis inter legendum conjunxerunt ut 54 *legis Paraſchæ quinquaginta duabus hebdomadibus* perlegerentur, atque ità ad finem anni cujuſque finiretur etiam Legis lectio. Ex hâc vero iniquâ Capitum diviſione magna oritur lectori perturbatio, cui hoc inprimis fraudi eſt, quod cum unumquodque Caput partem orationis Biblicæ diſtinctam in ſe continere autumat, à rectâ Loci *intelligentiâ* avertitur, quæ ex *continuata orationis ſerie* & præcedentis Capitis cum ſubſequente *connexione* elicitur. Hoc mihi inter Sacrum Codicem legendum ſæpiùs accidiſſe fateor, quod & vobis præmonendum non prorſus incommodum eſſe duxi, ut in unoquoque Capite legendo illud non ut avulſum à cæteris membrum attendatur, ſed ut cum toto Sacri Textûs corpore, adeòque cum præcedentibus ac ſequentibus Capitibus quaſi uno tenore legatur, vel ſaltem juxtà ponatur, ut plenior ac clarior

Gnarob Paraſhoth

De Romanæ Eccleſiæ Idolatriâ, in admonitione ad Lectorem pag. 596.

Ki Lo mugnaph laqasher mutſak lah. Ad cap. 7. Apocalyps. pag. 62, 63.

ejus intellectus habeatur, ut unumquodque corporis membrum tum optimè percipitur, cum tota reliquorum ſimul omnium compages quaſi uno intuitu ſpectatur & attenditur. Veniam dabitis, Auditores, quòd ità, dum rem illam iſtam, non prorſus (uti ſpero) veſtrâ attentione indignam vel cognitu inutilem proſequutus fuerim, aliquantò longiùs extra oleas divagatus ſim, quod tamen præſenti noſtro inſtituto hactenus inſervire vellem, ut vobis inſinuem quamvis in hoc novo *Capite novum* ad rem propoſitam probandam ab Apoſtolo producatur *argumentum*, hoc tamen ex Apoſtolicæ *orationis ſerie* duci, non ab *incertâ*, atque (ut aliquoties fit) *minus commodâ* & ab hominibus adinventâ *Capitum diviſione*.

4. Et ultimum quod inter θεολήμματα iſta dictum velim hoc eſt, quòd licet Sacra Scriptura *optimâ* utpote Divinâ *Ratione* exarata ſit, atque aliquot ſaltem ejus Libri, aliquæ præcipuè *Pauli Epiſtolæ*, & hæc *ad Romanos* præ reliquis, accuratâ admodùm methodo, atque artificioſis *conſequentiarum* ac argumentationum *connexionibus* conſtent, cautè tamen in earum *analyſi* procedendum eſt, neque in eâ digerendâ argutioribus aliquorum ingeniis laxanda fibula, utpote

Sancti Spiritûs mentis amplitudo & majeſtas anguſtis atque ſæpè tortuoſis methodorum & Ratiocinationum noſtrarum gyris pædanticè & ſerviliter ni-
Pſal. 51.12. mis minimè coarctanda eſt, nam πνεῦμα ἡγεμονικὸν eſt; *Regum* verò *loquelam Grammaticorum* ferulæ ſubdere *læſæ Majeſtatis* crimen eſt; quantò magis *Regis Regum*, Rhetorum, Dialecticorum & Methodicorum? Ipſe *liberrimus* eſt, & pro beneplacito ſuo, pro dignitate, pro Majeſtate *liberrimè* loquitur, ut & agit, omnia. *Rationem* noſtram *ſuperat*, adeòque *Ratiocinationum noſ-*
Pſal. 77.19. *trarum minutiis aſtringi* nolit. „ In mari via ejus & ſemitæ ejus in aquis amplis, neque cognoſcuntur veſtigia ejus. Hinc in exarandâ Scripturâ non tam *artis* methodum quàm *prudentiæ* ſapientiſſimè ſequitur, & Cryptſi methodi ſæpiùs utitur; ὕπερον πρότερον frequenter in ſacro Codice occurrunt, unde illud

Een mukedam umeuchar betorah. Rabbinorum decantatiſſimum אֵין מוּקְדָּם וּמְאוּחָר בַּתּוֹרָה Non eſt prius & poſterius in lege: ut qui temporum ſeriem ex hiſtoriarum Propheticarum & Evangelicarum, prout in Sacro Codice habentur, ordine judicaverit, næ illum plurimis in locis à veritate longiſſimè aberraturum neceſſe eſt.

Hinc etiam fit quod *Spiritûs Sancti Amanuenſes* non adeò *punctim* & *diſtinctè* argumenta ſua proponant, ut *Scholaſtici* & *Methodiſtæ* noſtri ſolent, ſed *Oratorio*, vel *ſoluto* potiùs dicendi genere, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι ut de Apoſtolis dixit Lucas Act. 2. 4. ſæpè etiam pro re natâ vel ad Chriſtia-
Dr. Hammond in præfat. ad Rom. norum quæſita, vel Adverſariorum objecta argumenta ipſis ſacris Amanuenſibus ſatis familiaria, at jam nobis minùs nota ſine Tranſitionum notis excurrunt, & tacitè dilabuntur. Unde inter *Canones* ad Pauli Epiſtolas me-
C. à Lapide. Cauon. 12. liùs intelligendas & interpretandas hi habentur. „ Non eſt in hiſce Epiſtolis „ requirenda ſemper & ubique connexio tam Capitum quàm ſententiarum, „ quia more Epiſtolico eas ſcripſit Paulus, quo ſcilicet amici ad amicos varia „ familiariter ſine ordine ſæpè & connexione perſcribere ſolent. „ Paulus „ frequenter ſolet tacitis objectionibus occurrere, & (ut *Hieronymus* loqui-
Canon. 9. „ tur *Epiſt.* 150.) quicquid alius objicere poteſt per ἀνθυποφορὰν antequam objiciatur

„ ciatur edisſerere. Solet etiam si fortè in argumentatione quâpiam alia ne-
„ ceſſaria inciderit quæſtio, in eam digredi, & poſtea ad præcipuum ſcopum *Canon.* 10.
„ reverti.

Hinc tam frequentia in Paulinis Epiſtolis (atque hâc inprimis) *Hyperbata*, quæ Orationis ſeriem ità abrumpunt & interturbant, ut maximum Interpretibus *Analyticis* præſertim, negotium faceſſant, atque inde variis pro vario ſuo captu & ingenio in *Expoſitione* & *Analyſi* ſuâ ut plurimùm diſcrepantia, nonnunquam contraria planè conjectandi & comminiſcendi anſam præbuerint. Sic (ut Prolegomenis hiſce nimis forſan extravagantibus finem tandem imponam; ſic, inquam,) in hoc Capite enarrando licet omnes novum argumentum hîc ab Apoſtolo adductum agnoſcant, aliqui tamen (uti diximus) illud 3tium. alii 4tum. eſſe volunt. Quod ad me ſpectat, ego *ſecundum* potiùs eſſe exiſtimo.

At à quo Rerum vel Topicorum Capite, hoc ſecundum novum deſumitur Argumentum diſpiciendum eſt.

Primò illud annotârunt aliqui, quod cùm Apoſtolus Cap. 3. 21. dixiſſet *Piſcator. Pareus.*
„ juſtitiam Dei ſine lege teſtificatam eſſe à lege & Prophetis, utrumque hoc
„ jam confirmat tam exemplo *Abrahami* v. 3. ex teſtimonio deſumpto
ex libro *Geneſeos* qui primus תורה vel *legis* propriè dictæ liber eſt quàm *Thorah.*
teſtimonio *Davidis* v. 6, 7, 8. ex libro *Pſalmorum* adducto, qui inter *Prophetas* numeratur. Neque hoc ἀπροσδιόνυσον, ut in ſe verum & ſolidum, ità neque ab Apoſtoli inſtituto, vel orationis ſerie alienum.

Secundò neque illud *Aquinatis* prætereundum, qui inter alia, quæ ad Apoſtolicæ Diſputationis progreſſum explicandum adhibet, hæc habet
„ Retudit (Apoſtolus) Judæorum gloriationem ex lege Capite 3. jam ex
„ circumciſione.

Tertiò. Aliqui hunc potiùs argumentationis Apoſtolicæ proceſſum eſſe malunt, in priori argumento (Capitibus tribus antecedentibus habito) Paulum probâſſe neminem juſtificari ex *operibus ſine fide factis*, vel *Gentium* Cap. 1. vel *Judæorum infidelium* Cap. 2. & 3. vel ex *operibus in genere*: nunc verò hoc in Capite ne quidem ex *operibus poſt fidem* vel *ex fide factis*, qualia *Abrahami* opera fuerunt, de quibus hîc loquitur. Quod an juxta Apoſtoli mentem argumentum hoc novum formaliter conſtituat affirmare non auſim; ſatis probabile eſſe incunctanter dixerim. Et quòd iſta opera ex fide prodeuntia ab Apoſtolo in hâc Diſputatione ſuâ præſertim in hoc Capite à juſtificatione excludantur, ſatis anteà contra *Pontificios* probare conatus ſum. Neque ab hâc conjecturâ alludit illud *Chryſoſtomi* in hunc locum ubi hæc *Chryſoſt. in Rom.* 4. 1.
habet, ὥσπερ ὦν ἀφειμένα νίκης πολλῆς. τὸ μὲν γὰρ ἔργα μὴ ἔχοντα ἐκ πίστεως δικαιωθῆναί τινα οὐδὲν ἀπεικός. τὸ δὲ καμόντα ἐν κατορθώμασι μὴ ἀνυπεύθυνα, ἀλλ' ἀπὸ πίστεως μόνης δίκαιον, τῆς ὦν θαυμαστόν. Sed

Quartò & ultimò Illud præ cæteris maximè genuinum videtur, quod & plures ſequuntur: quòd prius argumentum à *ratione* deſumptum fuit, hoc novum ab *exemplo*. In priori argumento probaverat omnes tam *Gentiles* quàm *Judæos violatæ legis reos* fuiſſe, adeòque ex lege morti & condemnationi obnoxios, atque ideò ex *operibus legis* neutiquam *juſtificandos*: in

hoc,

hoc, *exemplum* adduxit, idque maximè eximium, *Abrahami* ſcilicet, de quo inprimis *gloriabantur Judæi*, quem ex operibus ſuis juſtificari minimè dubitârunt, atque contra (quàm aſſerebat Apoſtolus) *ex fide ſine operibus* juſtificationem objectare paratiſſimi erant. At contra Apoſtolus hoc ipſum *Abrahami* exemplum in *eos retorquet*, atque ità eos ſuo ipſorum enſe jugulat.

Pareus. *Exempla* enim in genere rem valde *illuſtrare* ſolent, & ſi paria & accommoda ſunt multùm *confirmant*, quia *quantò evidentiora* ſunt, *tantò efficaciùs* vel ipſos *ſenſus convincunt*. Hoc enim Exemplorum proprium eſt, ut *P. Martyr. Bucer.* rem manifeſtiſſimè ob oculos ponant. Quia igitur vera & dilucida docendi ratio hujuſmodi exempla poſcit, ideò non immeritò, imò admodum prudenter Apoſtolus hanc viam inire & methodi causâ doctrinam univerſalem priùs traditam exemplo particulari illuſtrare, eique inter argumenta reliqua primum locum tribuit; quod quidem argumentandi genus ut nobis frequentiſſimum eſt, ità Prophetæ, Chriſtus & ejus Apoſtoli multotics uſi ſunt, & Apoſtolus hîc quidem exemplo nobiliſſimo, &, cum *Abrahami* ſit, ad Judæos convincendos efficaciſſimo. Hinc etiam fit quòd hoc Abrahami exemplum (ut aliqui diligenter obſervârunt) in iſtâ de juſtificatione Diſputatione) ſemel à *Jacobo* Apoſtolo, at ter à *Paulo* adducatur. Atque argumentum ab eo petitum hoc modo inſtituitur, Quâ ratione *Abrahamus pater omnium credentium juſtificatus* eſt, *eâdem* quoque oportet *filios* ipſius i. e. *omnes credentes juſtificari*. At *Abrahamus* nullis ipſius *fidem* in Chriſtum ipſi promiſſum nec *præcedentibus* nec *ſubſequentibus operibus* ſuis *juſtificatus* fuit, ſed *ſolâ in Chriſtum fide* ipſi ad juſtitiam imputatâ. Ergo & ſimiliter *filii* ejus omnes: ſic fuſiùs *Beza* in ſuâ Analyſi vel contractiùs (ſi placet) ſic, idem eſt modus juſtificationis Abrahami, & omnium ſalvandorum: ſed Abrahamus non ex operibus, ſed ex fide juſtificatus fuit, ergo eodem modo omnes fideles ſalvandi reliqui. Hæc in genere ſumma eſt eorum omnium, quæ quinque his primis Capitis iſtius verſibus continentur, quæ non ſine ſummo artificio in ſingulis verſibus digeruntur, explicantur & probantur.

Pareus.

Argumentum Apoſtoli eſt, Abraham juſtificabatur ex gratiâ per fidem quià credidit Deo juſtificanti impium, non autem quòd ſuo Marte operatus ſit, vel operibus juſtitiam commeritus eſt. Ergo & nos peccatores juſtificat ſimiliter Deus, non ex operibus noſtris, ſed per fidem. Quod enim à Deo habetur, non meritum eſt. Corn. à Lapide in Rom. 4. 5. ad finem.

Obj. Sed priuſquàm ad horum omnium texturam magis ſigillatim perpendam accedamus, amolienda primò eſt *objectio*, quæ contra Apoſtoli argumentum hoc inſtitui poteſt. Malè enim argumentari videtur, & contra *Dialecticorum* Regulas; Nam ſecundùm eas à *particulari* ad *univerſale*, à *ſpecie* ad *genus*, vel ab *individuo* ad *ſpeciem* mala eſt argumentatio, vel *negativè*, exempli gratiâ *Chorœbus non eſt doctus*, *Ergo nullus homo eſt doctus*, vel *affirmative*, ut *Socrates eſt doctus*. *Ergo omnis homo eſt doctus*. Quantò ergo meliùs hîc diſputat Apoſtolus, *Abrahamus fide, non ex operibus legis juſtificatus eſt*. *Ergo omnis fidelis ſervandus* eodem *modo juſtificatur*?

Sol. Sed *facilis* hujus objectionis ex principiis tam *Dialecticis* quàm *Theologicis ſolutio* eſt.

Quod ad *logica* attinet, ut *propria conveniunt* per ſe *immediatè* & *primariò ſpeciebus*, ut riſibilitas homini, *accidentia* verò conveniunt *ſpeciebus mediatè* gratiâ *Individuorum*, quibus primò competunt; ut doctrina & eruditio *Socrati*, *Platoni*, & reliquis viris doctis in individuo: Sic etiam

quæ

quæ de Individuis prædicantur duplicis ſunt generis; vel quæ *Individuis, quà talibus primò* conveniunt, qualia illa fuerunt priùs dicta accidentia, ut doctrina, virtus, divitiæ vel hujuſmodi alia; vel quæ *primariò generi* vel *ſpeciei* inſunt & conveniunt, & ab his communicantur Individuis ut ſenſus, ratio, riſibilitas, & ejus generis reliqua. Jam verò ſi de prioribus illis ſermo ſit, de accidentibus ſcilicet *individualibus*, quæ individuis aliquibus *quà talibus* conveniunt, non ea propter ad alia Individua omnia, vel ad totam ſpeciem, vel univerſum genus extendi poſſunt, ut ſi *Socrates quà talis doctus* ſit, non inde ſequitur *Choræbum*, *Therſiten*, vel illis ſimiles, vel *omnes* in univerſum homines *doctos* eſſe, imò è contra hinc ſuaderi poterit, quod οἱ πολλοὶ, quod aliqui, quòd plurimi indocti ſint, quia *Socrates*, *Plato*, & pauci alii ità probè vel nati vel inſtituti hoc elogio & privilegio gaudeant ut pro *doctis* habeantur. Si verò de iis Individuorum attributis loquimur, quæ ipſis inſunt non immediatè, ſed *à genere* vel *ſpecie ipſis communicantur*, & ipſam *ſpecificam*, vel *genericam naturam* vel intimè *conſtituunt* vel *neceſſariò ſequuntur* aut concomitantur, tum ab *individuis aliquibus*, imò vel ab *unico* aliquo *individuo* ad totam *ſpeciem*, adeòque ad *omnia individua* reliqua eandem ſpecificam eſſentiam participantia rectiſſimè & valideſſimè argumentari & concludere poſſumus. Ut quamvis ex eo quod *Socrates doctus* ſit non poſſumus concludere *Choræbum* & *omnes* homines *doctos* itidem eſſe; at ex hoc quod *Socrates rationalis* vel *riſibilis* ſit, *omnes* omninò *homines rationales* & *riſibiles* eſſe rectè inferre poſſumus, utpote quod *Socrates* rationalis ſit non quà *Socrates*, ſed *quà homo* eſt, ideòque omnes qui homines ſunt, neceſſariò rationales ſunt, quia *à Quatenus ad Omne valet Conſequentia*. At ſic ſe res hîc habet. Si enim *ex fide juſtificari* attributum fuiſſet Individuale *Abrahami* quà *Abrahami*, & ipſi ſoli proprium, tum peſſimè ab ejus exemplo ad reliquos omnes concluderet Apoſtolus. Cum verò hoc *eſſentiale* & *ſpecificum* ſit, ipſamque juſtificationis *naturam & eſſentiam* intimè pertingat, (prout mox conſtabit) ſanè ab *Abrahamo* ad *omnes* ſimiliter *juſtificandos* cum bonâ *Dialecticorum* veniâ optimè valet argumentatio.

Quod ex Principiis *Theologicis* magis adhuc conſtabit, ubi ſemel ex iis argumentum hoc Apoſtoli *à Pari*, imò *à fortiori* rectiſſimè deſumptum eſſe conſtiterit.

Et primò *ſimilis* omninò & *par* eſt (quod ad juſtificationis modum attinet) omnium juſtificandorum via & Ratio, tam in *Re*, quàm in *Perſonâ*. 1. *à Pari.*

1. Quoad Rem, quia una, eademque omnium juſtificandorum via eſt ſub *lege* & *Evangelio*, tam *Abrahami*, quàm *filiorum* ejus *omnium*, ſive *Judæorum* ſive *Gentilium*, ubi verò omnium eadem ratio eſt, eorum quoad hoc nulla differentia eſſe poteſt, quin ex uno argumentari poſſimus ad omnes, ut in Parabolâ operariorum ab eo quod *quivis recepit*, quid & *reliqui* omnes *receperint*, in proclivi eſt colligere, cum merces una omnium erat, dum *ſinguli denarium acceperint*. At hîc etiam una omnium ratio eſt. *Clemens Alexandrinus* * *Judæos* per *Legem*, *Gentes* per *Philoſophiam juſtificatos* fuiſſe dicit. *Libertini* etiam diverſos juſtificandi modos, diverſas in cœlum ſcalas fabricârunt, *Gentibus* aliam, aliam *Judæis*, aliam denique *Matth.20.9*

Α'νὰ δηνάριον.

* *Strum.l.6.*

Spanhem.diſput.Theol. parte 1.pag. 280.f.23.

Chriſtianis. Nobis tamen meliùs à Sacrâ Scripturâ inſtitutis unus Dominus,
Epheſ. 4.5. *una fides eſt*, & quæ creditur, & quâ credimus juſtificari omnes; Aliâ licet fuerint ſub Veteri Teſtamento, alia ſub Novo *Sacramenta* & Symbola externa, *idem* tamen utrobique *Chriſtus*, *eadem* ejuſdem *juſtitia*, *eadem* (quoad ſubſtantiam) in eundem *fides*, quibus illi & nos juſtitiam & vitam conſequimur, atteſtante *Petro* Act. 15. 8, 9. „ dans illis Spiritum „ Sanctum, ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos, fide purifi- „ cans corda eorum, ut & *Paulo* Rom. 3. 25. „ quem Deus propoſuit „ placamentum per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ
Vide Bez. am. L. de Dieu. Grotium. „ propter remiſſionem τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων præcedentium peccatorum (hoc eſt τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων ut vocantur Heb. 9. 15.) de peccatis enim fidelium *ſub lege* & *ante Chriſtum exhibitum* ibi loquitur Apoſtolus, ut rectiſſimè *Beza*, *L. de Dieu* & alii judicârunt, & ex oppoſitione illâ ἐν τῷ νῦν καιρῷ Commate ſequente factâ ſatis conſtat. Per *idem* ergo *placamentum*, per *eundem* *Chriſtum* qui verum & unicum ἱλαστήριον fuit, *eâdem* etiam mediante *fide* expiantur & τὰ προγεγονότα ἁμαρτήματα illa *Patrum ante Chriſtum*, & τὰ παρόντα *noſtrûm* omnium ſub *Evangelio*. Sed de hâc re plura forſan ſuo loco dicturus ſum. Præſenti inſtituto ſufficit, quòd eadem *Abrahami* & *noſtrûm* omnium *juſtificandorum via* ſit, atque ità *quoad Rem* par Ratio.

2. Etiam & quoad *perſonam*, eamque vel *juſtificantem*, vel *juſtificatam*.

Quod ad *perſonam juſtificantem* (Deum ſcilicet) ſpectat, plura ei inſunt, quæ eum eundem modum *juſtificandi* Abrahamum & reliquos omnes ſervare facilè perſuadere poſſunt.

1. Quòd *unus idemque Deus* ſit, ac proinde cum varii homines circa rem eandem in diverſa abire poterint, ipſe unus, idemque Deus à *ſeipſo diſſentire nequit*. Agnoſco quidem unum eundemque Deum per πολυποίκιλον σοφίαν
Heb. 1. 1. ſuam rem eandem ut πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως notam facere, ità & multifariàm ſine ullo unitatis ſuæ diſpendio perficere potuiſſe, ideòque ab hoc *puncto rationis* prorſus abſtinuiſſem, niſi quòd ipſe Apoſtolus id ad hoc idem probandum adhibuiſſet, atque hâc in re ad unitatem Dei provocâſſet Rom. 3. 30. „ Siquidem unus Deus eſt qui juſtificat Circumciſionem ἐκ πίστεως ex fide, & Præputium διὰ τῆς πίστεως per fidem. Ubi unam & *eandem* tam *Iudæos* quàm *Gentes juſtificandi rationem* ex *Dei* juſtificantis *unitate* vel probat, vel ſaltem illuſtrat.

Obj. Si verò objiciatur eo ipſo in loco *diſcrimen* poni inter *juſtificationem Iudæorum* & *Gentium*, illam nimirum eſſe ἐκ πίστεως, hanc διὰ πίστεως.

Sol. Reſpondeo

1. *Burgenſem* quidem conari diſcrimen aliquod ponere inter juſtificationem *ex fide* & *per fidem*, & longe ante eum *Origenem* ſenſiſſe non ſuperfluam apud Deum haberi iſtam Præpoſitionum commutationem, ideòque neque à nobis otiosè prætereundam: ut nec in aliis locis, ubi hæ duæ præpoſitiones ἐκ & διὰ quoad ſenſum diſtingui videntur. Exempli gratiâ in illo Rom. 11. 36. „ Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia & in illo. 1 Cor. 11. 8, 9. „ mulier ex viro, & vir per mulierem: ad cujus rei ſolutionem, cum præ-

poſitio

poſitio ἐκ vel ἐξ *primariam & principalem cauſam* denotare ipſi videtur ἀλλ' verò *cauſam ſequentem & ſubminiſtrantem*, ideò *Judæos* ἐκ πίστεως juſtificari, quia *primo loco & ordine* juſtificabuntur, *Gentes* verò ἀλλὰ πίστεως quia *ſecundo loco* ad juſtificationem trahebantur. Hæc ille pro ſolito ſuo curioſè & argutulè, ut ea quæ mox addit, (quod „ qui *ex fide* juſtificantur, „ initio ex fide ſumpto per adimpletionem bonorum operum conſummantur, & qui *per fidem* juſtificantur à bonis operibus exorſi per fidem ſummam perfectionis accipiunt) vel ipſo fatente curioſa ſunt, reverâ pernicioſiſſima. & *Pelagii* αἱρέσεως. *Calvinus* etiam aliam harum phraſium differentiam dari poſſe ſubinnuit, juſtificari Judæos *ex fide*, quia naſcuntur gratiæ hæredes, dum jus Adoptionis à Patribus ad eos tranſmittitur, Gentes verò *per fidem*, quia his adventitium eſt fœdus, prout in Annotationibus Anglicanis tale quid occurrit, „ Judæos ſcilicet *ex fide* juſtificatos „ eſſe, quòd licet aliis donis & gratiis ornati erant, eorum fidem tamen ſolam reſpexit Deus, ex quâ eos in gratiam reciperet; Gentes verò *per* „ *fidem*, quia cum in ſe impiæ fuerint, per fidem quaſi in novum ſtatum „ ſpiritualem tranſierunt.

Sed hîc valet illud *Auguſtini* de *Spirit. & literâ cap.* 29. „ Ex fide & per fi„ dem non ad aliquam differentiam dictum eſt, ſed ad varietatem locutionis. Quem in hoc ſequuntur communiter Interpretes. Nam juſtificari *fide*, ex *fide*, & *per fidem* in totâ iſtâ Paulinâ diſputatione paſſim & ubique pro eodem ſumuntur. Et contrà *Judæos* non ſolùm *ex fide*, ſed & *per fidem* juſtificari legimus Gal. 2. 16. ut & *Gentes* non ſolùm *per fidem*, ſed etiam *ex fide* Gal. 3. 8, 14. ut arguta nimis & planè curioſa ſit Phraſium iſtarum hoc in loco diſtinctio, quin & propoſito Apoſtoli omninò contraria, qui in eo hîc eſt ut *omnium juſtificandorum* tam *Judæorum* quàm *Gentium rationem unam* atque *eandem* prorſus aſſereret: quidni ergo diſtinctionem hanc & *perniciosam* dicam? utpote doctrinæ Evangelicæ corruptivam, ut & pacis Eccleſiæ. Quantas enim turbas dederit ſimilis planè ipſiſſimarum harum Præpoſitionum contradiſtinctio dum Romani vel *Occidentales Spiritum Sanctum* adeò acriter contenderint ex *Patre & Filio* procedere, *Græci* contra ex *Patre* per *Filium*? At Nos miſſis his argutiis hanc Phraſium hoc in loco varietatem magis ſobriè & tutò vel cum *Auguſtino* referamus ad *varietatem locutionis*. Videtur enim ex *Calvini* ſententiâ oblectatus Apoſtolus varietate ſermonis in eâdem re indicandâ, vel cum P. *Martyre* ad *rei exaggerationem*, nimirum ut vehementiùs atque efficaciùs ſic aſſereret Apoſtolus univerſam cum Judæorum tum Gentium juſtificationem tantùm fide niti. Prout in illo Rom. 11. loco ab *Origene* ad ſuum figmentum ſtabiliendum temerariè & (ut ipſe ſaltem eum explicat) periculoſè ſatis adducto, ubi de Deo dicitur *ex ipſo & per ipſum ſunt omnia*, Phraſi utrâque ſignificare voluit Apoſtolus Deum ὅλως, ὅλην, ὁλόκληρον rerum omnium eſſe Authorem. Niſi etiam illud *Calvini* in locum (quem in hoc ſequitur *Diodatus*) ultimò addamus Apoſtolum ſermonem ſuum ità leviter variâſſe ut *Judæorum* ſtultitiam obiter perſtringeret, qui diſcrimen inter ſe & *Gentes* comminiſcebantur, quum in causâ juſtificationis nihil prorſus differrent. Si enim *ſolâ fide* fiunt homines hujus gratiæ compotes, *fides* autem in utriſque eſt *eadem*,

Beza. Piſcator. Pareus. Hyperius. Grotius. P. Martyr. Calvinus.

Pareus in Rom. 3. 30.

In Notis Italicis.

ridiculum eſt in tantâ *ſimilitudine* facere *diſſidium*. Itaque ſubeſſe in verbis *Ironiam* judicat, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, ſi quis vult habere differentiam Gentilis à Judæo hanc habeat quòd ille *per fidem*, hic verò *ex fide* juſtitiam conſequitur.

Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, ut huic loco lucem aliquam obitur fœneremur, veniam, ſpero, facilè dabitis breviculæ huic orationis noſtræ excurſioni. In viam redeo. *Par Abrahami* & reliquorum omnium *juſtificandorum ratio quoad perſonam juſtificantem*, Deum, qui unus eſt.

Hu beechad Bidbar echad.

2. Et *in uno* הוּא בְאֶחָד ut *Job* loquitur Cap. 23. 13. hoc eſt בִּדְבַר אֶחָד Interprete doctiſſimo *Mercero*, in unâ re, uno propoſito & ſententiâ utpote ſemper idem & ſibi conſtans de quâ non adeò eſſentiæ quàm propoſiti ſui unitate locutum fuiſſe *Paulum* in mox explicato ad Romanos loco docent Interpretes. Cum enim homines verſatili ſæpe numerò & deſultorio adeò ſunt ingenio, ut quæ ipſis aliquando conſultiſſima fuerint, pro eventuum futurorum, ſæpè adverſorum, ignorantiâ, & plerunque inconſtantiâ ſuâ refigant, apud *Patrem Luminum* παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, cum & omnipotentiſſimus ſit, & omnium præſcius, hinc idem ſemper vult ipſe ſemper idem. Præſertim *Jac. 1. 17.*

3. Si *eundem agendi* vel rem aliquam efficiendi *modum* ex *decreto* ſuo eſſe voluit, quod hîc obtinet, *Abrahamum* ſcilicet & *filios* ſuos *omnes* tam *Judæos* quàm *Gentiles eâdem ratione* & viâ *juſtificandi*, ex *ſolâ fide* ſcilicet. Hinc Apoſtolus hâc in re ad Dei προόρασιν aſſurgit, προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ „ Quum prævidiſſet Scriptura Deum ex fide juſtificaturum Gentes Gal. 3. 8. prout eâdem fide priùs juſtificâſſet Abrahamum v. 6. ac proinde omnes ejus filios v. 7. Ergo quoad eſſentiæ Dei unitatem, voluntatis conſtantiam, Decreti etiam ſui hâc de re immutabilitatem Abrahami & omnium juſtificandorum par omninò eſt ratio, ſaltem *quoad perſonam juſtificantem.*

Quin & quoad *perſonas juſtificandas*, *Abrahamum* nimirum, & *fideles reliquos* omnes.

1. Quia *eadem* eſt omnium *naturæ pravitas*, & *benè operandi*, ut inde *juſtificentur*, *impotentia*. Rom. 3. 23. & 8. 3, 4.

2. Quia Apoſtolus hoc in loco *Abrahamum* non ſimpliciter proponit tanquam unum ex fidelium numero, ſed ut *Eccleſiæ Patrem*. Sic enim conſultò & ſignanter dixit Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, ut meritò à *Patre* ad *filios* argumentetur. Ex *naturâ Correlatorum* Patris & filiorum, quorum idem ad hæreditatem jus, & una eandem adeundi via & ratio. Ex hoc ſcilicet unius *Abrahami* inter omnes patres ſelecti exemplo conſtituit Apoſtolus concluſionem elicere, quâ omnes & ſinguli credentes neceſſariò comprehendantur. Eo quòd *Abrahamus* quaſi *forma* & *typus* erat reliquorum. Sic optimè *Calvinus* „ multis aliis in rebus non ſufficeret exemplum ad communem „ regulam, ſed quia in perſonâ Abrahæ ſpeculum vel exemplar juſtitiæ „ quæ ad totam Eccleſiam communiter pertinet, propoſitum fuit, meritò „ Paulus quod de illo uno ſcriptum eſt ad totum Eccleſiæ corpus accommodat.

Beza. *Pareus.* *Adam Sasbout.*

Sed

Sed adhuc majus eſt, & huic cauſæ accommodatius quòd (ut modò dixi eum hîc *Patrem noſtrum* datâ operâ vocat & vocem hanc ſæpiùs hoc *Capite* repetit. Quinquies enim hîc occurrit. *Patrem*, inquàm *noſtrum* vocat, non *Judæorum* ſolùm v. 12. ſed *omnium credentium* v. 11. *noſtrûm omnium* v. 16. *multarum Nationum* v. 18. Hoc verò quod *Pater noſter* & *omnium fidelium* ſit, non ſolùm *correlationem* in ſe continet, unde *paritatem rationis* quoad *juſtificationem* priùs deduximus: ſed & hoc inſuper dicit quod ſub Chriſto & ſuo modo *caput fœderis gratiæ fuit*, quod ſub ipſo licet, æquè tamen cum *eo* & cum *toto Semine* ſuo percuſſum erat ſecundùm illud Geneſ. 17. 7. „ Stabilio fœdus meum inter me & te, ac ſemen tuum poſt te per „ ætates ſuas, ut fœdus ſit perpetuum, me eſſe tibi Deum & ſemini tuo poſt te. Unde quamvis Sanctus *Lucas* in *Chriſti* Genealogiâ ſuâ uſque ad *Adamum* (qui primus hominum fuit) progrediatur, *Matthæus* tamen in ſuâ non ſupra *Abrahamum* aſſurgit, utpote præ reliquis *patrem fidelium*, cui Fœdus Gratiæ magis ſolenniter & ſpecialiter renovatum fuit, & in eo toti ſuo ſemini. Quod quidem *Adamo* in illo πρώτῳ εὐαγγελίῳ Gen. 3. 15. primò revelatum fuit, tamen quia ille quaſi *caput Fœderis Operum* fuit, ex ejus violatione nobis quaſi *pater peccati & mortis* extitit, atque eo nomine *Chriſto* opponitur in illuſtri illâ Adami & Chriſti collatione Rom 5. Et quidem Chriſtus propriè *Secundi Fœderis caput* eſt, & *Pater* futuri *ſæculi*, quia tamen quoad revelationem magis ſolennem, & Sacramentalem ejus *obſignationem* cum *Abrahamo* primùm ſancitum fuit, ille ſuo ordine & loco ejus *caput*, & *fidelium pater* dicitur. Unde etiam Rom. 11. *radix* & *vera olea* dicitur, in quam *defractis Judæis*, *nos Gentes* jam *inſerimur*, & *participes radicis & pinguedinis oleæ efficimur*, ejuſdem ſcilicet *gratiæ*, quam ipſe *Abrahamus* tanquam in *radice* habuit. Fuit igitur inſtar *radicis* & *capitis*. Quemadmodum igitur Author ad Hebræos Cap. 13. 5, 6. *idem promiſſum omnibus fidelibus* communicat quod *Joshuæ* factum fuit Cap. 1. 5. nimirum quatenus *Joshua Chriſti Typus* erat, in quo omnes Dei promiſſiones ſunt *Etiam* & *Amen*: Ità etiam ſimile dici poteſt ſuo modo & ordine de *Abrahamo*, cum *quo Deus fœdus ſuum pepigit*, idque non *ſuo* ſolùm nomine, ſed univerſi *ſeminis* ejus, ejuſdem numero fœderis & gratiæ participis; atque ideò Apoſtolus hoc in loco à modo quo *Abrahamus* juſtificabatur legitimè & validiſſimè colligit eandem prorſus eſſe *noſtrûm omnium juſtificandorum* rationem, ſiquidem non enim ſolum ſpectavit, ſed fideles omnes, quod diſertè aſtruit Apoſtolus hujus Capitis v. 23, 24. „ Non ſcriptum eſt autem „ propter eum ſolum quòd hoc imputatum fuerat ei, ſed etiam propter nos, „ quibus futurum eſt ut imputetur, iis nimirum qui credunt &c. Cum par ergò utrinque ſit ratio, à *pari* optimè deducitur hoc argumentum Apoſtoli.

v. 1, 11, 12, 16, 18.

Isai 9. 6.

v. 16, 17, 18.

2 Cor. 1. 20.

Imò 2. longè optimè, cum non ſolùm *à pari* ducatur, ſed & *à fortiori*: acſi dixiſſet Apoſtolus, ſi ipſe *Abrahamus* ſolâ fide juſtificatus fuit, tum *multò potiùs nos* omnes. 2 *à fortiori*

A *fortiori* inquam, idque & *quoad rem* & *quoad hominem*. 1. *quoad Rem*; quia *Abrahamus* re verâ præ reliquis vir Dei *ſanctiſſimus* erat, præclariſſimis virtutibus inſtructus, & opera præſtantiſſima exeruit, quem

idcircò Scriptura tanquam egregiè juſtum deſcribit atque in exemplum juſti-
Eſtius. tiæ nobis proponit, ut ſi quiſquam mortalium operibus juſtificandus eſſet,
Pareus. tum ipſe inprimis præ reliquis, quæ etiam vis eſt hujus Interrogationis.
„ Quid autem dicemus patrem noſtrum *Abrahamum* inveniſſe? Siquis
alius, tum iſte præſertim ex operum merito mercedem poſtulaſſet, non
mendicè & gratis dono accepiſſet. Si ergò ne *Abrahamus talis tantus* ex
operibus juſtificari potuit, tum *multò minùs nos imbecilli* & longè inferiores
reliqui, imò omninò nulli. Sic *Chryſoſtomus* in locum ὅσῳ γὰρ μείζων ἡ ἀρετὴ τῆς νίκης πολλῆς, &c. μὴ γάρ μοι τὸ Ἰουδαῖον εἴπῃς, φησὶ, μηδὲ τὸ δεῖνα, καὶ τὸ δεῖνα ἀναγκὴ εἰς μέσον, ἐγὼ γὰρ ἐπὶ τοῦτο κορυφαῖον ἀπαίντων, καὶ ὅθεν ἡ ἀφετομὴ τοῦ ἀρχαίου ἔλαβεν ἄνεσιν. Et ſic etiam ejus ſequax *Theophylactus* καὶ ὅλως ὁ Ἀβραὰμ τοῦτο μειζόνως (magis & à majore) δείκνυσιν ὅτι οὐδὲ ἔστιν ὁ τὰ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα κατορθώσας ἐδικαιώθη ἐκ τῶν ἔργων, ἀλλ' ἐκ τῆς πίστεως. Jam verò ſi *Abrahamus* ipſe non operibus vel aliâ ratione quàm *fide* juſtificari potuit, nequis ipſius *Poſterorum* aliunde vel ex operibus ſuis ſalutem expectet, niſi quod ipſe *Hercules* nequivit *Pygmæus* aliquis ſe effectum dare & ſuperare ſperaverit. Firmiſſimum ergò hoc eſt argumentum à *majori* vel *fortiori* primò *quoad* rem.

2. *Quoad hominem*, contra *Judæos* ſcilicet, quos inter reliquos Apoſtolus hâc in causâ ſibi adverſarios habuit. Non enim *Abrahamus major* (minor potiùs) *in ſe*, ſibi ſaltem erat, quàm à *Judæis* vulgò habebatur. ὡφελεῖ τοὺς Ἰουδαίους πρόφρων dixit *Theophylactus*. Tanta ſiquidem ejus apud eos veneratio
P. Martyr. fuit, & penè ἀποθέωσις, ut vel beatorum locus *Abrahæ ſinus* ab eis vulgò dictus ſit. Certè de ipſo maximè omniùm gloriabantur Matth. 3. 9. Johan. 8. 39. & cum exemplum *juſtificationis* exhibere vellent, hujus authoritati præcipuè nitebantur: ut ſi ne *ipſum* ex operibus juſtificari poſſe ſemel conſtiterit, res tota confecta eſſet, nec ultrà hiſcere auſi fuiſſent, multò minùs *ſibi ipſis* vel aliis *arrogare* à quo ipſe κορυφαῖος defecerit. Non minùs *prudenter* quàm *fortiter* coarguit Apoſtolus, neque efficaciori argumento eos movere & com-
Hyperius. peſcere potuit, quàm hoc ab *Abrahami* exemplo ducto. Optimè *Calvinus* in locum „ Perſtringit Judæos, quibus ad gloriandum nil erat magis plauſi-
„ bile quàm ſe jactare Abrahæ filios; ſibi verò plus ſanctitatis, quàm
„ Sancto Patriarchæ tribuere nunquam auſi eſſent. Nunc ubi conſtat gra-
„ tis juſtificatum fuiſſe illum, poſteros ejus, qui ſibi propriam juſtitiam ex
„ lege arrogant pudore victos obmuteſcere neceſſe eſt. Sic etiam *Ambroſius*
„ Quomodo ergo Judæi per opera legis juſtificari ſe putant juſtificatione A-
„ brahæ, cum vident Abraham non ex operibus legis, ſed fide juſtificari?

Ex his adeò fusè dictis objectioni prædictæ ſatis reſponſum eſt, & argumento huic Apoſtolico licet ex particulari exemplo ad generale dogma ſtabiliendum ducto ſatis validum ſubſtrui fundamentum abundè conſtat.

Reſtat (antequam ad ſingula Commata explicanda accedamus) ut in totius Perioches *Analyſi* quomodo quâque arte ſuper hoc immoto fundamento Apoſtolus hoc ſuum argumentum extruat diſpiciamus.

Summa totius hæc eſt *Abrahamus non eſt juſtificatus ex operibus, ſed fide* ſolâ. *Ergo & nos omnes.* Antecedens Rhetoricè affirmatur v. 1. „ Quid
„ igitur dicemus Abrahamum patrem noſtrum inveniſſe ſecundùm carnem?

Proba-

Probatur & confirmatur quatuor ſequentibus. Cujus probationis ut & quatuor horum verſuum ſummam in hunc unum Syllogiſmum compingit *Piſcator*. „ Quod datur pro operibus, id non imputatur ex gratiâ (hoc verſu 4. „ habetur) ſed juſtitiæ laus imputata Abrahamo fuit ex gratiâ verſu 3. „ Ergo non ei data fuit pro operibus verſu 2. Propoſitionem verò illuſtrat „ antitheſi contrariorum verſu 5. Hæc ille. Rectè quidem, ità tamen ut Textûs Apoſtolici ſeriem nimis invertere & convolvere videatur, adeòque implicatiùs ut & *Pareus* in ſuâ hujus Loci Analyſi quæ ſic ſe habet. „ Propoſitio probanda eſt Abrahamum non operibus, ſed fide juſtificatum „ eſſe, cujus „ prior pars, *non operibus*, probatur 1. à negatione effectûs ad negationem cauſæ, ſi operibus juſtificatus eſſet, haberet materiam gloriandi coràm Deo, ſed non habet v. 2. 2. à Correlatis, operanti merces datur ex debito, non ex gratiâ v. 4. Sed Abrahæ non data „ eſt ex debito, ſed imputata ex gratiâ. v. 3. Quid enim Scriptura dicit? „ Credidit autem Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam. Ubi „ miſcetur etiam probatio partis poſterioris quòd Abraham fide ſit juſtificatus. „ Cujus probatio etiam eſt gemina. 1. Diſerto teſtimonio Scripturæ Geneſ. 15. 6. Quid enim dicit Scriptura? Credidit autem, &c. „ 2. à negatione contrarii priùs probati, Ei qui non operatur, hoc eſt, qui „ non quærit operibus juſtificari, ſed credit in eum qui juſtificat impium „ fides imputatur pro juſtitiâ. v. 5. At Abraham non operibus quæſivit juſtificari quod intelligitur ex v. 4. ſed ex fide, quod probatur v. 3. „ Ergo fides ei imputabatur ad juſtitiam. Atque ſic tandem concludit *Pareus* „ Ità magno artificio Apoſtolus demonſtrationis hujus partes complicat. At forſan hæc complicatio, non Apoſtoli eſt ſed *Parei* Interpretis. Plana enim ſimplex & expedita Apoſtolicæ diſputationis videtur ratio & methodus, & quæ verborum ſeriem ſequitur, ſi hoc modo inſtituatur. Propoſitio probanda erat *Abrahamum non ex operibus ſed fide juſtificatum fuiſſe*, non ex operibus, probat v. 2. quia tum *gloriationem coràm Deo habuiſſet*, quam non habuit.

Sed *ex fide*. probat v. 3. expreſſo Scripturæ teſtimonio. „ Credidit autem Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.

Quorum duorum ἐπιχειρασία eſt verſibus 4. & 5. & prius, vid. non *ex operibus* juſtificatum fuiſſe probat novo argumento & prioris fundamento v. 4. operanti merces imputatur ſecundùm debitum, quod *gloriationis* (priori argumento explosæ) materia eſſe poſſet. Secundum, quod ex Scripturâ probatum erat verſu 3. denuò repetit & aſſerit verſu 5.

Maximè omnium perſpicuè & ſimpliciter hæc digerere & connectere mihi videtur *Olevianus*; ſic nimirum. „ Abraham non juſtificatus fuit ex operibus v. 1. 1. Quia non habet de quo glorietur v. 2. 2. Quia gratuitâ fidei imputatione juſtificabatur v. 3. quæ conſequentia (vid. ſi „ ex fide, tum non ex operibus) ex Antitheſi operum & fidei probatur „ v. 4, 5. ex naturâ (inquam) oppoſitorum, nimirum hominem juſtificari non poſſe ex gratuitâ Dei benevolentiâ & ſimul ex operibus, quia non ſimul & gratis, & non gratis, ſed ex merito. Si ex *debito*, habet de quo

glorie-

glorietur, ſi ex gratiâ & *gratuitâ fidei imputatione*, habet de quo *Deum glorificet*. Hæc ſimplex (ut opinor) & genuina eſt hujus *Perioches* connexio & *Analyſis*, in quâ totâ (quod ad ſummam Controverſiæ attinet) Apoſtolus (ut *Adam Sasbout* exiſtimat) duobus argumentis probat non *Abrahamum*, adeòque neque fidelem ullum *ex operibus juſtificari*, 1. quia tum non habuiſſet gloriam apud Deum, quam habuit. v. 2. 2. quia juſtificabatur ex fide v. 3. vel tribus argumentis potiùs hoc evincit, 1. quia *ex fide* v. 3. 2. quia ſi ex operibus, tum gloriam vel potiùs *gloriationem* habuiſſet. v. 2. 3. quia tum ex debito hoc haberet v. 4. quod totum gratiæ acceptum refert v. 5.

Sed his ità de ἀφορμῇ hujus generali ſcopo & Analyſi præmiſſis, ad ſingulorum verſuum ſigillatim explicationem jam propiùs accedamus. Et primò primi, qui ſic ſe habet

Verſ. 1.

Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα;

Quid ergò dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem? Vulgat.

Vel ut Beza rectiùs;

Quid igitur dicemus Abrahamum patrem noſtrum nactum eſſe ſecundùm carnem?

Rom. IV. 1.

In hoc primo Commate ſumma Argumenti ab exemplo *Abrahami*, petiti continetur. Cujus ſimplex & orationis figuris denudata ſententia hæc eſt. *Abrahamus ex operibus legis non eſt juſtificatus*, ut poſteà conſtabit. Hæc inquam ſimplex & genuina eſt hujus Commatis ſententia, quæ tamen ab Apoſtolo effertur 1. per *illationem* logicam in illâ voce τί οὖν *igitur. Ergo.* 2. per *Interrogationem* τί οὖν Quid igitur. 3. per *communicationem* Rhetoricam, Quid igitur *dicemus*.

QUod ad primam, agnoſco quidem particulam iſtam δὲ, apud Græcos aliis particulis ſubjunctam ſæpiùs vacare; Atque aliquoties per *Etiam*, *Certè*, *Quidem* exponi. Quin & hoc etiam in loco ita exponi poſſe non diffiteor; ſed nil opus eſt quin uſitatiori ſuo ſenſu hîc pro *Illativo* habeatur. Illud ſolùm hîc quæritur à quo *Antecedente*; vel ex quibus *præmiſſis* infertur. Quâ enim ratione *Caput* hoc ſuperioribus connectitur inquiſitione dignum eſt, cum „ ad legitimam intelligentiam eorum quæ dicuntur ejus rei elucidatio (monente *Toleto*) „ valdè neceſſaria ſit. 1.

Sunt verò aliqui (*Pſeudo-Hieronymus*, *Anſelmus*, *Aquinas*, *Eſtius*, *Sasbout*, & alii) qui, ac ſi hoc δὲ *tranſitiva* potiùs quàm *illativa* particula eſſet, quâ non conſequentiam aliquam inferret, ſed à re unâ ad aliam tranſiret Apoſtolus, hoc modo ſtatuunt; Eum nimirum reſumere quæſtionem Cap. 3. 1. priùs propoſitam „ Quæ eſt igitur præſtantia Judæi? aut quæ „ utilitas circumciſionis? Quam hîc repetit ex occaſione ejus quod dixerat *Deum* ſine diſcrimine *juſtificare Circumciſionem ex fide & Præputium per fidem.* Ubi duæ ſunt Quæſtiones: Prior de *præſtantiâ Judæorum*, de quâ Capite priori egit, & quoad juſtificationem nullam fuiſſe monſtravit: ſecundam verò *de utilitate Circumciſionis* huc uſque dilatam nunc repetit aliis verbis, idque ſuprà dictorum occaſione maximè ejus quod docuerat Deum ſine diſcrimine *juſtificare* tam *Præputium* quàm *Circumciſionem*; ex quo ſequebatur nihil intereſſe ſitne quis *circumciſus* an non; ubi jam locum habet quæſtio, *Quæ igitur utilitas circumciſionis?* Quoniam verò *Abraham* primus mandatum circumciſionis accepit, Idemque *juſtus* ac *Dei amicus* prædicatur in Scripturis, ideò quæſtionem reſumit in perſonâ *Abrahæ*, eò quod fatendum videatur *eum juſtificatum fuiſſe per circumciſionem.* Nam dicere poterat *Judæus* Quid ei profuit circumciſio, ſi non ad juſtitiam? Cui quæſtioni ità reſpondet Apoſtolus Quamvis *Abrahæ* non inutile fuerat *ſignum circumciſionis*, eum tamen *ex fide*, *non ex Circumciſione* juſtificatum fuiſſe, quod hoc *Capite* fusè exequitur. Hæc *Eſtius*.

At hoc Cardinali *Toleto* non placet. 1. Quia utraque illa quæſtio in præcedentibus Capitibus ſoluta eſt, ubi etiam de *circumciſione* & *præputio* multa ſunt dicta & invicem collata. 2. Quia in hoc Capite generaliter de operibus loquitur Apoſtolus: Diminuta enim eſſet doctrina, niſi oſtenderet *generaliter* ex *operibus* non *eſſe juſtitiam*; non enim ſequebatur juſtitiam non eſſe *ex operibus*; ſed *ex fide* eſſe, ſi tantùm contenderet non eſſe *ex circumciſione*.

Ergo particula iſta ἄρα non nudam *tranſitionem* ſed *illationem* propriè dictam dicit; vel (ut cum *Piſcatore* loquar) „ ad exemplum Abrahæ tranſit „ Apoſtolus per Corollarium. Nam ex doctrinâ juſtificationis priùs conclusâ infert *Abraham* (quem Judæi tanquam ex operibus juſtificatum doctrinæ Apoſtoli opponebant) *nihil adeptum eſſe ſecundùm carnem*. „ Con- „ cluſio eſt ergo „ ex præcedentibus; & propoſitio ſequentium, (ut rectè *Bucerus*) cum enim abundè probaverat neminem ex operibus juſtificari poſſe in priore Capite, inde evidentiſſimè eo ſequebatur, ne Abraham potuiſſe. *Illatio* ergo eſt ex priùs probatâ & conclusâ ſententiâ.

Vide Ambroſium.

Toletus.

Ità tamen ut hâc illatione ſimul *præoccupet* Apoſtolus *Judæorum opinionem* de *Abrahamo*; Nimirum licet alii ex operibus non juſtificarentur, *Sanctiſſimos* tamen viros aliquot, *Abrahamum*, *Davidem*, & his ſimiles ab illâ regulâ univerſali excipiendos eſſe, atque *ex operibus*, quibus abundabant, *juſtificandos*. Cui in contrarium reſpondet, atque oſtendit, ne *hos* quidem licet omnium *ſanctiſſimos* ex *operibus juſtificari*; non *Abrahamum*, quem *fide ſolâ* juſtificari probat verſibus quinque prioribus, neque etiam *Davidem*, qui *beatitudinem*, adeòque & *juſtificationem* in *peccatorum remiſſione* collocat verſibus quatuor proximè ſequentibus. Atque hæc de *illatione* iſtâ dicta ſunto.

2. Quam igitur per modum Interrogationis effert τί οὖν, „ Quid ergo dice- „ mus inveniſſe Abraham ſecundùm carnem?

Quam quidem interrogationem *Lutherus Judæorum* objectionem facit, „ Quid enim dicemus Abraham inveniſſe? ac ſi dixiſſent, an *nihil* prorſus *meruit ſuis operibus*? Cui reſpondet Apoſtolus *prorſus nihil ex ſuis operibus*, ne ab ipsâ *circumciſione*; nam *juſtificatus* erat antequam *circumciſus*, at circumciſio *opus* erat quod ei Deus præceperat, *pretioſumque opus obedientiæ* erat. Si ergo opus *Circumciſionis* nihil profuit *Abrahamo* ad juſtitiam, tum certo certius eſt nullum etiam aliud opus prodeſſe ad juſtitiam; ſed quemadmodum *Abrahæ circumciſio* externum ſignum fuit, (*ſignaculum juſtitiæ*;) ſic *bona opera* ſolùm *externa ſigna* ſunt, non quæ hominem juſtificant.

Sed malè quadrat hæc *Lutheri* conjectura. Si enim hæc Interrogatio *Judæorum* objectio fuiſſet;

1. Aliter efferenda eſſet. non τί οὖν ἐροῦμεν εὑρηκέναι Ἀβραάμ; ſed τί οὖν ἐροῦμεν μὴ εὑρηκέναι; Quid ergo dicemus *non inveniſſe* Abraham?

2. Si interrogatoria objectio eſſet, tum nulla illius interrogationis ſubderetur reſponſio. Finge enim Judæos ità interrogantes & objicientes annon Abraham juſtitiam ex operibus invênit? Apoſtolo reſpondendum erat *Minimè omninò*. Sed nil tale hîc occurrit, ſed proximis verbis continuò addit. Nam ſi *Abraham ex operibus juſtificatus fuit*; *habet quod glorietur*, quæ manifeſta

ejus

ejus probatio eſt, quod in proximè præcedentibus verbis aſſeruerat. At nulla talis ſecundùm *Lutheri* conjecturam in illâ interrogatione fuit *Paulo* aſſertio, cum ille eam Judæorum facit, atque ità Apoſtolus illud probaſſet quod non priùs aſſeruiſſet. Manifeſtè ergo & ex communi Interpretum ſententiâ Apoſtoli Interrogatio eſt, in quâ non à *Judæis* ipſe *interrogatur*, ſed *illos* potiùs *interrogat*. Quid ex operibus nactus fuit *Abrahamus?* Quod (ut mox conſtabit) *fortior negatio* erat. Pro certo ergo ponatur hanc *Apoſtoli interrogationem* eſſe, de quâ adhuc duo quæri poſſunt, 1. de interpunctatione, atque ità an *duplex* vel una *ſimplex* ſit interrogatio. 2. Quid *per eam vult Apoſtolus.*

Quod ad primum. *Punctatio* (quæ forſan in Apoſtoli autographo nulla erat) in variis Codicibus & apud varios Interpretes varia vel eſt vel eſſe poteſt. Nam vel 1.

1. Poſt particulam τε poni poteſt. τί οὖν; Quid igitur? ut Cap. 3. 3. τί γάρ Quid enim? & Act. 21. 22. τί οὖν ἐστι; Quid eſt ergo? ſic hîc τί οὖν, Quid igitur? *Quid ergo dicendum* eſt? Num *dicemus Abraham inveniſſe ſecundùm carnem?* Et ſic duplex eſſet interrogatio. Vel

2. Poni poteſt ad verbum ἐροῦμεν. τί οὖν ἐροῦμεν; Quid igitur *dicemus*? Quod *Grotio* & *Lud. de Dieu* placuit. & ſic ſæpè ſe habet in hâc Epiſtola Cap. 3. 5: 6. 1: 8. 31: 9. 14. Et ſic ità legeretur Quid ergo dicemus? Abrahamum ſecundùm carnem inveniſſe? Et ſic duplex item eſſet quæſtio. Vel

3. *Arabs* ad vocem Abraham ponendam cenſet, qui ſic reddit *Quid dicemus de Abraham Patriarchâ?* An *dicemus conſecutum eum eſſe hoc per opera carnis?* Et ſic etiam duplex eſſet interrogatio. Atque hæc quidem verſio ſenſum Apoſtoli optimè reddit, ſed hæc punctatio Textui Græco convenit.

4. *Syrus* Interpres aliam punctandi viam ſuppeditat ſcilicet ad verbum εὑρηκέναι, hoc modo ſecundùm verſionem *Ludovici de Dieu*, qui ſic Syrum vertit „ Quid ergo dicemus de Abrahamo Patriarchâ inveniſſe eum? In „ carne ne? Quod ſenſum etiam verè reddit, & *duplicem* item facit interrogationem.

5. Omnes communiter tam Codices quàm Interpretes unicam tantùm interrogationem faciunt, ejuſque notam ad vocem ultimam poni volunt, & ſic non *inciſim*, ſed *uno tenore* ſic legunt „ Quid ergo dicemus Abrahamum „ Patrem noſtrum inveniſſe ſecundùm carnem? Quod Apoſtoli mentem ſatis clarè exprimit.

At quænam illa fuit 2dò. quæritur. Vel, quid vult Apoſtolus, quòd tali hîc utatur interrogatione? 2.

1. Ut *confidentius* negaret Abrahamum ſecundùm carnem, vel ex operibus juſtitiam inveniſſe. Illa enim natura & uſus eſt *Interrogationum negativarum* ut *fortiùs affirment*; ut Cap. 3. 29. „ Vel Judæorum Deus ſolùm, „ οὐχὶ δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν „ nonne etiam & Gentium? cui ſtatim ſubjungit affirmativum in illâ interrogatione negativâ ſubintellectum ναὶ καὶ ἐθνῶν. Sic etiam *Interrogationes affirmativæ vehementiùs negant*, imò & *confidentiùs*, quaſi is qui interrogat, vel *Adverſarium* de rei veritate *judicem* conſtituat. Sic verſu proximè antecedente. (Cap. 3. 31.) νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; Quod

cum abjuratione & deteſtatione *negat* (μὴ γένοιτο) *ſub formâ interrogationis* negat. Sic hoc in loco, cum Apoſtolus interrogat „ Quid ergo dicemus „ Patrem noſtrum Abrahamum inveniſſe ſecundùm carnem? magis exertè hoc negat ac ſi diceret, *omninò nihil.* Sic *Anſelmus.* Sic ergo dixit evidentiæ & confidentiæ gratiâ, ut rectè *Bucerus*, ut & *Chryſoſtomus* ὅπως ἀεὶ ποιεῖν εἰωθὼς παῤῥησίας ἔνεκεν καὶ τοῦ θαῤῥεῖν τοῖς λεγομένοις. *Interrogationem* ponit, cui *nulla reſponſio* ſubjicitur, quia reverâ *nulla* dari *poterat*, præter *negativam* ſcilicet. Senſus ergo eſt *Abrahamum nil omninò* quoad juſtificationem *inveniſſe ſecundùm carnem* vel *ex operibus*, quæ antè dictorum Concluſio eſt particulâ illâ ὅτι indicata, & ſequentium Propoſitio, & novi hujus argumenti ſumma, ut Interrogatio hæc negationis Ecliptica ſui reſponſionem includat. Quam Apoſtolus probare & confirmare nititur in verſibus ſequentibus. Si enim *Abrahamus* juſtificatus eſt, &c.

Dixon in Locum.

2. Sed & aliud etiam hâc ſuâ interrogatione voluiſſe *Paulum* aliis viſum eſt, Nimirum non tam confidentiæ causâ quàm ut *offenſionem Judæorum vitaret*, hâc figurâ *Communicationis* uſum fuiſſe Apoſtolum (quod etiam priùs notatum fuit.) Ad benevolentiam enim captandam pertinet quod eos compellat, „ ſeque eis accenſet, dicendo *Quid dicemus?* non *Quid dicetis?* & quòd Abrahamum *Patrem noſtrum*, hoc eſt tam illorum quàm ſui communem vocat, ne ipſe videretur ut degener filius patrem rejicere; contrà verò ut eos quaſi confratres ad concordem hujus veritatis agnitionem alliceret. Sed pergamus.

Pareus.

P. Martyr.

„ Quid ergo dicemus Abrahamum patrem noſtrum inveniſſe vel nactum vel adeptum eſſe? Juxta enim ſignificationem & uſum vocis Hebrææ מָצָא, quæ & *invenire*, & quovis modo aliquid *aſſequi* ſignificat, eò quòd *Inventio* una rei alicujus *aſſequendæ* via eſt, ut in uſitatiſſimâ illâ phraſi *Inveniendi gratiam*, quod in V. T. Textus Hebræus habet מָצָא חֵן Græcus in Novo reddit Lucæ 1. 30. εὗρες χάριν. Licet enim (annotante *Bezâ*) *propriè* de eo dicitur quod *caſu invenitur* Græcis εὕρημα inſperatum lucrum appellantibus, *hîc* verò (eo judice) de eo demùm dicitur quod aliquis *laboribus* ſuis *merendo* ſit nactus. Ergo vox *Inveniſſe* ei non placuit, atque idcirco per *nactum eſſe* reddidit. Et ſic *Ambroſius* hîc *inveniſſe* reddit per *meritum eſſe*. Sic apud *Budæum* legimus quod εὑρίσκειν ſignificat *mereri* vel *aliquid conſequi ex eo quòd quicquam pro eo dederis, feceris vel pertuleris*; quod hîc optimè quadrat. Non diffitendum tamen eſt (eodem *Budæo* teſte) pro *quâvis* conſecutione & adeptione ſumi, etiam eorum quæ *gratis* donantur. Cujus exempla ex *Demoſthene* adducit; ut ſi vel cum *Eraſmo* & *Vulgato* Interprete vocem *Inveniſſe* retineamus, vel cum *Bezâ* per *Nactum eſſe*, vel cum aliis *adeptum*, *conſecutum fuiſſe* reddamus, perinde nobis erit, licet via *inveniendi per modum meriti* huic loco optimè conveniat. Sed hæc magis obvia ſunt.

Matſa Chen.

Majorem difficultatem in ſe habet Commatis hujus Clauſula ultima κατὰ σάρκα *ſecundùm carnem.* De quâ duo quæri poſſunt. 1. quo in loco poni, vel quomodo conſtrui debet. 2. (quod ex priori dependet) quid hîc propriè ſignificet.

1. Quod ad primum, duo apud Interpretes hujus clauſulæ conſtruendæ modi

modi ſunt, vel cum πατέρα ἡμῶν ut ità legatur τί ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν κατὰ σάρκα δεδηκέναι „ Quid dicemus Abrahamum inveniſſe patrem no-„ ſtrum ſecundùm carnem? ut denotaret *carnalem* eorum ab Abrahamo *originem.* Vel cum δεδηκέναι ut legatur (prout vulgò fit) τί ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν δεδηκέναι κατὰ σάρκα. „ Quid dicemus Abrahamum patrem no-„ ſtrum inveniſſe ſecundùm carnem?

Priori modo legit *vulgatus* Interpres, quem plures ſequuntur *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Eraſmus*, ex noſtris *Bucerus*, qui in Locum hæc habet. „ Uterque ſenſus & loquendi modus ità *Paulinus* eſt ut non „ facile altero alterum germaniorem eſſe affirmare auſim, niſi quòd (hîc) „ prior planior videtur, & adducti exempli ampliorem conſiderationem ad-„ ferre. Et cum objici potuit, hoc legendi modo *Hyperbaton* eſſe, reſpondet. „ Nec verò alienum adeò Paulo eſt uti Hyperbatis, ut ſenſus ſit Judæi glo-„ riantur de Patre noſtro Abraham, ex quo ſecundùm carnem genus duci-„ mus, quam gloriam non faſtidio. Videamus igitur quidnam hic ipſe Pater „ noſter ſecundùm carnem conſecutus eſt. Atque ità retundit Judæorum „ arrogantiam, qui Abraham Patrem crepabant, & tantùm ſecundùm car-„ nem cum fideles eum patrem nacti ſunt cognatione multò præſtantiori.

Quibus gemella habet *P. Martyr* „ Ita taxat Judæos quòd tantùm jacta-„ rent carnis nobilitatem, non pietatem &c. dum hanc eorum filiationem „ limitat ad carnalem tantùm cognitionem, ut & Cap. 9. 3.

Calvinus etiam quamvis non rejiciat alteram illam lectionem, ipſi tamen probabile videtur hæc verba (κατὰ σάρκα) Epitheti loco *Patri* conjungi. Præ-„ terquam enim quòd domeſticis exemplis ſolemus magis affici, nominatim „ generis dignitas (quâ nimirum Judæi ſuperbiebant) iterùm notatur. Con-„ temptim nonnulli hoc additum putant, quo ſenſu alibi carnales vocantur „ filii Abrahæ, qui ſpirituales non ſunt, nec prorſus legitimi. Ego verò „ exiſtimo quòd Judæis peculiare erat fuiſſe expreſſum, quia excellentius „ fuit naturâ & carnis origine quàm ſolâ Adoptione eſſe Abrahæ filios modò „ ſimul fides accederet. Concedit ergo Judæis propius conjunctionis vin-„ culum, ſed tantùm ut eos promoveat, ne à Patris ſui exemplo diſcedant. Hæc *Calvinus.*

Quin & *Pareus* inſuper hanc „ Metatheſin facilè amplectitur contra Sophi-„ ſtas (*Pontificios*) ne cavillentur juſtificationem detrahi operibus Abrahæ „ tantùm iis quæ fecit ſecundùm carnem, hoc eſt ante converſionem & ſine „ fide.

Huic conſtructioni etiam favent alia loca, & præcipuè in Epiſtolis *Paulinis*, ut hujus Epiſtolæ Cap. 1. 3. „ Chriſtus ex ſemine Davidis κατὰ σάρκα. & 9. 3. τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα, & Commate 5to. ex quibus Chriſtus τὸ κατὰ σάρκα, & 1 Cor. 10. 18. Βλέπετε τὸν Ἰσραὴλ κατὰ σάρκα Quibus omnibus in locis phraſis hæc κατὰ σάρκα *carnalem* vel naturalem externam *generationem* vel *originem* denotat: & quidni hîc etiam?

At ſecundam conſtructionem ſequuntur & tuentur alii.

Syrus Interpres, qui ſic vertit, „ Quid invênit, vel adeptus eſt in carne? vel ſecundùm *Lud. de Dieu* Syri eo in loco verſionem magis explicatè. „ Quid dicemus de Abrahamo Patriarchâ inveniſſe eum? In Carne ne? Sic

etiam & *Arabs*, qui ſic transfert. „ An dicemus conſecutum eum eſſe hoc
Dixon. Grotius L. de Dieu. „ per opera carnis? Sic *Ambroſius*, *Aquinas*, *Cajetanus*, ex noſtris *Beza*, *Piſcator*, alii, qui hoc *ſecundùm carnem* non cum *Patrem noſtrum*, ſed cum *Inveniſſe* conjungunt. Quam Lectionem ſuadent

1. Græcorum omnium Codicum fides, qui hæc non cum πατέρα ἡμῶν, ſed cum εὑρηκέναι conjungunt.

2. Aliter Amphibologia, *Hyperbaton*, vel Μετάθεσις fuiſſet, à quâ quidem licèt Apoſtolus noſter in ſcriptis ſuis ſæpius non abhorreat (quod dixit *Bucerus*) cum tamen vitium ſermonis in ſe ſit, ad eam non confugiendum eſt, niſi loci ſenſus & textura id efflagitent. At neutrâ hâc ratione hîc neceſſaria eſt hujuſmodi Μετάθεσις.

3. Imò ſenſus loci & Apoſtoli mens contrarium ſuadent. Non enim quærit quid nudè & ſimpliciter *Abraham invenerat*; de hoc enim utrinque Apoſtolo & Judæis conſtabat, quòd cum Abrahamus ut *juſtus* laudatus ſit.
Vide Bucerum & P. Martyrem. *Pater omnium credentium & hæres mundi* à Deo conſtitutus, conſtabat, inquam eum *juſtitiam inveniſſe* etiam *apud Deum*; ſed de *viâ & modo* hujus conſequendæ quæritur, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, ſed agedum quonam pacto? quo ſuo merito, fide an operibus? Certè *fide*, non *operibus*. Et ſic in verbis iſtis κατὰ σάρκα de modo, quo Abraham juſtitiam invenerat
L. de Dieu. quæritur. An ſcilicet „ ſecundùm carnem, vel ex operibus, per carnalem „ circumciſionem reliquaque ejus opera, quæ ex eâ pendebant. Cujus ne„ gationem includit ea Interrogatio, quam Apoſtolus verſu ſequenti pro„ bat.

4. Dum in toto ſequente Capite huic interrogationi primo hoc Commate propoſitæ reſpondet, in eo totus eſt, ut probet *Abrahamum* non juſtificatum fuiſſe ex *circumciſione*, vel aliis *operibus*, conveniens erat ut *aliquæ* ſaltem *voces* in hâc Interrogatione *quæſitum illud* denotarent. At nullæ præter has *ſecundùm carnem* hoc faciunt. Ergo non ad *Patrem noſtrum*, ſed ad *Inveniſſe* referendæ ſunt. Ideoque ità legi & conſtrui debent, non *Patrem noſtrum ſecundùm carnem*, ſed *Patrem noſtrum inveniſſe ſecundùm carnem*, ut hoc modo Interrogatio iſta, & ſequens reſponſio & probatio ſecum mutuò conveniant.

Quæ verò à prioris conſtructionis ſautoribus adducta fuerunt, non cogunt.

1. Non illud *Buceri*, quòd prior ille modus *planior* ſit. Negatur *planiorem* eſſe vel quoad verborum poſitionem cum ille modus *Hyperbaton* inducat, à quo poſterior conſtructio immunis eſt; vel quoad eorundem ſenſum, iſte enim poſterior modus, ſi legamus „ *Quid dicemus Abrahamum* „ *inveniſſe ſecundum carnem* ſenſum habet ſatis luculentum, & optimè convenientem per totum Caput ſequuturæ probationi.

2. At *frequens* eſt illa prior conſtructio apud *Paulum*, ut allata exempla monſtrant. At neque apud eum inſolens hæc poſterior, qui in Epiſtolâ ad
Gal. 3. 3. *Galatas*, *Hebræos* & alibi ἡ σαρκὸς & τῇ σαρκικῷ, nomine *circumciſionem* in carne, & reliqua omnia *legis externa opera* ipſo *Bucero* fatente ſæpiùs indigitavit.

3. Sed prior conſtructio adducti *Abrahami exempli* ampliorem *conſiderationem*

tionem adfert. Nequaquam. Nam ſi nihil aliud in ſe contineat præter *carnalem* vel *naturalem* ab Abrahamo *ſationem*, hoc totum priora illa verba τὸν πατέρα ἡμῶν plenè exhibent, ut illam *Iterum* notari (quod *Calvinus* dixit) nil opus fuerit. Licet enim (quod urget) *domeſticis exemplis* ſolemus *magis affici*, cum priùs dixerat Apoſtolus τὸν πατέρα ἡμῶν, eo *domeſticum* hoc *exemplum* ſatis clarè exhibuit.

4. At ſecundùm priorem lectionem ſi hoc κατὰ σάρκα ad τὸν πατέρα ἡμῶν apponatur, Apoſtolus eò magis *retundit* Judæorum de *patre ſuo Abrahamo gloriationem*, dum hanc eorum prærogativam ad *carnalem* tantùm *generationem* minuendo reſtringit, ut quamvis *Abrahami filii* eſſent, & tantùm *carnales*, & *ſecundùm carnem*, ſubinnuendo ſimul Gentes fideles hanc filiationem potiori titulo conſequi, nimirum ſecundùm Spiritum.

Reſpondeo,

Hoc quidem *Judæorum* jactantiam retundere potuiſſe, quo reverâ eam retundit Apoſtolus Cap. 9. imò hoc ipſo in Capite Commate 9. & ſequentibus. Sed in priori hujus Capitis parte primarium hujus Epiſtolæ dogma perſequitur, probando *Abrahamum fide*, *non operibus legis juſtificatum* fuiſſe, cujus deſignandi gratiâ hæc verba κατὰ σάρκα cum εὑρηκέναι conjunxit, & interrogat *quid Abraham ſecundùm carnem adeptus eſt.* non cum τὸν πατέρα, ut (quod poſtea facit) eorum arrogantiam quod ab Abrahamo ſecundùm carnem ſati ſint retunderet, eoſque eo modo excluderet: quod ſi in animo haberet, diceret potiùs τὸν πατέρα ὑμῶν quàm ἡμῶν, ut rectè annotavit *Beza.*

Nec etiam ipſi Judæi, licet ſui plus ſatis *ſuffeni* eo quòd ab Abrahamo prognati fuerint quomodocunque viverent ſe ſemper unos manſuros Dei populum ſibi adblandiebantur, non adeo tamen inſenſati erant, ut eorum neminem licet ſceleratiſſimus eſſet, eo privilegio, & Dei gratiâ excidere poſſe judicaret.

5. At ultimò, Prior illa lectio (ut *Pareus* innuit) amplexanda eſt ne, ſi hæc verba *ſecundùm carnem* cum proximè præcedente *Inveniſſe* conjungantur, *Pontificiis* anſa daretur objiciendi Apoſtolum hîc agere de operibus ſecundùm carnem *ſine fide ante converſionem* factis, eaque ſola à juſtificatione excludere. ſed Reſpondeo, non ideò à recto itinere deviandum ad inſidias quorundam latronum evitandas, quas ſine juſtâ causâ fingere quis poterit; neque à vero loci alicujus ſenſu recedendum ad præveniendas *Pontificiorum* objectiones quæ nunquam defuturæ ſunt vel in rebus omnium manifeſtiſſimis, quarum in numero hanc eſſe, nimirum *Apoſtolum* hoc in loco *à juſtificatione* excludere tam *Abrahami* quàm *reliquorum omnium opera* etiam *ex fide poſt converſionem* facta, ſatis priùs demonſtravimus.

Stet ergo verborum *ſeries* prout in Textu inveniuntur, *Quid ergo dicemus Abramum patrem noſtrum inveniſſe ſecundùm carnem?* Quod primò quærebatur.

Secundum fuit de eorum *ſenſu* quid ſit hoc, Abrahamum inveniſſe *ſecundum carnem.* Pro variâ hujus vocis σαρκὸς in Sacrâ Paginâ acceptione varius hujus Phraſeos κατὰ σάρκα ſenſus intelligitur, prout enim σὰρξ externam illam & naturalem corporis partem primariò & propriè ſignificat, atque exinde

inde aliquando naturalem *generationem*, *naturæ* etiam *corruptionem*, quæ in carne ſedem habet, vel eâ quaſi inſtrumento utitur, aliquando *externum hominem*, vel quæ *ab externo homine fiunt* eive quovis modo adjacent: Ità κατὰ σάρκα multoties de *carnali* vel *Naturali generatione* dicitur Rom. 1. 3: 9. 3, 5, & alibi. Aliquando de *naturæ corruptione*, ut cum aliqui dicuntur *ſecundùm carnem eſſe* & *ambulare* Rom. 8. 1, 4, 5. 2 Cor. 10. 2, 3. aliquando de *externo homine*, ut 2 Cor. 5. 16. *neminem*, *ne ipſum Chriſtum jam novimus ſecundùm carnem*; aliquando de *externis privilegiis*, *operibus* & hujuſmodi aliis, quo in ſenſu vox *carnis* venit. Gal. 3. 3. ut hoc etiam in loco. Hinc *Ambroſius*, (quem & alii ſequuntur) *ſecundùm carnem* pro *ſecundùm circumciſionem in carne factam* poni vult, per quam *Abrahamum* nihil ad juſtificationem vel quæſiviſſe vel inveniſſe Apoſtolus hoc in Capite probat, quia *antea juſtificatus*, quàm *circumciſus* fuit v. 10, 11. Quo in ſenſu non *circumciſionem* ſolùm ſed & *Sacrificia* & officia reliqua σαρκικὰ vel *carnalia* dicuntur Heb. 9. 10: 7. 16. Neque diffiteri auſim hanc *carnis* ſignificationem hîc includi, quia de eâ ex parte proponebatur quæſtio Cap. 3, 1. cui & reſpondetur hoc in Capite v. 9, 10, 11. & ſequentibus, modò concedatur Apoſtolum non *de ſolâ circumciſione* & *lege ceremoniali* loqui, ac ſi ſolis iſtis *ceremonialibus juſtificationem* detraheret, quod licet *Pontificii* aliqui contendunt, eorum tamen poſteriores & cordatiores *opera* etiam legis *moralis* hîc includi volunt, imò vel *quæ ex fide fiunt*, quod quidem inficiantur illi, nos verò contendimus, & ſatis priùs evicimus. [a] *Secundùm carnem* ergo eſt *ſecundùm opera*, ut Apoſtolus luculenter oſtendit v. 2. ubi probat Abrahamum non inveniſſe *juſtificationem ſecundùm carnem*, quia non *juſtificabatur ab operibus*. [b] *Secundum carnem*, & *ex operibus & meritis externis* hîc idem valent, quæ ideò *Caro* [c] dicuntur, quia in *carnales* oculos incurrunt, & *carnali* vel naturali *judicio* approbantur, & quatenus [d] *ſpirituali* Chriſti *juſtitiæ opponuntur*: „ quemadmodum v. 4. κατὰ χάριν & κατ' ὀφείλημα opponuntur, unde κατὰ σάρκα & κατ' ὀφείλημα idem ſunt.

Aquinas, Eſtius, Sasbout.

Ex circumciſione & aliis præclaris factis.

Per opera carnis. Hujuſmodi ſunt Ceremoniæ & circumciſio &c. nec multum reſiſto modò intelligamus quæſtionem generaliter tractari P. Martyr vide etiam Bucerum.

Beza. Olevianus. Pareus. Piſcator. Dixon. Pareus.

Senſus proinde hujus Quæſtionis, adeoque totius hujus Commatis hic eſt: Age ex priùs dictis videamus, quid dicamus vel *Abrahamum ſanctiſſimum*, & quem *patrem* noſtrum & *fœderis* quaſi *caput*, agnoſcimus, ex *circumciſione* & omnibus *externis rebus*, imò *operibus*, *virtutibus* & *ſanctimoniâ* conſecutum fuiſſe? certè quoad *juſtificationem omnino nihil*, quod interrogatione iſtâ innuitur hoc Commate, & probatur in ſequentibus.

Reſtant tantùm πορίσματα quædam ex hoc Commate atque Apoſtoli in eo exemplo, quæ Paſtoribus & Doctoribus in Eccleſiâ tam in populo erudiendo, quàm in Adverſariis convincendis apprimè utilia ſunt.

1. Πορίσμα. 1. Ut in docendo & arguendo *exemplis* utantur, quæ, ut in aliis ſcientiis & artibus addiſcendis, ſic inſtitutione & diſputatione Theologicâ inprimis utilia ſunt. *Brevis* ſiquidem & expedita via eſt *per exempla*, quæ rem ante oculos ponunt, neque ſolam rationem, ſed & ipſos ſenſus ejus teſtes adhibent. In quâ docendi & arguendi methodo nobis præeuntes habemus *Apoſtolos*, *Chriſtum*, & hoc in loco *Paulum*, qui cum priùs gratuitam juſtificationem *argumento* evicerat, hîc eam totam Abrahami *exemplo* conficit.

At

At hoc (ſi Apoſtolum hîc ducem ſequamur) fiat *exemplis.*

Præ cæteris (ſi fieri poteſt) è *Sacrâ Scripturâ* petitis, quod hîc facit Apoſtolus, tum quod Scriptura in quolibet genere præ reliquis Scriptis omnibus eorum *ſegetem locupletiſſimam* ſuppeditat cum *omnes viæ Dei* in rebus adminiſtrandis ſint *miſericordia* (in bonis gratuitò conferendis) & *veritas* in promiſſis, & reliquis quæ in verbo ſuo exarata ſunt adimplendis: tum quòd *ipſis* ex Divinâ *ordinatione* ac *benedictione* major ἐνέργεια inſit, cum teſte Apoſtolo ὅσα γὰρ προεγράφη εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν ἐλπίδα ἔχωμεν Rom. 15. 4.

Curandum interea ut (quantum fieri poſſit) *eximia* ſint, *clara*, & rei (de quâ agitur) inprimis *accommoda:* quæ omnia in hoc Abrahami hîc allato *exemplo* luculenter eminent.

Secundò ex blandâ hâc Apoſtoli *Communicatione* in illis verbis. Quid *dicemus?* Abrahamum *patrem noſtrum*, *&c.* quâ Judæos contra quos agit magis benevolos reddat: Illud Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ documento eſſe poteſt, ut licet ipſis per ambitum & κενοδοξίαν minimè captanda ſit popularis aurea, *prudenter* tamen vel *ambienda* ſit auditorum *benevolentia*, quò tam ad *veritatis agnitionem* quàm ad cujuſvis boni operis praxin faciliùs allici & flecti poſſint. Πορι. 2. 2 Tim. 2. 25, 26.

Ea enim *Religionis* & fidei indoles eſt (ſecundùm *Lactantium*) ut *ſuaderi*, non *imperari*, ea etiam *intellectûs humani* ratio ut *leniter duci*, non obtorto collo trahi amet: Ea denique atque adeò arcta eſt inter *intellectum* & *voluntatem* cognatio, ut ille hanc ut plurimùm ſequi ſoleat. Si quidem voluntati nimis indulgeamus, id nos cœcos facit, ſi verò moderatè ſe habeant, nos magis attentos & dociles reddunt, cum è contrà nimis altercando veritas amittatur, inter rixarum ſtrepitus & clamores minimè audiatur, & per ἀβουλίας ἀμιξίαν non *ſententiarum* ſolùm ſed & *animorum* majora fieri ſoleant *divortia* „ Ira enim viri non operatur juſtitiam Dei *Jacobi.* 1. 20. & „ ubi „ zelus & contentio ibi ἀκαταστασία καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα eodem atteſtante Apoſtolo Cap. 3. 16. Quamvis igitur quorundam *Syncretiſmum* nollem, non *Grotianam pro pace Apologiam*, quæ in eo ferè tota eſt, ut *Papiſmo* lenocinetur, non eorum qui dum *pacem vocant*, *ſolitudinem faciunt*, & *inducias* fieri volunt quò *contra veritatem* tutiùs machinentur; *diſſidentium* tamen *unio*, præſertim in turbatiſſimo hoc ſæculo, modò citra *veritatis* diſpendium fiat, cordatis quibuſque ambabus ulnis ultrò amplexanda eſt: Et quò fæliciùs iniri poſſit, ad animorum pariter ac ſententiarum ferruminationem procul amandatis rixis & clamoribus inter ſobrios & pios omnes *Collationes* potiùs quàm *Controverſiæ* inſtituantur, συζητήσεις, quales illæ Apoſtolorum erant Act. 15. in quibus junctis operis veritatem inveſtigent, non lites ſerant, hujus *communicationis* Apoſtolicæ non magis *Rhetoricæ* quàm *Chriſtianæ* memores, Quid *dicemus?* ubi vel adverſarios ad commune pro veritate eruendâ concilium placidè convocat, & dum *Patrem noſtrum* dixit, cum ex eo *fratres* ſint, ut ipſe Abrahamus pater olim *mutuis* inter ſe *contentionibus* viam obſtruit. Gen. 13, 8.

Rom. IV. 2.

Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν.

Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Vulgat.

Nam ſi Abrahamus ex operibus juſtificatus fuit, habet de quo glorietur, ſed non apud Deum. Beza.

REctè hîc monet *Chryſoſtomus* Ἀσαφὲς τὸ εἰρημένον, καὶ ἐπεξεργασίαν αὐτὸ πολλὴν ἀπαίτησεν. „ Obſcurum hoc dictum eſt, quod explicatione opus habet; quam ſic aggredimur.

Propoſitio primo Commate aſſerta hæc fuit *Abrahamus non juſtificatus* fuit *ex operibus*, ſed *ex fide*, quam hîc confirmare aggreditur argumento à *gloriatione* ducto, ut conſtat ex illis particulis εἰ γὰρ ſi enim.

Quamvis enim *Adamus*, & *Eſtius* illud γὰρ nolunt hoc loco *cauſalem* par-
Sic Aquinas ticulam eſſe, ſed *aſſeverativam* vel *ſuppletivam*, quâ aggreditur reſponſionem quæſtioni priori verſu propoſitæ, vid. „ quid dicemus Abrahamum ex „ operibus inveniſſe? ac ſi hoc verſu hoc modò dixiſſet & reſpondiſſet, ſanè non *ex operibus*, quia tum *gloriationem* habuiſſet, &c. At contrà priùs oſtendimus hanc reſponſionem per interrogationem illam primo Commate *factam* fuiſſe, ut in *hoc verſu* non incipiat illa *reſponſio*, ſed ejus *prius factæ probatio*, quod *hæ particulæ argumentativæ* εἰ γὰρ apertè clamant ex ſignificatione ſuâ propriâ & frequentiſſimo apud Paulum uſu, ut nil hîc opus eo, quem fin-
Rom. 3. 7. 4. 14. 5. 10, 17. 6. 5. 8. 13. 11. 15. 21. 24. git *Adamus*, Hebraiſmo. Hoc ergo pro rato & confeſſo habeamus hoc in Commate non *reſponſionem*, ſed *reſponſionis* (in ipsâ *interrogatione* incluſæ) *probationem* contineri, eamque argumento ducente ad *impoſſibile* vel ex *abſurdo*, ut *Bucero* placet, vel „ ex deſtructione conſequentis ad deſtructio„ nem antecedentis, ut *Aquinati*, *Pareo*, & aliis. De quo, in genere omnes quos legi conveniunt. At quoad particularem hujus argumentationis explicationem, & quodnam conſequens illud ſit quod deſtruere conatur Apoſtolus, in diverſa prorſus abeunt Interpretes.

Cum enim (ut loquitur *Calvinus*) *Epicherema* ſit, ſive imperfecta ratiocinatio, Syllogiſmum integrum aliter atque aliter complent, & quidem ſenſu planè contrario. Aliqui ſic „ ſi Abrahamus ex operibus juſtificatus fuit, tum „ habuit de quo glorietur, ſcilicet apud homines, ſed non apud Deum. At „ habuit, de quo etiam apud Deum gloriari potuit, ergo non ex operibus „ juſtificatus fuit. Atque ità ſecundùm hos totus iſte verſus tantùm *Majorem* Propoſitionem Syllogiſmi efficeret; cujus *Minorem* ſuppeditari & probari etiam volunt Commate 3. *Abrahamum* nimirum *gloriam habere apud Deum*,

Deum, quia „ Scriptura dicit quòd credidit Deo, & imputatum ei erat in juſtitiam.

Alii verò hoc modo inſtituunt Syllogiſmum, „ Si Abrahamus juſtificatus „ fuit ex operibus, tum habuit de quo gloriari poterat. At non habuit de „ quo gloriari poterat ſaltem non apud Deum. Ergo ex operibus non ju- „ ſtificatus erat. Et ſic verſus iſte contineret & *Majorem* & *Minorem* Syllogiſmi Propoſitionem. *Minorem* verò (*Abrahamum* ſcilicet non habere de quo glorietur apud Deum) probari volunt Commate 3. quia „ Scri- „ ptura dicit Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei in juſtitiam, „ Cui enim fides gratuitò imputatur, is non habet quod glorietur apud Deum, ſed habet quod glorificet Deum, ut piè admodùm *Oleſianus*. Adeò ut ſecundùm varios iſtos hujus Commatis exponendi modos *tertius* ille *verſus contrarias* omninò probaret ſententias, ut quia fides Abrahamo imputata erat in juſtitiam ideò *habuit quod glorietur apud Deum* ſecundùm priorem expoſitionem, imò contra *non haberet* ſecundùm poſteriorem. De quo poſtea videndum.

Priorem ſententiam primus (quantum opinor) dictavit *Origines*, qui 1. in hunc locum hæc habet „ Dicit (Apoſtolus) quia Abraham ſi ex ope- „ ribus juſtificatus eſt, habet mercedem ſed non apud Deum, quod quidem „ non ſine arte Dialecticâ diſſerit; nam ſi juſtificatus (ex operibus) non „ habet gloriam apud Deum. *Abraham* autem conſtat habere gloriam apud „ Deum, Ergo non ex operibus ſed ex fide juſtificatus eſt Abraham, ut ne- „ ceſſariò habeat apud Deum gloriam. Sic enim Scriptura pronunciat, quia „ credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam; quod ſi Deus „ reputavit illi ad juſtitiam, ſine dubio & gloria ejus apud Deum eſt.

Origenem in hoc ſequuntur Patres plures, *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*. *Pontificii* (quos vidi omnes.) Quin & ex noſtris *Aquinas*. *Bucerus*, *P. Martyr*. *Lud. de Dieu*, & alii, qui omnes gloriam vel *gloriationem apud Deum Abrahamo* tributam volunt ab Apoſtolo, atque inde probatum eum non juſtificatum fuiſſe ex *operibus legis* (quæ ſolùm *gloriationem* apud homines conciliat) ſed ex *fide*, quæ ſola Abrahamum & fideles reliquos *apud Deum gloriari* facit. Sed hoc non omnes eodem ſenſu. *Origenes* & poſt eum *Neoterici Pontificii* ſic. Abrahamus ex *operibus gloriam* habere potuit apud *homines*, quia *opera palàm* ſunt, & oculis videri poſſunt, ſed non apud Deum, qui *cor inſpicit & ſcrutatur*; & ſcit quis eſt qui credit in occulto.

Sasbout. *Eſtius*. *à Lapide*. *Eſtius*. *C. à Lapide*.

Chryſoſtomus cum duplicem gloriationem ponit, *operum* & *fidei*, hanc *fidei gloriationem* longè præſtantiorem, & *apud Deum* valere ſtatuit, idque duplici nomine, 1. quod *Deum* magis *glorificet* ἐπεὶ τὰ περὶ αὐτὸν μεγάλα φαντάζεται quod majora & magis præclara de Deo cogitat, dum eum impoſſibilia poſſe facere credit. Et 2dò. quia qui de operibus ſuis gloriatur in *ſemetipſo* vel apud ſemetipſum *gloriatur* (ut loquuntur *Origenes* & *Pſeudo-Hieronymus*. τὰς ἰδίας ἔχει περιαυτίας πόνους (ut habet *Chryſoſtomus*) habet ſuos, quos opponat labores, ὡς ἐκ τῶν ἰδίων πόνων καυχήσεως, ἕως ἐπὶ τὸν Θεὸν ἦλθε, καὶ περὶ ἑαυτοῦ διανοήθη, ut optimè *Theophylactus*. Juſtificatus verò *fide* in Deo *gloriatur* ὡς χάριτι ἰδίᾳ σωθείς tanquam ab eo dilectus & gratiâ ejus ſervatus,

ut idem *Theophylactus.* Fidelis enim gloriatur, οὐχ ὅτι πρὸς Θεὸν ἐφίλησε μόνον γνησίως, ἀλλ' ὅτι καὶ πολλῆς παρ' αὐτοῦ τιμῆς ἀπήλαυσε καὶ ἀγάπης ὅτι θεὸς αὐτῷ ἐφίλησε μυρίοις ὑπάθλοις ὄντως, οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάξας μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκαιον ἐργαζόμενος. Hæc ſiquidem *fidei gloriatio apud Deum*, quam *Abrahamo* hîc ab Apoſtolo tributam volunt, nimirum non de ſe & ſuis vel meritis vel operibus ſed in ſolo *Domino* & *gratuitâ ejus miſericordiâ*, uti vult Propheta Jerem. 9. 23, 24. & Apoſtolus 1 Cor. 1. 30, 31. atque hoc ſolo in ſenſu hæc verba ſumunt Illi Noſtrorum *Bucerus*, *P. Martyr*, & *L. de Dieu*, qui priori huic Argumenti Apoſtolici formationi aſſenſum ſuum præbent „ quod ſci- „ licet ſic inſtitui volunt; „ Si ex operibus juſtificatus fuit Abraham, „ tum carnalem tantùm habuit gloriationem, quæ apud Deum non valet. At habuit *Abraham* quod gloriaretur etiam apud Deum. Id jactabant omnes Judæi, & fatetur Apoſtolus, cum ejus fides tantoperè prædicatur, quique Dei *amicus* vocatus fuit, qui *pater multarum Gentium* & *hæres mundi* conſtitutus fuit, & in cujus *ſemine omnes Gentes terræ benedictæ* eſſent futuræ, Is ſanè habuit quod in hâc gratiâ *gloriaretur apud Deum.* Ergò non fuit juſtificatus ex operibus, vel non *invénit juſtitiam. Secundum carnem. Caro* enim non habet apud *Deum* quod *glorietur*; *Fides* habet, quippe quæ gratiam Dei & mortem Filii ejus amplexa meritò gloriatur æternam ſe redemptionem inveniſſe, quæ *gloriatio* cum ſit *in Domino*, longè gratiſſima eſt Domino.

Hæc prior eſt *loci* hujus *Interpretatio*, & *Argumenti* Apoſtolici *formatio*, quæ licet magna nomina (ut audivimus) ſibi aſtipulantia habeat, Eorum tamen pace mihi (ut & *Noſtrorum* aliis) non adeò arridet. Cum enim ſic inſtitui volunt Argumentum Apoſtoli (ſi Abraham ex operibus juſtificatus fuit, tum non habuit gloriam apud Deum; At habuit apud Deum gloriam, Ergo ex operibus non juſtificatus fuit.) Multipliciter peccat iſta argumenti hujus effigiatio.

Calvino. Bezæ. Piſcatori. Pareo. Dickſono. Hyperio. Melanchthoni.

1. Eò quod ità hujus totius Argumenti & Syllogiſmi ſolâ *Major Propoſitio* hîc ab Apoſtolo exprimeretur, [Si ex operibus juſtificatus fuit, gloriam apud Deum non habuit]; tacitâ omninò *Aſſumptione At gloriam apud Deum habuit.* Atque ità hiaret oratio Apoſtoli, neque ſatis clara eſſet 2di hujus & 3tii. Commatis connexio. Quomodo enim hæc cohærent „ Si Abraham „ juſtificatus fuit ex operibus tum non haberet gloriam apud Deum v. 2. Scriptura enim dicit, Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam v. 3. At qualis hæc probatio eſt illius *Conſequentiæ*, quæ totum *verſum ſecundum* complet? Si verò dicatur *verſum* 3. eſſe probationem *Minoris* ſubintellectæ, ſcilicet „ Abrahamum habuiſſe gloriam apud Deum, Reſpondeo „ fictam illam *Minorem falſam* eſſe, ut mox conſtabit, vel ſi *vera* eſſet, *nuſquam comparere*, quam idcircò ſubintellectam volunt. Vel potiùs *Conſequentiam* illam utpote obſcuram neque adeò firmam *probandam* fuiſſe, cum *Minorem* ultrò concederent *Adverſarii* contra quos diſputat. Si verò altera illa Interpretatio admittatur, plana ſunt omnia; „ Si Abraham juſti- „ ficatus fuit ex operibus, tum haberet de quo gloriaretur. Illa *Major* eſt. „ Cui ſubnectitur *Minor*, „ At non habet de quo glorietur apud Deum.

Quæ

Quæ *Minor* ſolidè probatur verſu 3. quia „ Scriptura dicit fidem gratuitò „ imputatam ei eſſe in juſtitiam, quia *gloriationem excludit*, neque eſt quòd de eo quis *glorietur* quod *gratuitò imputatur*.

2. In hoc etiam peccat illa Argumenti hujus Apoſtolici formatio quod *Major* ejus Propoſitio *non* uſque adeò *vera* ſit. Hæc enim eſt juxta eos „ Si „ Abraham ex operibus juſtificatus fuit, tum non habuit gloriationem apud „ Deum. At qualis hæc conſequentia? Planè nulla. Imò contrarium ſequitur, ſi ex operibus juſtificatus fuit, tum *habuit gloriandi materiam* apud Deum, quod ipſe Apoſtolus aſſeruit Cap. 3. 27. ubi docet gloriationem per ſolam fidem excluſam eſſe, & exertè negat eam excludi per opera. „ Gloriatio excluſa eſt, ſed per quam legem, num operum? οὐχὶ Nequa- „ quam; ſed per legem fidei. Quamvis enim *abſolutè* loquendo nè perfectiſſima ſanctiſſimorum opera ullam gloriandi materiam ſuppeditant apud Deum. 1. Ad cujus infinitam tum Majeſtatem tum ſanctitatem comparatè *contaminata* adeòque & *indigna* ſunt, juxta illud Jobi 15. 15. „ Cœli „ non ſunt mundi in conſpectu ſuo, & in Angelis ſuis reperit pravitatem „ Cap. 4. 18. Ad hujus Solis ſplendorem ſi *pudeſiant* vel maximæ magnitudinis ſtellæ, quantò magis noſtræ lucernulæ? Tantùm abeſt ut *glorientur*. 2. quia ſi abſolutè conſiderentur ſanctiſſimorum opera perfectiſſima, quanta quanta fuerint, cum *Deo* omnis tam Entitatis quàm Bonitatis fonti & Authori *accepta referenda*, adeòque & omni jure *debita* ſunt. „ Cum omnia quæ „ nobis præcepta ſunt fecimus, nil hîc gloriandum eſt, ſed dicendum potiùs „ ſervi inutiles ſumus, quia quod debuimus facere fecimus Lucæ 17. 10. Quamvis (inquam) quatenus *Deum* ut *Creatorem* ſummum, *nosmet* ut *Creaturas* abſolutè conſideramus, nullius *meriti* vel *gloriationis* capaces ſumus: Quatenus tamen Eidem Deo nobiſcum *fœdus operum* inire placuit, ut, præſtito opere, *operario* vita æterna in *mercedem* operis idque ex *juſtitiâ diſtributivâ* cedat, *Eatenus* ſaltem hujuſmodi operarius & *mereri* & *gloriari* hoc nomine poterit: præſertim ſi ex vi *liberi ſui arbitrii* vel ex toto vel etiam ex parte hujuſmodi opus præſtiterit. Falſa ergo *conſequentia Majoris* eſt, „ Si Abraham ex operibus juſtificatus fuit, tum gloriationem apud Deum „ non habuiſſet. Imò potiùs habuiſſet.

3. *Falſa* etiam *Minor* illa quam fingunt „ At Abraham gloriationem „ apud Deum habuit. Imò verò *non habuit*. Hoc in terminis hîc negat Apoſtolus ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν. Quod & ſequente Commate probat, quia per *fidem*, ejuſque gratuitam imputationem juſtificatus fuit, quia *per legem fidei gloriatio excluſa eſt*, ut priùs dixerat Cap. 3.

Sed expendamus pauliſper rationes quibus prioris illius ſententiæ Authores adducti ſunt ut credant Apoſtolum in hâc Aſſumptio ne aſſeruiſſe Abrahamum κεκαυχῆσθαι habuiſſe apud Deum. Nam iſtæ rationes aliis aliæ ſunt.

Et *Pontificiis* quidem ejus duplex aſſignari poteſt ratio. Quarum *Pontificii.*

Prima ex *communi* eorum *doctrinâ*. Quamvis enim *Cardinalis Toleti* purpura hîc aliquantùm erubeſcat, & neget veram eſſe hanc Propoſitionem *Homo habet undè glorietur*, cum „ nil habeat quod non acceperit; At eorum reliqui communiter tenent atque animosè ſatis defendunt *hominem*, ex parte ſaltem, vi liberi ſui arbitrii *poſſe ſe ad Deum convertere*, atque deinceps jam

juſtum factum ità *perfectè legem Dei adimplere* ut, ex *condigno* vitam æternam *mereri* poſſit, idque *ex rigore juſtitiæ* & quidem *commutativæ*, adeò ut Deus injuſtus eſſet, ſi præmium eo nomine non reddat, & quidni vel *apud Deum* operarius hujuſmodi verè ac propriè *gloriari* poterit? Sed blaſphemè. Audacem ſententiam iſtam cum priùs (quod ad meritum attinet) fuſiùs profligavimus, & (quoad gloriationem) modò impugnavimus, non eſt quòd hîc ultra proſequeremur, ſed deteſtaremur potiùs.

Secundam potius adeamus Rationem quare *Abrahamum* apud Deum καύχημα habuiſſe & ipſi dicant atque Apoſtolum dixiſſe ſentiant, quæ hæc eſt, quia τὸ καύχημα non per *gloriationem*, ſed per *gloriam* (ut à vetere Interprete hîc fit) reddendum volunt. Cui rationi *Toletus Cardinalis* (licet priorem rejecerat) inſiſtit, quia ei non idem eſt καύχημα hoc, quod Abrahamo hoc in loco tribui putat, & καύχησις, quam priore Capite idem Apoſtolus excluſam eſſe dixerat. Nam καύχησιν pro *gloriatione* & *jactantiâ* frequenter accipi concedit, at καύχημα idem ferè eſſe quod *laudem* & *approbationem*. Sed fruſtrà ſe nimis ſubtilem Criticum præſtat *Cardinalis*. Nam

1. Hujuſmodi voces ſæpè quoad ſignificationem confunduntur ut ποίημα & πόιησις pro eodem ſumuntur, ut & καύχημα & καύχησις in Scriptis *Paulinis*. Sic καύχησις pro *gloriandi materia* 2 Cor. 1. 12. Rom. 15. 17. ut è contrà καύχημα pro *gloriandi actu* ponitur 1 Cor. 5. 6: 9. 15. 2 Cor. 5. 12. Phil. 1. 26. quin & ipſe *vetus Interpres* licet hîc καύχημα per *gloriam*, alibi 1 Cor. 5. 6. per *gloriationem* reddit, ut & *Cajetanus* in hunc ipſum locum, vocem hanc καύχημα propriè *gloriationem* ſignificare affirmat.

2. Concedatur licet (ſi maximè *Grammaticè* & ſtrictiſſimo jure agamus) τὸ καύχημα & τὴν καύχησιν aliquantùm differre, καύχημα ſcilicet *rem de quâ gloriamur* vel *gloriationis materiam*, καύχησιν verò ipſam *gloriandi actionem* propriiſſimè ſignificare ut in vocibus ποίημα & πόιησις & his ſimilibus, nil tamen inde *Toleti* ſententiæ & interpretationi accedit commodi. Habeat enim Abrahamus τὸ καύχημα in ejus ſenſu *gloriandi* ſcilicet *materiam*, habebit etiam „ (quod noluit Cardinalis) τὴν καύχησιν *ipſam gloriationem*: niſi *poſſe* & *nolle* ipſi *nobilius* viſum fuit, & quod jure & merito potuit præ modeſtiâ & animi humilitate facere recuſaverit. At Apoſtolus tam in hoc quàm in priore Capite non ſolùm omnem *gloriandi actum*, ſed & *materiam* nobis abjudicat; ideòque eam *Abrahamo* (ut iſti volunt) hîc (ſi ſibi conſtare vellet) attribuere nequit.

3. Utcunque τὸ καύχημα hîc non propriè ſignificat *gloriam*, prout *Vetus Interpres* hîc illud reddit, non *laudem* vel *approbationem* cum *Toleto*, cum quibus τὸ καύχημα idem fere eſſe contendit. Si enim τὸ κανχᾶσθαι ullatenus *laudare* vel *approbare* ſignificet, proculdubio non hoc propriè, non abſolutè, ſed tantùm *ſeipſum laudare*, ut הִתְפָּאֵר apud Hebræos in formâ reciprocâ Hithpael. At *Abrahamum* ità *gloriam apud Deum habuiſſe*, hoc eſt, *ſe coram Deo laudâſſe* nolunt vel illi ipſi qui hoc urgent, & τὸ καύχημα per *gloriam* vel *laudem* reddi vellent. Hoc enim ſolùm volunt *Abrahamum* hanc gloriam apud Deum habuiſſe, quòd à *Deo pro juſto laudaretur* & *approbaretur*, quæ ſignificatio huic voci non convenit. Atque hæ rationes

Judic. 7. 2. *Iſa.* 10. 15.

nes fuere; quare *Pontificii* contendunt Apostolum *gloriationem* vel *gloriam* Abrahamo asseruisse; Quæ quàm falsæ, quàm nullæ sint ex iis quæ jam dicta sunt, constat.

Quod verò ad *Chrysostomi* rationem primam attinet, ideò scilicet „ Fi- *Chrysosto-*
„ dem *Abrahami* vel alterius cujusvis fidelis majorem apud Deum *gloriatio-* *mus.*
„ *nem* habere, quia majora & quidem longè maxima de Deo cogitat & ità „ magis Deum glorificet, Rem quidem veram dicit, sed quæ hujus loci scopo, vel hujus vocis significationi minimè convenit. Quamvis enim Apostolus ad finem Capitis v. 19, 20, 21, &c. hoc elogium det fidei Abrahami, quòd cum „ contra spem sub spe crediderit, gloriam Deo dederit, hîc tamen in initio Capitis de hâc re non agit, ubi ei omnem apud Deum gloriationem adimit.

Et præterea si hîc dixisset Apostolus *eum apud Deum gloriationem habuisse* (quod quidem reverâ & exertè negat) id minimè explicari potuit per hoc quòd *fides ejus magnificè de Deo sensit* & cogitavit. Sic enim *in se apud Deum gloriationem* habuit, *magnificè* potiùs de *se* quàm de *Deo* cogitavit. Longè aliud est *apud Deum gloriari* & *Deum glorificare*. Illud est ἔχειν καύχημα πρὸς Θεόν, ut hoc in loco. Hoc verò est ἐν Κυρίῳ καυχᾶσθαι 1 Cor. 1. 31. Vacillat ergò, vel saltem huic loco & Phraseologiæ minùs accommoda est prima hæc *Chrysostomi* hunc locum ità interpretandi ratio.

At secunda forsan magis quadrat, quæ hæc est, quòd *Abrahamus* ideò atque hoc in sensu *gloriationem apud Deum* habuit, quia cum ii qui *operibus* justificare volunt *sua opera* jactitent, atque ità de seipsis glorientur, *fides* contra hominem *extra se* totum mittit, nil sibi arrogat, sed quicquid in se vel sit vel habeat, id totum & in solidum Deo ejusque gratuitæ benevolentiæ, atque imputatæ Christi justitiæ acceptum fert, adeòque non apud se, sed *apud Deum solum* glorietur. Quò & quæ sequuntur spectant, & S. Scripturæ Testimonium v. 3. de fide gratuitò imputatâ Abrahamo in justitiam. Et Ratio, quæ continetur versibus 4, 5. quòd „ operanti merces imputetur „ secundùm debitum, non operanti verò sed credenti in eum qui justificat „ impium fides ejus reputetur ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei. Atque hæc solâ ratio est, quare ex nostris aliqui *Bucerus P. Martyr, L. de Dieu*, & si qui alii argumentum istud Apostoli hoc modo formandum & interpretandum statuant.

Et quidem tria hæc lubens agnosco

1. Hanc locum hunc interpretandi rationem in se continere quoad rem *sententiam piam* admodùm & *veritatis* simul ac *consolationis plenissimam*, quæ genuinam fidei indolem egregiè & ad amussim nobis exhibet.

2. Agnosco etiam eam satis aptè convenire posse cum sequentibus, ubi quæ dicuntur de *gratuitâ fidei imputatione* oppositâ *Operum* secundùm *debitum mercedis* postulationi *gloriationem* omnem à se in *Deum solum* transferunt & gratuitam ejus misericordiam.

3. Quin & ultrà agnosco hanc interpretandi rationem optimè convenire (saltem quoad rem & sententiam in eâ expressam) vel cum illâ alterâ, licèt quoad Argumenti Apostolici formationem ei planè contrariâ. Cum enim ii qui *Assumptionem* Syllogismi Apostolici *affirmationem* esse volunt, hanc

scilicet,

ſcilicet, At Abrahamus habuit de quo glorietur apud Deum, hanc ejus rationem eſſe ſtatuant, quia fides Abrahami nihil ſibi arrogavit, ſed *totum Deo*, ejuſque gratiæ *tribuit*, adeòque *apud Deum*, id eſt, de *Deo ſolo* gloriabatur; ob hanc ipſiſſimam rationem & illi qui ex adverſo *Aſſumptionem* (ſecundùm ipſa Apoſtoli verba ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν) negativam eſſe contendunt, hanc ſcilicet (At Abrahamus non habuit de quo glorietur apud Deum, hoc vel ideò dicunt & contendunt, quia fides cum gratuitò imputata ſit ad juſtitiam, ſibi & ſuis operibus omninò nihil, ſed Deo, ejuſque gratiæ prorſus omnia aſcribit. Quoad rem itaque idem dicunt & ſentiunt, ac proinde dolendum eſt quòd cum in *re* tanta utrinque ſit *convenientia*, tanta tamen, eaque omninò *oppoſita* & *contradictoria* ſit *Argumenti Apoſtolici formatio*; Quorum illi ità Syllogiſmum inſtituunt, *ſi Abrahamus ex operibus juſtificatus fuit, tum non habuit, de quo gloriaretur apud Deum, at habuit. Ergo.* Hi verò ſic. *Si Abrahamus ex operibus juſtificatus fuit, tum habuit de quo gloriaretur apud Deum. At non habuit. Ergo.* Quæ contradictoriè oppoſita ſunt, *Habuit*, & *non habuit.* Ut hîc verè dici poſſit, Nulli tam *propè*, nulli tam *procul* ſint à ſe invicem.

Sed quamvis quoad rem prorſus vel ſaltem aliquatenus conveniant, ii tamen qui priorem hanc ſententiam tenent, minùs rectè ut de Argumentationis *formatione*, ità & de *Phraſiologia* hîc adhibitâ, forſan etiam & de *rei* ipſius *veritate* ſentire videntur.

Nam quod ad *Phraſiologiam* attinet ἔχειν κάυχημα πρὸς τὸν Θεόν, non propriè illud exprimit quòd illi volunt, nimirum *de Deo*, & Chriſto, ejuſque juſtitiâ non ſuâ *gloriari.* Id enim per ἐν Θεῷ καυχᾶσθαι exprimi ſolet, ut Rom. 2. 17. καυχᾶσαι ἐν Θεῷ & 1 Cor. 1. 31. ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω; in *Deo*, in *Domino* gloriari, quod Hebræi per בֵּאלֹהִים & בַּיהוָה exprimunt, ut בַּיהוָה תִּתְהַלֵּל נַפְשִׁי in *Domino gloriabitur* anima mea Pſal. 34. 2. & בֵּאלֹהִים הִלַּלְנוּ ἐν τῷ Θεῷ καυχησόμεθα ut illud Pſal. 44. 8. reddit *Aquila.*

Sed καυχᾶσθαι vel κάυχημα ἔχειν πρὸς τὸν Θεόν eſt *apud Deum*, vel *coram Deo conſcio, arbitro, judice* gloriari, & opponitur *gloriationi* apud *homines*, vel coram hominibus teſtibus. Sic hoc in loco ex communi Interpretum ſententiâ. Sic etiam Rom. 5. 1. „ Juſtificati ex fide pacem habemus πρὸς τὸν Θεόν coram Deo Judice 2 Cor. 3. 4. „ fiduciam habemus per Chriſtum πρὸς τὸν Θεόν, quod *Grotio* idem eſt cum eo quod priùs dixerat Cap. 2. 17. κατενώπιον τοῦ Θεοῦ „ coram Deo conſcio, vel in Dei conſpectu. 1 Johan. 3. 21. „ Dilecti, ſi cor noſtrum nos non condemnet „ παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν *apud Deum*, vel coram ejus Tribunali.

Si verò dicant hoc etiam in ſenſu fideles per fidem gloriationem habere *apud Deum* eò quòd de *alienâ juſtitiâ* gloriantur, non *ſuâ* non de ſuis meritis & operibus, vel *ante fidem* vel etiam *poſt fidem* factis, ſed de gratuitâ Dei miſericordiâ, & Chriſti juſtitiâ ipſis imputatâ, quam Dei juſtitiæ μετὰ πολλῆς παῤῥησίας objicere poſſunt, adeòque de eâ vel coràm Deo ipſo, ejuſque Tribunali, *modeſtè* quidem, *humiliter*, & gratanter, at *confidenter* tamen

glo-

gloriari juxta illud Apoſtoli 1 Cor. 1. 30, 31. „ Chriſtus à Deo factus eſt „ Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & Redemptio, ut fiat ſicut ſcriptum eſt, Qui gloriatur in Domino glorietur; ideòque ne vel in ipſo juſtificationis negotio omnem òmninò gloriationem excludi, ſed Carnalem ſolam, quæ ipſius hominis præſtantiæ innititur, qualis omnis ea eſt, quæ ex quibuſvis *operibus* fluit, quæ Gratiæ inimica eſt. At quid vel minimùm gratiæ derogat *gloriari* nos *ſolâ Dei gratiâ, ſolâ juſtitiâ Chriſti imputatâ* juſtificatos eſſe?

Hæc repono,

1. Hoc quod dicunt, in hoc ſenſu veriſſimum eſſe, & in ſe continere doctrinam longè dulciſſimam. Nil enim in ſe admiſtum habet fermenti *Pontificii* de *merito operum* vel ſine fide vel *ex fide* factorum, quæ vel peccata, vel peccaminoſa ſunt; Nil enim vel *de operibus* vel de ipsâ *fide* gloriatur, ſed de *ſolâ Chriſti juſtitiâ* per fidem apprehensâ, quæ ſola *fidei* gloriatio eſt, quæ nullius meriti eſt vel operum vel fidei, ſed gratiæ omninò gratuitæ, quâ nullatenus in nobiſmet ipſis ſed in *ſolo Domino* gloriamur, prout in allato loco hortatur Apoſtolus, „ Qui gloriatur in Domino glo„ rietur, hoc eſt, qui gloriatur agnoſcat ſuam nullitatem, & juſtitiam & ſalutem ſuam Dei gratiæ in ſolidum aſcribat, ut rectè id interpretatur *Pareus*; ac proinde *P. Martyr* per gloriationem in hoc loco vult Apoſtolum intelligere juſtitiam à Deo liberaliter per Chriſtum conceſſam, ipſiſſimam ſcilicet Chriſti juſtitiam, atque ideò rectè annotâſſe *Chryſoſtomum* in hunc locum *majorem gloriationem* habere homines ex *fide* quàm ex *operibus*, quia *quæ fides apprehendit longè noſtra opera excellunt.* Hoc ſanum admodùm & Orthodoxum eſſe concedo, atque *Abrahamum*, ut & fidelem quemlibet quòd ad juſtificationem etiam attinet, habere *gloriandi materiam*, Dei ſcilicet *gratiam*, & *Chriſti* ſibi gratuitò imputatam *juſtitiam.*

2. At verò de *hâc gloriatione* Apoſtolum *hîc agere*; vel aſſerere *Abrahamum* habuiſſe in re juſtificationis id de quo gloriari poſſet, id quidem mihi minùs perſuaſum eſt.

1. Quia nil tale hîc apparet, vel κατὰ λέξιν dicitur ipſis Adverſariis fatentibus, qui illud tantùm ſubintellectum volunt.

2. Quia ῥητῶς huic contrarium quoad verba affirmatur Epheſ. 2. 8, 9. „ Gratiâ ſervati eſtis per fidem non ex operibus, ut ne quis glorietur. Et (quod magis premit) in hâc ipſiſſimâ ad *Romanos* Epiſtolâ, eâdem diſputatione, ſex tantùm ab hoc Commate verſibus (nimirum Cap. 3. 27.) apertè *gloriationem* à *juſtificatione excluſit*, quod contrariæ ſententiæ multùm præjudicio eſſe poteſt, Apoſtolum ſcilicet non de *aliâ* atque *aliâ gloriatione* ibi & hîc loqui; ibi de gloriatione de *operibus noſtris*, hîc de *Dei gratiâ*, ſed de *eâdem gloriatione* utrobique agere, quam ibi univerſaliter à juſtificatione excluſit, hîc vel *Abrahamo* in particulari negat.

3. Quod & ſequentia etiam ſuadent. Non enim (ut aliqui volunt) illud 3^tii. Commatis (Deum ſcilicet imputâſſe fidem Abrahamo ad juſtitiam) hoc teſtimonio *comprobat hanc*, in ſecundo Commate, hanc, quam volunt, *gloriationem*, ſed contrà directè Divino iſto Teſtimonio *improbat* & *refutat* illam alteram *gloriationem*, quam in Antecedentibus *excluſerat*; ſcilicet Abrahamum non habuiſſe de quo gloriaretur, quia *juſtificabatur* ex *fide gratui-*

tò imputatâ; quod ultrà v. 4, 5. efficaciter etiam evincit Ratione â materiâ gloriationis, quæ non eſt (ut illi volunt) gratuita Dei in Chriſto miſericordia, quam in Abrahamo fuiſſe vel probaret vel approbaret; ſed quæ ſibi innixa ſit, *ſuisque operibus*, quibus „ merces ſecundùm debitum imputata ſit v. 4. de quibus eo nomine gloriari poterat, cum quâ nil commercii habere fidelem oſtendit v. 5. cum „ credit in eum qui juſtificat impium, ac proinde fides „ ei imputatur in juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ, quæ omnem hu- „ juſmodi gloriandi anſam præripit. Cum enim (ut piè *Calvinus*) hoc A- „ brahæ adimat, quis noſtrûm ſibi gloriam meriti (vel gloriationis) arro- „ gabit?

2. His rationibus adductus ſum ut miſsâ illâ primâ Syllogiſmi Apoſtolici formatione, quæ *Aſſumptionem* ejus *affirmativam* eſſe vult, hanc ſcilicet, *At Abrahamus habuit de quo gloriari poſſet*, in ſecundam illam aliorum atque ex noſtris plurium pedibus eam ſententiam, *Aſſumptionem* nimirum non *ſubintelligi*, ſed in terminis *negativè* in hoc Commate *exprimi* hoc modo *At Abrahamus non habuit de quo gloriaretur*. Sic enim verba ſe habent „ Si ex „ operibus juſtificatus fuit, habet de quo glorietur, ſed non apud Deum; ubi per *Prolepſin* occurrit *objectioni* Judæorum qui ſic aſſurgere poſſent, At Abrahamus invênit gloriam juſtitiæ; Ergo meritò gloriari poterat; Cui opportunè occurrit per diſtinctionem *gloriationis*, quam ſubindicat duplicem eſſe, vel *apud homines*, vel *apud Deum*, quarum priorem per conceſſionem admittit, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, cum Abrahamus adeò verè fidelis & pius fuit, atque tot, tamque præclara ediderit, habuit quod non ſolùm omnium conviciantium calumniis opponeret, ſed de quo *apud homines*, non quidem arroganter & jactanter, ſed fidenter tamen modò humiliter *gloriari* poterat, ut Gal. 6. 4. apud homines, inquam, qui *interiora non vident*, & de quibus optimè *meritus* eſt; ſed non interim *apud Deum*, qui *omnia ſcrutatur*, & minimos (qui *optimis* noſtris *operibus* ineſſe non deſinunt) *defectus* perſpe-
* *P. Martyr.* ctos habet, * „ cujus nos oportet ſententiæ vel ſtare vel cadere, & de quo (licet perfectiſſima fuerint) nil omninò *mereri* poterant, ideòque neque coram eo *gloriari*. Sic plerique noſtrûm formari putant Syllogiſmum & argumentum Apoſtoli, ut gloriationem Abrahamo non attribuat ſed adimat. Sic *Arabs* Interpres, qui ſic hæc legit „ Si fuiſſet Abraham per opera juſtificatus, „ fuiſſet ei in eis gloriatio manifeſta, At non eſt ſic apud Deum.

Sed nolo in hâc ſententiâ ultrà confirmandâ laborare, quod jam ſatis factum arbitror, quæ etiam ex communi noſtrorum Interpretum judicio, ex his ipſis Apoſtoli verbis, præſertim ex tam antecedentibus quàm conſequentibus (quæ *gratuitam impiorum juſtificationem*, indeque *imputationem* aſſerunt, omnem vel debiti, vel meriti conſiderationem abnegant, ideòque gloriationem excludunt) plus ſatis conſtat.

Tantùm ergo reſtat ut (quod in priore Commate fecimus) πόρισμα quædam *Coronidis* loco adjungamus.

Πόρισμα 1. Primò cum Apoſtolus ipſi *Abrahamo* omnium Sanctiſſimo omnem gloriandi materiam adimit, quis *noſtrûm* (ut *Calvinus* ait) „ ſibi meriti vel „ guttam arrogabit? nil *meriti* ſanè erit ubi nulla *gloriatio*, quam ne *Aquinas* admittere auſus eſt *per ſe*, ſed tantùm per ſuppoſitionem *ordinationis* Di-

vinæ.

vinæ. At nulla talis, imò *contraria* eſt *Dei ordinatio*, ſcilicet, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Et piè *Bernardus* Serm. 13. in *Cantica*, „ Di-
„ camus ergò, dicamus clamantes plus medullis cordis quàm labiis oris, Salvos
„ fac nos Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus ut confiteamur
„ Nomini Sancto Tuo, non noſtro, & gloriemur in laude non noſtrâ ſed
„ Tuâ in ſecula ſeculorum.

Hinc 2dò. Character doctrinæ *Paulinæ* & vere *Apoſtolicæ* deſumi poteſt, 2.
hic ſit quòd in eo multùm ſit ut *hominem* in *ſe* & *apud ſe deprimat*, omnemque de ſe magnificè ſentiendi & gloriandi anſam præripiat; unde facilè quidem at certò tamen concludere poſſumus, quid demùm pronuntiandum ſit de præpoſterâ & ſuperbâ tum *Pontificiorum* tum *Novatorum plurium* (quæ in Eccleſiis Reformatis plus ſatis hodiè gliſcit) doctrinâ, de *Originali peccato* ab aliquibus prorſus ſublato, à pluribus interpolato & imminuto, de *Juſtificatione ex operibus*, de *perfectâ legis Divinæ in hâc vitâ impletione*, de *merito*, de *libero arbitrio*, de *Rationis humanæ in rebus Evangelicis judicio*, de *morali irregenitorum juſtitiâ*, de *Ethnicorum ſalute* & hujuſmodi aliis, quæ omnia *homini* (quaſi aliquid in ſe fuerit) *inflando* inſerviunt, *Gratiam* verò *minuunt*, atque ægrè ferunt ut Chriſtus ſit „ omnia in omnibus Col. 3. 11. At benè interim eſt unde ſorti noſtræ gratulemur, quòd dum ipſi (ut *Pelagiani olim*) *ſemetipſos*, hominem, naturam evehant & venditent, nos cum *Bradwardino cauſam Dei* agamus.

Non ità tamen quin (quod ad nos attinet) pios omnes, & de nobis vel aliis 3.
benè meritos debitis laudibus cumulemus. Ἀπόδοτε πᾶσι τὰς ὀφειλάς, τῷ τὸν τιμὴν, τιμήν „ Reddite omnibus debita; Cui honor, honorem, ut hic noſter Apoſtolus jubet Rom. 13. 7. cujus præcepti hîc etiam memor licèt *Abrahamo* gloriationem *apud Deum* adimat apud *homines* tamen propter præclara coràm eis geſta ἐνδοξαζόμενον eum κάυχημα ἔχει lubens agnoſcit. Ut & ipſe Apoſtolus de ſuâ ſinceritate apud Corinthios malè ſuſpicaces 2 Cor. 1. 12. de Apoſtolatûs ſui authoritate apud *Thraſonicos Pſeudapoſtolos* 2 Cor. 11. 8. abundè gloriatur.

Ità tamen ut immanè diſtet *gloriatio apud Deum* & *apud homines*. Hanc 4.
duplicem enim gloriationem clarè ſubinnuit Apoſtolus in hiſce verbis ἔχει κάυχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν Gloriationem habuit, apud homines ſcilicet, at non apud Deum: Cum enim „ quod apud homines ſublime eſt, abominatio
„ eſſe poteſt apud Deum qui corda novit Lucæ 16. 15. non utique „ qui
„ ſeipſum commendat probandus eſt, ſed quem Dominus commendat, cujus *2 Cor. 10. 18*
„ laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo. *Rom. 2. 29.*

Rom. IV. 3.

Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; Ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.

Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Vulg.

Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam. Beza.

DE hujus Commatis cum præcedentibus & ſequentibus connexione in generali hujus ἀκολουθίας Analyſi priùs egimus. Hæc tantùm jam ultra monemus.

1. Hunc verſum poſſe immediatè referri ad primum, & eſſe confirmationem novam propoſitionis, quæ habetur in primo illo Commate, *Abrahamum* ſcilicet *non inveniſſe juſtitiam* vel juſtificationem *ex operibus*: Hoc 2do. verſu probavit ex eo quòd *non habuit gloriationem apud Deum*, quam tamen habere poterat, ſi ex operibus juſtificatus fuiſſet; quod etiam ſecundo argumento hîc probat à S. Scripturæ Teſtimonio petito, quod „ fides ei imputata erat ad juſtitiam. At *fides* & *opera* in articulo *Juſtificationis* ex adverſo apud Apoſtolum *opponuntur* Rom. 11. 6. quia imputatio fidei ſolam *gratiam* loquitur, ſed opera *mercedem* ex *debito* expoſcunt. Atque hanc analyſin *Bucerus* & *Beza* ſequi videntur.

Rom. 3. 28.

2. At æquè ad mentem Apoſtoli, & verborum ſeriri forſan accommodatiùs hæc cum verſu ſecundo & verbis immediatè præcedentibus conjungi poſſunt; *Abraham* non habuit de quo apud *Deum gloriari* poterat, quia *fides ejus ei imputabatur ad juſtitiam*, quæ imputatio, cum omninò gratuito fuit, omnem præſcidit gloriandi anſam. Sic *Calvinus* „ Probatio eſt Minoris, &c. Nam ſi Abraham ex eo juſtificatur quòd „ amplecti„ tur fide bonitatem Dei, ſequitur, nullam eſſe ejus gloriam, quia nihil „ ſuum affert, niſi miſeriæ agnitionem, quæ miſericordiam quærit, &c. Atque hoc quidem modo quinque hi primi verſus hujus Capitis eodem quo in Textu habentur ordine, velut catena, in quâ poſterior quique annulus priorem prehendit & unà trahit, totum argumentum hoc modo procedendo conficiunt.

Abrahamus non invênit juſtitiam, vel non *juſtificatus* fuit *ex operibus*. Hæc prima hujus argumenti propoſitio fuit v. 1.

Hoc verò (quòd non operibus juſtificatus fuit) ex eo probatur, quia apud *Deum gloriationem non habuit* v. 2.

Gloriationem verò vel ullam *gloriandi* materiam non habuiſſe probatur, quia *fides* ejus ex *merâ gratiâ* ei *imputata fuit ad juſtitiam* verſu hoc 3tio. ex Scripturæ teſtimonio.

Fidem

Fidem verò ex ſolâ *gratiâ* ei *imputatam* eſſe Ratione evidenti probatur verſibus duobus ſequentibus, quia cum *opera mercedem* ex *debito*, & exigente juſtitiâ ſibi vendicent v. 4.

Fides contrà cum „ credit in eum qui juſtificat impium, omninò ex ſolâ *gratiâ* non *operanti imputatur ad juſtitiam* v. 5.

Sed ad verſum hunc, prout in ſe eſt, explicandum veniamus; & primò minutiora quædam tanquam levis armaturæ milites quaſi in primâ acie prodeant, ut poſt leviorem de his velitationem ad graviora & quaſi ad ſtatariam pugnam deveniamus.

Primum illud ſit, Quòd hæc (prout in primo Commate ſimile factum vidimus) per *interrogationem* efferantur. *Quid enim dicit Scriptura?* quod hîc, ut priùs, *confidentiam veritatis* habet & denotat, ut annotârunt nonnulli neque ego quidem abnuo. Hoc tamen interim adjungi vellem, Apoſtolum ità loquendo, de re quam in manibus habet & probaturus eſt quaſi deliberando & conſulendo ad *Scripturæ fidem & teſtimonium provocat*, quod quidem in *rebus fidei* & quæ Revelatione Divinâ nituntur ſemper & religiosè fieri debet, *Ad legem & Teſtimonium* Iſa. 8. 20. *Hæc Scripta ſunt ut credatis* Johan. 20. 31. Hîc ſemper audiat & audiatur, non quid ſomniat vel delirat & inſanit *Enthuſiaſmus*, vel comminiſcitur *humana Ratio*, ſed, ut hoc in loco, *Quid dicit Scriptura* (quæ cum *verbum fidei* ſit Rom. 10. 8. fides ei inniti debet) vel, ut olim, *Quid reſpondit Dominus? Quid locutus eſt Dominus?* Jer. 23. 35. vel ſi qui in *nomine Domini* nobis veniant, ſignatis tabulis agant, literas haſce Credentiales expromant, ut cum ſe *Legatos* venditent, etiam *juxta legationem* ſuam *agere* intelligantur; ut de *Haggæo* ſignanter dicitur Cap. 1. 13. וַיֹּאמֶר חַגַּי מַלְאַךְ יְהוָה בְּמַלְאֲכוּת יְהוָה „ & dixit *Vajomer Chaggai malach Jehova bemalacuth Jehovah.* „ Haggæus Legatus Domini in Legatione Domini, ſcilicet juxta Legationis „ ſuæ tenorem. Quod ſi non dixerint juxta verbum hoc, non eſt illis matu- „ tina lux.

Secundum quod hîc animadvertendum velim illud eſt. Quid *dicit Scriptura?* ubi per *Proſopopœiam perſona*, adeoque & *loquela Scripturæ* tribuitur; qui quidem loquendi modus tum apud profanos Authores, tum in Sacrâ Paginâ ſatis uſitatus ut Johan. 7. 38, 42: 19 37. Rom. 9. 17: 10. 11: 11. 2. Gal. 3. 8: 4. 30. 1 Tim. 5. 18. Jacobi 4. 5. quibus omnibus in locis hoc *Scriptura dicit* occurrit. Quod etſi Grotius alicubi exponit per *in Scripturâ dicitur*, alibi tamen fatetur Apoſtolum loqui de Scripturâ ut de *homine*, imò verò ut de ipſo *Deo:* vox enim iſta *Scriptura* in hujuſmodi locis & loquendi modis pro *ipſo Deo* ponitur, & *Scriptura dicit*, & *Deus dicit* pro eodem habenda ſunt: hoc enim vult hæc locutio *Scriptura dicit*, nimirum Deus in Scripturâ, quia Scriptura eſt verbum Dei. Secundùm quem loquendi modum legimus Scripturam non ſolùm *dicere*, ut hoc in loco, & huic ſimilibus, ſed & προϊδεῖν *prævidere* ut Gal. 3. 8. προϊδοῦσα δὲ ἡ γραφὴ προευηγγελίσατο „ Prævidens autem, vel quum prævidiſſet Scriptura, præ- „ nuntiavit &c. quod *propriè* de Scripturâ dici non poteſt, ſed de ipſius *Dei* præſcientiâ. Id ergo de Scripturâ dicitur, quod de Deo in Scripturâ lo- *in Rom. 9. 17. in Gal. 3. 8.*

quente intelligitur, & quòd *Deus in Scripturâ* dicit, *Scriptura* id dicere affirmatur.

Quod clarè admodum loquitur, quanta *fides* & *Reverentia Sacræ Scripturæ* debetur, quanta ſcilicet & ipſi *Deo* in eâ loquenti, ut quantam fidem ipſi *Regi*, tantam etiam & diplomati ejus habemus. Eadem veracitas eſt & hominis, & literarum manu ſuâ exaratarum; ergo & eadem utrique adhibenda eſt fides. Hinc *amare*, *timere*, *credere*, *inniti*, quæ Deo propria ſunt, utpote cultûs ſui partes & noſtri ei debiti obſequii, etiam *Scripturæ* vel verbo Dei in eâ contento tribuuntur, quia cum *Scriptura dicit*, *Deus loquitur*.

Quod *Enthuſiaſtis* (qui Spiritum ſibi & in ſe loquentem crepant) fucum adimit; quia poſt jam exaratam Scripturam Dei *Spiritus* in *Scripturâ* loquitur, vel ſi quid immediatiùs inſpiraverit, ſemper *ſecundùm Scripturam*: ut ſiquid extra vel ſaltem contra Scripturam (quod ſæpè ab illis fit) tanquam à Spiritu profectum vel ipſis dictum venditent, id certò ſciamus non à *Spiritu fidei* 2 Cor. 4. 13. *ſanctitatis* Rom. 1. 4. *veritatis* Johan. 14. 17. profectum eſſe, ſed vel à *Spiritu Pythonis* Act. 16. 16. quod hodie ſæpè accidere verendum eſt, vel à *Spiritu mundi* 1 Cor. 2. 12. & *erroris* 1 Johan. 4. 6. „ Ad legem & Teſtimonium, ſi non loquantur juxta verbum hoc &c. Iſa. 8. 20.

Hoc etiam blaſphemis *Jeſuitis* os obturare poteſt, qui in *Colloquio Ratisbonenſi* ità argumentati ſunt. „ Judex Controverſiarum debet loqui, „ Scriptura non loquitur, ſed eſt muta litera; Ergò Judex Controverſiarum „ eſſe nequit, ac propterea *Judicem externum*, *Papam* ſcilicet, ſufficiendum eſſe clamitant. At qui Scripturam *mutam* eſſe dixerit, is *ſurdus* omninò eſt, dum eam hîc & alibi *dicentem*, *loquentem*, imò & clamantem non audit; in ultimo Judicio (niſi priùs reſipuerit) ſententiam dicentem auditurus. Sic *Scriptura dixit Pharaoni* Rom. 9. 17. ſimile etiam olim dictura reliquis ſimiliter incredulis. Cum leges *humanæ* ſatis *vocales* ſint, num *obmuteſcent Divinæ*? ſatis clarè ſanè loquuntur, ſi non *auribus*, at *Conſcientiis*.

Seſſ. 9.

Sed pergamus. *Quid enim dicit Scriptura?* ἐπίστευσε δὲ Ἀβραάμ.

Tertiò & illud annotandum quod Apoſtolus non *Abram* dixit ſed *Abraham*, cum tamen non ità ſe habeat in loco illo *Geneſeos* ex quo deductum eſt hoc, quod Apoſtolus adhibet, Teſtimonium. Locus enim iſte eſt Gen. 15. 6. ubi ſic legitur. „ Credidit *Abram* Domino, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Nondum enim *Abraham* nominabatur, eâ Epentheſi nomini ejus poſteà interjectâ, nimirum Gen. 17. 5. At quia cum Apoſtolus hæc ſcripſit & multò ante, Abrahamus hoc novo auctoque nomine, adauctâque inde gloriâ inclaruit, ideò eo tanquam magis magnifico eum hîc nominavit, quod & paſſim apud omnes tum fieri ſolebat. Neque (ut opinor) unquam in Sacrâ Scripturâ occurrit locus in quo *Abram* vocatur ex quo Gen. 17. 5. dixerat ei Deus, „ Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, literâ ה ſcilicet interjectâ, quæ præcipua litera eſt, & bis ponitur in Nomine Dei Tetragrammato יהוה ut inde innuretur, (authore *Hieronymo*) *Jeſum Meſſiam*, qui verè *Jehovah* eſt, ex *Abrahamo*

Primus omnium, quorum, nomina in S. Scripturâ mutata legimus fuit Abraham. Aynſworth.

hamo naſciturum. Sed potiùs ה pro המון interponitur, quæ vox multi- *Hamon*
tudinem ſignificat, ut inde innoteſceret Abrahamum qui priùs אברם *Pa-* *Abram*
ter excelſus vocabatur jam ultrà *patrem multitudinis plurimarum Gentium* futurum, ſic enim ipſe Deus hujus immutati nominis *ætiologiam* reddit, verbis ibi proximè ſequentibus. „ Nec ultrà vocabitur nomen tuum *Abram*, „ ſed erit nomen tuum *Abraham*, quia Patrem multitudinis Gentium con- „ ſtitui te. Quo nomine, ut hoc in loco, ſic ubique ſemper per totam Scripturam poſtea vocatur quò major huic vel prædictioni vel juſſo divino præſtaretur fides. Tale quidem etiam *Jacobo* dictum legimus, „ Nequa- „ quam Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël Gen. 32. 28. quod ut certiùs credatur, ſecundò atque iteratò dicitur Cap. 35. 10. cum tamen tum ipſum tum progeniem ejus ſæpiùs poſtea in S. Scripturâ *Jacobi* nomine vocari legimus; quæ cauſa fuit *Junio* ut illa verba ità redderet. „ Non „ Jaakob ſolùm ampliùs dicetur nomen tuum, ſupplendo Ellipſin in variis locis ſatis frequentem, quam licèt alii Interpretes non ità ſupplent, ineſſe *Jer.* 23. 7. tamen fatentur, ut verba illa non abſolutè ſed comparatè dicta interpretentur *Piſcator* & quoad agnominationis iſtius ſplendorem, ac ſi dixiſſet non tam Jacob vo- *Mercerus* caberis quàm nomine & titulo longè illuſtriori Iſraëlis inſignieris, atque *Lapide* etiàm quoàd novi iſtius nominis longè majorem frequentiam: multò enim *Grotius* crebriùs ſi non ipſe *Jacob* at ſaltem *Semen* ejus *Iſraël* vocatur quàm *Jacob*. *Aynſworth.* At *Abrahamus* poſt hanc nominis ejus mutationem nunquam poſtea *Abram* vocabatur in S. Scripturâ, ſed ſemper *Abraham*, quæ ratio eſt quare Apoſtolus hoc in loco licèt Locum notet in quo *Abram* dictus erat, in eo tamen citando communi quo (cum hoc ſcripſit) vocabatur nomine *Abrahami* eum indigitat.

Quod etſi forſan leviuſculum videri poſſit nec tantâ dignum explicatione; inſervire tamen poteſt multorum Sacræ Scripturæ Locorum elucidationi, in quibus cum Scriptores res antiquas & longè ante tempus in quo ipſi ſcripſerunt geſtas narrant, nomina rebus & locis imponunt, quibus vocabantur eo tempore, quo ſcripſerunt, non quo res, quas narrant, geſtæ erant. Quæ Interpretes ut plurimùm per *Prolepſin* dicta eſſe exiſtimant. Ego potiùs (ſi ità ἀνυσηλογεῖν liceat) per *Metalepſin* dixerim, quòd de rebus antiquis utantur verbis præſentibus. Sic Gen. 21. 14. de deſerto *Beershebæ* legimus ex nomine quo cum hæc ſcripſit *Moſes* (& multò quidem antea) vocabatur, cum nondum tamen hoc nomen ei impoſitum erat, cum res quæ ibi narrantur geſtæ ſunt, uti patet ex Commate 31. ejuſdem Capitis. Sic Joſuæ 15 *Hebron* & *Debir* occurrunt nominibus ex quibus urbes illæ tunc cum hæc ſcripta ſunt innotuerunt, cum tamen eo tempore quo illa quæ ibi narrantur geſta fuerunt, earum prior *Kirjath-Arbæ*, poſterior *Kirjath-Sepher* audiit. Sic 2 Reg. 16. 6. occurrit *Judæorum* nomen, quod non innotuit cum res *Vide Leusden in Philologo Hebræo, diſſertat* 21. *pag.* 211. *in Joſ.* 15. quæ ibi narrantur geſtæ erant, ſed cum ſcriptus ille liber fuit. Plura his ſimilia coacervari poterant, ſed inanis eſſet probatio ſuperflua in re non neceſſariâ. Pro exemplis particularibus ſufficiat generalis illa doctiſſimi Maſii aſſertio, „ Nempe is perpetuus ferè Sacrarum rerum Scriptoribus mos eſt, ut recen- „ tiſſima quæque nomina uſurpent: vetuſtiora (niſi locorum celebriorum)

diſſi-

diſſimulent ſilentio. Sic qui in loco hîc citato *Abram* legitur, ab Apoſtolo qui illum citat ex nomine, quo dum hæc ſcripſit vulgò innotuit, *Abraham* vocatur.

De iſto *Abrahamo* (quarto in loco) hîc dicitur quòd ἐπίστευσε τῷ Θεῷ *Deo credidit*. Cujus explicatio nil magni nobis faceſſet negotii. Quamvis enim πολυθρύλητον illud *P. Lombardi* ſit ſententiarum lib. 3. Diſtinct. 23. (quod ex pluribus *S. Auguſtini* locis deſumpſit) aliud ſcilicet eſſe *credere in Deum*, aliud *credere* Deo, aliud *credere* Deum. *Credere* Deo eſt credere vera eſſe quæ loquitur, quòd & mali faciunt, & nos credimus *homini*, ſed non in *hominem*. *Credere* Deum eſt credere quòd ipſe Deus ſit, quod etiam mali faciunt, imò Diaboli. *Credere in* Deum eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhæreſcere &c. Quem ut Magiſtrum ſuum ſequuntur Scholaſtici. *Aquinas* (ſum. 227. & q. 2. art. 2.) hoc triplex *credere unius habitûs unicum actum* eſſe vult, ſed diverſificatum vel quoad *materiale objecti*, & ſic credimus Deum, vel quoad *formale* objecti & ſic credimus Deo, vel ſecundùm quod *intellectus eſt motus à voluntate*, & ſic credimus *in* Deum. Hæc *Thomæ* ſubtilitas non arridet æquè ſubtili *Durando*, qui hoc triplex credere non unum actum, ſed *plures* eſſe contendit in 3 ſentent. Diſp. 23. q. 7. §. 6. De his inter ſe litigent per me licet; *nobis non licet eſſe tam argutis*. Illud dixiſſe ſufficiat quòd triplex iſta diverſificatio *credendi* Deum, Deo, & *in* Deum, quæ ab *Auguſtino* prodiit, poſt eum *Latinæ Eccleſiæ* propria ſit. *Latini* enim dicere ſolent *Credimus* Deum, ſubaudito *eſſe*, quod Apoſtolus Jacobus effert πιστεύεις ὅτι ὁ Θεὸς ἓν Cap. 2. 19. Theologi tamen *Græci* hujus tertii τοῦ *Credere* Deum (quantum opinor) non meminerunt; ſed duo reliqua *Credere* Deo vel *de* Deo, & *in* Deum aliquando diſtinguunt. Sic enim *Gr. Nazianzenus*, ὁ πιστὸν ἓν πιστεύειν εἰς τί τῷ περὶ αὐτοῦ πιστεύειν, τὸ μὲν γὰρ ἐπὶ Θεότητος, τὸ δὲ πανὸς πράγματος. Sic *Auguſtinus* „ Hoc eſt credere in Deum, „ quod utique plus eſt quàm credere Deo, nam & homini cuilibet plerunque „ credendum eſt, quamvis in eum non ſit credendum. Hoc eſt ergò cre„ dere in Deum, credendo adhærere ad benè cooperandum bona operanti „ Deo. Cui illud *Eucherii* gemellum eſt „ Aliud eſt credere Deo, aliud „ in Deum credere: credere Paulo & Petro jure debemus; in Petrum „ verò ac Paulum credere id eſt in ſervos conferre honorem Domini non „ debemus. Credere *illi* quilibet poteſt homini, credere vero *in illum*, „ ſoli te debere noveris Majeſtati. Eſſe Deum credere & Diabolus invenitur, „ in Deum vero credere niſi qui piè in illum ſperaverit non probatur. Quâ in re ſequaces habent Noſtrorum non ſolùm ex vulgo plurimos, verùm etiam ex doctiſſimis multos *Chamierum* dico, & reliquos.

Ad hujus rei explicationem vel *res ſub his Phraſibus contentas*, vel ipſam *Phraſeologiam* ſpectare debemus. Si *res* ipſas, *ſubjecto*, *objecto* & *principio* differunt. *Credere in* Deum actus *voluntatis* eſt & *bonum* reſpicit: *Credere* Deo & *Credere* Deum actus ſunt *Intellectûs* & circa *verum* ut *objectum* ſuum verſantur: *Credere* Deo habet Deum pro *objecto formali* propter quod credo. *Credere* Deum habet Deum pro *objecto materiali*, vel re creditâ, non Motivo credendi. Et quidem quod ad res attinet quæ in his variis loquendi modis (*credendi* Deum, Deo, & *in* Deum) continentur; licet *credere in* Deum

Serm. 61. de verbis Dom. Tractat. 29. in Johan. Serm. 181. de Tempore.

Πιστεύειν ἐπὶ τὸν Rom. 4. 5. ἐπὶ τῷ Rom. 9. 33. 10. 11. 1 Pet. 2. 6. εἰς τὸν Joh. 1. 7. 1 Joh. 5. 13.

Licet credere in Deum aliquoties pro nudâ fidei profeſſione uſurpatur ut à Chryſoſtom. Homil. 30. in Joh. Auguſtin. in præfat. ad Pſal. 31. Vide Pareum in Rom. 4. 5. obſervat. 1. Orat. 37. In Pſal. 77. De Symbolo Homil. 2.

Tom. 2. lib. 20. cap. 7. Tom. 3. l. 12. cap. 16.

Deum duo reliqua virtualiter in ſe continet, tamen omninò inter ſe variant, & in ſe diſtinctæ ſunt; nam *credere Deum*, vel *Deum eſſe* pro perſuaſiſſimo aliquis habere poteſt ſine *fide propriè dictâ* ex ſolo naturæ lumine atque demonſtratione: *Credere* etiam *Deo* aliquis poteſt, *illud* ſcilicet *quod Deus dicit verum eſſe*, ex ſolâ *fide hiſtoricâ*. At verè *in Deum credere* id demùm ſolius *fidei ſalvificæ* eſt, & (cum pars *Divini cultûs* ſit) *ſoli* Deo debitæ. Hoc verè affirmant & contendunt *noſtri*, unà cum *Auguſtino*, *Eucherio*, & *Ruffino*, qui in Symbolum hæc habet, „ Creator à Creaturis ſecernitur, „ & Divina ſeparantur ab humanis; itaque ubi de Divinitate fides ordinatur „ *in Deum* Patrem dicitur, & *in Jeſum Chriſtum* Filium ejus, & *in Spiri-* „ *tum Sanctum*; in cæteris verò, ubi non de Divinitate, ſed de creaturis „ ac myſteriis ſermo eſt, *in* Præpoſitio non adjicitur, ut dicatur in Sanctam „ Eccleſiam, ſed Sanctam Eccleſiam credendam eſſe. Ut hæc diſtinctè loquendi cura, quæ in *Symbolo* religiosè obſervatur, non adeò ſpernenda vel ſupinè negligenda ſit, quod fit à quibuſdam nuperis:

Nunquam aliquis Apoſtolorum dicere auderet, Qui credit in me: Credimus Apoſtolo, ſed non credimus in Apoſtolum. Auguſtin. Tract. 54. in Johan.

Si verò *Phraſeologiam* tantùm ſpectemus, non ægrè ipſis aſſentior tam apud Græcos πιστευειν τῳ Θεῳ & εἰς τὸν Θεὸν, quàm apud Hebræos בִּיהוָה & לַיהוָה & הָאֱמִין aliquoties in Sacrâ Paginâ confundi & pro eodem ſumi. Sic *Johannes Druſius* aliquoties obſervat, ſic alii. Hoc etiam res ipſa docet. Cum enim האמין ביהוה reſpondeat Græco πιστευειν εἰς τὸν Θεὸν, & Latino *Credere in Deum*, vel in Deo, ut האמין ליהוה Græco πιστευειν τῳ Θεῷ & Latino *Credere Deo*: hæc duo tamen ex uſu S. Scripturæ obſervari poſſunt.

Heemin Laihovah Baihovah.

Heemin Baihovah.

Heemin Laihovah.

1. Quòd האמין cum Præpoſitione ב non ſolùm de *Deo*, ſed & de *creaturis* in Sacrâ Paginâ dicitur ut Exod. 14. 31. ſic legimus וַיַּאֲמִינוּ בַּיהוָה וּבְמֹשֶׁה עַבְדּוֹ *Crediderunt in Domino & in Moſe ſervo ſuo.* & 2 Chron. 20. 20. הַאֲמִינוּ בַּיהוָה אֱלֹהֵיכֶם הַאֲמִינוּ בִּנְבִיאָיו *Credite* vel *confidite Domino Deo veſtro*, &, *credite vel confidite Prophetis ejus:* ubi eadem Phraſis *credendi in* & de Deo, & *Moſe* & *Prophetis* dicitur; licèt non eodem *modo* vel *ſenſu*, ſed longè *diverſo*, ut *Pontificii* nullam hinc *Idololatriam* ſuam ſtabiliendi (quod ex loco illo *Exodi* ſtrenuè faciunt) anſam arripiant. Nam (ut rectè *Piſcator* in illum locum) „ confiſi ſunt in Jehova principa- „ liter & per ſe, tanquam in *Deo omnipotente*, & favente Patre, in *Moſe* „ autem ſecundariò & per accidens, tanquam fideli ſervo Dei. Atque hujuſmodi fiduciæ in hominibus exempla complura videre licet in Apoſtolo *Paulo* 2 Cor. 2. 3: 7. 16. Gal. 5. 10. 2 Theſſ. 3. 4. Et ſic in *Prophetis credimus* ut *Dei Legatis*, in *miraculis* ut *fidei motivis* Pſal. 78. 32. *Dei præceptis* ut *fidei objecto* Pſal. 119. 66.

Heemin Vaijamina baihovah ubemoſcheh Gnabdo.

2. Illud in rem noſtram præcipuè annotandum eſt quòd in loco Geneſeôs hîc ab Apoſtolo adducto de *Abrahamo* dicitur quòd הֶאֱמִין בַּיהוָה *Credi-*

Heemin Baihovah

dit in Domino, quod tamen Apoſtolus hîc (ubi locum illum adducit) reddi juxta LXX. Interpretes ἐπίστευσε τῷ Θεῷ. *Credidit Deo* & *in Deo* vel *in Deum* aliquando idem valere, & *Credere Deo* hoc in loco de *credendo in Deo* vel *in Deum* intelligi, cum hîc non de *fide* ſolâ *hiſtoricâ* agat, ſed de *ſalvificâ* & *juſtificante*; nam de eâ hæc præſens Apoſtoli inſtituitur Diſputatio.

5. Illud ultimum eſt quod in fine Commatis habetur, & de *Abrahami fide* dicitur, quòd ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην quod *reputata vel imputata eſt ei ad juſtitiam*, quæ verba altiore diſquiſitione opus habent. Et hîc duo præcipuè quæri poſſunt.

1. An Apoſtolus aptè hunc Locum Geneſeôs ad præſens ſuum propoſitum allegavit.

2. Quo modo, vel quo in ſenſu Abrahami fides vel τὸ πιστεύειν ei ad juſtitiam imputetur.

1. Ad primum verò an Apoſtolus locum illum Geneſeôs ad rem, quam in manibus habuit, aptè allegaverit, duo in contrarium objici poſſunt. Cum enim hîc Apoſtolus in eo ſit ut probaret *hominem peccatorem* (vel ut eum v. 5. vocat *impium*) non *juſtificari ex operibus*, ſed *ex fide ſolâ*, videtur parùm idoneè argumentum ſumi poſſe ab exemplo *Abrahami*, ſaltem ex hoc loco, nimirum 15to. Geneſeôs, Commate 6. ex quo verba, quæ hîc habentur, recitantur.

Obj. 1. 1. Quia Abrahamus *ante illud tempus*, in quo verba illa Gen. 15. 6. *Credidit Abram Deo & reputatum eſt ei ad juſtitiam* de eo dicebantur *juſtificatus* fuit: nam antea ex juſſu Dei *patriam ſuam reliquit* Cap. 12. quod *ex fide* præſtitit ut Apoſtolus teſtatur Heb. 11. 8. Priùs etiam cum *eo* à *Deo fœdus* initum fuit Cap. 12. 2, 3. imò & renovatum & confirmatum eodem Capite v. 7. & rurſus Cap. 13. v. 14, 15, 16, 17. Malè ergò videtur hoc Teſtimonium ab Apoſtolo hîc adduci ad probandum *primam juſtificationem hominis impii* ex *fide* eſſe. *Abrahamus* enim, quum hoc de eo pronuntiabatur non fuit *impius*, neque ea fuit *juſtificatio* (*prima* ſcilicet) de quâ hîc agit Apoſtolus.

Obj. 2. 2. Illud etiam objici poteſt, quum hoc in loco Apoſtolus agat de *fide in Chriſto pro juſtificatione ad vitam æternam*, nil tale apparere videtur in illâ fide Abrahami in loco illo Geneſeôs laudato: fides enim illa ad *promiſſionem* ibi illi factam reſpiciebat, quæ non fuit de *vitâ æternâ*, ſed de *prole* v. 4. eâque *numeroſiſſimâ* v. 5. quod apertè conſtat ex ipſiſſimis ibi promiſſionis verbis, ut & ex ipsâ illam promiſſionem dandi eo in loco occaſione, quæ fuit, *Abrahami expoſtulatio de prolis defectu* v. 2. 3. Quid ergò commune habet *Abrahami fides de prole corporis* cum fide *peccatoris* in *Chriſtum ad juſtificationem* & æternam animæ ſalutem?

Solutio objectionis 1. Quod ad primam objectionem attinet,

1. Aliqui (ut eam eluant) dicunt Apoſtolum hîc non loqui de *primâ Abrahami juſtificatione*, in quâ ex *impio* primùm *juſtus factus* eſt, ſed de *ſecundâ*, quâ *aucta & declarata* fuit illa *prima juſtificatio*, ità tamen ut inde *à fortiori* probaret principale ejus hoc in loco propoſitum, nimirum *neminem quoad primam juſtificationem ex operibus ſed fide juſtificari* argumento à *majore* ad *minus* ducto, hoc modo ſcilicet, ſi *Abrahamus* non ex *operibus juſtificatus*

ſtificatus fuit in *ſecundâ juſtificatione*, cui *bona opera aderant*, tum multò *minùs* in *primâ juſtificatione*, cui *bona opera abfuerant*, cum ipſe priùs *impius* erat. At Abrahamus etiam in *ſecundâ juſtificatione* non ex *operibus* juſtificatus fuit, ſed ex *fide*, quod iſto Geneſeôs loco conſtat, ubi *fides* ei *imputari* dicitur *ad juſtitiam*, quum antea quoad primam juſtificationem juſtus erat, & bona opera ediderat. Hanc ſententiam ſequuntur *Adam Sasbout*, *Pererius*, eamque præ reliquis laudat *Eſtius*; *Cornelius à Lapide* licet hanc probabilem eſſe putat, aliam tamen præfert.

Nos Diſtributionem illam juſtificationis in *primam* & *ſecundam* in ſenſu *Pontificio* meritò rejicimus. Quamvis enim ſecundariam illam veræ per fidem juſtificationis declarationem coram hominibus per bona opera agnoſcimus, quam aliqui noſtrûm ab Apoſtolo *Jacobo juſtificationem ex operibus* dici volunt, at de hâc juſtificatione ſi *Jacobus* agat (de quo non adeò conſtat.) Non tamen *Paulus* vel hîc, vel in totâ hâc de *Juſtificatione* Diſputatione, ſed de eâ quæ quoad Deum eſt, quæ quamvis quoad particularem quotidianorum peccatorum reatûs ablationem, vel *juſtificationis* jam *factæ applicationem* continuata ſit, atque ità *ſecunda* aliquo modo dici poſſit, quoad *generalem* verò hominis juſtificati *ſtatum*, ex quo per gratiam Dei in poſterum non decidit, & *irreverſibilem* perſonæ juſtificati ad vitam *acceptationem juſtificatio* illa *prima ſimul* & *ſemel* fit, neque *ſecundariam* admittit.

Argumentum verò eorum, uti illud formant, agnoſco firmum eſſe ſi *ex operibus* non juſtificamur ſecundâ *juſtificatione* (uti illam vocant) tum multò minùs *primâ*. Quo nomine gratias eis agimus quod ità nobis concedant *bona opera* Abrahami etiam *poſt fidem* & *ex fide* facta non juſtificare ne vel *juſtificatione ſecundâ*, nedum *primâ*. Quod tamen acerrimè negant, & opera, quæ hoc in Capite & totâ hâc Apoſtoli diſputatione à juſtificatione excluduntur de eis quæ *ante fidem*, *non quæ poſt fidem facta* ſunt intelligi, conatu licet irrito, magnâ tamen vi contendunt.

At forſan videri poſſet non ſequi quia *Abrahamus* jàm juſtus factus *fide juſtificatus* eſt, ideò etiam ex *fide* priùs *juſtificatum* eſſe quum *impius* erat: Imò verò (ut jam dixi) ſatis *firmum* argumentum eſt à *majore ad minus*, ſi nè opera, quæ *Abrahamus* (qui hoc in loco *juſtus* erat) eum juſtificare poterant, quin opus habeant tum illa ipſa opera juſta & ipſe juſtus ut *fide* ſolâ niterentur quò acceptarentur, tum *multò minùs* opera ejus priora cum *impius* fuit, quæ vel nulla vel mala erant, eum juſtificare poterant, adeò ut tum inprimis *ſolâ fide* niti opus habuit ad illam *primam acceptationem* vel juſtificationem.

2. Secundò ergo Aliqui, imò ex *Pontificiis* (*Toletum* & *Cornelium à Lapide* dico) volunt hîc primam juſtificationem intelligi, non quod *Abrahamus* anteà *non credidiſſet* & *juſtificatus* fuiſſet, ut * *Auguſtinus* quidem & *Anſelmus* exiſtimant *Abrahamum* cum hoc de eo dicebatur Geneſ. 15. *impium* fuiſſe, quod cum *Pontificiis* meritò & nos rejicimus; cujus contrarium apertè probant Interpretes ex Capite illo 15to. Gen. & Heb. 11. Sed dicunt verba iſta etiam de primâ *Abrahami* juſtificatione intelligi, neque referenda eſſe ad proximè præcedentia, ſed ad omnia in prioribus Capitibus promiſſa, putà Cap. 12. & 13. ubi (Cap. ſcil. 12.) fœderis primò cum *Abra-*

* *In præfat. ad Pſal.* 31.

hamo initi mentio fit, ac proinde primæ ejus vocationis ac juſtificationis. At hoc *Eſtio* improbabile & violentum videtur duplici de causâ. 1. quia „ planus Scripturæ Textus poſtulat ut verbum *Credidit* præcisè referatur ad „ promiſſionem proximè narratam, de numerosâ ſcilicet prole, neque „ patitur ut ad alias longè præmiſſas poſt multa intermedia retrahatur. Sol. Sed *hoc* jam *quæritur*, utrùm licet promiſſioni de *prole* proximè antecedenti adnectantur, utrum (inquam) tamen ad omnia priùs promiſſa referri non poterint. 2. Illud etiam in contrarium adfert *Eſtius* „ ſi de primâ juſtifica- „ tione ſermo ſit, omninò non poterit referri verbum *Credidit* ad promiſ- „ ſionem præſentem, ſed ad illam ſolam referendum erit, quæ facta fuit „ *Abrahæ* nondum juſtificato, itaque non ſtat ut ad hanc ſimul & priores „ referatur.

At hoc etiam *quæritur*, imò contrarium aſſeritur, atque *Eſtio* probandum incubuit hoc verbum *Credidit* ità ad hanc ſolam jam factam promiſſionem coarctari ut ejus occaſionem ad *alia* priùs *facta* extendi non poterit.

3. Tertiò ergo ut noſtram de hâc re ſententiam proferam, quò clarior hujus objectionis fiat ſolutio, hæc dicta velim.

1. Certo certius eſt *Abrahamum* antequam hæc de eo Gen. 15. dicerentur & *credidiſſe* & *juſtificatum fuiſſe*, licet priùs ut libro Geneſeôs ἐντῷ non occurrat. Nam cum tribus vicibus ante hanc quartam promiſſio ei facta ſit, nimirum primo Geneſ. 12. 2, 3. 2dò. Geneſ. 12. 7. 3tiò. Gen. 13. 14, 15, 16, 17: ad unamquamque harum ſigillatim aliquid de eo dicitur, quod planè loquitur eum *tum credidiſſe* & proinde *juſtificatum fuiſſe*. V. G. ad primam promiſſionem Cap. 12. legimus eum ſtatim Deo *obtemperaſſe* & *patriam ſuam reliquiſſe* v. 4. quod ſine *fide* nec voluiſſet nec potuiſſet, atque ideò hoc *fidei* ejus tribuitur Heb. 11. 8. Et ſtatim poſt 2dam. & 3tiam. hujus promiſſionis repetitionem continuò mentio fit ulterioris ejus in itinere ſuo *progreſsûs*, & *extructo altari Nominis Dei invocationis* Cap. 12. 8: 13. 8. quæ *fidem* ac *juſtificationem* ſuam ſatis clarè teſtantur: quæ licet ἀνυπαίτως ante Cap. 15. 6. in Sacro Textu non habeantur, neceſſariò tamen ſubintelligi debent; nimirum *Abrahamum* tum etiam priùs *credidiſſe* & *juſtificatum fuiſſe*, quia eadem Capitibus 12. & 13. promiſſa erant cum his in hoc Capite, & quidem κατ' ἐξοχὴν ampliora: *Hîc* enim tantùm promittitur *ſemen* vel *proles numeroſa*, cum *ibi* etiam *ſemini* huic promittatur *poſſeſſio terræ Chanaaniticæ*, & *omnium gentium in hoc ſemine benedictio*, quæ licet hîc non exprimantur, ſubintelliguntur tamen, ut hæc loca ſe mutuò expoliant & expleant, prout ſæpiùs in Sacrâ Paginâ evenit, in repetitis nimirum *hiſtoriis*, *prophetiis*, & præcipuè in *Evangeliis*, ut quæ in *uno* Scriptore *omittuntur* ab *alio* ſuppleantur. *Eadem* ergo utrobique erant hîc & illic *promiſſa*, quin & *eadem* Abrahami *fides*, quæ cum ſibi homogenea fuit, nil dubitandum eſt, quin quæ *hîc credidiſſe* & *ad juſtitiam* ſibi *imputata* habuiſſe dicitur & *priùs* ſimiliter *credidit*, eaque *in juſtitiam imputata* fuerint, licet hâc quartâ vice confirmatior fides ejus facta ſit. Quod

2. Eſt quod dictum velim, nimirum, quamvis Abrahamus priùs credidit & juſtificatus fuit, tamen hoc in iſto loco primùm de eo dicitur, vel ſcriptis mandatur, quia jam magis *egregium* & *illuſtre fidei* ſuæ *juſtificantis*

de

de obtinendo ſemine antea etiam promiſſo *ſpecimen* edidit, & „ ex graviſſi-
„ mâ eâ de re luctâ emerſit, prout Interpretes rectè annotârunt, quod & *Pareus. Dub. 2. in Rom 4.* expoſtulatio ejus de orbitate ſuâ v. 2, 3. planè indicat: quò *major* enim cum infidelitate ei *lucta* fuit, eò *major* de eâ *triumphatâ* fuit *victoria*. Majorem verò *luctam* fuiſſe *Mercerus* oſtendit eò quod cum antea ſemen ei polliceretur Dominus, *nondum extra ſpem ætatis* poſitus erat, dum natura non reluctaretur, nec corporis conſtitutio repugnaret, ideoque *fides* quâ id tum credebat non adeò *inſignis* erat quàm nunc cum corpore penè *emortuo* de ſeipſo dixit v. 25. אָנֹכִי הֹלֵךְ עֲרִירִי *ego vado orbus*, hoc eſt jam ſenex factus בָּאֲבִימִים *In Gen. 15. 6* diu inceſſi, imò & mox ex hoc mundo migraturus ſum (Interprete Paraphraſtâ Hieroſolymitano) prout & LXX. reddunt * ἀπολύομαι ἄπιτος. Sic enim *Moriens* phraſi Hebraicâ vocatur הֹלֵךְ בְּדֶרֶךְ כָּל-הָאָרֶץ 1 Reg. 2. 2. Sic enim *Abrahamus* ſibi videbatur ſine prole moriturus ipſe jam pluſquam octogenarius, & *Sara* uxor ſterilis erat: quod ergò Deo ſeni adeò effœto ſemen promittenti *in ſpem contra ſpem credidit*, *inſigne opus fidei* erat, quod etiam Apoſtolus noſter hoc ipſo in Capite, v. 17, 18, 19, 20, 21. pluribus exaggerat, atque ideò *ſignanter* ipſi in *juſtitiam imputatum* fuiſſe dicit v. 22. „ Credere tam arduum & improbabile ampliſſimus fuit fidei actus omnia alia „ credenda tacitè complectens. Sic *Corn.* à *Lapide*. „ In illis fides ex par-
„ te, at verò hîc fides perfecta declaratur. Per ſingula quæque quæ ex parte
„ memoravimus; in hoc nunc univerſa fides eſt collecta, & ità ad juſtitiam
„ imputata. Sic *Origenes* in locum. Fuit ergò iſta fidei Abrahâmi quaſi reſurrectio quædam ubi reviviſcere incepit, & ipſe licet priùs juſtificatus, de eo tamen forſan jam certior factus eſt. Atque hinc fit ut quod ad priores promiſſiones ſubintelligendum erat, hîc ἅπαξ exprimatur. Prout etiam Apoſtolus *Jacobus* ob ſimilem cauſam hoc ipſum quod hîc tantùm (ſcilicet Gen. 15.) de *Abrahamo* dicitur trahit & applicat ad inſigniorem adhuc fidei ſuæ victoriam circa *immolationem filii* ſui, quæ poſtea Gen. 22. occurrit. Sic enim habet Jacobi 2. 21, 23. „ Cum obtuliſſet Iſaacum filium ſuum ſuper
„ altare, impleta eſt Scriptura, quæ dicit, Credidit autem Abrahamus Deo,
„ & imputatum eſt ei ad juſtitiam. At hoc Geneſeôs 22. ſcriptum non legimus, ubi narratur illud, de quo agit *Jacobus*, Abrahami ἀναβιβάσθαι, ſed hîc ſolùm, vid. Gen. 15. Quâ ergo ratione *Jacobus* dictum hoc quod Geneſeôs 15. tantùm exprimitur ad *inſigniorem* illam poſtea *in filio immolando fidei victoriam* tranſtulit, ſimili itidem ratione quod de *adauctâ Abrahæ fide* Gen. 15. expreſſe dicitur, de *prioribus* fidei ſuæ *ſpeciminibus* Gen. 12. & 13. ſubintelligendum eſſe ſignificatur. Imò licet non à *Moſe*, à *Paulo* tamen Gal. 3. expreſsè etiam dicitur. Hæc enim ipſiſſima verba *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam* habentur v. 6. atque ad fidem Abrahæ in *promiſſionem* illam ei *primò* factam Gen. 12. 3. applicantur v. 8. Quod imprimis ad hujus nodi ſolutionem attendi debet.

3. Tertiò ergò (ut brevi compendio hoc expediamus) dicendum eſt Apoſtolum hîc in eo totum eſſe, ut oſtenderet *Abrahamum adeptum fuiſſe laudem juſtitiæ per imputationem fidei*, quod quia in 15. Geneſeôs tantùm

κατὰ λέξιν dicitur, ad hoc in genere attendit, minimè ſolicitus an de *primâ* vel *ſecundâ* hujus laudis acquiſitione dictum ſit. Cum enim fides (ut priùs dixi) *homogenea* ſit, & eadem quæ *eundem aſſenſum* præbet *omnibus* licet *per intervalla promiſſis*, quod unâ vice de eâ expreſsè dicitur, de reliquis omnibus intelligi debet. Cum etiam fides quoad juſtificationem ſemper & ubique
2 Pet. 1. 1. ἰσότιμος ſit, utpote *quatenus Chriſtum recipit, eatenus juſtificat* quod manu *debili* æquè ac *forti* fieri poteſt, adeoque *juſtificatio* pro *debilitate* vel *fortitudine* fidei *majus* & *minùs* non recipiat; hinc fit, ut quamvis ad Encomium fidei magis roboratæ Geneſeôs 15. hujus (de *fide* ſcilicet *Abrahamo imputatâ ad juſtitiam*) ibi ſolùm expreſſa mentio fiat, ex ſibi homogeneâ tamen tam fidei quàm juſtificationis ratione de prioribus fidei ſuæ minùs confirmatæ actibus (qui Capitibus 12. & 13. perhibentur) dici poteſt & intelligi debet. Unde optimè conſtare poterit Apoſtolum hoc in loco non abs re ſed ſatis κατ' ἄνθρωπον ad *primam juſtificationem*, ut vocant, vel potiùs ad *fidem primò juſtificantem* accommodâſſe illud quod 15. Geneſeôs dictum fuit de Abrahami fide jam provectâ & ſatis confirmatâ.

Atque hæc de primo illo quod objici poſſet contra Apoſtoli quaſi minùs commodam, uti videtur, loci illius Geneſeôs ad præſens ſuum propoſitum applicationem.

Solutio objectionis 2. Secundum faciliùs & breviùs expediri poteſt, quod tale fuit. Locum illum Geneſeôs loqui de promiſſione Dei Abrahamique fide de ſolâ *numeroſiori prole*, uti conſtat ex verbis antecedentibus. At quid hoc ad *fidem* de *juſtificatione & vitâ æternâ*, de quâ hîc agit Apoſtolus?

Sed facilis ſolutio.

1. Prima *Melanchthonis*, *Buceri*, *Calvini*, *Hyperii* & aliorum noſtrorum eſt, nimirum fidem ſuâ naturâ Dei miſericordiam ut objectum ſuum principale primo loco reſpicere, ſiquidem relativè ſe habent fides & promiſſa miſericordia, ergò non expectat beneficium ſine præviâ miſericordiâ. „ Nemo „ enim (ut inquit Melanchthon) in re quâvis particulari Deo credit, niſi „ priùs credat Deum erga eum propitium eſſe. At *credere in Dei miſericordiam* eſt vera *fides juſtificans*, & verè juſtificat. Sit ergò licèt *bonum promiſſum particulare* aliquod & forſan *temporale*, cum fides tamen in id credendo non illi particulari bono inhæret, ſed propitii Dei miſericordiæ innititur, quæ ſine Chriſto nobis jam lapſis contingere non poteſt mediante particulari hoc bono, dum per id ad Dei propitii miſericordiam in Chriſto aſſurgit, verè juſtificat. Sic *Abrahamus*, promiſſum licèt eſſet ſemen tantùm *naturale*, ſi tamen dum hoc credit, *Deo* ſibi in *Chriſto* propitio *innitatur*, verè juſtificans fides eſſet, & ei *in juſtitiam imputari* ritè poterit, ſecundùm illud *Calvini* in locum „ Quare Abraham credendo nil quàm oblatam ſibi gratiam ample„ ctitur ne irrita ſit. Si hoc illi imputatur in juſtitiam, ſequitur non aliter „ eſſe juſtum, niſi quia Dei bonitate confiſus omnia ab eo ſperare audet. Hoc tamen interim cautè intelligi velim de *verâ* ſcilicet & *ſalvificâ fide*: *Aliqui* enim poſſunt pro *re* aliquâ *promiſſâ* (ab iis vel præſtandâ vel accipiendâ) *Dei bonitati & potentiæ inniti*, qui *non* tamen inde *juſtificantur*, ut aliqui, qui *fidem miraculorum* olim habuerunt, qui tamen omnes eo juſtificati non erant. Si verò *genuina fides* ſit, quæ *electorum Dei* dicitur, prius illud veriſſimum eſt,

eſt, ſcilicet quando (ut hîc in Abrahamo) fides credit aliquid particulare bonum promiſſum, ſi ad Dei miſericordiam in Chriſto quaſi hâc ansâ aſſurgat eique ſoli inhæreat, verè juſtificans eſt, quamvis particulare illud bonum promiſſum tantùm temporale fuerat.

Sed ſecundò non ità ſe res hîc habuit. Non enim ſolùm eo in loco promittebatur *ſemen naturale*, quod multipliciter conſtat. 2.

1. Quia Apoſtolus Com. 23.24. hujus Capitis „ fidem hanc non ſolùm „ *Abrahamo* imputatam eſſe in juſtitiam dicit, ſed & nobis omnibus jam cre„ dentibus. At fides de *prole naturali* non omnibus verè credentibus datur, nedum ad *juſtitiam imputatur*. Fides ergò illa Abrahami quæ ei in juſtitiam reputata erat, non ſolam prolem naturalem, ſed ultrà aliquid aliud credentibus omnibus omniumque temporum commune ſpectavit.

2. Semen illud *Abrahamo* ibi promiſſum dicitur „ innumerum futurum „ inſtar ſtellarum v. 5. ex quo duo exſculpit *Pareus*: cum cœleſtem ejus gloriam, tum immenſum ejuſdem numerum, quorum utrumque *ſpirituali* potiùs *Abrahami ſemini* convenit, quàm *carnali*, atque inde colligit non præcipuè nedum ſolum ſemen carnale in promiſſione illâ intelligi; quorum prius quod *cæleſtis* ſeminis hujus *gloria* ſimilitudine ex *ſtellis* cœli ſumptâ ſignificaretur, nimis *argutum* & *coactum* videtur, poſterius verò illud quod eâ ſimilitudine *immenſus prolis iſtius numerus* deſignaretur, rem magis tangit & probat: Quamvis enim naturalis Abrahami progenies in prægrandem numerum excreverit, in *innarrabili* tamen *omnium credentium* ex *quibuſvis gentibus multitudine* promiſſio illa (ſimilitudine iſtâ ſtellarum cæleſtium adumbrata) plenarium complementum habuit: ideoque non carnale tantùm ſemen in illâ promiſſione intelligi debet. *In Rom. 4. Dub. 2.*

3. Quod ultrà ex ipſiſſimis promiſſionis illius verbis ἀνταπόδοσις conſtat. Non enim numeroſa ſola proles ibi promittitur v. 5. ſed v. 1. hæc habentur „ Ne timeas Abram, Ego Clypeus ſum tibi & merces tua ampla valdè. At cum hoc dixerit Deus, plus quàm ſolam numeroſam progeniem promiſit; neque enim *ſemen carnale*, ut numeroſiſſimum fuiſſet, *fidei Abrahami* ſufficiens *merces* futura eſſet, nedum הַרְבֵּה מְאֹד quod ibi adjicitur, non *merces idonea*, nedum *ampla*, minimè omnium *ampla valdè*, מְאֹד quod apud Hebræos ſuperlativum denotat, ac ſi merces fuiſſet ſumma, omnium maxima: at *progenies carnalis* in talem cenſum Abrahamo, ſaltem *fidei ſuæ non venit, ſine *ſemine ſpirituali*, minimè omnium ſine *Chriſto*. Quod *Harbeh Meod*

**At credendi verbum non ad unum illud membrum de prole reſtringi debet, ſed ad totum complexum & omnia ibi promiſſa extendi.*

3. Ad 3tium Reſponſum rectâ ducit, quod tale eſt. Si ſolius *ſeminis* promiſſio fuiſſet, non tamen *ſolius* ſeminis *naturalis* vel carnalis, ſed *præcipuè Chriſti*, quem *ſemen* illud fuiſſe *Abrahamo* olim promiſſum exertè affirmat Apoſtolus Gal. 3. 16. quem in ſobole *per fidem prævidebat* Abrahamus, prout Chriſtus „ eum vidiſſe diem ejus & lætatum eſſe dicit Johan. 8. 56. qui etiam omnium promiſſionum fundamentum fuit, *in quo ſolo ſunt* ναὶ καὶ Ἀμήν teſte Apoſtolo 2 Cor. 1. 20. Sic fideles antiqui omnes ad Proto Evangelium illud *Hyperius in Rom. 4. 3.*

illud Gen. 3.15. ad *primariam* ſcilicet illam de *ſemine mulieris promiſſionem* reſpiciebant, imò in promiſſionibus omnibus particularibus vel etiam de rebus *temporalibus* (ut hîc in *prole naturali*) quæ *typicum* aliquid in ſe habebant pro illâ ἀναγωγίᾳ vel *Chriſtum* ipſum vel *aliquid Chriſti* adumbrans.

4. Neque porrò abs re erit illud *Petri Martyris* adjungere, ſcilicet Ille qui hîc cum *Abrahamo* loquebatur & ei hæc promiſit, fuit *ipſiſſimus Chriſtus Dei Filius*, qui olim Patribus apparuit, & locutus eſt. Unde ſi (quod hîc dicitur) *Deo huic credidit*, & in *Chriſtum credidit*, qui fuit iſte, qui eum alloquebatur, Deus. Ergò *Chriſtus* ex objecto fidei *Abrahami* hoc loco minimè excludi debet.

5. Nec illud inſuper prorſus omittendum eſt, quod alii etiam ad hujus objectionis ſolutionem afferunt, ſcilicet quòd ſatis *Paulo* erat ex hoc exemplo *Abrahami* (qualecunque demùm fuerit fidei ſuæ objectum) oſtendiſſe illum *fide juſtificatum* eſſe (*Judæis* ſaltem, quibus omnia *opera Abrahami veneratione* erant) ideoque *fide juſtificari* non *abſonum* eſſe, ſiquidem cum eis quæ de *Abrahamo* dicuntur adeò *conſonum* fuit. Ac proinde rectè Apoſtolum inferre nos *juſtificari ex fide* in *Chriſtum*, quam Deus *jam* in *nobis requirit* ex *Abrahami juſtificatione credendo promiſſioni de* prole, quod *tum* ab eo requirebat, præſertim quia in illâ promiſsâ prole ut *præcipuus* & *primogenitus* omnium includeretur *Chriſtus*.

Atque hæc tandem dicta ſunto pro ſolutione eorum quæ objecta erant in primo quæſito, An ſcilicet Apoſtolus aptè ſatis locum illum *Geneſeôs* ad præſens ſuum propoſitum allegaverit.

2. Secundum ſequitur, Quid hoc ſit quod *fides Abrahami* hîc dicatur *imputari vel reputari in juſtitiam*.

Inter *Imputationem* & *Reputationem Socinus* multum diſcriminis eſſe contendit, ut & *Sanderus* illud Apoſtoli Rom. 3.28. λογιζόμεθα hominem ex fide juſtificari per *Reputamus* non malè reddi poſſe ſed peſſimè (non omninò) per *Imputamus*.

Ad hoc hæc dicimus.

1. Ineptum eſſe *Sanderum*, qui ex eo quod λογιζόμεθα Rom. 3.28. pro ratione & ſenſu loci *arbitrari*, *ratiocinari*, *colligere* ſignificat, ideò nullibi per *Imputare* reddendum ſit colligit, quod tamen Vetus ſuus Interpres aliquando facit.

2. Nos non inficiasimus has voces *imputare* & *reputare* quoad uſum apud Authores ſignificatione aliquoties differre, atque vel *imputationem* aliquando *ſequi* ex *reputatione* (quæ quoad ejus originem *repetitam cogitationem* ſignificat) vel (ut apud nos *Anglos* fit) *ex imputatione ſequi Reputationem*, ut ex eo quòd alicui imputatur juſtitia, ſequitur ut pro juſto reputetur, id eſt, habeatur. Et ſic quidem in noſtrâ coram Deo juſtificatione ex imputatâ nobis Chriſti juſtitiâ pro juſtis habemur & reputamur, ut in Gloſſario *Reputo* Ἀναλογίζομαι *id eſt æſtimo*.

3. At nunquam pro eodem ſumi nunquam probabit *Socinus* vel quivis alius, cum contrarium planè conſtet, ſaltem ex illo Juriſconſulti *Modeſtini*: *Tamen eſt aliquid quod Teſtatoris vitio reputetur*, ut meritò repellendus ſit. Ubi *Reputetur* apertè pro *Imputetur* ponitur: Quin & ipſo hoc Capite, cum

eadem

eadem Græca vox λογίζεται in 4to & 5to Commate occurrat, vetus Interpres eum in 4to. verſu per *imputatur* vertit, in 5to. per *Reputatur*, quaſi ἰσοδυναμοῦντα ſint, idemque ſignificent.

4. Ut ut illud fuerit noſtrâ parùm refert: non enim adeò contendimus de vocibus iſtis *Latinis Imputandi & Reputandi*; penes *Grammaticos* vel *Juriſconſultos Latinos* de earum ſignificatione & diſcrimine ſit judicium. De voce Hebræâ חָשַׁב & Græcâ λογίζομαι, quibus Spiritus S. in Veteri & Novo Teſtamento hâc in re utitur, & quò in ſenſu aliquid alicui λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην dici poteſt; an *Chriſti* etiam *juſtitia nobis imputatur* ad *juſtificationem*, quod Apoſtolus affirmare videtur v. 6. & quo ſenſu fides etiam nobis εἰς δικαιοσύνην λογίζεται, quod ſæpiùs hoc Capite dicit Apoſtolus v. 3, 5, 9, 22. Hæc, hæc inquam, nos inter & Pontificios atque alios eſt Controverſia. *Chaſchab.*

Quia verò hæc de *Imputatione* diſſertatio cor & animam hujus de juſtificatione controverſiæ tangit, quam *Pontificii* & *Papizantes* nimis multi pro deridiculo habent, cum opportunus ſatis ſit de imputatione iſtâ agendi hîc locus, cum bono Deo priuſquàm ad duo reliqua hujus περιοχῆς Commata explicanda accedamus, hæc quatuor expedienda in nos ſuſcipimus.

1. Quænam horum verborum חָשַׁב & λογίζομαι genuina, hiſce præcipuè in locis ſit ſignificatio. *Chaſchab*

2. Quid hâc Phraſi intelligatur, Ubi aliquid dicitur alicui εἰς δικαιοσύνην λογίζεσθαι.

3. An ità *Chriſti juſtitia* nobis λογίζεται vel imputatur ad *noſtram juſtificationem*, & quo in ſenſu.

4. Quo etiam in ſenſu *Fides* hîc & alibi ab Apoſtolo dicitur λογίζεσθαι vel *imputari ad juſtitiam.*

Quod ergo ad primum attinet: Cum vox illa λόγος apud Græcos primò *dictionem* ſignificet, ſecundò *cogitationem*, *rationem* & *ratiocinationem*, quia cogitare & ratiocinari eſt aliquid in animo dicere, tertiò *Numerationem*, quæ cogitatione perficitur, Quartò *Reſpectum*, qui mentis cogitatione attenditur: Inde fit ut verbum hoc λογίζομαι à nomine illo λόγος ut originem ſuam trahit, ſic & ſignificationem mutuetur. Atque ità (ut magis diſtinctè agam) ſumitur vel ſenſu *Logico* vel *Arithmetico*. 1. *Quid* Λογίζομαι. *Martinius.*

In ſenſu *Logico* omnis rationis actus ſignificatione & uſu ſuo comprehendit, & ſic aliquoties exponitur per *cogitare*, *putare*. Charitas οὐ λογίζεται τὸ κακόν „ non cogitat malum 1 Cor. 13. 5. „ non idonei ſumus per nos ipſos „ λογίζεσθαί τι aliquid vel *cogitare* 2 Cor. 3. 5. Aliquando pro *decernere*, *judicare*, *ſtatuere*, *cenſere*. λογίζομαι γάρ „ exiſtimo enim quod non ſunt con- „ dignæ paſſiones hujus temporis &c. Rom. 8. 18. οὐ λογίζομαι κατειληφέναι non *arbitror* me comprehendiſſe Philip. 3. 13. τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι ἐκείνῳ κοινόν. „ Ei qui *exiſtimat* vel judicat aliquid impurum eſſe, id ei impurum „ eſt Rom. 14. 14. *Sperando* vel *opinando judicare* 1 Pet. 5. 12. *Ratiocinari* etiam, vel *ex ratiocinio concludere* λογιζόμεθα οὖν „ Colligimus ergo, vel ratiocinando concludimus fide juſtificari hominem abſque operibus Legis Rom. 3. 28.

Rom. 2. 3. 2 *Cor.* 10. 2, 7, 11: 12. 6. *Philip.* 4. 8. *Act.* 19. 27. *Rom.* 2. 26. 1 *Cor.* 4. 1. *Rom.* 6. 11. 8. 18. *Heb.* 11. 19.

Æſtimare, rationem habere Act. 19 27.

Sed hoc in loco, & in reliquis ubi de juſtificatione agitur, vox iſta potiùs in ſenſu *Arithmetico* ſumitur. Ut enim λέγω apud *Euſtathium* eſt ἀριθμεῖν, λόγῳ *numerari*, & λέχθη Heſychio eſt ἠριθμήθη, & λόγημαι recenſeor, quia hujuſmodi numeratio & recenſio cogitatione, judicio, & ratiocinatione fit, unde *Ratiocinia* חשׁב ות *Hebræis* à *cogitando* dicuntur, ſic etiam λογίζομαι idem cum ψηφίζομαι apud *Græcos* in rationes computum fero.

Luc. 22.37. Rom. 8. 36. Levit. 11, & 13 inter immunda reputabitur.

Inde pro *annummerare* vel *reputare* ponitur, ὡς μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη, & cum iniquis numeratus vel „ reputatus eſt Marci 15. 28. „ qui ſunt filii promiſſio- „ nis λογίζεται εἰς σπέρμα reputantur in ſemine Rom. 8. 9. Et (quod præſens inſtitutum maximè ſpectat) ſæpiùs ſignificat *Imputare*, quod eſt putando, vel inter putandum aſcribere, in rationes alicujus ferre, numerando aſſignare, in ſupputando attribuere, aſcribere in rationibus, quæ dicuntur *putari* cum *conferuntur*, & *liquidæ fiunt*. Hoc per compoſita ſæpè effertur συλογεῖν, ἐλλογεῖν & ἐλλογεῖσθαι Rom. 5. 13. Philem. 18. & apud alios Authores per ἀφοσλογίζεσθαι, κατιλογίζεσθαι & καταπίστευειν. Sed verbum ſimplex λογίζομαι hoc in ſenſu ſæpiùs in Sacrâ Paginâ venit, præſertim cum Dativo jungitur. Non ſolùm undecies hoc 4to. ad Romanos, ſed alibi ſæpè in N. T. 2 Cor. 5. 19. μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν. 2 Tim. 4. 16 μὴ αὐτοῖς λογισθείη. non illis imputetur. „ A Mercatoribus ſumpta eſt Metaphora (ut rectè *F. Illyricus*) & ſic λογίζεσθαι vel rem imputare eſt illam diligenter expendere, ratiocinando computare, in rationes referre, atque ità aſcribere, atque imputare. Vel ut apertius *Pareus* „ Imputare eſt rem, vel rei cauſam ali- „ cui, quam vel habet vel non habet, bonam vel malam aſcribere. Vel ut „ *Vaſquez* Imputare aliquid alicui eſt, inter ea quæ ſunt ipſius, & ad eum „ pertinent illud connumerare & recenſere.

Gal. 3. 6. Jac. 2. 23. Forbeſ. cap. 31. in Rom. 4. 3. 12æ q. 124. Diſp. 22, cap. 1.

Hæc *Imputationis* generalis deſcriptio eſt, ex quâ varia ejus deſumi poteſt diſtributio.

Primò enim Imputatio eſt *rei bonæ*, vel *malæ*. *Bonæ*, ſic *Merces imputari* dicitur Rom. 4 5. & *Fides* v. 3, 5. & *juſtitiæ* v. 11. Rei etiam *malæ* eſt imputatio; ſic *culpa peccatori*, *pœna reo* imputari dicitur, ut 2 Cor. 5. 19. μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα. Et μὴ λογισθείη αὐτοῖς 2 Tim. 4. 16.

Secundò tam boni vel mali imputatio vel *benè* vel *malè* fit, *benè* ſi regula juſtitiæ ſola ſpectetur, cum *juſtitia & præmium benè operanti*; *peccatum, reatus pœna malè agenti* imputantur. *Malè*, cum *juſtitia & præmium malè operanti*, *reatus & pœna innocenti* aſcribitur, ut cum *Suſannæ adulterium*, *Apoſtolis ſeditio*, *Chriſto crimen læſæ Majeſtatis* intentabantur. „ Et ſic terræ & „ aſtris pœnarum cauſas imputant homines dixit *Plinius* lib. 18. cap. 1. At bona & recta imputatio duplex eſt ipſo Apoſtolo autore Rom. 4. 4. nempe vel κατ' ὀφείλημα, vel κατὰ χάριν.

Κατ' ὀφείλημα vel *ſecundùm debitum* : Cum aliquid quod *verè ineſt* vel *debetur alicui imputatur*. Sunt quidem aliqui, qui *Imputationem* dici volunt ejus tantùm rei, quæ *non verè & reipſâ ineſt* vel *debetur* ſed cogitatione ſolâ aſcribitur. Sic *Aquinas* in locum „ Reputari conſuevit dici, quando id „ quod minus eſt ex parte alicujus, reputatur ei gratis acſi totum feciſſet, & *C. à Lapide* „ Reputari dicitur pro tali quod in ſe tale non eſt, ut volun-

tas

„ tas pro facto reputari dicitur. Sic *Eraſmus* in hunc locum. Eſt autem accep-
„ tum ferre pro accepto habere quod non acceperis, quæ apud Juriſconſultos
„ ni fallor vocatur *Acceptilatio*. Cui aſtipulantur ex noſtris aliqui, quia
Favet ſententiæ noſtræ de imputatâ nobis Chriſti juſtitiâ, quæ in nobis nulla
eſt. Sic *Fl. Illyricus* „ Vox Imputare non eſt de eo quod reipsâ perficitur,
„ ſed quod cogitatione aſcribitur. Et ſic *Hyperius* „ λογίζεσθαι eſt aliquid tale
„ reputari & accipi ab aliquo, quale tamen ſimpliciter non eſt, vel quali
„ æſtimatione invenitur dignum. Atque hinc eſt quod *Piſcator* lib. 1. de
Juſtif. cap. 4. illud Apoſtoli Rom. 4. 4. τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται
κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα „ operanti merces non imputatur ſecundùm
„ debitum; *Ellipticè* dici vult, atque proinde integram orationem ſic inſti-
tuendam dicit, τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται, τυπτίαν οὐ δίδοται κατὰ χάριν,
ἀλλὰ δίδοται κατὰ ὀφείλημα. Et ſic in verſione ſua ità reddit „ Atqui ei qui opera-
tur merces non imputatur ex gratiâ ſed datur ex debito, atque in *Scholiis* hanc
rationem addit, nam certè *ex debito* non dicitur quippiam *imputari*, cum *impu-*
tatio ſit rei quæ *non debetur*. In poſteriori ergo clauſulâ ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα non
vult verbum λογίζεσθαι ex priori clauſulâ δὲ κατὰ intelligi, ut ſit ſed *imputatur*
ex debito, quod non niſi καταχρηστικῶς dici poſſe exiſtimat, ſed *Ellipſin* eſſe
vult, ità ſcilicet integrandam (ſi propriè loqui velimus) ſed *datur* vel *reddi-*
tur ex debito. Sed hoc, ut opinor, nimis ſcrupulosè, in quo noſtrorum
plures ab eo recedunt. *Chamierus* Tom. 3. lib. 21. cap. 13. §. 7. ubi hæc
habet „ E verò quid illud eſt, non imputatur ſecundùm debitum, ſed ſe-
„ cundùm gratiam? Nonne idem eſt acſi diſertè legeres non imputabitur
„ ſecundùm debitum, ſed imputabitur ſecundùm juſtitiam. Hoc idem
ſentit *Forbeſius* de juſtificatione Cap. 31. *Bucanus* loc. 29. §. 24. & Tilenus
licèt illud alicui imputari plerunque dicatur quod ipſe non fecit, vel habet,
interdum tamen quod & fecit & habet imputari dici poſſe concedit (Syntagm.
p. 726. §. 15. Atque *Beza*, qui aliquando hanc Ellipſin in illis verbis eſſe
voluit, quam ideò in priore *verſione* per interpoſitum verbum *eſt* explevit,
in noviſſimâ ſuâ *Verſione* illud verbum *eſt* omiſit, & præterea in *Annotatio-*
nibus ſuis ex verbis Apoſtoli colligit *duas* eſſe *imputationis* ſpecies, quâ cre-
ditor in ſuarum rationum ſupputatione debitores ſuos liberat, unam quâ
gratuitò fert illis acceptum quod ii tamen non perſolverunt, alteram, quâ *quod*
erat ipſi debitum ſeſe à debitoribus recepiſſe profitetur. Et ſimiliter *L. de Dieu*
in locum hæc habet, „ Nec dubium eſt quin duas hîc ſtatuat Apoſtolus
„ imputationes ſibi nimirum oppoſitas, quarum una fundamentum habet
„ in eo cui fit imputatio, altera in voluntate imputantis. Cum ergò ipſum
Apoſtolum authorem habeamus, neceſſe eſt contrà ac *Piſcator* autumat,
imputationem eſſe poſſe κατὰ τὸ ὀφείλημα idque *imputari* dici poſſe quod re-
verâ ineſt & *debetur*.

Sic εἶναι & ἐλλογεῖσθαι *diſtinguuntur Rom.* 5. 13.

Pareus etiam hanc debiti redditionem improprie imputationem dici cenſet in Rom. 4. 4. vide etiam ſynopſin purior. Theolog. cap. 31. §. 22.

Illud interim monendum, æquè ex adverſo errare *Pontificios*. Cum enim
aliqui ex unâ parte aſſerant id quod *verè* ineſt vel *debetur* vel *non* omninò vel
ſaltem *improprie imputari*, hi ex alterâ ſtatuunt nullam veram vel ſaltem pro-
priè dictam eſſe *imputationem*, niſi cui *veritas in* re *ipsâ reſpondeat*, uti loqui-
tur *Bellarminus*, & *Eſtius* in hunc locum expertè dicit „ imputationem rei
„ quæ non verè ineſt vel debetur falſam eſſe reputationem, & quæ in Deum

De juſtif. lib. 2. c. 9.

„ cadere non poteſt: Etenim hoc pacto non eſſet verè juſtus, cui fides ad „ juſtitiam imputatur, quod Hæreticorum favet dogmati, itaque ſecun- „ dùm Scripturas dicimus illud reputari ad aliquid, quod verâ æſtimatione „ veroque judicio tale habetur. Sic Abrahamo fides, Phineæ factum ſuum „ in juſtitiam reputabatur, quia erat inſigne opus juſtitiæ: ut peccata meri- „ tò & verè imputari dicuntur. Hæc ille, ut juſtificationem noſtram ex inhærente juſtitiâ ſtatuminaret. De illâ poſtea agendum; In præſenti tantùm de vocis *Imputationis* notione & ſignificatione agimus. De quâ, viâ mediâ incedendum eſt, & dicimus neque id ſolùm *imputari* dicitur quod *reverâ ineſt* vel debetur *cum Pontificiis*, neque id quod *reverâ abeſt* ſed ſolâ *reputatione* vel *cogitatione* vel *acceptilatione adeſſe* æſtimatur, cum *Piſcatore* & aliis: ſed utroque modo id quod verè & adeſt & abeſt, ſatis verè & propriè aliâ atque aliâ ratione *imputari* dicitur. Sic enim κατὰ τὸ ὀφείλημα (ut loquitur Apoſtolus) ſic *merces operanti imputatur* Rom. 4. 4. & *peccatum peccatori* v. 8. cum merces condigna operi operatori redditur, & cum peccator pro peccato dignè cenſetur, condemnatur, & pœnam luit. Sic *Quintilianus* quærit an ei *cædes imputanda* ſit, à quo *jurgium* cœpit lib. 1. cap. 10. Et ſic juſtitia ex primo Fœdere operum nobis imputanda eſſet, ſi conditio Fœderis à nobis adimpleta fuiſſet. „ Imputatio κατ' ὀφείλημα quando imputatio fun- „ damentum habet in perſonâ cui imputatur aliquid, κατὰ χάριν cum in per- „ ſonâ imputante. Sed eſt æquè *vera* & (ſi vulgarem hujus vocis conceptum & uſum ſequamur) *magis propria* Imputatio κατὰ χάριν quando res quæ imputatur alicui ei *verè* hoc eſt *inhærenter non ineſt* ſed ex conventu vel gratioſâ condonatione & acceptilatione vel ſponſoris ſatisfactione ei attribuitur, & in rationes ejus refertur. Sic „ imputare eſt id in rationibus habere, quod „ jure potuiſſet quis negare; Sic Deus jure potuiſſet nobis juſtitiam negare „ quia mille modis legem ipſius tranſgreſſi ſumus, tamen propter Chriſtum „ imputat nobis juſtitiam. Sic *juſtitia Chriſti nobis*, *peccata* noſtra *Chriſto imputari* dicuntur ſecundùm illud Apoſtoli 2 Cor. 5. 21. ubi Chriſtus, „ qui non novit peccatum pro nobis peccatum factus dicitur, „ ut nos effice- „ remur juſtitia Dei in eo ut & Rom. 4. 5. „ Ei qui non operatur, ſed „ credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua in juſtitiam. Ut hæc omnia ſimul expediamus, adjungamus hanc unicam, eamque magis plenariam Imputationis diſtributionem.

Sed vox λογίζεσθαι de reddendo mercedem ex debito à Paulo uſurpatur. Bucer. in Rom. 4.

L. de Dieu in Rom. 4. 3.

Oleviamus.

Imputatio eſt vel eſſentialis vel cogitationis.

Imputari aliquid dicitur 1. quando alicui acceptum fertur tanquam labore ſuo acquiſitum. Num. 18. 27: 30.

1. *Eſſentialis*, quando vel res ipſa exiſtens alicui aſcribitur, vel quando rei aut facto præmium aut precium bonum vel malum deputatur.

1. Quando res *ipſa exiſtens alicui aſcribitur* & *in ejus rationes refertur*, ut apud *Mercatores* cum aurum vel argentum tantum quantum accepit vel debet aliquis ei in computo aſcribitur. Sic etiam cum qui *peccat* pro *peccatore* & reo habetur: vel qui *juſtè egit*, *juſtus* cenſetur. Sic *Phineæ* opus ei *in juſtitiam imputabatur* Pſal. 106. 31. i. e. Divinitùs approbatum erat tanquam juſtè factum. Sic etiam *Abimelech* 1 Sam. 22. 15. *Saulem* orat ne *peccatum*

2. quod alicui tanquam authori aſcribitur 2 Sam. 3. 8. 3. quod quaſi debitum attribuitur & perſolvitur Rom. 4. 4. & contrà id non imputari dicitur, ubi ob illud nulla gratia eſt vel præmium. Levit. 7. 18. 4. quando non in hærens attribuitur ac ſi inhæreret. Sic Paulo Oneſimi culpa & debitum Philem. 18. ſic credenti juſtitia. Rom. 4. 5. Ravanellus ad vocem Imputari.

tum vel reatum ipſi *imputaret*, hoc eſt, ne *eum pro reo haberet*. Et contrà *peccatum non imputatur cum nulla eſt vel lex vel legis tranſgreſſio* Rom. 5. 13.

2. *Quando* conſequenter *rei vel facto præmium bonum aut malum deputatur*. Sic *opus operario imputatur* Rom. 4. 4. cum mercede compenſatur; & *peccatum* ſæpè in S. Scripturâ *imputari* dicitur, cum dignis *pœnis afficitur*, & *non imputari* cum *condonatur*. Sic Levit. 17. 4. „ Sanguis ei imputabitur, „ ſanguinem effudit, quapropter exſcindetur vir ille è medio populi ſui. Et ſic *Simei Davidem* orat ne *iniquitatem* ei *imputare* vellet 2 Sam. 19. 19. non quòd eum quaſi minimè reum judicaret (illud enim ultrò ibidem confitetur) ſed ne eum pro confeſſo reum (quod pro merito poterat) *morte plecteret*. Ut & contrà hoc ſenſu *non imputari dicitur* quando *condonatur* Pſal. 32. 1, 2. & debita ei pœna proinde non exigitur 2 Tim. 4. 16. unde *non-imputatio delictorum* & *Reconciliatio* pro eodem ſumuntur, vel ſaltem conjunguntur 2 Cor. 5. 19. & *imputatio* fidei *ad juſtitiam*, δικαιωσις ζωης vocatur Rom. 5. 18. quatenus ad vitam æternam tendit ducitque. Atque hæc prima *Imputationis* ſpecies fuit, *Eſſentialis*, quando illud quod vel quoad rem ipſam, vel ejus cauſam *verè alicui ineſt* vel *debetur* vel quoad *ipſam rem ei attribuitur*, vel quoad ejus effectum vel *præmium* ei *deputatur*.

2. Secunda Imputationis ſpecies *Cogitationis* dicitur, non quòd in ſe vel in effectu ſuo ſemper merè *imaginaria* ſit; talis quidem aliquoties imò ſæpiùs apud nos vel ineptos vel iniquos *homines* locum habet; ut cum *iniquus Judex ſontem abſolvit*, *inſontem condemnat*, quòd *Jehovæ abominationi* eſſe dicit *Solomon*. * Sic *Ethnici* olim fames & peſtes omnes, bella omnia, atque *infortunia* eorumque cauſas *Chriſtianis* ex odio imputare ſoliti ſunt. Sic nequiſſimi quique ex φιλαυτια ſibi, per adulationem aliis præclara opera, ſummam virtutem & pietatem, ſalutem denique & vitam æternam ſomniando imputare & aſcribere poſſunt ſine omni prorſus fundamento vel veritatis rei vel fœderis initi, vel ſatisfactionis à Sponſore factæ, adeòque omninò *imaginaria* ſit hæc Imputatio & *quoad perſonam imputantem*, & *cui imputatur*, vel quoad *rem* vel *effectum*. At *talis Imputatio* in *Deum* ſapientiſſimum & juſtiſſimum omninò *cadere nequit*, qui nunquam *juſtitiam* alicui *imputat*, vel aliquem juſtum pronuntiat qui *verè juſtus* non ſit. Quamvis enim *juſtificat impium*, ut Apoſtolus affirmat Rom. 4. 5. (hoc eſt) eum qui *antecedenter* ad hanc juſtificationem in ſe *verè impius* erat, & aliquatenus ex parte quoad internam inhærentiam poſt juſtificationem adhuc *injuſtus* manet, hæc tamen *juſtificatio* gratuita *fundamento ſuo non* caret, eò quòd *antecedenter* æterno ſuo *Decreto*, *Fœdere* item ſuo inito, & *plenariâ* ſimul *Sponſoris* noſtri Jeſu Chriſti *ſatisfactione* nititur, *conſequenter* etiam in *ſtatu juſtitiæ inhærentis perſonam* ità *juſtificatam conſtituit*, hîc ſcilicet jam inchoatæ, & in cœlo tandem integrè conſummandæ. Unde Apoſtolus Rom. 5. 19. exertè dicit διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί. Per unius (Chriſti ſcilicet unici) obedientiam juſti *conſtituentur* (non imaginarie tantum habebuntur) multi. Sed hæc obiter, de quibus plura ſuo loco, ubi ad *Imputationem juſtitiæ Chriſti* explicandam atque aſſerendam acceſſuri ſumus. Sed ut ad ſemitam redeam; Hæc ὡς ἐν παρόδῳ dixi ut monerem hanc ſecundam *Imputationis* ſpeciem quam *Cogitationis* eſſe dixi, non ideò ità dictam eſſe, quòd in

Vide Synopſin purior. Theolog. Cap. 33. §. 22.

* *Prov. 17. 15.*

ſolâ cogitatione nudâ conſiſtat, dum ipſa interim vana & omni in re fundamento deſtituta prorſus imaginaria ſit, ſed quatenus *opponitur* priori *imputationis* ſpeciei, quæ *Eſſentialis* dicebatur, quæque *reali inexiſtentiâ & inhærentiâ rei imputatæ*, vel *perſonæ cui imputabatur merito* nitebatur; Cum hæc ſecunda ſpecies (quæ *cogitationis* dicitur) talem inhærentiam vel meritum tale nec invenit nec exigit, neque verò admittit, habitâ tamen ratione vel *Decreti* vel *Pacti*, vel *promiſſionis perſonæ imputantis*, vel *ſatisfactionis à ſponſore factæ* tanquam *Imputationis* hujus *fundamenti*, mentis cogitatione vel præmium donat vel delictum gratis condonat, vel ſponſoris ſatisfactionem in rationes perſonæ, cui imputatio fit, refert, eique imputat. Atque hujus etiam *imputationis* ſpecies duæ ſunt. Eſt enim *Perſonalis* vel *Realis*.

1. *Perſonalis*, quando res vel *cauſa* ab *unâ perſonâ in aliam transfertur*, ut cum *Oneſimi* debitum *Paulo* tranſcribitur Philem. 18. Sic *Chriſti juſtitia nobis*, *noſtra peccata Chriſto imputari* dicuntur, dum „ ipſe pro nobis peccatum factus eſt, nos in eo Dei juſtitia efficimur 2 Cor. 5. 21. ut ſub lege delictum ſacrificantis *ſacrificio imponebatur* Levit. 16. 21. & propitiatio per ſacrificium ſacrificanti imputabatur.

Ἐ'λογίτης

2. *Realis*, quando *res una in locum alterius concedit*, & pro eâ acceptatur, vel imputatur: ſive *ejuſdem valoris* ſit, ut cum pecunia debetur, ſolutio fit ex aliis rebus ejuſdem ſummæ & pretii. Vel *majoris*, ut cum *virtus* pro *nobilitate* imputatur, vel *minoris*, ut cum *adulatio* pro *amicitiâ*, ſontis *deprecatio* pro *innocentiâ*, *verecundia Demetrii filii* pro *innocentiâ Philippi patris*. Sic Num. 18. 27, 30. „ Oblatio Levitarum ex decimis imputabatur eis „ pro toto frumento ex areâ, & pro plenitudine torcularis. Sic *præputium* pro *Circumciſione reputari* dicitur Rom. 2. 26. ſic *juſtitia imputari* dicitur Rom. 4. 6. i. e. (ut noſtri rectè exponunt) *Chriſti juſtitia loco noſtræ*, ut noſtra per hanc imputationem reputetur. Sic etiam *fides* in *juſtitiam imputari* dicitur Rom. 4. 5. Aliqui (ut *Arminius* & alii) ità exponunt ac ſi fides in noſtrâ juſtificatione in locum juſtitiæ legalis à nobis debitæ ſuccedat, & pro eâ acceptetur, non ità rectè ut poſtea videbimus. Ut totum hoc concludam de Imputationis hujus tam Divinæ quam humanæ ſpeciebus omnibus prædictis, illud Viri doctiſſimi adjiciam „ Divina Imputatio nil habet falſum, ſed „ eſt actio aut juſtæ ſeveritatis in improbando & ulciſcendo, aut juſtæ bonitatis in approbando & remunerando, aut ſingularis gratiæ in condonandâ „ culpâ ei debitâ pœnâ, aut donando indebito præmio. Hominum autem „ Imputationes aliæ ſunt veritati conſentaneæ & juſtæ ad imitationem aliquam Divinæ juſtitiæ vel clementiæ, aliæ ex errore, falſitate, aut etiam „ mendacio profectæ, vel etiam injurioſæ ad imitationem Diabolicæ perverſitatis & calumniæ. Atque hæc de primo quæſito, de genuinâ hujus vocis Λογίζομαι ſive *Imputari* ſignificatione, in quâ explicandâ longiorem moram traximus, quia cum noſtra coràm Deo juſtificatio ex Chriſti nobis imputatâ juſtitiâ ſit, ad totius de juſtificatione doctrinæ explicationem multùm in ſequentibus inſerviet hujus vocis elucidatio, quæ vel ea ratione magis mordicùs retinenda eſt, quia ex hâc *imputatione ſalus noſtra* tota & *conſolatio* pendent, *Pontificii* tamen & *Papiſantes* plurimi eam exſufflant, *putatitiam*

Martinius ad vocem Imputare.

per

per contemptum vocant, & pro deridiculo habent. Sed de vocis hujus ſignificatione hoc primum quæſitum fuit.

Secundum eſt de Phraſeôs hujus ſignificatione λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην, vel quid vult Scriptura cum dicit aliquid *alicui imputari in juſtitiam*? ſic enim primò *fidem Abrahamo imputari ad juſtitiam* legimus Geneſ. 15. 6. hoc etiam in loco & plurimis aliis. Legimus etiam *Phineæ* opus ipſi *in juſtitiam reputari* Pſal. 106. 31. ut & *obſervatio Mandatorum noſtra* futura *juſtitia* dicitur Deut. 6. 25. quin & de *pignoris redditione* ſic ſcriptum „ Et erit juſtitia tua coram Domino Deo tuo Deut. 24. 13. 2.

Ad hoc quàm poſſim breviter expediendum, hoc præmonendum eſt,

Duo illa ultima teſtimonia è Deuteronomio allata, in quibus dicitur quod *obſervatio mandatorum* & *pignoris redditio* eis תִּהְיֶה צְדָקָה *erit juſtitia coràm* Deo, licet quod ad *rem* attinet, cum prioribus illis duobus Teſtimoniis ex parte conveniant, cum tamen inpræſentiarum de *Phraſi Apoſtolicâ* ejuſque ſignificatione agimus, non eſt quod iis locis explicandis jam inhæreamus, cum in eis non occurat vox Hebræa חָשַׁב vel הֶחְשִׁיב quâ uſus eſt Moſes Gen. 15. 6. cui reſpondet vox Græca λογίζομαι ab Apoſtolo noſtro hîc uſurpata, ubi locum illum Geneſeôs recitat, & ad ſententiam ſuam confirmandam adducit. Non inquam in illis Deuteronomii locis habetur vox *Imputationis* de quâ jam quærimus. Non dixit ibi Moſes obſervatio legis vel redditio pignoris vobis תחשב (λογισθήσεται) *imputabitur in juſtitiam*, quod hîc *de fide* dicitur, ſed תִּהְיֶה צְדָקָה Erit vobis juſtitia, quod quo in ſenſu de mandatorum obſervatione vel pignoris redditione dicitur poſtea videbimus: nos jam de hoc loquendi genere agimus, cum aliquid *imputari dicitur in juſtitiam.* *Thihejeh. Tſedaka.* *Chaſchab. Hecheshib.*

De cujus Phraſeôs ſignificatione cum jam quæritur,

Reſpondeo

1. In genere in hâc phraſi præcipuè ſpectatur finis & effectum, ut ex *Imputatione* hâc *juſtus habeatur* & abſolvatur, uti *peccatum* alicui *imputari* dicitur non ut illud habeat, ſed propter illud puniatur. *Tilen. Syntagm. p. 726*

2. *Duplex* eſt *juſtitia*, vel *operis*, cum opus ipſum in ſe juſtum eſt, vel *perſonæ*, quando vel ex operibus vel habitu juſtitiæ, vel aliâ aliquâ ratione homo juſtus conſtituitur. Simili etiam modo duplex eſt *juſtitiæ imputatio*; *operis* ſcilicet & *perſonæ*, quâ vel *actio*, vel *perſona* pro *juſtâ* habetur. Unde hæc dicimus.

1. Aliquid imputari in juſtitiam dici poteſt, cum *res* vel *actio* quæ imputatur *præcipuè ſpectatur*, atque ſic loquendo hoc volumus quod res illa vel actio *rata habetur*, & pro *juſtâ reputatur* & acceptatur. Si apertè juſta ſit, tum magis propriè *juſtitia eſſe* dicitur, ut in illo Deuteronomii allato loco de redditione pignoris תִּהְיֶה צְדָקָה dicitur. Et ſic *Arabs* illud *& erit juſtitia tibi* vertit „ ſitque tibi bonum opus Deut. 24. 13. ut & Deut. 6. 25. ſed in *juſtitiam reputari* vel pro juſtitiâ reputari præcipuè dicitur, cum res *Thihejeh. Tſedakah.*

ità imputata, vel reputata *primâ facie injuſta eſſe videtur.* Sic *Phineæ* opus illud (dum *transfixit adulteros* Numer. 25.) cum pluribus nominibus accu-
Pſal. 106. 31 ſationi obnoxium fuit, ut ab eâ immune haberetur, & in *juſtitiam imputari* dicitur, hoc eſt, *pium & juſtum à Deo habebatur* & pronuntiabatur. Sed

2. Cum *ei in juſtitiam imputari* dicitur, hic loquendi modus non tantùm *opus* ipſum ſpectat, tanquam in ſe juſtum, ſed cum *redundantiâ* ſaltem aliquâ *in perſonam*, ſcilicet ut ipſe *Phineas quoad hunc actum juſtus* pronuntietur, quòd Deo ità placuerit, ut ab eo remuneretur v. 13. Sic illud Deut. 6. 25. Chaldæus vertit, „ præmium erit nobis; & Deut. 24. 13. *juſtitia erit*, ad remunerationem, ut v. 15. *peccatum erit.* i. e. in pœnam. At hæc non fuit *univerſalis juſtitiæ imputatio*, non *prima*, & *univerſalis perſonæ acceptatio* & *juſtificatio. Phineas* enim *priùs* ità *juſtificatus* fuit, quod inde conſtat quod „ zelatus fuit pro Deo ſuo Num. 25. 13. idque *zelo Dei* v. 11. atque ἐν φόσῳ Κυρίε, ut eſt apud *Siracidem* Eccleſiaſtic. 45. 23.

Jepollel. quod etiam יִפְלַל Pſal. 106. 30. i. e. *oravit*, ut *Chaldæus* & *Syriacus* reddunt *dijudicavit*, *vindicavit*, ut alii, ità ut ἐξιλάσατο *placavit* & *expiavit* ut *Vulgatus* & LXX. eam vocem reddunt, & Deus ipſe teſtatur Num. 25. 11. 13. Quæ omnia eum quoad univerſalem perſonæ ſuæ acceptationem priùs juſtificatum fuiſſe evincunt. Fuit ergo *particularis* tantùm *juſtitiæ imputatio*, vel *juſtificatio* non tam *perſonæ* quam *facti*, aut quatenus ad perſonam redundavit, juſtificatio fuit *perſonæ quoad hoc factum*, eum ſcilicet non temerariè & iniquè, quod primò aſpectu videri poterat, ſed *juſtè* id egiſſe, ob quod Deus quidem *fœdus pacis ei dedit* Num. 25. 12. quod (ut rectè annotavit *Hyperius*) fuit de bono temporali, ſacerdotio ſcilicet ſibi & poſteris ſuis continuando. Summa eſt; hæc operis hujus imputatio Phineæ in juſtitiam hoc ſolum ſignificat, *factum hoc in ſe juſtum*, ipſumque *Phineam quoad hoc juſtum* fuiſſe, ut proinde ſimul exprimat Dei in eo complacentiam, & tanquam juſti facti remunerandi animum.

3. Igitur aliquid alicui in *juſtitiam imputari* dicitur, quando non ſolùm ipſa res imputata juſta eſſe pronuntiatur ſed redundanter in perſonam, ut is cui imputatur ob rem imputatam juſtus eſſe denuntietur, idque non ſolùm quoad *factum* aliquod *particulare* (quod ſecundùm legis δικαίωμα neminem univerſaliter juſtum conſtituit) ſed quoad *ſtatum integrum*, ità ut *nunquam in judicium veniat* Johan. 5. 24. eique *nulla condemnatio ſit* Rom. 8. 1. *Duobus prioribus ſenſibus Phineæ* opus illud unicum *ipſi in juſtitiam imputabatur:* At hoc *tertio* & *ultimo* in *juſtitiam imputari* non poteſt.

Nam ſecundùm *vetus Fœdus operum* ſola perſonalis plenaria & perpetua mandatorum Dei obſervatio nobis in juſtitiam imputari poteſt juxta illud loci priùs laudati Deut. 6. 25. „ Hæc erit juſtitia noſtra ſi obſervantes ſe-
„ cerimus omnia præcepta coràm Domino Deo noſtro, quemadmodum
„ præcepit nobis. At hæc juſtificationis via nobis jam lapſis penitùs præclu-
Deut. 27. 26 ſa eſt, Edicto illo ſcilicet „ Maledictus eſt qui non permanſerit in omnibus
„ quæ ſcripta ſunt in libro Legis ut faciat ea Gal. 3. 10. à quo quantum nos omnes abſumus, tantum etiam ab hâc juſtificatione.

Reſtat

Reſtat ergò unica ſola nos *univerſaliter* & quoad *ſtatum juſtificandi* via ſecundùm *Novum Fœdus Gratiæ*, in quo res aliqua alia nobis in juſtitiam imputanda eſt, Eaque eſt

Vel cauſa juſtificationis noſtræ *meritoria* & *materialis*, ſcilicet juſtitia *Sponſoris noſtri Jeſu Chriſti*, ſecundùm illud Apoſtoli Rom. 4. 6. ubi de *juſtitiâ* (Chriſti ſcilicet) *imputatâ ſine operibus* legimus.

Vel *fides*, ut *inſtrumentum recipiens & applicans*, atque hoc in ſenſu *fidem Abrahamo imputatam eſſe* in *juſtitiam* dixit *Moſes* Gen. 15. 6. & *Paulus* Rom. 4. 3. ut & fidelibus omnibus v. 5.

Atque hæc de ſecundo quæſito, quo in ſenſu aliquid alicui in juſtitiam imputari dicatur. Reſtant duo reliqua: an & quo in ſenſu Chriſti juſtitia nobis imputetur: quo etiam in ſenſu Fidem Abrahamo & nobis in juſtitiam imputari hîc dicat Apoſtolus.

Ad tertium tandem quæſitum devenimus circa *imputationem juſtitiæ Chriſti ad noſtram juſtificationem*, ubi porrò tria quæri poſſunt. 3.

1. *Quo in ſenſu* Chriſti juſtitiam ad noſtram juſtificationem imputari dicimus?

2. An reverâ eo ſenſu nobis ad juſtitiam imputetur?

3. *Quænam juſtitia Chriſti* ea ſit, quæ ad id nobis imputatur?

Ad primum quod attinet, vid. *quo in ſenſu Chriſti juſtitia ad noſtram juſtificationem imputari dicenda ſit:* is duo reſpicere poteſt, vel *imputationem* vel *juſtificationem.* 1.

Si *imputationem*, cum plures vocis *Imputationis* ſignificationes, ejuſque ſpecies jam enumeratæ fuerint, tum quæritur, *Quânam* harum juſtitiam Chriſti nobis in juſtificationem imputari dicimus?

Si *juſtificationem*, tum quæritur ſub quâ notione vel ratione, an cauſæ *efficientis*, vel *materialis*, vel *formalis*, vel quâ aliâ cauſalitatis vi, eam ad juſtificationem noſtram conferre, atque *imputari* volumus.

Ad primum explicandum *quânam* ſcilicet *Imputationis ſpecie* Chriſti juſtitia nobis imputatur, ad memoriam revocandæ atque propoſito huic applicandæ ſunt priùs enumeratæ *Imputationis* diſtinctiones. 1.

Prima fuit in imputationem *rei bonæ vel malæ*. At hîc nil opus eſt ut dicam hanc *rei optimæ* eſſe imputationem, cum ſit ipſius *Chriſti juſtitiæ*, quæ in ſe ipſa *bonitas* eſt, cum ipſius ſit qui univerſaliter *bonus* eſt Matth. 19. 17. & quæ nos *beatos* reddit Rom. 4. 6, 7, 8.

Nec major de ſecundâ diſtinctione poteſt eſſe controverſia, cum enim *imputatio* omnis vel *juſta* & *recta* ſit, vel *injuſta* & *iniqua*, ſi à *Deo* fiat, *iniqua* eſſe *nequit*, „ Annon enim Judex totius terræ jus exerceret? Gen. 18. 25. At hoc ipſe *Deus facit* juxta illud Rom. 4. 6. „ Deus imputat juſtitiam (Chriſti ſcilicet, ut poſteà conſtabit) „ ſine operibus. Neque *juſtitiæ* Dei *detrahit* quod *ſine operibus*, imò (commate 5.) vel *impio* facta dicitur; cum enim priùs ſatis oſtendimus juſtificationem conſiſtere in delictorum condonatione, atque ex eâ in hominis pro juſto acceptilatione, licet in nobis ſine operibus, imò impii, & omnibus nominibus ſontes & rei ſimus, nil tamen in eo eſt, quo aliquis (quòd Deus nos, tales licet, pro juſtis habeat) Divinæ ejus juſtitiæ dicam impingat. In *foro* quidem *humano* illud *Solomonis* obtinet *Prov.* 17. 15

tinet „ Qui absolvit improbum & condemnat justum Domino abominatio-
„ ni est. Scilicet si (1) Judici secundum *meritum causæ* agendum esset, ubi *nulla* intercedit vel ipsius sontis vel Sponsoris *satisfactio*, (2) si *inferior Judex* sit, non supremus Rector, atque ideò veniam gratuitò indulgendi potestatem non haberet. Si verò *summus Rector* fuerit, tum quamvis sontem (quatenus in se est) reum agit, tamen

Vel factâ per Sponsorem *satisfactione* plenariâ, quâ legi & justitiæ satisfit, citra omnem injustitiæ maculam reum absolvere, & *pro justo* eum reputare potest, præsertim si fiat ex libero inter *eum* & *Sponsorem* hâc de re *pacto* inito.

Vel quatenus summus Rector est, pro *suâ Clementiâ* reo delicti veniam gratis indulgere potest sine omni injustitiæ specie, ut *Creditor* utroque hoc modo *debitoris debitum dispungere* potest.

Hoc totum apprimè Deo convenit.

1. In se essentialiter, infinitè justus, sanctus est, adeoque peccatum odit, & peccatorem in se, & quà talem, condemnat, punit. Psal. 5. 4. Rom. 1. 32.

2. Secundùm Decretum ejus æternum, & pactum cum Christo Sponsore nostro liberè initum plenaria ipsius justitiæ à Sponsore hoc nostro (qui λύτρον ἀντίλυτρον factus est) nostrâ vice facta est satisfactio, unde illæsâ justi-
Rom. 3. 26. tiâ Divinâ nostra admitti potest justificatio εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ, ut qui *justificat peccatorem in Christum credentem* eò nomine verè, propriè *justus* sit juxta primariam & propriissimam vocis illius significationem, quæ ibi cum non obtineat ego quidem nil video: sed

Hammond in locum & in Matth. 1. 19. Annot g. 3. Cum aliqui nimis importunè forsan contendunt per *justum* ibi *benignum, misericordem* intelligi, hoc modo, justus i. e. *benignus* inprimis est Deus in peccatoris justificatione, idque salvâ justitiâ suâ propriè dictâ, quia cum supremus Rector sit, penes eum est (ut *Augustino* & plurimis aliis visum est) citra justitiæ suæ præjudicium ex solâ gratiâ veniam indulgere: & quidem quod ad *nos nostraque merita* spectat *sola gratia* est, quamvis *Sponsoris nostri satisfactionem* quod attinet, (id scilicet necessariò exigente vel Dei *decreto*, ut omnes, vel etiam *Naturâ*, ut aliqui volunt) ipsum ἀπαραδειγματον servatur, & *summo jure* agitur: atque ità *vario* licet *respectu*, simul tamen & ex *merâ gratiâ* & ex *summo jure* peccatori *credenti imputatur justitia.*

Tertiò ut nihil hîc nobis negotii facessat 3^tia. prædicta *Imputationis* distinctio in *secundùm debitum & gratiam.* Nam Imputatio justitiæ Christi nobis pro quibus, & quorum vice plenariam satisfactionem præstitit, ipsi quidem *Christo* ità *satisfacienti* & *nobis in Christo ex* pacto *debita* est: *nobis verò quatenus ex nobis* nil tale, sed contrarium, meruimus, omninò & ex toto *gratuita est*, adeò ut & secundùm tam *Fœdus operum* quàm *Gratiæ* & justificentur & salventur fideles. Christus pro nobis illud prioris Fœderis adimplevit *Hoc fac & vives.* Legi ergo satisfit, atque indè in Christo secundùm ipsam Legem nobis vita cedit. Sic Apostolus Rom. 8. 4. ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν. *ipsum* scilicet *jus legis vel justificamen in nobis impleatur*, hoc est (ut rectè *Beza* in locum) „ illud ipsum nimirum quod re-
„ quirit lex, nempe tum plena pœnæ nostris debitæ luitio, ut à condemna-

tione

„ tione liberemur, tum plena legis præſtatio, ut ad æternam vitam *ingressi*
„ inveniamur ex illâ promiſſione, hoc fac & vives, ut in omnes facies ſe con-
„ vertat Satan juſti ſumus coram Deo ex illâ etiam abſolutiſſimâ legis for-
„ mulâ. At nosmet ipſos quod ſpectat, cum in ſtatu *naturæ* toti *in peccatis mortui*, atque inde *filii iræ* ſimus Epheſ. 2. 1, 3. vel in ſtatu *gratiæ* nondum è peccato plenè emancipati 1 Johan. 1. 8. & quoad infuſam juſtitiam, & quoad ex gratuitâ hâc imputatione propriè dictam (de quâ agimus) juſtificationem, *ab imo fundamento ad ſummum uſque lapidem* (ut illi olim) *gratiam, gratiam ei acclamamus.* Atque ideò Zechar. 4. 7.

Quartò cum imputatio vel *eſſentialis* vel *cogitationis* fuit, Chriſti juſtitiæ nobis imputatio *eſſentialis* illa eſſe nequit, illa enim (ut priùs oſtendimus) reali *inexiſtentiâ* & *inhærentiâ* rei imputatæ in perſonâ, cui imputatur, nititur: at longè ſecus ſe rem habere in noſtrâ juſtificatione jam diximus, quæ nos non ut jam inhærenter juſtos, ſed *antecedenter impios* reſpicit. Imputatio ergo *cogitationis* eſt, quâ *pro juſtis* gratiosâ *reputatione* habemur, neque id tamen *imaginariè*, cui omne deſit fundamentum, cum æternâ Dei *Electione* & *amore*, *Decreto*, Chriſti verò *plenariâ ſatisfactione*, ut *cauſis* ſuis nitatur, *effecta* etiam maximè *realia* habeat, non ſolùm *juſtitiam inhærentem* hîc inchoatam, & in cœlo olim conſummandam, ſed quoad ipſam juſtificationem veriſſimam & beatiſſimam *Statûs noſtri* in *melius mutationem*, ut non ampliùs *rei* ſimus & *condemnationi obnoxii* Rom. 8. 1. ſed reipsâ *peccatorum veniâ donati* Rom. 4. 6, 7, 8. & verè *juſti conſtituti* Rom. 5. 19. *pacem habeamus apud Deum* Rom. 5. 1. *acceſſum etiam per fidem in gratiam* v. 2. neque id ſolùm, ſed *gloriamur in tribulationibus* v. 3. neque id ſolùm, ſed *ultrà, gloriamur in Deo, &c.* v. 11.

Quintò cum denique Imputatio iſta *Cogitationis* vel *perſonæ* vel *rei* fuit, hîc, i. e. in juſtificatione noſtrâ utraque obtinet; duplex enim hîc tranſcriptio, vel ut ità dicam commutatio vel ſubſtitutio.

Perſonæ, nam ut peccata noſtra in Chriſtum transferuntur, ſic Chriſti juſtitia in nos tranſcribitur 2 Cor. 5. 21.

Secundò *Rei*, quæ fit cum res una in locum alterius concedit, & illius vices ſupplet, ac pro eâ reputatur. Sic ut diximus Rom. 2. 26. *præputium pro circumciſione reputari* dicitur. Sic aliqui *fidem* hoc in loco *Abrahamo*, ut & reliquis *fidelibus* v. 5. *reputari ad juſtitiam*, quaſi *legalis juſtitiæ* vices ſuppleret, & pro eâ à Deo per gratiam Evangelii acceptaretur. Quod quidem falſiſſimum eſſe poſtea (Deo favente) oſtendemus. At veriſſimum eſt de *imputatâ nobis Chriſti juſtitiâ*: Fæliciſſimâ enim commutatione pro *juſtitiâ noſtrâ legi debitâ*, quæ nobis defuit ſubſtituitur *Chriſti perfectiſſima juſtitia*, quâ cum fœnore, & infinitâ ſuperabundantiâ *pro nobis legis ſatisfactum eſt*, unde à Deo ad noſtram juſtificationem acceptatur, quatenus per *imputationem* in *rationes noſtras* refertur.

Atque ſic tenemus *quânam Imputationis ſignificatione* Chriſti juſtitia nobis imputatur in juſtificationem.

At 2do. ſi quæratur quo in *ſenſu* imputatur ratione habitâ ad ipſam *juſtificationem* noſtram; 2.

Reſpondeo

1. Ut *cauſa meritoria.* Nam dum Chriſtus tam agendo quam patiendo legi pro nobis perfectè ſatisfecerit, atque *omnem juſtitiam impleverit* Matth. 3. 15: hæc ejus juſtitia ità nobis credentibus imputatur ut nobis juſtitiam & vitam promereat, juxta illud Rom. 3. 24. „ juſtificati gratis per gratiam „ ipſius διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu. & Cap. 5. 18. δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς δικαίωσιν ζωῆς „ per unius juſtitiam; in „ omnes homines in juſtificationem vitæ ſcilicet ut cauſa ejus procurans & meritoria: hoc (quantum intelligo) non diffitebuntur ipſi *Sociniani*, qui licèt blaſphemè negent omnem per Chriſtum *vice noſtrâ* factam ſatisfactionem, affirmant tamen Chriſtum ità *pro nobis* (id eſt, *bono noſtro*) *mortuum* fuiſſe, ut ſi ei credamus juſtificationem & vitam æternam certiſſimè conſecuturi ſimus idque meritò. Certè *Pontificii* quamvis *Juſtitiam imputatam* pro ludibrio habeant, & ſannis excipiant, negare tamen non audent *Chriſti juſtitiam*, ejuſque meritum *hoc ſenſu* nobis *imputari* ad ſalutem. Sic Bellarminus de juſtificat. l. 2. c. 10. „ inhærens juſtitia cum remiſſione culpæ „ & ſempiternæ pœnæ eſt effectus ſatisfactionis Chriſti, quæ nobis in juſti„ ficatione confertur & applicatur, & hoc modo non eſſet abſurdum ſi quis „ dicat nobis imputari Chriſti juſtitiam, &c. hæc ibi habet, & ſimilia alibi, ut poſteà videbimus. Non negant, inquam, *Chriſti juſtitiam nobis imputari* tanquam cauſam efficientem *meritoriam* noſtræ juſtificationis. Hoc tantùm negant, eam eſſe ejus *cauſam formalem.*

2. Ergo de hoc quæritur, An Imputatio juſtitiæ Chriſti ſit *formalis cauſa* vel ratio juſtificationis noſtræ, porrò an res *eadem* rei *ejuſdem* & cauſa efficiens *meritoria*, & ſimul *formalis* eſſe poſſit?

Reſpondeo

1. *Pontificios* per juſtificationem intelligere *inhærentis juſtitiæ infuſionem* adeòque juſtificationem cum ſanctificatione confundere: quæ ſi vera juſtificationis natura & definitio eſſet, eſt quòd meritò negarent imputationem juſtitiæ Chriſti eſſe cauſam vel rationem formalem hujuſmodi juſtificationis, ſanctificationis ſcilicet. Non enim adeò vel inepti vel blaſphemi ſumus ut dicamus, vel cogitemus unquam Chriſti juſtitiam nobis imputatam nos formaliter *quoad inhærentiam juſtos* conſtituere, ut inhærenter, formaliter, juſti eſſemus Chriſti juſtitiâ: Ità enim (quod fruſtrà nobis oggerere ſolent) æquè juſti eſſe poſſumus Chriſti juſtitiâ, ac ſapientes & probi alterius alicujus ſapientiâ & virtute, imò *æquè* ac ipſe *Chriſtus eſt juſtos* eſſe. imò quidni & *ipſiſſimum Chriſtum* eſſe? cum Chriſti juſtitia ſibi propria ſit, & æquè ab ipſo inſeparabilis & aliis incommunicabilis, ac proprium quodvis alterius rei accidens, vel ipſa eſſentia. At hanc in *ſolo Chriſto ſubjectivè* inhærere, *nobis* verò in *juſtificatione* per *ſolam imputationem* communicari aſſerimus.

2. Ergo cum quæritur an ità imputata nos quoad juſtificationem formaliter juſtos reddat ut *formalis cauſa noſtræ juſtificationis*, hoc affirmant Noſtri, Methodici, Reliqui, & rectè quidem. Cum enim juſtificatio conſideratur vel *activè* in *Deo* tanquam in *agente* vel *termino à quo*, vel *paſſivè* in *perſonâ juſtificatâ* tanquam in *ſubjecto patiente* & *recipiente*, vel *termino ad quem*, ejuſque *qualificationem* vel *ſtatum* denotat.

Bucanus, Tilenus, Leidenſes. Davenant. de juſtitiâ habit. c. 24.

In primo ſenſu, cum *Dei juſtificantis actio* ſit, & in actionibus non æquè

ac

ac in ſubſtantiis *materia* vel *forma propriè* dicantur, non eſt quòd in his nimis argutè λεπτολογήσωμεν. Cum tamen *actio formalis* vulgò dicatur vel *antecedenter*, quæ *formam conſtituit*, vel *conſequenter*, quæ *ex formâ* fluit: Si quæratur, utrùm *Imputatio juſtitiæ Chriſti* ſit *Dei actus formalis*, quo nos formaliter juſtificat, vel pro juſtis habet, Reſpondeo, Secundùm plures Theologos juſtificationem in ſe duo continere, *peccatorum condonationem*, & *juſtitiæ Chriſti imputationem*, ſecundùm Apoſtolum, qui duo hæc in hoc negotio conjungit, Beatus eſt homo, cui „ Deus imputat juſtitiam „ abſque operibus, &, Beatus ille cui Deus non imputat peccatum Rom. 4. 6, 7, 8. quæ ſi pro duabus juſtificationis *partibus conſtituentibus* habeantur, (de quo poſtea) Imputatio hæc juſtitiæ Chriſti *ex parte* tantùm ad integrum formalem actum juſtificandi conferet; Si verò (ut aliqui ſentiunt) *duo hæc rem eandem* reverâ ſignificent, ſub *vario* tantùm *rem eandem conſiderandi modo*, tanquam *in termino à quo* & *ad quem*: tum ſub iſtâ juſtitiæ imputatione *tota* juſtificationis iſtius *formalitas* (ſaltem Synecdochicè) continetur, ut imputatio hæc juſtitiæ *formalis juſtificandi actus* rectè dici poſſit. Nimirum quatenus hominem *quoad juſtificationem* in ſenſu Paulino i. e. *forenſi juſtum conſtituit*: conſequenter enim, idque immediatè, ex hâc imputatione homo juſtificatur, i. e. pro juſto à Deo habetur, ut ex imputatione ſolutionis debiti per ſponſorem creditori factæ debitor à debiti nexu ſolvitur, & liber conſtituitur.

Et ſimiliter de juſtificatione *paſſivè ſumptâ*, cum *juſtitia Chriſti juſtificationis noſtræ materia* ſit, ejus nobis *facta imputatio* ejus *forma* ritè dici poteſt: juſtitia inquam Chriſti noſtræ juſtificationis materia eſt, *ex quâ tota noſtra* (quod ad *juſtificationem* attinet) *conſtat juſtitia*, ejuſque nobis *imputatio formaliter* (quoad *juſtificationem*) *nos juſtos reddit* (unde *in eâ inveniri* dicimur. Philip. 3. 9.) prout λύτρον à ſponſore ſolutum res eſt ex quâ conſtat debitoris liberatio, quod dum in ejus rationes refertur, is actu liberatur.

Adeò ut Chriſti juſtitia & *cauſa efficiens meritoria* ſit, *ob quam* Deus nos juſtificat, *materia* etiam *ex quâ conſtat noſtra quoad juſtificationem juſtitia*, cujus imputatione *formaliter Deus* ex parte *ſuâ* nos *activè juſtificat*, & *nos ex parte noſtrâ paſſivè juſtificamur*. Illa ipſa, inquam eſt, „ propter quòd, „ in quo, & per quod juſtificamur, ut rectiſſimè *Theologi Leidenſes*. Ut non immeritò dixerit Apoſtolus Chriſtum eſſe „ omnia in omnibus Coloſſ. 3. 11. ex parte ſuâ nobis omnia conferendo, non etiam ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοις „ in eo completos Col. 2. 10. ex parte noſtrâ è plenitudine ejus omnia hauriendo: Cui ſola omnis idcircò refundendo eſt gloria & gratiarum actio. *Synops.* c. 33. §. 23.

Atque hæc de primo illo quæſito dicta ſint. Nimirum quo in ſenſu Chriſti juſtitia ad noſtram juſtificationem imputari dicitur tum quoad multiplices Imputationis ſignificationes, tum quoad varias Juſtificationis cauſalitatis ſpecies.

Jam accedimus ad ſecundum quæſitum. An reverâ Chriſti juſtitia nobis in juſtitiam, vel ad juſtificationem noſtram imputetur?

Pontificii uno ore omnes clamitant hoc nunquam à Deo dictum, nuſpiam in Sacro Codice ſcriptum reperiri, ideoque ſi Sacræ Scripturæ interpretandæ *Bellarm. de juſtific. l. 2. cap. 7.*

ritè operam navemus, non eſt quòd fruſtrà in ſenſu illo erutendo operam navemus, quòd nullibi in Sacro Codice extet.

Fatemur & nos omnes hæc ipſiſſima verba *Chriſti juſtitia nobis imputatur in juſtitiam* ῥητῶς & totidem verbis in S. Scripturâ non occurrere, ut nec *Trinitatem Perſonarum*, *Infantulorum Baptizationem*, *diei Dominicæ inſtitutionem*, & plura alia, quæ ut in ſe veriſſima & fundatiſſima ſunt, ſic nec extra Sacri Codicis ſenſum vel Interpretum penſum ſi modò ibi vel verba ἐνδιαθήκως occurrant, vel ſi ex iis quæ ibi κατὰ λέξιν & exertè dicuntur *facili* & *neceſſariâ* ſequantur *conſequentiâ*. At ità ſe res hîc habet. Nam

Ipſe Bellarminus eodem Capite in quo hoc nobis objicit [§. Quartò refellitur, &c.] ſententiam aliquam rectam eſſe concedit, quamvis modus loquendi in Scripturis & Patribus aut nunquam aut rariſſimè inveniatur.

1. Terminis terminantibus *juſtitiam imputatam* legimus Rom. 4. 6. ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων, „ Deus imputat juſtitiam abſque operibus. „ Et rurſus Commate 11. εἰς τὸ λογισθῆναι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην, ut reputetur etiam ipſis juſtitia. En αὐτολέξει in S. Codice *Imputatam juſtitiam*: quam *Pontificii* blaſphemando *putatitiam* vocant, & quaſi *ridiculam* deſpuunt, ſimulque Sanctum Spiritum in Sacrâ paginâ ità loquentem. Non eſt ergo quod nos ut *novæ fidei*, ità & *novorum* ad eam exprimendam *nominum* inſimulent: non *nova* enim, non *noſtra* eſt hæc *imputatæ juſtitiæ* nomenclatura, quàm in Sacro Canone olim exaratam, à Sancto Spiritu in ſummam noſtram conſolationem ſacratam atque uſurpatam accepimus.

Si verò regerat aliquis, in illis locis nos legere *juſtitiam imputari* quidem, at non *Chriſti juſtitiam nobis imputari ad juſtificationem*, neque aliud ſonare hoc *juſtitiam alicui imputari*, quàm illum pro *juſto haberi* & cenſeri, prout ejuſdem Capitis Commate 8. ἁμαρτίαν λογίζεσθαι *peccatum imputare* nihil eſt niſi *non condonare* v. 7. vel *reum agere*;

Facilè concedimus ità intelligi, ſed inde tamen noſtram firmari ſententiam, ut enim *peccatum imputare* eſt *de peccato aliquem reum agere*, ità tamen ut *peccatum aliquod ſit* quod ei imputatur, ità cum Apoſtolus non ſemel *juſtitiam nobis imputatam* eſſe dicit, vult quidem eâ phraſi nos pro juſtis haberi, ità tamen ut *juſtitia aliqua ſit*, quâ ità juſtificemur. At hæc juſtitia *noſtra* non eſt quod Apoſtolus ſatis probaverat prioribus Capitibus ergo juſtitia *alterius* eſt, ſi alterius, tum *ſolius Chriſti*, ſi *Chriſti*, tum *noſtra* fit *per imputationem*. Unde planè ſequitur quod volumus, vid. Chriſti juſtitiam nobis imputari ad juſtificationem: ad hoc enim *juſtitiam imputatam* eſſe bis dicit Apoſtolus, at cum *nullius alterius* hæc juſtitia ſit, neceſſariò ſequitur ut *Chriſti* ſit, quæ nobis in *juſtitiam imputetur*.

Si regerant *Chriſti quidem juſtitiâ nos juſtificari*, at *infuſâ & inhærente*, quæ *Chriſti* eſſe veriſſimè & propriè dicitur, quia *morte ſuâ promerita*, & per *Spiritum ſuum infuſa* eſt; Reſpondeo, infuſam vel inhærentem juſtitiam duplici eo nomine rectè *Chriſti* juſtitiam dici poſſe, quatenus tamen *nobis inhæret*, *noſtram* etiam dici poſſe, imò & in Sacrâ Paginâ dici Tit. 3. 5. Sed hoc interim nihil ad præſens propoſitum noſtrum, cum de voce *Imputata* agimus. Non enim *juſtitiam infuſam* ſed *imputatam* eſſe dixit Apoſtolus in eo loco de quo agimus, at *juſtitiam imputari* & *infundi* admodùm diſtincta ſunt, quod ex ipſiſſimo illo ad Romanos Capite quarto ad minimum dupliciter conſtat.

Primò

Primò ex eodem Commate 6. in quo Deus dicitur *juſtitiam imputare χωρὶς ἔργων absque operibus*, at *infusa* juſtitia non eſt *absque operibus*, ſed ea includit, idque quoad formalitatem juſtificationis ex ſententiâ *Pontificiorum*, qui *hominem ex operibus juſtificari* aſſerunt & contendunt. Quod verò ad eorum commentum attinet, vid. opera illa (de quibus ibi loquitur Apoſtolus) eſſe opera *ante fidem* vel *ſine fide facta*, non ex infusa gratia vel juſtitiâ prodeuntia, id ſatis antehac profligavimus.

2. *Imputare juſtitiam* v. 6. & *non imputare peccatum* v. 8. ab Apoſtolo pro eodem habentur. At *condonatio* vel *non imputatio peccatorum* longè aliud eſt quàm *infuſio juſtitiæ*, adeoque æquè diſtet neceſſe eſt *juſtitiæ* infuſio & *ejuſdem imputatio*, de quâ ibi agit Apoſtolus. Hoc primùm fuit quod *imputatam juſtitiam*, quam quaſi portentum aliquod inauditum & Chimæram neſcio quam à nobis confictam exſibilant *Pontificii* & noſtrûm aliqui, in ipſa Sacrâ Paginâ ῥητῶς κατ' ἄνθρωπον exaratam inveniamus, & cum nullius niſi *Chriſti* ſolius ſit, Chriſti juſtitiam nobis in juſtificationem imputatam eſſe ſatis apertè comprobamus.

Secundò licèt ῥητῶς in Sacrâ Paginâ non occurrat, nos juſtificari per Chriſti juſtitiam nobis imputatam, ſufficit tamen ſi *huic æquipollentia* ibi legantur, & ex quibus hoc *neceſſariâ conſequentiâ deduci* poſſit. Ut plura omittam, duo vel tria tantùm proferam.

Illud 1 Cor. 1. 30, „ Chriſtus Jeſus ὃς ἐγενήθη qui factus eſt nobis Sa-
„ pientia à Deo, & Juſtitia & Sanctificatio & Redemptio. Cujus „ nomen
„ futurum Dominum juſtitiam noſtram prædixit Propheta Jer. 23. 6. eum
„ nobis juſtitiam factum dicit Apoſtolus. At hoc per *imputationem*.

Imò verò hoc negat *Bellarminus*, ſed duabus aliis de cauſis (ut puerile illud *Becani* reſponſum miſſum faciam, qui Chriſtum *juſtitiam noſtram factum eſſe* fatetur, ſed *Chriſti juſtitiam noſtram juſtitiam factam* negat, ac ſi *Chriſtus* nobis aliter quàm per *juſtitiam ſuam nobis juſtitia fieri* potuerit) Duabus de cauſis hoc negat *Bellarminus*. Primùm quia „ Chriſtus cauſa eſt *De juſtif. lib. 2. cap. 10*
„ efficiens noſtræ juſtitiæ, quomodo alibi dicitur fortitudo & patientia &
„ ſalus noſtra, & eo ipſo in loco ſapientia & redemptio noſtra, quia ſcilicet
„ nos redemit, & juſtos ac ſapientes fecit. Secundò dicitur Chriſtus ju-
„ ſtitia noſtra, quoniam ſatisfecit Patri pro nobis, & eam ſatisfactionem
„ ità nobis donat & communicat, cum nos juſtificat, ut noſtra juſtitia &
„ ſatisfactio dici poſſit. Nam etſi per juſtitiam nobis inhærentem juſti no-
„ minemur & ſimus, tamen per eam non ſatisfacimus Deo pro culpis no-
„ ſtris & pœnâ æternâ, ſed eſt illa juſtitia inhærens cum remiſſione culpæ &
„ ſempiternæ pœnæ effectus ſatisfactionis Chriſti, quæ nobis in juſtifica-
„ tione confertur & applicatur, & hoc modo non eſſet abſurdum ſiquis *Sic etiam Cap. 7. §. Quarto. Sic Coſterus in Enchirid. c. 6. p. 257.*
„ diceret nobis imputari Chriſti juſtitiam ac merita, quæ nobis donentur
„ & applicentur, ac ſi nos ipſi Deo ſatisfeciſſemus, modò non negetur eſſe
„ in nobis præterea juſtitiam inhærentem, eamque veram & abſolutam eſſe
„ juſtitiam, cui juſto Dei judicio non debeatur pœna, ſed gloria. Cui
„ illud Bernardi adjungit, Nam ſi unus pro omnibus ergo omnes mortui *Epiſt. 190.*
„ ſunt, ut ſcilicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium pec-
„ cata unus ille portavit.

Hæc

Hæc ibi *Bellarminus*. Quibus sic respondemus,

1. Quod ad primum illud attinet, *Christum nobis justitiam factum* esse *eodem* sensu quo & *fortitudo*, *pax*, *salus*, & eo in loco *sapientia* & *redemptio* nostra dicitur, non quoad *imputationem*, sed quoad *efficientiam*, quia nimirum nos efficienter redemit, Patri reconciliavit, & eodem modo quo nos *fortes* & *sapientes*, ità & *justos* facit, *efficienter* scilicet & non *imputativè*,

Respondeo,

1. Verum quidem est, Christus rectissimè *Sapientia*, *fortitudo*, *pax nostra* dicitur, imò & eodem modo *justitia* etiam dici potest, quatenus nos *sapientes* & *fortes efficienter* reddit, & *justos* etiam quoad *justitiam inhærentem*, quam per Spiritum suum in nobis creat & infundit, atque eo in loco hoc in sensu *Sapientia* & *Sanctificatio* nobis factus dicitur. Sed

2. Si hoc in sensu eo in loco nobis *justitia factus* diceretur, tum idem esset quod *Sanctificatio*, quæ ibi ut *distinctum* quid à justitiâ additur, quod subdolè *Bellarminus* reticuit. Sic enim loquitur „ Sic (hoc scilicet in loco) „ dicitur Christus justitia nostra, quomodo dicitur Sapientia nostra, & „ Redemptio nostra. At quid erat, *Bellarmine*, quod non etiam addidisti *& Sanctificatio nostra?* hanc enim addidit Apostolus, „ Christus fa- „ ctus est nobis Sapientia & justitia, & sanctificatio & redemptio. At *Sanctificationem* tu planè omisisti eâ nimirum de causâ quiâ probè nosti quod *Sanctificatio eadem* esset cum *justitiâ*, adeòque τautολογίαν in hâc enumeratione efficeret. *Eja bone vir, curâsti satis!*

3. Ergo cum *justitia* & *Sanctificatio* hîc *distinctæ* sint, hæ Christus nobis factus est *suo*, id est *distincto modo*. *Eodem sensu* hæc omnia dici vult *Estius*, nempe *causali*, *meritorio* scilicet, quod non diffitemur, si *genericè* loquamur; sed si *speciatim* & *singulariter* has omnes spectemus, quamvis *omnes in genere* à *Christi meritis* nobis proveniant, *suo* tamen *ordine* & *modo singulæ*. Sic *Bernardus*, „ factus est nobis Sapientia in prædicatione, justi- „ tia in absolutione peccatorum, Sanctificatio in conversatione, Redem- „ ptio in passione. Vel potiùs *Sapientia* quidem nos per Spirituum suum *efficienter illuminando*, *Sanctificatio* etiam *efficienter Sanctos inhærenter efficiendo*, at *Redemptio meritorie*, *obedientiæ* scilicet ejus *merito* nobis *imputato*, ut & *justitia*, *imputatâ* etiam *Mediatoriâ ejus justitiâ & obedientiâ*. Neque ab usu Sacræ Scripturæ abhorret ut unâ enumeratione *plura conjungantur*, quando ea quæ dicuntur non *eodem modo* singulis attribuuntur, sed cuique pro *suo modo* sibi peculiari ac proprio. ut 1 Cor. 6. 11. „ Sed abluti estis, sed „ sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu & per Spiri- „ tum Dei nostri: ubi cum in *genere* primò eos *ablutos* esse dixerat, dein species *ablutionis* hujus designat in *sanctificatione* & *justificatione*, non tamen *eâdem* in utrâque *ablutione*, sed *suâ utrique propria*, in *Sanctificatione* à *maculis* & *sordibus peccati*, in *justificatione* ab ejusdem *reatu*, in illâ *gratiam & inhærentem justitiam infundendo*, in hâc *justitiam & merita Christi imputando*, ipso fatente *Bellarmino*. Quo modo in his locis ideò intelligi dicimus, quia ut ità verè res est, sic ex aliis locis parallelis ità esse evincitur. Imò hoc ipso in loco, licet in illum Commentariis suis *Pontificii* imputatam justitiam proscribant, rei tamen summam apertè agnoscunt. Sic enim

Eodem modo. C. à Lapide.

In Cant. Ser. 22.

Cum Paulus factus sit omnia omnibus, non tamen eodem modo. Chamier. Tom. 3. l. 21. c 17. §. 20.

Corn.

Corn. à Lapide in locum „ Chriſtus pro debito humano juſtiſſimo ſanguinis „ ſui pretio ſatisfecit, & meruit nobis juſtitiam, &c. adeòque factus eſt „ nobis juſtitia, quia juſtitia, id eſt ſatisfactio Chriſti noſtra eſt perinde „ ac ſi nos Deo ſatisfeciſſemus. Unde Theologi dicunt in juſtificatione Chri- „ ſti ſatisfactio nobis applicatur, ut propter eam remittantur peccata & gra- „ tia infundatur. Quæ quid quæſo aliud ſonant quàm *imputationem juſti- tiæ Chriſti* quâ abſolvimur à reatu peccati in juſtificatione, quæ ex ſolâ meriti Chriſti imputatione conſtat & ſancti inhærenter efficimur in ſanctificatione?

Hoc etiam *Bellarminus* in ſecundâ illâ ſuâ reſponſione agnoſcit; Cum enim 2.
fatetur „ Chriſtum nobis juſtitiam factum quoniam ſatisfecit Patri pro nobis, „ & eam ſatisfactionem ità nobis donat & communicat cum nos juſtificat; ut „ noſtra ſatisfactio & juſtitia dici poſſit, atque hoc modo non eſſe abſurdum „ ſiquis diceret nobis imputari Chriſti juſtitiam & merita cum nobis do- „ nentur & applicentur ac ſi nos ipſi Deo ſatisfeciſſemus, apertiſſimè cauſam „ ſuam prodidit & noſtram firmavit. Nil ipſe *Lutherus* vel *Calvinus* pro juſtificatione ex *imputatâ juſtitiâ* dixiſſe potuerunt accommodatius. Nil aliud volumus unquam cum *imputatam juſtitiam* urgemus quàm Chriſti ſatisfactionem nobis ità in juſtificatione applicatam eſſe ad tollendum peccatorum reatum ac ſi nos ipſi ſatisfeciſſemus. Quod per *inhærentem juſtitiam non fieri* ipſe ibidem fatetur: Ergò neceſſe eſt ut ſit per *juſtitiam* ità nobis *imputatam*. *Magna* utique eſt *veritas & prævalebit*, quæ hanc ſui confeſſionem ex ore adverſarii acerrimi extorſit. Quòd verò dum hoc adeò liberaliter largitus ſit ità intelligendum vult, ut „ præter hanc juſtitiam imputatam non „ negetur eſſe in nobis juſtitiam inhærentem; ſecurus ab hoc metu ſit. Nos qui ſanctificationem cum juſtificatione, charitatem cum fide ſemper conjunctam eſſe affirmamus & contra eos probamus, inhærentem juſtitiam in verè juſtificatis nunquam negavimus, vel negabimus. Quod verò ſtrumam illam ſuperaddat „ hanc inhærentem juſtitiam veram & abſolu- „ tam eſſe juſtitiam, cui juſto Dei judicio non debeatur pœna ſed gloria, licèt plurimis nominibus falſiſſimum ſit, quia tamen non hanc de quâ agimus, ſed alias Controverſias ſpectat, miſſum jam faciamus.

Et ad locum alium accedamus, in quo Chriſti juſtitia nobis ad juſtificationem imputata etſi λογίζομαι non dicatur, ex genuino tamen ejus ſenſu clarè & fortiter evincitur. Eſt verò ille celeberrimus 2 Cor. 5. 21. τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ. „ Eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum fecit, ut „ nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. In quo magnum pondus.

At quid ad hæc *Bellarminus*? Admodùm utique ſe torquet & in omnes formas ſe vertit *Proteus* iſte ut ex hoc quo tenetur nodo ſe extricet. Et primò ἀνηφατικῶς noſtram expoſitionem deſtruere conatur, dein καταφατικῶς alias eaſque varias expoſitiones ponit ut magis accommodas.

Et quod ad primum ſic habet. „ Reſpondeo, Non dicitur Chriſtus pec- „ catum, id eſt peccator, neque imputantur illi peccata noſtra, quaſi „ ipſe illa fecerit & iniquus haberi poſſit, ſed ſolùm imputantur illi quoad

„ debitum ſatisfaciendi, quod ille ſponte ſuſcepit, ex quo non peccator, „ ſed juſtus dici meretur, qui enim pro alio ſatisfacit, juſtiſſimus eſt. „ Sic igitur & nobis imputatur juſtitia ejus quoad ſatisfactionem, quam pro „ nobis præſtitit, ſed non propterea nos juſti i. e. mundi & immaculati ha- „ beri poſſumus, ſi verè in nobis peccatorum maculæ & ſordes inhæ- „ reant.

Hæc ille, & multa quidem: quorum tamen aliqua ad rem nil faciunt, reliqua verò ſententiam noſtram tantùm abeſt ut enervent, ut ſummoperè confirment. Nam

1. Quamvis peccata noſtra Chriſto imputata eſſe verè dicamus, quis tamen unquam noſtrûm adeò *blaſphemus* fuit, qui ità ei imputata eſſe dixerit „ quaſi ille ipſa fecerit & iniquus haberi poſſit, vel in ſe inhærenter quoad peccati maculas & ſordes peccator propriè fuerit? Erant quidem olim mendoſi aliqui Codices, in quibus (teſte *Auguſtino*) ità legebatur „ Is qui non „ noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, tanquam pro nobis Chriſtus „ ipſe peccaverit. At blaſphemam hanc lectionem obeliſco (æquè ac eo in loco ipſe *Auguſtinus*) configimus. *Lutherus* quidem pro ingenio ſuo ac loquendi more audaciore hinc aliquoties *Chriſtum maximum omnium peccatorem* vocare non eſt veritus eò quod peccata omnia electorum omnium ipſi imputata fuerint, ſenſu quidem ſatis pio, ſed *audaci* nimis *loquendi genere*, à quo nos abſtinemus.

Enchirid. cap. 41.

2. Quis etiam noſtrûm adeò *ſui ſuffenus* unquam fuit, ut ſe *Bellarmini* ſenſu ità inhærenter juſtum venditaverit, ut eatenùs ſe *mundum* & *omninò immaculatum* putaverit? contrarium miſerâ noſtrâ edocti experientiâ ſentimus, agnoſcimus, & contra *Pontificios* aſſerimus. Hæc ergò adverſum nos cauſamque noſtram hactenus nil faciunt.

3. Verùm etiam & illud fateor, eum qui pro alio ſatisfacit eo nomine non iniquum, ſed juſtum eſſe: ac proinde Chriſtum (cui *noſtra peccata imputari* concedit *Bellarminus quoad debitum ſatisfaciendi*) quatenus illud ſponte ſuſcepit & præſtitit, ex eo non *peccatorem*, ſed *juſtiſſimum* dici mereri. *Debiti* enim *ſatisfactionem* vel *ſuſcipere* vel *præſtare*, ſi pro *ſeipſo* quis faciat, *juſtitia* eſt, ſi pro *alio*, & *juſtitia* ſimul & *beneficentia*. Si tamen *debitum* cum *reatu* conjunctum ſit (quod in noſtro fit) qui *hujus debiti* ſatisfactionem in ſe ſuſcipit, * ut *hircus emiſſarius omnia totius populi peccata ſibi impoſita* habuit; atque ſimiliter de Chriſto victimâ noſtrâ expiatoriâ hoc etiam in ſenſu dixit Propheta יְהוָה הִפְגִּיעַ בּוֹ אֶת עֲוֹן כֻּלָּנוּ Iſa. 53. 6. poſuit (vel convenire fecit) „ Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Quem locum ipſe *Bellarminus* ex *Auguſtino* in Pſalm. 21. adfert, ut probet Chriſtum noſtra peccata ſua eſſe voluiſſe ut pro illis ſatisfaceret.

* *Non ſolùm pœnam exſolvit ſed & reatûs imputationem aliquatenus in ſe ſuſcipit Levit. 16. 21 Jehova Hiphgiang Bo Eth Gnavon Cullanu. De juſtif. lib. 2. c. 10. §. hæc igitur &c.*

4. At quid hoc totum quod hîc reſpondet *Bellarminus* contra argumentum noſtrum pro *imputatâ* nobis *Chriſti juſtitiâ* ex hoc loco ductum facit? cum ſententiam noſtram ità confirmet, ut non immeritò ex noſtris quidam ad hoc *Bellarmini* reſponſum ovando exclamaverit „ Enimverò magna vis „ eſt veritatis, quæ ſe non patiatur ἀμάρτυρον etiam apud adverſarios.

Chamierus Tom. 3. l. 21. cap. 17. §. 25.

Ipſe

„ Ipſe enim Bellarminus diſertis verbis fatetur, Chriſti juſtitiam nobis imputari quoad ſatisfactionem. Sic etiam *Becanus* *. Sic *Coſterus* in Enchiridii Capite 6. pag. 256. Sic ex iis alii. At hoc totum eſt quod nos contendimus: totum enim eſt quod volumus cum dicimus hominem juſtificari per imputatam ei Chriſti juſtitiam, ſcilicet per imputatam ipſi Chriſti ſatisfactionem peccatorum veniam conſequi, & in Dei gratiam reſtitui, atque eatenus pro juſto haberi.

* *In ſummâ Theolog. Scholaſt. Tract. 3. c. 2. q. 2.*

At in hoc ultimo hærent Pontificii: neque ex eo quòd *ſatisfactionis Chriſti imputatione veniam* conſequamur nos proinde pro *juſtis haberi* contendunt. Hic ſenſus fuit reſponſionis *Bellarminianæ*, quam *Becanus* clariùs ità effert „ at quamvis concedi poſſet peccatum noſtrum Chriſto imputari quoad de„ bitum ſatisfaciendi, non tamen concedendum eſt ità illi imputari ut ab „ eo peccator aut iniquus cenſeri poſſit; ſimiliter quamvis verum ſit juſti„ tiam Chriſti nobis imputari quoad ſatisfactionem, falſum tamen eſt ità „ nobis imputari ut ab eâ juſti & ſancti cenſeamur.

At rectè reſpondent noſtri, nos non docere noſtra peccata ſic Chriſto imputari, ut inde peccator vel iniquus, hoc eſt inhærenter injuſtus conſtituatur, ſed quia *intuitu & reſpectu noſtrorum peccatorum perinde cum eo Deus egit ac ſi peccator fuiſſet*, atque ideò dicimus illi imputata fuiſſe peccata noſtra: (ſine quali imputatione peccatorum noſtrorum iniquum fuiſſet ab eo eorum pœnas exegiſſe) ſic ex imputatâ nobis juſtitiâ Chriſti licèt *efficienter*, tamen *non formaliter* dicimur conſtitui *inhærenter juſti*, ſed quia *intuitu & reſpectu juſtitiæ ab illo præſtitæ perinde nos habet ac nobiſcum agit Deus ac ſi formaliter* vel *inhærenter juſti eſſemus*; atque ideò dicimus, *Chriſti juſtitiam* veriſſimè *nobis* à Deo Patre *imputari*. Nititur igitur *Bellarmini* & *Becani* reſponſio fundamentali ſuo illo errore, quòd *juſtificatio* noſtra conſiſtat in *infuſione inhærentis juſtitiæ*, quod exertè negamus, nos verò in imputatione alienæ, Chriſti ſcilicet, conſiſtere affirmamus, & ex S. Scripturâ evincimus, adeòque ad hoc eorum reſponſum duo dicimus,

Davenantius de juſtitiâ habituali cap. 18. pag. 361.

1. Ex hâc *juſtitiæ Chriſti* nobis *imputatione* efficienter quidem fluere & cauſari inhærentem in nobis juſtitiam quæ hîc imperfecta licèt ſit (atque proinde ex eâ coràm Dei tribunali juſtificari non poſſumus) ità tamen ut *juſti* dici poſſimus, & ſæpiùs in Sacrâ Scripturâ dicamur. Sed

2. Si *formalem* juſtificationis *rationem* attendamus, ea in *ſola juſtitiæ Chriſti imputatione* conſiſtit; Cum enim juſtificatio ſenſu noſtro, ut & *Paulino*, in *remiſſione peccati & reatûs* conſiſtat, quam (ipſo fatente *Bellarmino*) *imputatio juſtitiæ Chriſti*, quoad *debitum ſatisfaciendi* præſtat, neceſſariò ſequitur quod in hâc juſtitiæ Chriſti imputatione conſiſtat, ut ex *eâ*, *eâque ſolâ* (nimirum quod ad hanc *juſtificationem* attinet) *juſti habeamur*. *Ex eâ* (inquam) *verè & propriè juſti habemur*, nam (ut rectè obſervat *Ameſius*) „ ſi, ut ipſi fatentur, juſtitia Chriſti nobis imputatur, tum certè nos „ juſti reputamur in illo, nam nemo juſtitiam imputat illi, quem juſtum „ non habet. Atque (ut dixi) *ex eâ ſolâ*: quamvis enim *juſtitia inhærens* ſimul *infundatur* (prout juſtificationem & ſanctificationem individuo nexu ſemper conjunctiſſimas eſſe affirmamus) atque *eo ſenſu verè*, licèt hîc imperfectè, *juſti ſimus*, & in S. Scripturâ vocemur: *illud* tamen in *formali ratione*

Bellarmin. Enervat. Tom. 4. l. 6. c. 1. p. 144.

tione juſtificationis non attenditur, ſed ad *ſanctificationem*, ubi propriam ſedem habet, pertinet.

Atque hactenus egimus de Reſponſionis Bellarminianæ parte ἀνθαλλαγῇ, in quâ deſtruere conatur interpretationem noſtram hujus ſententiæ Apoſtolicæ, vid. „ nos fieri juſtitiam Dei in Chriſto, ſcilicet per *juſtitiæ ſuæ nobis imputationem*, quam ille improbare ſategit: at quàm fœliciter jam vidimus.

Agamus igitur & videamus an Reſponſionis ſuæ partem κατάφασιν fœliciùs expediat, in quâ hujus phraſeôs Apoſtolicæ interpretationem ſuam, & aliorum proponit, & propugnat: eam verò triplicem nobis exhibet.

1. Ut *juſtitia* hæc *Dei* ſit *juſtitia Divina*, quæ eſt *in Chriſto*, & quæ nos eſſe dicimur non in nobis, ſed *in illo*, quia ipſe eſt *Caput noſtrum*, & quod convenit Capiti convenit etiam membris, ut faciunt unum corpus cum Capite: atque ità, ut Chriſtus *peccatum fieri* dicitur non quia *formaliter peccator* fuerit, ſed quod *noſtrum*, qui *peccatores* ſumus, *Caput* eſſet, ſic nos in eo *Dei juſtitia facti* dicimur; non quod *fiamus formaliter juſti juſtitiâ ejus*, ſed quia ſumus *membra* ejus.

2. Vel juſtitia hæc juſtitia nobis *inhærens* eſt, quæ *Dei* dicitur, quia nobis à *Deo donatur*, & in *Chriſto* eſſe dicitur, quia nobis per *ejus meritum* donatur.

3. Vel juſtitia hæc pro inhærenti juſtitiâ *tropicè* ponitur, quatenus eſt *effectum* & *imago juſtitiæ Dei*, eo modo, quo *Chriſtus peccatum factum* dicitur, *tropicè* ſcilicet quatenus fuit *hoſtia pro peccato*, & quatenus *participavit carnem ſimilem carni peccati*: atque ut utrumque hoc Chriſtus non *imputativè*, ſed *verè* & *realiter* factus eſt; non *imputativam* ſed *realem hoſtiam* ſe obtulit, neque *imputativam* ſed *veram ſimilitudinem carnis peccati* aſſumpſit, ſic nos non *imputativè* ſed *verè participamus effectum* & *ſimilitudinem Divinæ juſtitiæ*, cum *juſtitiam inhærentem* accipimus.

Ad primam ejus interpretationem quòd attinet, licèt quædam ei interſerit minimè probanda, ad ſummam tamen rei lubens eam agnoſco, unà aſſentientibus Theologis noſtris, qui de hâc re agunt, omnibus, nos ſcilicet Dei *juſtitiam factos eſſe in ipſo*, in Chriſto, ſecundùm illud Apoſtoli Philip. 3. 9. „ ut comperiar in eo, non habens meam juſtitiam, &c. nimirum quatenus in eo ſumus, & per fidem inſiti ſumus, juſti vel juſtificati ſumus, *in ipſo*, inquam, tanquam in *Capite* noſtro, ut quod *Capiti* convenit, inde *nobis* tanquam *membris* ejus conveniat, hoc eſt, ut juſtitia Chriſti, quæ ei inhærenter inerat, vi myſticæ noſtræ cum eo unionis, incorporationis & inſitionis nobis imputetur, ut quod Sponſor verè ſolvit imputatur debitori. Sic ex noſtris *Piſcator* hoc Apoſtoli *ut efficiamur juſtitia Dei in eo* ità reddit in Scholiis ſuis i. e. *dum nos in ipſo, per fidem inſiti, ſumus.* Si verò objiciant Chriſtum quatenus eſt Caput noſtrum inhærentem juſtitiam nobis communicare ut Caput membris ſibi conjunctis veram & Phyſicam vitam, & ſenſationem;

Davenant. Chamier. Ameſ.

Reſpondeo,

Hoc etiam & Chriſtus ut Caput noſtrum nobis ut membris ſuis hîc gradatim efficienter & eo ſenſu verè communicat, ſed hoc per *Sanctificationem* efficit.

At

At Apoſtolus hoc in loco non de Sanctificatione, ſed de *Juſtificatione* agit, nam de *Reconciliatione* (quæ Juſtificationi Synonyma eſt) in tribus proximè præcedentibus verſibus continuò verba facit, de *miniſterio Reconciliationis* Commate 18. de *verbo Reconciliationis* 19: & quum Commate 20. & verbis proximè præcedentibus dixerat „ Oramus Chriſti nomine, reconci-„ liamini Deo, continuò in hoc Commate addit τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν, &c. „ Fecit enim ut qui non novit peccatum pro nobis peccatum eſſet, ut nos „ efficeremur juſtitia Dei in eo. In quæ verba, eorumque cum præcedentibus connexionem ità *Eſtius* „ Hanc Pericopen in Græco cauſalis conjunctio „ connectit cum præcedenti, τὸν, &c. Ratio namque redditur ſperan-„ dæ & quærendæ reconciliationis cum Deo; Ea ratio eſt magna Dei beni-„ gnitas & miſericordia, quâ Filium ſuum, qui peccatum non noverat, pro „ nobis peccatum fecit. Vel ipſo ergò fatente Apoſtolus hîc de *Reconciliatione* agit, quæ eadem eſt cum *juſtificatione*. At *Reconciliatio* non in *juſtitiâ* (quam volunt *Pontificii*) *inhærente* conſiſtit, quia (1) inhærens hæc juſtitia hîc *perfecta* non eſt, adeòque nec perfecta eſſet illa reconciliatio, ſi in eâ conſiſteret. (2) *Priùs reconciliati* ſumus quàm hanc *inhærentem juſtitiam habere* poſſumus, quia *ex Reconciliatione fluit*, non enim Deus eam impertit nondum reconciliatis. (3) Ipſe Apoſtolus eo in loco vid. Commate 19. cum dicit „ Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non „ imputando eis offenſas eorum; apertè definit, *Reconciliationem* conſiſtere in *peccatorum condonatione*, quæ ipſiſſima eſt quam nos aſſerimus *juſtificatio*. De *hâc* ergo *juſtificatione* loquitur Apoſtolus quando ibi dicit, *nos effici juſtitiam Dei in Chriſto:* non de juſtitiâ *inhærenti*, ſed de *juſtitiâ Chriſti imputatâ*, ex cujus *imputatione* ipſi *Pontificii* fatentur nos conſequi *peccatorum non-imputationem*, de quâ ibi loquitur Apoſtolus. Atque hæc ad primam *Bellarmini* interpretationem.

Quæ abundè ſufficiunt ad tollendam etiam ſecundam, & tertiam: utraque enim ponit hanc juſtitiam Dei, de quâ loquitur Apoſtolus, eſſe *juſtitiam inhærentem*, quæ *Dei eſſe* dicitur (ut ille vult) quatenus eſt *effectum* vel *imago juſtitiæ Dei*; At jam probavimus inhærentem juſtitiam non poſſe in hoc loco intelligi. Fruſtrà ergò eſt & falſa utraque hæc, quam comminiſcitur, interpretatio, atque (ut illud etiam adjungam) *primæ* illi & veriori (quam poſuit) interpretationi *minimè conſona:* illa enim ità accepit verba illa, ἵνα γενώμεθα ut juſtitia Dei (quæ nos fieri dicimur) *ſubjectivè* in eo i. e. in Chriſto ſit, quatenus nos ei tanquam *Capiti* inſiti ſumus: at hæc 2da. & 3tia interpretatio de juſtitiâ inhærente facit juſtitiam hanc eſſe à *Chriſto* tanquam à *causa*, in *nobis* verò ut in *ſubjecto*.

Cum verò addat *Bellarminus* „ ut Chriſtus non imputativè ſed verè & „ realiter factus eſt peccatum i. e. hoſtia pro peccato, neque imputativam „ ſed veram ſimilitudinem carnis peccati aſſumpſit; ſic nos non imputati-„ vè ſed realiter participamus effectum & ſimilitudinem Divinæ juſtitiæ, „ cum juſtitiam inhærentem accipimus; atque ſic argumentum hoc noſtrum ab hoc loco adductum aptè & ſolidè in nos retorquere ſibi videtur *Corn. à Lapide.* *Comment. in Locum.*

Facilè reſpondemus; ut Chriſtus verè & realiter factus eſt hoſtia pro peccatis ex peccatorum noſtrorum ipſi imputatione, ſic nos *verè & realiter juſti efficimur* ex *imputatâ ipſius nobis juſtitiâ*. Sed in hoc obſtinatè ſemper errant *Pontificii*, quod *veram & realem juſtitiam ſolam inhærentem* eſſe volunt, & *imputatæ* ſemper *opponunt*, ac ſi *imputata* non niſi *putatitia & imaginaria* fuerit. Sed vel *malitiosè fallere* volunt, vel ipſi egregiè *falluntur*. *Imputata* enim *juſtitia* inprimis *realis* eſt & longè *veriſſima*, in quâ *vera realia* ſunt *omnia: verus & realis amor Dei imputans: vera & realis juſtitia Chriſti imputata*, ejuſque ſimul *imputatio: verè & realiter peccata remittuntur*, & *peccator in gratiam recipitur*, ex quo ſolo oritur *vera pax*, gaudium ſolidum & tandem αἰώνιον βάρος δόξης.

An hæc verò *putatitia* ſolùm & *imaginaria*? Imò verò hæc non *ſomniant, opinantur, imaginantur* piæ animæ, ſed, cum maximè *Deo invigilant, reverâ ſentiunt, guſtant*, deque eo *ſolidè gloriantur*. Ut cum *Sponſor* debitoris loco *verè debitum ſolvit*, atque hanc à ſe factam ſolutionem *debitori imputat*, eum *verè* ab *obligatione* (& à vinculis fortaſſe) *eximit*, neque *putatitii* vel *imaginarii* aliquid hoc eſſe ſomniabit debitor, cum ſe exinde *debiti nexu & carcere verè ſolutum* ſentiet, ut *Petrus* cum plenè tandem evigilaverit, ſe à carcere liberatum probè novit Act. 12. 11.

Somniant igitur qui *imputatam juſtitiam* pro *ſomnio putatitio* & imaginario *habent*, non qui illam veriſſimam eſſe, & ſolidiſſimæ conſcientiis ſuis perterrefactis conſolationis effectricem fœliciter experti ſunt.

A deòque cum *Bellarminus* dicit, „Si reputemur juſti propter Chriſti ju„ſtitiam nobis imputatam, nuda eſſet imaginatio juſtitiæ, cui veritas non reſponderet, in Chriſtum ſimul & in Deum blaſphemus eſt.

1. In *Chriſtum*, ac ſi ejus juſtitia in ſe nihil veri haberet, cum ex imputatione noſtra facta; ex ejus ſententiâ in ejus imputatione veritas non reſponderet.

Sed non *nuda imaginatio* eſt, quæ *realem ſtatûs mutationem* in homine juſtificato efficit, cum ex reo juſtum conſtituit.

2. In *Deum* etiam blaſphemus, cui nudam hujuſmodi imaginationem, cui veritas non reſpondet, tribuit. Si enim ob inhærentem juſtitiam nos juſtos pronuntiaret, cum in nobis aliqualis injuſtitia ſemper inhæreat, nuda imaginatio foret, cui veritas non reſponderet. Deus enim non niſi perfectè juſtos, juſtos pronuntiat: at tales hîc non ſumus, quicquid illi in contrarium diſputant, de quo non jam diſputandum eſt.

Ut tandem quæ hoc in loco pro imputatâ nobis Chriſti juſtitiâ faciunt, brevi faſciculo compingam omnia, hæc ſint,

1. Quòd δικαιόω ut in priori illo de quo egimus loco de Chriſto dicebatur, quòd ἐγενήθη ἡμῖν δικαιοσύνη, ità verbo ſenſuque eodem de nobis hîc dicitur quòd γινόμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ. Ut ipſe à *Deo nobis factus eſt juſtitia* ex parte Dei juſtificantis, ità conſequenter *nos facti ſumus juſtitia Dei in eo* ex parte noſtrâ qui juſtificamur. De *hoc* ergò idem ſtatuendum.

2. Quòd dicamur in eo fieri δικαιοσύνη Θεοῦ juſtitia Dei, non (ut rectè annotavit *Chryſoſtomus*) δικαίοι, ἀλλὰ δικαιοσύνη, ἡ Θεοῦ δικαιοσύνη, non ſolùm *juſtitia*, ſed quaſi ipſa *juſtitia*, eaque *Dei juſtitia*, neque id ſolùm (ut vult *Eſtius*)

Eſtium) propter Antitheſin expreſſiorem inter peccatum & juſtitiam, nimirum ſicut Chriſtus dicebatur fieri peccatum, ſic nos juſtitia, ſed ut *Chryſoſtomus*, & ex eo *Theophylactus*, habent, τὴν ὑπερβολὴν τοῦ χείρους δηλῶν, quia ſcilicet ità perfectè juſtificatur, ut nullus in eo nævus, nulláve macula peccati in eo jam inveniatur; & ſic in abſtracto *ipſa juſtitia*, imò eminenter, tranſcendenter *juſtitia Dei* (qui ὑπερδικαιοσύνη eſt in quâ ne minima injuſtitiæ macula vel umbra inveniri eſt) nominatur; *juſtitia coram* Deo ut juſto judice *approbata*. At talis juſtitiæ delineatio *ſoli imputatæ* nobis juſtitiæ Chriſti convenit, *non inhærenti* alicui, cujus nos in hâc vitâ participes facti ſumus. Nam, ut ipſe fatetur *Eſtius*, „ illa juſtitiæ perfectio, quæ omnem peccati „ maculam excludat non hujus eſt ſæculi, ſed futuri. At opinor in *hoc ſæculo* verè *juſtificamur*, at ſi tantùm tali Dei juſtitiâ quæ *omnem maculam excludit*, non utique erit ulla in nobis inhærens, ſed *immaculati* agni *Jeſu Chriſti* nobis *imputata*. Unde veritatis evidentiâ coactus *Eſtius*. tandem concedit, ſe non valde refragaturum ſi aliquis contendat, utroque membro *reputationem* ſignificari, nimirum & ubi *Chriſtus* dicitur *fieri peccatum*, & *nos* in *eo Dei juſtitia*. Benè ergo habet. Vicimus, cauſam nobis liberaliter largitur adverſarius.

Imò *Romanâ* ſcilicet *fide*, *quâ nemo juſtificabitur*, Sophiſticè, ludificatoriè. Sic enim ſeipſum explicat „ in priori parte ubi Chriſtus peccatum fa„ ctus dicitur, hoc per reputationem intelligi quidem, ſed per reputationem „ hominum qui falluntur, & ſic Chriſtus peccator ab hominibus falsò ha„ bebatur: in poſteriore parte, ubi nos in eo juſtitia Dei facti dicimur, hoc „ itidem per reputationem dicitur, ſed per reputationem Dei, qui nun„ quam fallitur, unde ex hâc reputatione Dei, quâ nos juſtos æſtimat, ſe„ quitur nos verè & non tantùm imputativè juſtos eſſe. Et ſic ante victoriam triumphum agit, quòd „ hinc vel maximè refellatur imputatæ juſti„ tiæ commentum ſcilicet τὸ ἐχθρὸν δόγμα ἀδόγμα. Ex his *Eſtii* verſutiis ſatis edocti ſumus *Pontificiorum* nec magni faciendas eſſe *largitiones* nec deſultorios *impetus* valde *metuendos*. Nam facilè regerimus,

1. Chriſtus *peccatum factus* vel *reputatus* eſt non ſolùm *reputatione hominum*, qui miſerè impiéque fallebantur, dum eum pro peccatore, imò peccatorum maximo (quod per *peccatum* in abſtracto, quaſi ipſum peccatum *ipſum ſceleſtus* fuiſſet, uti *Eſtius* illud interpretatur,) habebant; ſed ab *ipſo Deo* veriſſima *pro peccatis noſtris victima* factus eſt. Per quod ipſe & reliqui ſui hoc quod Chriſtus *peccatum factus eſt* exponunt: quo in ſenſu κατάρα *maledictum*, exſecratio factus eſt, uti Apoſtolus affirmat Gal. 3. 13. Sed & verè ab eodem Deo Patre *peccata* noſtra omnia ipſi ità *imputata* erant, ut *Sponſori* debitoris imputatur *debitum*, ut eo nomine ipſe *pro debitore reputetur*, atque ità intuitu peccatorum noſtrorum ipſi imputatorum *cum eo tanquam peccatore agebatur*; ac proinde

2. Quamvis *reputatio* illa *hominum* Chriſtum proprii nominis & in ſe peccatorem maximum fuiſſe, *falſiſſima* atque *impiiſſima* erat, Dei verò imputatio, tum peccatorum noſtrorum Chriſto, tum juſtitiæ ejus nobis non *putativa* & *imaginaria* ſed *veriſſima* fuit, *veriſſimoſque* illa in *Chriſto*, hæc in *nobis effectus* & fructus ſortita eſt: adeòque non eſt quòd triumphos agat *Eſtius*, quaſi

hinc

„ hinc (ut dicit) maximè refellatur imputatæ juſtitiæ commentum, cum inde potiùs maximè ſtabiliatur ejus veritas.

3. Tertium, quod hoc in loco noſtram ſententiam confirmat hoc eſt, quòd Dei juſtitia fieri dicimur ἐν αὐτῷ *in ipſo*, in Chriſto ſcilicet, in quo præcipuè ſita eſt vis hujus Teſtimonii, ut noſtri rectè annotant.

Davenantius ubi priùs p. 368. Quamvis enim ἐν αὐτῷ (quod ad Phraſeologiam attinet) *per ipſum* reddi poſſit, ut Græca Præpoſitio ἐν ſæpè Hebraicæ ב reſpondet, & ſic ἐν Χριστῷ ſæpiſſimè in N. T. διὰ Χριστοῦ per *Chriſtum* ſignificet, uti hoc ipſo in Capite, Commate 19. Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ Deus erat in Chriſto (h. e. per Chriſtum) „ mundum reconcilians ſibi, quod verſu 18. διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ factum legimus; & ſic ἐν αὐτῷ hoc in loco exponunt *Pontificii*, & *Grotius*, qui in hâc de juſtificatione doctrinâ, prout in aliis pluribus, *Pontificiorum* veſtigiis inſiſtere ſolet, atque ità hæc ἐν αὐτῷ in *Chriſto* id eſt per *Chriſtum*, Chriſto duce, atque totam ſententiam hoc modo explicat, ut „ nos per ipſum fieremus juſti eâ juſtitiâ quam Deus approbat; ſic enim exponit phraſin illam *juſtitia Dei*, ſcilicet *juſtitia à Deo approbata*, cujus pars potiſſima eſt in corde, & ſic *Hammondus* noſter hîc (uti alibi ſolet) magiſtrum ſuum ſequitur atque ſic hoc explicat ut *imitemur puritatem ejus, atque inde per mortis ejus beneficia à Deo accepti & juſtificati ſimus: juſtitiam* ſcilicet *inhærentem* cum *Pontificiis* intelligit, quam in Chriſto, hoc eſt per Chriſtum, nos habere vel factos eſſe vult, tanquam per cauſam *moralem* eam nobis promerentem, & tanquam cauſam *phyſicam efficientem*, eam nobis ingenerantem. At de *inhærente juſtitiâ* hoc non intelligi priùs oſtendimus, quam quidem Deus ſuo modo & ordine indulgenter in juſtificatis approbat, ſed non ad eam (quæ in *juſtificatione* fit) *Reconciliationem*, de quâ ibi loquitur Apoſtolus, quæ per *juſtitiam imperfectam & peccaminoſam* (qualis *tota noſtra* hîc *inhærens* juſtitia) minimè fieri poteſt, ſed per ſolam *juſtitiam* numeris omnibus *perfectam*, quæ ſola Chriſti *juſtitia* eſt, & *noſtra facta* per *ſolam imputationem*, adeòque non ea eſt, quæ *ſubjectivè* in *corde* eſt, ut vult *Grotius*, ſed quæ ἐν ὠῷ in *Chriſto ſubjectivè* eſt, & in *nobis* tantùm *terminativè*, vel potiùs extra nos, ut ſic meliùs ſibi mutuò reſpondeant ἀντίθεσις hîc ab Apoſtolo poſita *Chriſtus factus eſt peccatum* ὑπὲρ ἡμῶν, ut *nos efficeremur juſtitia* Dei ἐν αὐτῷ: ità ut peccata ob quæ condemnatus eſt Chriſtus non in *Chriſto inhærebant*, ſed *in nobis*, ſic juſtitia, quâ nos juſtificamur; non *inhærenter ineſt nobis*, ſed ἐν ὠῷ ſcilicet *in Chriſto*. Quod

4. Quartum & ultimum & præcipuum eſt ex quo confirmatur imputata noſtra juſtitia. Eſt verò *Antitheſis* hæc *parallela*. Ut *Chriſtus factus eſt peccatum pro* nobis, *ità* nos *efficimur juſtitia Dei in eo*. At Chriſtus non inhærenter ſed per *imputationem* factus eſt peccatum.

Ergò quoad reconciliationem vel juſtificationem nos juſtitia Dei efficimur non inhærenter, ſed per imputationem juſtitiæ Chriſti.

Obj. At non eſt ſimile, reclamat *Corn. à Lapide* in locum „ Neque verò quia „ Chriſtus ſolâ reputatione peccator fuit, conſequens eſt etiam nos ſolâ re„ putatione juſtos fieri. Sic in locum *Eſtius*. At in quo demùm conſiſtit iſta diſſimilitudo vel inconſequentia? Uterque λύσις reſpondet, quia Chriſtus non potuit *verè* eſſe *peccator*, ut nos *verè* poſſumus eſſe *juſti*, ideò-

ideòque quamvis ille *reputativè* tantùm factus eſt *peccator*, tamen cum nos poſſumus *verè* fieri *juſti*, requiritur ad juſtificationem noſtram ut actu fiamus *verè* i. e. *inhærenter juſti*. Et ut Chriſtus veram peccatorum noſtrorum pœnam tulit, ità veram juſtitiam nobis ingenerat.

Cui Reſpondeo *Sol.*

1. *Veram* quidem *juſtitiam* eamque *inhærentem* nobis ingenerat in *ſanctificatione*, ſed non ad *juſtificationem*.

2. *Veram* etiam *juſtitiam* in ipsâ formali ratione *juſtificationis* nobis impertit, quæ tamen tota *imputata* eſſe poteſt, neque interim *putatitia* & *imaginaria*, ut priùs oſtendimus.

3. Integra eſt ſimilitudo, & firma conſequentia ab imputato Chriſto peccato ad imputatam nobis juſtitiam: ſic enim parallela omninò hîc ab Apoſtolo ponitur Antitheſis ut *eodem ſenſu Chriſtus peccatum nos juſtitia* fieri diceremur, juxta illud *Auguſtini* in *Enchiridio* „ Ipſe ergo peccatum ut nos juſtitia, *Cap.41.* „ nec noſtra, ſed Dei ſumus, nec in nobis, ſed in ipſo, ſicut ipſe peccatum „ non ſuum, ſed noſtrum; nec in ſe, ſed in nobis conſtitutum.

4. Igitur mirificum planè eſt acumen Pontificio-Jeſuiticum quod ex hoc loco juſtificationem ex inhærente juſtitiâ exſculpere poteſt, quam hîc omninò excluſam eſſe firmiter probamus ex analogâ hâc ab Apoſtolo factâ Antitheſi, quæ ſimilitudinem & conſequentiam, quam illi negant, omninò confirmat. Si enim vera Antitheſis ſit, tum *ſecundum idem eodem ſenſu* ſumi debet. Ergò ſi *Chriſtus imputativè tantùm factus eſt peccatum*, ſimiliter & *imputativè nos* Dei *juſtitia fieri* dicimur. Dum ergò noſtram iniquam eſſe calumniantur conſequentiam; minùs aptam, parùm æquam cauſantur ab Apoſtolo factam antitheſin, non *nobis* magis quàm *Apoſtolo* injurii.

At quid eſt quòd ſimilitudinem atque inde conſequentiam noſtram negant? Jam audiviſtis ſcilicet, quia *Chriſtus non potuit eſſe inhærenter injuſtus*, ut *nos* poſſumus *juſti inhærenter fieri*. At ô boni! hoc ipſum eſt quod nos urgemus, quod cum Chriſtus *inhærenter peccatum* fieri non potuit, & tamen cum ex *Antitheſi* hâc pateat *eo modo* ipſum *peccatum factum* fuiſſe quo nos in juſtificatione *juſtitia Dei efficimur*, invictè ſequi, quòd ut ille non *inhærenter* ſed *imputativè* tantùm *peccatum factus* eſt, ità nos non *inhærenter*, ſed *imputativè efficiamur Dei juſtitia*.

Chriſtus utique non potuit *inhærenter* in ſe recipere peccatum, ſed tamen *imputativè* potuit, imò fecit, atque ideò ſignanter peccatum *factus* dicitur, nam qui *peccatum facit* non ità propriè *peccatum fieri* dicitur, ſed *cui peccatum imputatur*, atque ità ut ſufficiebat ipſi facta peccati imputatio, ut *peccatum factus* dicatur, ità ſufficit nobis imputatio juſtitiæ, ut *juſtitia Dei fieri* dicamur.

Nos quidem *inhærenter juſti fieri poſſumus*, atque in *Sanctificatione* verè (quamvis quamdiu hîc ſumus, imperfectè) efficimur. At hoc inprimis inſervit ἀντιθετικῇ ἀναλογίᾳ huic magis explicandæ, noſtræque ſimul magis explicandæ ſententiæ; hoc modo ſcilicet, ſicut *Chriſtus*, quamvis *peccata noſtra* ei *imputabantur*, manebat tamen *in ſe purus & juſtus*, ità quamvis *imputetur nobis Chriſti* puriſſima *juſtitia*, unde *perfectè juſtificamur*, manere tamen poſſumus in *nobismet ipſis* multis *peccatorum* maculis aſperſi, atque

ità quoad *ſanctificationis* opus *imperfectè tantùm juſti*, licèt *planè juſtificati.*

Huic loco explicando diutiùs inhæſimus, quia primarius eſt, cui gemellum tantùm unum alterum adjiciemus.

Ad Rom. 5. 18. Ὡς δι' ἑνὸς παραπτώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς τὸ κατάκριμα οὕτω καὶ δι' ἑνὸς δικαιώματος εἰς πάντας ἀνθρώπους εἰς δικαίωσιν ζωῆς. Quibus plura alia ſimilia eodem in Capite ſæpiùs repetita occurrunt, ubi *primus* & *ſecundus Adamus* ἀντίτυποι ponuntur; atque proinde aſſeritur eo modo quo in *primo* Adamo *condemnamur* ſimili prorſus *juſtificamur* in ſecundo. At per *imputationem peccati Adami condemnamur.* Ergò per *imputationem juſtitiæ Chriſti juſtificamur.*

Pulcherrima utique duplex hæc fuit analogia. Eo modo *juſtitia Dei effimur* in *Chriſto*, quo Chriſtus *peccatum factus* eſt *pro nobis. Imputatione* ſcilicet. Hanc Analogiam prior locus nobis exhibuit.

At hic locus aliam æquè pulchram exhibet. Per *Chriſtum* eo *modo juſti habemur*, quo *per Adamum rei.* At *hoc* per *imputationem.* Ergo ſimiliter & *illud.*

Locus inprimis notandus, & in hanc rem maximè appoſitus.

Illud demonſtrat Apoſtoli prolixa admodùm huic rei immoratio. Nam à Commate 12. ad finem uſque Capitis hîc gradum ſiſtit, rem eandem toties dicit, urget, tot hyperbatis ὑπερβατοῖς & repetitionibus abundat, ut pro totidem penè tautologiis haberi poſſint; Certè totius argumentationis ſeriem & ordinem adeò intricatum & perplexum reddunt, ut ejus *Analyſin* magis difficilem efficiant, quam præ cæteris (quos mihi perlegere contigit) *Piſcator* (meo quidem judicio) fœliciter expedivit. Hoc interim (niſi ſanctiſſimo Apoſtolo vel tum cum S. Scripturam exaravit περιφρασθῶ *vaniloquentiæ* dicam impingamus) apertè docet rem, quam toties repetit, eique tamdiu immoratur, eſſe *notatu digniſſimam.*

De J. Chriſto Servatore contra... part. 4. c. 6. Vide apud S. Lubbertum de J.C. Servatore lib. 4. cap. 6. pag. 476.

Et (quod dixi) in rem, quam in manibus habemus maximè *appoſitam* ipſe *Socinus* ſatis teſtatur, cum ità loquitur „ Sed nihil in ſacris monumentis „ ſcriptum eſſe arbitror, quod vobis majorem errandi occaſionem dederit, „ quam ea cum Adamo Chriſti collatio, quam Paulus inſtituit, & latè per„ ſequitur Cap. 5. Epiſtolæ ad Romanos. An verò *errandi occaſionem* nobis dederit, vel potiùs *ſolidiſſimum* hujus veritatis de *imputatione juſtitiæ Chriſti* ad noſtram juſtificationem *argumentum*, jam demonſtrandum reſtat.

Juxta *Socinum* hæc pericopes iſtius Summa eſt.

Ubi priùs. „ Quemadmodum Adami delicto & inobedientiâ factum eſt, ut homines „ damnarentur, ac morerentur, ſic Chriſti juſtitiâ & obedientiâ factum eſt „ ut abſolvantur & vivant. Et hoc (ejus pace) totum argumenti Apoſtolici ſenſum non exhaurit; nam hîc Apoſtolus ultrà expolit & confirmat, quod Capite 4. præcedente de juſtitiâ nobis imputatâ dixerat. Horum ergò ſecundùm noſtram ſententiam, (quam ipſe *Socinus* ibidem rectè proponit) hæc potiùs Summa eſt „ quemadmodum ideò per Adami delictum & inobe„ dientiam homines condemnati ac mortui ſunt, quia illis id delictum eâque ino-

„ inobedientia imputata fuit, ſic per Chriſti juſtitiam & obedientiam ideò
„ abſolvuntur & vivunt, quia illis ea juſtitia, eaque obedientia imputatur.
Rectè hæc argumentatio *noſtra* eſt, ipſiuſque (ut perſuaſi ſumus) hoc in loco *Apoſtoli*: contra quam quid demùm eſt quod affert *Socinus*? Hoc ſcilicet „ Etenim falſum eſt Adami delictum & inobedientiam hominibus im-
„ putatam fuiſſe, neque id uſquam ſcriptum extat non in illis verbis, quæ in
„ vulgatâ editione leguntur, *in quo omnes peccaverunt*; ſcilicet Rom. 5. 12.
„ non enim poſſunt ea verba iſtam ſententiam continere. Quidni verò?
„ Quia ſcilicet verba illa in Græco ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον malè à Veteri Inter-
„ prete redduntur *in quo omnes peccaverunt*. Quamvis enim aliquando ἐπὶ pro ὦ poni concedat, „ nunquam tamen in N. T. ἐφ' ᾧ dici contendit, ubi „ aliquid in aliquo aliquâ ratione ineſſe vel fieri exprimitur. ἐφ' ᾧ ergò hoc in loco idem eſt quòd *eò quòd*, vel *propter quod*, vel potiùs *Quatenus* ſignificat, quod etiam per ὦ ᾧ ſignificari poteſt; adeòque hanc in hâc collatione Chriſti cum Adamo Apoſtoli mentem fuiſſe, ſicut per unum hominem Adamum peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes pertranſiit, eò quòd vel quatenus ii ipſi omnes peccârunt, ſic per unius hominis, (Chriſti ſcilicet) obedientiam juſtitia, & per juſtitiam vita intravit, & ità in omnes homines, in quo, vel eò quod, vel quatenus omnes obediverunt. Ità ut hîc nulla vel mentio vel intentio ſit *imputationis* vel *peccati Adami*, vel *obedientiæ Chriſti*. Sed hoc ſolùm, ut per Adami peccatum, peccatum in mundum primò introiit, ex cujus occaſione poſteri ejus *eum ſequendo* ipſi itidem in *ſuis perſonis peccârunt*, & propter hæc *ipſorum peccata propria morti* obnoxii facti ſunt, quatenus tales actualiter peccatores fuerint, ſic per Chriſti obedientiam vita primùm introiit, eò quod homines *ex eo* itidem *obedientes facti* ſunt, atque per id vel eatenùs vitæ participes.

Quibus hæc regero.

Primò illud audacter nimis dictum; „ Adami delictum & inobedientiam 1.
„ hominibus imputatam fuiſſe, nuſquam ſcriptum extare. Nam

1. Illo ipſo in Capite, Rom. 5. 13. (ut & Cap. 4. 8.) καθὼ λέξιν de *non-imputatione peccati* legimus ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου „ peccatum „ autem non imputatur cum lex non eſt.

At quid hoc ad imputationem peccati *Adami*? dicent *Sociniani*. Vel maximum; quamvis enim ſententia ſit *generalis*, & univerſaliter in omni caſu, de quovis & cujuſvis peccato teneat, quod nunquam, *nuſquam peccatum* cujuſvis ei *imputatur* in reatum ubi *lex* quæ illud vetaverat *non extitit*; memoriâ tamen tenendum eſt quo in *loco*, quâ etiam *occaſione* illud hîc dixerat Apoſtolus: nimirum, eo in loco verſabatur in *collatione primi & ſecundi Adami*, & inter *derivationem juſtitiæ & vitæ ab hoc*, & *peccati & mortis ab illo*. Ergò hæc, de quâ loquitur, imputatio non ſolùm de imputatione peccatorum poſteriorum & perſonalium actualium, ſed & de primo illo Adami peccato originali debet intelligi; cum v. 14. imputari infantibus ad mortem dicit, cum non *actualium* peccatorum, ſed peccati ſolius *originalis* rei ſint, dum peccârunt in Adamo. Si dicas Apoſtolum hîc *negativè* loqui de non-imputatione, *non imputatur peccatum ubi non eſt lex*, non *affirmativè*, *Vide Knabbii. in locum.*

peccatum imputari, Reſpondeo, hanc negationem affirmationem in contrarium includere;

Ratiocinatio enim Apoſtoli ità ſe habet ac ſi dixiſſet; peccatum non imputatur ubi non eſt lex, at imputabatur ante legem *per Moſen* promulgatam, Ergo fuit *lex* priùs *Adamo* & poſteris ſuis data, quam & *ipſe violavit*, & *in eo omnes*, atque inde poſtea in propriis perſonis ſinguli, unde peccati rei facti ſunt & morti obnoxii.

Vide L. de Dieu.

2. Si concederetur Adami peccatum poſteris imputari ἐπιπῶς in S. Scripturâ non haberi, quod tamen anteà *Bellarmino* reſpondimus neganti Chriſti juſtitiam nobis imputari ἀντιλέξει occurrere in S. Paginâ, idem hîc *Socino* reponendum idem neganti de imputatâ nobis Adami inobedientiâ & injuſtitiâ, ſcilicèt quod nobis ſufficiat, ut & omnibus ſufficere debet, ſi ἰσοδύναμα in S. Scripturâ occurrant, & hoc ipſum *neceſſariâ conſequentiâ* ab iis quæ in S. Codice continentur deduci poſſit. At hoc poteſt; ita ſcilicet.

1. Ità ſe habet derivatio *injuſtitiæ* ab *Adamo* ut *juſtitiæ* à *Chriſto*, & contra. Hoc clarè loquuntur Apoſtoli verba & argumentationis ſeries v. 12, 13, 14, &c.

Atqui juſtitia à Chriſto nobis derivata erat per *imputationem*; hoc habuimus Capite antecedente, ubi κατὰ λόγιον Deus *imputare juſtitiam* bis dicitur *abſque operibus* v. 6. 11. & *fides* pluries ſexies v. 3, 5, 9, 22, 23, 24. *ad juſtitiam imputari* affirmatur. Ergò concluſio neceſſariò ſequitur injuſtitiam ab Adamo nobis per imputationem derivari.

2. Huc accedit quod Commate 17. legimus εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς ,, unius delicto mors regnavit per unum. Quid verò eſt quod Apoſtolus περισσεύειν videtur τῷ ἑνὸς, διὰ τοῦ ἑνὸς; Cum priùs dixerat *mortem regnâſſe* per *delictum unius*, inſuper & redundanter addit *per unum*? Num cum *Bezâ* priora verba ex *Claromontano* ſuo Codice legemus non τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι, ſed τῷ ἑνὶ παραπτώματι? Hoc audax nimis, cum ſit contra omnium reliquorum Codicum fidem, contra *Chryſoſtomi*, *Vulgati*, *Syri* & *Arabis* lectionem, contra etiam ipſius Apoſtoli hoc in Capite uſum, ubi cum inſtitutâ inter primum Adamum & ſecundum comparatione undecies vocabulum ἑνὸς occurrat, nullibi de re ſed de perſonâ *Adami* vel *Chriſti* ſemper dici videtur. Maneat ergo vera lectio τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι.

Τῷ τοῦ ἑνὸς hîc reſpondet τῷ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου in fine hujus verſûs 17. & idem eſt cum ἑνὸς ἁμαρτήσαντος v. 16. ut δι' ἑνὸς in propoſitione reſpondeat τῷ τοῦ ἑνὸς in probatione.

Num ergò ut περισσείαν vitemus, cum *Syro* & *Arabico* Interprete illud poſterius διὰ τοῦ ἑνὸς omittemus? Neque verò illud tutum. Imò firmiter retineamus, cum (ut rectè obſervavit Cl. *Lud. de Dieu* in locum) utiliſſimam contineat doctrinam, præſentique noſtro propoſito valdè accommodam. Oſtendit enim quomodo factum ut *unius delictò mors regnaverit in omnes*, id non per *imitationem poſterorum*, ſed per *eundem illum unum* qui *deliquerit* contigiſſe, ſic ut delicti Adami reatus per eundem Adamum transfuſus & propagatus ſit in poſteros, eouſque ut & per eum mors regnaverit in cæteros.

Hæc τοῦ ἑνὸς, διὰ τοῦ ἑνὸς repetitionis minimè pleonaſticæ ratio, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, per unius delictum mors regnavit in omnes, per *unius illius*, inquam, *delictum nobis imputum*.

3. Vi-

3. Videamus etiam, annon hoc idem ex illo (cui *Socinus* inſiſtit) loco ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον evinci poterit. atque ità ad

Secundum Socini effatum veniamus, *non poſſe ea verba iſtam ſententiam* 2.
continere, quia nimirum *ea verba* ἐφ' ᾧ *non debent reddi in quo* (ſcilicet *Adamo*) *omnes imputativè peccârunt*, ſed *eo quòd* vel *propterea quòd*, vel *quatenus omnes in propriis perſonis actualiter peccârunt*. „ Quanquam enim ἐπὶ pro ὡς „ aliquando ponatur, nunquam tamen ubi aliquid in aliquo ineſſe vel fieri „ exprimitur.

Ad hæc plura dicenda ſunt.

1. Ut primùm miſſum faciam quod *Grotius* adhibet horum verborum interpretamentum, qui *in quo omnes peccârunt* exponit „ per quem omnes „ pœnam ſubierunt, per Metonymiam Hebræis frequentem, apud quos „ peccatum pro pœnâ & peccare pro pœnam ſubire ponuntur, & procedente „ longiùs figurâ per μετάληψιν חטא ſive peccare dicuntur, qui malum ali- *Chata.*
„ quod etiam ſine culpâ ferunt, ut Gen. 31. 37. Job. 5. 24. ubi חטא vertitur per ἀναφορεῖν: dico 1. hanc interpretationem vocis ἥμαρτον hîc non quadrare, cum ex argumentatione Apoſtoli ἥμαρτον de peccato propriè ſumpto exponendum eſt, quia hæc ſententia rationem reddit prioris, quare *mors in omnes pertranſiit*, quia ſcilicet *omnes peccârunt*, cum peccatum mortis cauſa ſit: At verò dicere omnes *moriuntur* quia omnes *pœnam ſubeunt*, ineptum & Tautologicum eſſet. 2. Licet *peccatum* pro *pœnâ peccati* ſæpè in S. Codice ponatur, at (ut opinor) non ità frequenter, ſi unquam, pro *pœnam* vel malum aliquod *ſubire*. Sanè quod ad loca à Grotio allata ſpectat, nil tale occurrit Gen. 31. 37. In Jobi quidem 5. 24. legimus „ viſitabis habitationem tuam ולא תחטא quod LXX. reddiderunt καὶ μὴ ἁμάρτῃ. Quod Scholion quidem per καὶ ἀναφορήσῃ reddidit, ſed alii propriè *non peccabis*, vel *aberrabis*. Sed hæc à propoſito noſtro magis aliena. Illud ei accommodatius quod eodem loco idem *Grotius* ἐφ' ᾧ per *per quem* reddidit, atque ità ἐπὶ cum *Dativo* ſæpius ſumi oſtendit. *Quamvis agnoſco me talia legere apud Chryſoſtomum in Rom 5. 19.* Τί δήποτε ἐστὶν ὡς τοῦτο τὸ ἁμαρτωλοί; ἐμοὶ δοκεῖ τὸ ἀναδίθωσον κολάσῃ, καὶ καθεδιδιτσμένον ἀντὶ τοῦ.

2. Ergo ad illud accedamus quod cum præſenti negotio conjunctius eſt, ad explicationem ſcilicet verborum ἐφ' ᾧ. Ubi inquirendum utrùm per *in quo* vel per *propterea quòd*, vel *quatenus* reddenda ſint. Atque illud inprimis concedendum eſt utrumque hoc ſignificari poſſe, & tam ad *rem* quàm ad *perſonam* aliquando referri. Ad *rem* primò quidem retulit *Auguſtinus*, cum *In quo* pro in *quo Adami peccato* omnes peccâſſe intellexit; ſed hanc Interpretationem poſtea *lib.* 4. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum* Cap. 4. correxit, atque id quidem meritò, quia licèt quoad rei *ipſius veritatem* Apoſtoli ſenſum & mentem verè ſatis exprimat, nimirum in *Adami peccato nos omnes peccâſſe*, non tamen cum verâ & congruâ *verborum ſyntaxi* congruit: cum enim ἁμαρτία generis fœminini fuerit, ἐφ' ᾧ cum vel maſculini, vel neutrius generis ſit cum ἁμαρτία non convenit. Omninò ergo reddendum eſt vel cum aliquibus; *Eo quòd*, *propterea quòd*, *in quantum* vel *quatenus*, vel cum aliis, *in quo* omnes peccârunt, quorum illud *rem*, reique *cauſam*, hoc rei itidem cauſam, ſed & *ſubjectam* etiam *perſonam* indigitat.

Primus (quantum intelligo) qui priorem interpretationem ſecutùs eſt, ex *Latinis*

(nam *Syrus* vertit *in eo quòd*, & eodem modo *Arabs*) fuit *Pſeudo-Hieronymus*, qui authore *S. Auguſtino* ipſiſſimus *Pelagius* fuit, in Commentariis in locum, ubi hoc, *In quo omnes peccaverunt* ità ὥσθ' ἁμαρτεῖν, „ hoc eſt in eo quòd „ omnes peccaverunt exemplo Adæ peccati. Ejuſdem ſententiæ (quoad expoſitionem verborum ἐφ' ᾧ) ex *Græcis* fuerunt *Theodoretus* & *Photius* à *Gagnæo* Pontificio ſatis laudatus; quæ expoſitio etiam *Cajetano* placuit, quam etiam ex noſtris *P. Martyr* & *Piſcator* amplectuntur, qui per *eò quod* hæc verba reddunt, ut & *Calvinus* per *Quandoquidem*. *Ludovicus de Dieu* per *Quia*, ut verſiones noſtræ Anglicanæ per *for that*, vel *inſomuch*, quam interpretationem *Socinus* avidè arripit, ut originale peccatum non per *propagationem*, ſed per ſolam *imitationem* ab Adamo derivatum cum *Pelagio* ſtatueret; præ omnibus verò *Eraſmus* in locum (ubi *Pelagium* licèt dejeret, heu nimiùm tamen ſapit) fuſiùs de hâc re agit, ubi varias hujus præpoſitionis ἐπὶ pro variis quibus adjungitur caſibus ſignificationes aſſignat, ſed ſe neſcire dicit, an Græcus ſermo admittat hunc ſenſum, ut *in Adam* dicantur *omnes peccâſſe*, velut *in hoc latentes*. Quoniam quidem variùs eſt uſus Græcarum Præpoſitionum, modeſtè admodùm non audet affirmare nuſquam inveniri ἐπὶ junctum dandi caſui, ubi quid declaratur eſſe in alio, velut arbor eſt in ſemine. Saltèm illi non contigiſſe aliquid invenire ſimile dicit, quod reipsâ vix inveniri poſſe dixit etiam *Socinus*, & ipſe *Piſcator* licèt à *Socinianiſmo* alieniſſimus. Nam cum ad Hebræos 7. 10. Apoſtolus dicit, *Levi fuiſſe in lumbis Abrahæ*, non dicit ἐπ' ὀσφύι, ſed ἐν ὀσφύι ut & 1 Cor. 15. 22. cum dicitur „ Sicut in Adam omnes moriuntur, ità in Chriſto omnes vivificabuntur, non eſt ἐπὶ τῷ Ἀδὰμ, ἐπὶ τῷ Χριστῷ, ſed ἐν τῷ Ἀδὰμ, ἐν τῷ Χριστῷ.

Vide Hammondi Paraphraſ.

In Schol. in Locum.

His tamen non obſtantibus plures alii hoc ἐφ' ᾧ per *In quo* reddunt, & ad *Adamum* referunt. Sic *Chryſoſtomus* τί δέ ἐστιν ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, reſpondet ἐκείνῳ πιστόν· καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἐκ ξύλου γέγονασιν ἐξ ἐκείνου θνητοί. Quod *Theophylactus* ſatis idoneus *Chryſoſtomi* Interpres dilucidiùs explicat τί δέ ἐστιν τὸ ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; τουτέστιν ἐπὶ τῷ Ἀδὰμ πάντες ἥμαρτον, ubi non ſolùm ᾧ ad Adamum refert, ſed & cum *in Adamo* Græcè exprimere voluit, per ἐπὶ τῷ Ἀδὰμ extulit; ἐπὶ hoc in ſenſu *Dativo* juncto: quod *Eraſmus* (ille librorum helluo & omnifariæ lectionis vid.) ſe *non inveniſſe* (uti jam ex eo recitavimus) profeſſus eſt; quod quidem mirum eſt, niſi hoc voluit ſe hoc in S. Codice non inveniſſe, de quo etiam poſtea videbimus. Certè *Origenes* licèt in hujus loci interpretatione varius & incertus ſit, in initio tamen explicationis ſuæ loquitur de *nobis* in *lumbis Adæ* exiſtentibus, ut *Levi* apud Apoſtolum *fuit in lumbis Abrahæ*, quod accedit ad Interpretationem τῷ ἐφ' ᾧ per ἐν ᾧ *in quo*, ſcilicet *in Adamo*. Quod *Ambroſius* clarè exprimit cum dicit, „ *in quo* id eſt in Adam; ideò dixit *in quo*, cum de mu- „ liere loquatur, quia non ad ſpeciem retulit, ſed ad genus; & porrò addit, „ Manifeſtum itaque eſt in Adam omnes peccâſſe quaſi in maſsâ. Præ omnibus verò *Auguſtinus*, qui ubique hunc ſenſum aſtruit, & (ut loquitur *Beza*) alteram illam millies contra *Pelagianos* refutat. „ (In quo omnes „ peccaverunt, quando omnes ille homo fuerunt *.) Et priorem expoſi-

* *De baptiſmo parvulorum. cap.* 10.

tionem

tionem *novam* & *falſam* eſſe dicit lib. 6. contra *Julianum.* cap. 12. Et cum eo adeò plures, ut *Eſtius* non vereatur hoc aſſerere, „ Sciendum nullos „ vetuſtos Interpretes nec Latinos nec Græcos particulam illam *In quo* per „ *Quatenus* exponere præter inter Latinos *Pelagium*, & inter Græcos *Theo-* „ *doretum*, & *Photium.* De quo ipſe viderit.

Ex noſtris *Genevenſes* & *Beza* præcipuè *Vulgatum* Interpretem in hoc ſequuntur atque ad *Adamum* referunt. Quod ut magis liquidè exprimeret *Beza* vocem *homine* de ſuo interpoſuit, atque ità legit, *in quo homine omnes peccaverunt:* ut & *Diodatus* in verſione ſuâ Italicâ per *eſſo huomo*, per illum ipſum hominem, in quo omnes peccârunt, repetitione ſcilicet, poſt θάνατος, factâ ἐξ ἑνὸς ἀνθρώπου ab initio Commatis, ut totum ità legatur „ Mors omnes „ homines pervaſit per illum unum hominem in quo omnes peccârunt.' Hoc quidem non facilè admittit *Piſcator*, omni verò conatu impugnat *Socinus.*

Me quod attinet, lubens cum *Petro Martyre* dicam, de hoc ego non acriter contenderim, an ſcilicet hoc ἐφ' ᾧ vel *In quo*, vel *quia*, aut *quatenus* reddantur.

Contra priorem verſionem per *In quo*, hæc tria facere videntur.

1. In genere quòd *Hyperbata*, *Ellipſes*, *Repetitiones* in Sacro Codice *fingi* non debent. Agnoſco ibi & præcipuè in *Pauli Epiſtolis*, & maximè omnium in hâc ad *Romanos* figuras hujuſmodi ſæpè occurrere, uti poſt *Origenem* omnes fatentur Interpretes: Nihilominus *ſine neceſſitate* multiplicari non debent. At nulla hîc videtur eſſe neceſſitas, quia ſine hujuſmodi *Hyperbato* vel *Ellipſi*, ſi ἐφ' ᾧ reddatur *quia* vel *quatenus* omnes peccaverunt, ſenſus erit non ſolùm ſanus & Orthodoxus, ſed & Apoſtoli hoc in loco menti & propoſito ſatis accommodus.

2. Paulò durior, ſaltem non adeò facilis eſt conſtructio, ſi hoc Pronomen Relativum ᾧ quod immediatè pendet à proximè præcedente ſententiâ [& ità in omnes homines mors pervaſit] in quâ nulla Adami fit mentio, cum quâ etiam optimè congruit ſequens ſententia ſi legatur *eo quòd*, vel *quatenus* omnes peccaverunt; Hoc tamen non obſtante ſi (inquam) referatur hoc *Pronomen Relativum* ad tam *remotum Antecedens*, ſcilicet ἐξ ἑνὸς ἀνθρώπου in initio Commatis *duriuſculum* hoc videri poſſit, ut *Pareus* molliùs loquitur, vel *nimis contortum*, quod duriùs dixit *Piſcator:* licèt non eò provectus ſum confidentiæ vel potiùs audaciæ ut cum nupero quodam noſtrate Scriptore eoque ſatis docto dicam „ audacter auſim affirmare non inveniri ſimilem conſtructionem & trajectionem in verbo Dei. Saltem *D. Northon. Knatchbull. in Locum.*

3. In loco non poſſum non concedere exempla non adeò ad amuſſim quadrare, quæ à pluribus adducuntur, in quibus hæc Præpoſitio ἐπὶ conjungitur cum Dativo, ut ſignificet aliquid in aliquo eſſe vel fieri, ut loquitur *Socinus*, ſaltem ut in ſemine & maſsâ, quod vix fieri credunt *Eraſmus* & *Piſcator.* Nam quæ adducit *Cornelius à Lapide* ἐφ' ἵππῳ, ἐπὶ τῷ κέρδει, ἐπὶ τῷ μισθῷ *Lucri & mercedis causâ* vel *gratiâ* nihil huc faciunt, probant enim tantùm ἐπὶ cum *Caſu Dativo* conjungi, quod nemo uſquam negavit, imò ipſe *Eraſmus* hoc ultrò fatetur, & exempla multa dat in qui-

quibus ἐπὶ Dativo jungitur cum *cauſam* indicat, ut ἐπὶ θανάτῳ i. e. *ſpe mortis*; cum *viciniam* declarat ut ἐπὶ γήρᾳ ᾠδῇ; cum *poteſtatem* ut ἐπὶ τῷ βασιλεῖ *in manu regis*; item cum *acceſſionem*, ut ἐπὶ τούτοις *ad hæc*; cum *conditionem*, ut ἐπὶ τούτοις ἀφίημί σε i. e. *hâc lege te dimitto*; denique cum *ſupra* ſignificat, ut ἐπὶ σύλλῃ *ſupra columnam*. Hæc ille, quibus plura annecti poſſent: ut cum ſignificat *per*, & pro διὰ ponitur ut Act. 3. 16. ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ „ per fidem in Nomen ejus. & 1 Cor. 8. 11. καὶ ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφὸς ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει; & tuâ iſtâ notitiâ „ frater qui infirmus eſt peribit? ubi ἐπὶ non per *Hebræorum idiotiſmum abundat*, ut quidam putat, ſed διὰ vel *per* ſignificat. Sed in his omnibus, hiſque ſimilibus ἐπὶ non ſignificat *In*, ut cum aliquid *in alio eſſe* vel *fieri* dicitur, non ut *in ſemine*, *vel maſſâ*, prout hoc loco ſignificare volunt cum dicitur ἐφ' ᾧ, in quo, ſcilicet in *Adamo* tanquam *in radice* omnes peccâſſe dicuntur.

Sic ἐπὶ τῷ ῥήματί σου *ex juſſu tuo, vel ad juſſum tuum Luc. 5. 5.*

Sic ἐπὶ μιᾷ ἡμέρᾳ λήμμασι & ἐπὶ μιᾷ ἡμέρᾳ αἰτίας.

Carolus Stephanus in Concordantiâ Græcâ N. T.

Neque etiam illa exempla, quæ à *Bezâ* in hanc rem afferuntur, quadrare videntur V. G. non illud Marci 2. 4. ἐν ᾗ κατέκειτο, ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο, quod licèt *Beza* cum *vulgato Interprete* vertit *in quo*, potiùs tamen *ſupra quem*, non *wherein*, ſed *whereon the ſick of the palſey lay*. Quod meliùs convenit cum verbo κατέκειτο, atque etiam cum genere *lectorum* horum qui *Grabati* vocabantur, in quibus (ut doctioribus *Grammaticis* placet) meridiari ſolebant, & (ut aliqui volunt) ità vocantur ἀπὸ τοῦ κρεμᾶν τὰς βάσεις quòd qui in his penſilibus lecticis ſedent & recumbunt terram pedibus non contingant. Neque magis quadrat ille alter, quem adducunt, locus Heb. 9. 17. διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία, quem licèt cum *Vetere Interprete*, *Calvino*, *Bezâ*, & aliis ipſe etiam *Eraſmus* vertit „ Teſtamentum *in mortuis* ratum eſt, non tamen tam propriè *In* ſignificat, quam *Inter*, ut ἐπὶ νεκροῖς idem ſit cum בַּמֵּתִים Pſal. 88. 5. בַּמֵּתִים חָפְשִׁי liber ſum inter mortuos; vel ſi hoc minùs, ἐπὶ νεκροῖς idem eſt quod poſtquam mortui ſunt, ut noſtri locum reddunt „ A Teſtament is of force *after men are dead*; Atque ità *Teſtamentum in mortuis* nihil aliud ſignificet quàm *eorum qui mortui ſunt*, ut *Socinus* hâc in re rectè ſentit. Saltem hoc certum eſt, διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς *Teſtamentum in mortuis* talem ineſſendi modum, de quo jam agimus, minimè ſignificare poteſt. Nam, ut *Socinus* ait, „ Teſtamentum ejus qui mortuus eſt, ratum eſſe, aliquid in ipſo qui eſt mortuus „ aut ineſſe aut fieri non demonſtrat: neque enim vel Teſtamentum in ipſo „ ineſſe aut fieri oſtendit, vel in ipſo ratum eſſe aut fieri Teſtamentum aliquo „ modo arguit.

Vide Calepinum & Martinium ad vocem Grabatus.

Vel διὰ, *ut Grotio placet in Rom. 5. 12*

Atque hæc quidem contra priorem verſionem τοῦ ἐφ' ᾧ per *In quo*; (ſcilicet in Adamo) aliquid facere videntur.

Hiſce tamen non obſtantibus non prorſus rejicienda eſt hæc verſio & Interpretatio. Nam dico

1. Æquè abrupta Hyperbata, etiam *magis abrupta* in S. Paginâ inveniri; & Relativa Pronomina ad longiùs remota Antecedentia referri quàm hujus ἐφ' ᾧ ad τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου in initio ejuſdem Commatis. Nam Epheſ. 2. primus verſus cum 5to. connectitur. Rom. 1. 1. cum 7. verſu ſequente.

Epheſ.

Epheſ. 3. 1. cum verſu 13. vel 14; imò (ut aliqui volunt) cum primo verſu Capitis 4. ut reliqui intermedii verſus, imò forſan totum 3. Caput parentheſi includi debeant. *Vide Zanchium & Piſcatorem in Eph. 3.*

2. Quod vel ipſo *Socino* fatente ἐπὶ pro ἐν aliquando ſumatur, imò ſæpiùs; imò (ut Interpretes rectè annotârunt) ſatis conſtat *Paulum* in *Epiſtolis* & *Lucam* in *Actis* indifferenter interdum uti tribus his præpoſitionibus ἐπὶ, εἰς, & ἐν pro unâ Latinâ præpoſitione *In* cum Hebrææ præpoſitioni reſpondeat quæ hæc omnia ſignificat.

3. Hoc ipſo in loco, adeòque hoc etiam in ſenſu *Theophylactum* hoc ἐφ' ᾧ per ἐπὶ τῷ Ἀδὰμ cum Dativo vertiſſe, & *Photii* Scholia per ἐφ' ᾧ Ἀδὰμ, & διὰ τὸν Ἀδὰμ explicâſſe, qui tamen Græcæ Linguæ ſatis gnari erant. Sic ἐφ' ᾧ, ἐφ' ᾧτι, & ἐφ' ὅτῳ apud Authores Græcos ſæpè pro ob *quod propter quod* ponitur. At dices licèt ἐπὶ pro ἐν aliquandó vel ſæpiùs ponatur, nunquam in eo quem hic volunt ſenſu. Dico ergo

4. Ἐπὶ pro ἀπό poni oſtendimus ex Act. 3. 16. 1 Cor. 8. 11. quibus addit *Grotius* Lucæ 5. 5. ἐπὶ τῷ ῥήματί σου ut & illud de quo jam egimus Heb. 9. 17. ἐπὶ νεκροῖς, & ſic iſtud ἐφ' ᾧ idem *Grotius* reddit *per quem*, ſcilicet Adamum omnes peccaverunt, quod nobis ſufficit, ſi per ἐφ' ᾧ Adamus intelligatur.

Si objicias imò non ſufficit probare nos in Adamo peccâſſe, vel ejus peccatum nobis imputatum eſſe, qui enim hanc imputationem negant concedunt tamen nos per *Adamum* peccâſſe, vel ſolâ *imitatione*, ut *Pelagiani*, vel *imitatione & occaſione*, ut *Theodoretus*, vel *originalis peccati* inhærentis ex eo *propagatione*, ut *Pontificii*;

Reſpondeo, de hoc poſtea agendum, impræſentiarum

Illud etiam addo ἐπὶ pro ἐν poni quatenus ſignificat *In* ut quando aliquid in *aliquo ineſſe vel fieri* dicitur, quod ſtrenuè negat *Socinus*, vix credit *Piſcator*, negare tamen non audet *Eraſmus*. Neque id immeritò. Nam ἐπὶ cum Dativo, ut priùs oſtendimus *Conditionem* vel etiam *pactum* denotat. Sic apud *Thucydidem* αἱ μὲ σπονδαὶ ἐπὶ τούτοις ἐγένοντο *Fœdera his pactis inita ſunt*; atque ità ἐφ' ᾧ hoc in loco ſi ad *Adamum* referantur, non ſolùm ſignificabunt, per eum ut exemplum vel occaſionem, vel cauſam quovis modo ſumptum, ſed etiam per *ejus pactum*, cum eo & in eo cum nobis initum, quod idem plenè eſt ac ſignificat cum alterâ illâ verſione *In quo*, ut in *capite fœderis noſtrúmque Repræſentativo*, unde id in quo ipſe *quà talis* peccavit *nobis omnibus* tanquam *in eo peccantibus imputatum* eſt. *C. à Lapide*

Quin & pro *In* ponitur ſenſu propriiſſimo, quando ſignificat aliquid maximè propriè in *aliquo eſſe vel fieri*, quod *Socinus* adeò ſeverè exigit. Quid vult illud ἐφ' ἡμῖν apud *Demoſthenem*? imò quid uſitatius quàm τὸ ἐφ' ἡμῖν vel ἐφ' ὑμῖν cum aliquid *in noſtrâ poteſtate*, vel *in nobis* poſitum eſſe ſignificatur? juxta illud quod ipſe *Eraſmus* etiam attulit ἐπὶ τῷ βασιλεῖ quod ipſe quoque reddit *in manu Regis*, ubi quamvis vox *manu* tropicè & metonymicè pro poteſtate ſumi poteſt, tamen *In* propriiſſimè ſumitur, & *in Rege exiſtentem*, Regi inhærentem *poteſtatem* ſignificat.

Sed longiùs forſan quàm par erat, in his Grammaticalibus profectus ſum. Ut ſemel hanc rem finiam & miſſam faciam,

Illud unicum addam, atque rurſus cum *P. Martyre* dixerim „ de hoc

ego non magnopere contenderim, nam utrovis modo vertantur hæc verba ἐφ' ᾧ vel *In quo* vel *eò quòd*, ſi Phraſeologiam ſpectemus, utrinque amphibologia ineſſe poteſt, 1. Si vertamus *in quo*, imò ſi in Græco legeretur ἐν ᾧ, ſatis benè tam Græcè ἐν ᾧ quàm Latinè *in quo* dicere poſſumus, quando nihil aliud ſignificare volumus quàm *quia*, eò quòd, vel *ea propter*. Et ſic Eraſmus „ ſi eſſet ἐν ᾧ, non multùm obſtaret eorum opinioni de „ imitatione, cum nil uſitatius ſit, quàm *In* uſurpari pro *Per*. Et ſic hoc „ loco Mors pertranſiit in omnes ἐφ' ᾧ vel ſi eſſet ἐν ᾧ, hoc eſt *per hoc* quod „ omnes peccaverunt. 2. Et vice versâ, ſi ἐφ' ᾧ vertatur per *eo quod*, vel *Quatenus*, quod ad ſenſum & interpretationem ſententiæ, non excluderet illum quem illi volunt, qui per *in quo* reddunt: ſenſus enim eôdem recideret. Si enim dixiſſet Apoſtolus „ mors in omnes homines pervaſit *quatenus* vel *eo quod* omnes peccârunt, ad illud ἥμαρτον *peccavêrunt* ſubintelligeretur illud ipſum *In eo* ſcilicet in illo uno homine Adamo, quod peccatum non ità fuit unius, quin & omnium fuerit. Sic ex Pontificiis *C. à Lapide*. Ex noſtris *P. Martyr*, *Piſcator*, *Pareus*, imò ipſe *Eraſmus* hæc habet „ Nec hæc tamen lectio ſimpliciter excludit peccatum originale; poteſt enim „ accipi omnes peccâſſe in Adam, in quo & mortui ſunt priusquàm naſce- „ rentur. Quamvis enim poſtea dicit Scripturam hanc commodiùs accipi de *peccato ſingulorum* atque contra ſententiam *Pelagianorum* (quam apertè ſe deteſtari ibidem profitetur) alia eſſe loca docet validiora, utramque tamen lectionem conſiſtere judicat. Ut hoc Apoſtoli effatum *mors in omnes homines pervaſit* ἐφ' ᾧ *quia vel quatenus omnes peccaverunt* præcipuè intelligendum ſit de hominum peccatis perſonalibus, poteſt tamen etiam intelligi de peccato originali; & quidem hæc verba in ſe abſolutè ſumpta utrumque comprehendere poſſunt; homines enim moriuntur tum ob actualia & perſonalia peccata æquè ac ob peccatum originale: ſed ſi *Scopum Apoſtoli*, ſuæque ratiocinationis *ſeriem*, quin & ipſa *verba* penſitemus, hoc non de actualibus peccatis in nobis, ſed Originali in Adamo neceſſe eſt ut intelligamus. Nam

1. Ut obſervavit *Chryſoſtomus*, continuâ argumentationis ſuæ ſerie ad unius Adami peccatum illud unicum reſpicit Apoſtolus. „ Per unum ho- „ minem peccatum in mundum introiit v. 12. Quodnam verò illud peccatum fuerit ex quo reliqua omnia & per ea mors in omnes pervaſerunt, explicat in ſequentibus, „ per illius unius lapſum illum v. 15. „ per unum qui peccavit v. 16. rurſus „ per unius illius lapſum v. 17, 18. bis repetitum, denique „ per „ illius unius hominis v. 19. quæ omnia clariſſimè loquuntur non peccata poſterorum actualia, ſed *peccatum* illud *Adami originale* originans & primarium, ex quo omnia omnium reliqua actualia & perſonalia prodierunt, & ex eis mors.

2. Etiam v. 14. loquitur de iis „ qui peccaverant ad ſimilitudinem „ tranſgreſſionis Adami, id eſt, actualiter & perſonaliter, ſcilicet de *Infantibus*, at hi tamen *moriebantur*, *peccârunt* igitur, nam „ ſtipendium „ peccati mors eſt: at non *actualiter* in *ſuis perſonis*, in *alio* igitur, igitur in *Adamo* ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον *In quo* omnes peccârunt, vel ſi malint *eò quòd* vel *quia* peccârunt, id tamen in *Adamo*, nempe ut *in communi ſtirpe*, licèt

non

non formaliter, *originaliter* tamen, *ſeminaliter* & *repræſentativè*, adeòque per *imputationem*, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.

Si verò negetur Conſequentia, non ideò nos *imputativè peccâſſe* in *Adamo*, quia *per eum* (vel propter eum ut *Eraſmus* loquitur ſi ἐν pro ἐπὶ ponatur ut vult *Grotius* ut ἐφ' ᾧ ſit pro διὰ τοῦτο) peccâſſe dicimur, quia hoc dici poteſt ſi per eum peccemus vel *occaſionaliter*, ut vult *Theodoretus*, vel exemplariter *per imitationem* ſecundùm *Pelagium*, vel *originaliter* per ſolam *propagationem* & etiam *meritum*, ut quibusdam *Pontificiis* placet; licèt non per *imputationem*, ut ipſiſſimum *Adami peccatum noſtrum fiat*, & nos ejus verè rei ſimus: *Object.*

Reſpondeo *Sol.*

1. Quod ad *imitationem Pelagianam* attinet, quamvis ſi Phraſeologiam ſolam ſpectemus, ſatis aptè *per aliquem* peccare dici poſſumus, ſi per ejus exemplum ſteterit quòd eum imitando peccavimus, huic tamen rei (de quâ nunc agimus) non convenit, nam per *Adami* peccatum fit ut ii & *peccatores naſcantur*, & *moriantur*, in quibus *Imitatio* peccati Adami *locum non habet*, ſcilicet tum in *Infantibus*, qui cum *rationis* uſum non habeant, nondum Adamum vel ejus peccatum *imitari* didicerunt: tum in *Paganis* pluribus, qui licèt peccatores flagitioſiſſimi ſint, de *Adamo* ejuſque *peccato* ne fando unquam *audierunt* ut illud *imitarentur*.

2. Quod verò ad illud *Occaſionaliter Theodoreti* ſpectat, egò quidem non intelligo quo in ſenſu, quâve ratione dici poſſit Adamum, ejuſque peccatum nobis peccandi *occaſionem* ſolam dediſſe, ſine reali in illud influentiâ & proprii nominis cauſalitate, niſi quòd

Vel nobis *exemplum* peccandi ad *imitationem* dederit, ut voluit *Pelagius*, quod jam profligavimus, ut & illud addam, quòd vel exempla *cauſa moralis* vim & influentiam adeòque & *cauſalitatem* in ſe continent.

Vel quòd Adami peccatum ex ſuo *merito* Deo *occaſionem* dederit negandi vel ſubtrahendi poſteris ejus *gratiam*, vel *originalem* illam (cum quâ creabatur, quamquam peccato hoc ſuo amiſit) *juſtitiam*, & ſic *occaſio peccandi* nobis fuerit.

At ſi ob *meritum* peccati Adami hoc fiat, tum iſta ſubſtratio gratiæ atque ex eâ dimanans noſtra peccaminoſitas *pœnæ* rationem ſubirent. At pœna *peccatum* præſupponit, ſi *pœnam* luimus, certo certiùs priùs *peccavimus*, non enim patitur ſumma Dei vel *juſtitia*, multò minùs *bonitas* ut ullo jure *pœnas* ullas daremus pro *peccato* quod *nullo modo noſtrum* eſt; Cum *deterius* ſit *malum* eſſe quàm *miſerum*; cum juſtiſſimus & clementiſſimus Deus miſeriæ *pœnam* nobis non infligit (quod minus eſt) ſine præcedente & demerente *peccato* noſtro, certè ſi *peccatum* aliquod pro *pœnâ* ſit, nunquam talem *pœnam* omnium longè *maximam* infliget ſine *peccato* noſtro antecedaneo & pœnalis iſtius peccati cauſâ *meritoriâ*. *Aliquo modo* ergo *noſtrum* fuit, At non *perſonaliter*, non *actualiter*. Ergo per ſolam *imputationem*. Nam

3. Si dicamus ex reatu peccati Adami in nos *propagari* peccatum, ut loquuntur *Pontificii*, id quidem hactenus verum eſt, quòd propagatio peccati originalis fit à reatu peccati actualis Adami, vel originalis originantis. Sed ſi ultrà dicatur hoc fieri ſine interventu imputationis illius peccati Adami,

idem lapis denuò revolvitur, idem abſurdum ſequetur, ſcilicet hanc *propagationem* peccati ſub ratione *pœnæ* venire; at nos *pœnas dare* ob *peccatum nullo modo noſtrum*, non *juſtitiæ*, nedum *bonitati Divinæ* convenit. Ergo nullo modo *Adami peccatum noſtrum* fit niſi per *imputationem*.

Quod enim ad commentum *P. Lombardi*, ſcilicet „ qualitatem quandam „ morbidam carni & ſemini Adæ inhærentem fuiſſe, quæ deinde infecerit & „ indies ſucceſſivè inficiat animas poſterorum ejus peccato originali, vel ab „ ipſis Pontificiis [a] rejicitur.

[a] *C à Lapide in Rom. 5. 12.*

Quod vero Eſtius [b] dicit „ quando Adam propriâ voluntate peccavit, in „ quo, tanquam in principio generis omnes erant, cauſa data eſt, per quam „ deinceps univerſum genus inficeretur, & ſinguli conſtituerentur peccato- „ tores, *videlicet ex ſuo quiſque peccato*, quòd ex illâ origine contraheret, „ quomodo ſi Pater attaminatus leprâ, filios gignat leproſos, dicuntur filii „ facti leproſi in patre, licèt unuſquiſque ſuam ex illo contrahat lepram: verum, licèt (ut opinor) ſit, tamen cautè intelligendum illud eſt, ubi dicit cauſam ex Adami peccato datam fuiſſe, per quam ſinguli conſtituerentur peccatores, *videlicet ex ſuo quiſque peccato*. Nam

[b] *In Locum.*

1. Hoc quod dicit *ſuum cujuſque peccatum* intelligi poteſt vel *conſequenter*, quatenus peccatum actualiter ab eo commiſſum denotat, & ſic *unuſquiſque non conſtituitur peccator* ob tale *peccatum ſuum*, ut *infantes* qui peccatores naſcuntur, at non ob tale conſequens actuale peccatum ſuum quod nondum per ætatem committere poſſunt: vel *antecedenter* conſiderari poteſt, quatenus ſuum id peccatum dicitur, quod à *priori peccato* tanquam è communi fonte *ei derivatur*, cujus, ut alii pro ſuâ parte, ſic ille pro ſuâ particeps eſt, & ſic quidem quiſque à *ſuo peccato* i. e. ex *ſuâ* peccati *Adami* pro parte ſuâ participatione peccator conſtituitur, ut in exemplo ab *Eſtio* allato *filiorum lapſorum leproſorum* à *leproſo parente unuſquiſque* leproſus conſtituitur pro *ſuâ* ſpeciatim lepræ patris *participatione*, ità tamen ut patris lepra & ſuæ & aliorum lepræ inhærentis cauſa ſit.

2. Etiam hoc quòd quis à nativitate peccator conſtituîtur intelligi poteſt vel *formaliter* vel *efficienter*, atque ità quidem *formaliter* peccator fit, quatenus ex *parte ſuâ* & *ſubjectivè* & pravitas naturæ actu in eum derivatur, & ipſum Adami actuale peccatum actu ei imputatur; ità interim ut *efficienter* primitùs fluat ab *imputatione* peccati Adami, atque exinde à propagatione illius pravitatis naturalis, ità ut ſemper neceſſariò antecedat iſta imputatio; Atque ità ut licèt priore ſenſu *unuſquiſque* ex *ſuo peccato* verè ab *Eſtio* dicatur conſtitui peccator, illud tamen non excludit *Adami peccatum* quin hujus *cauſa efficiens* ſit quatenus ei *imputatur*. Atque hæc tanquam in tranſcurſu diximus de loco illo Rom. 5. 12. & ſequentibus. Neque interim multùm, uti ſpero, extra viam erravimus, quia hoc totum ad confirmandum 3tium. noſtrum argumentum pro juſtificatione noſtrâ ex *imputatione juſtitiæ Chriſti* ex Scripturis ſumptum, nempe ex Rom. 5. quod tale fuit, *Eo modo participes facti ſumus juſtitiæ Chriſti ad juſtificationem, quo participes fuimus peccati Adami ad condemnationem: ſed peccati participes ſumus ad condemnationem per ejuſdem nobis imputationem. Ergo & participes ſumus juſtitiæ Chriſti per ejus itidem nobis imputationem.*

Mino-

Minorem probavimus ex Rom. 5. 12. ubi legimus, *In quo omnes peccaverunt:* in cujus explicatione & aſſertione *Socinus* præcipuè tantum nobis creavit negotium in longiori hâc digreſſione. *Minorem* ergo tertii noſtri argumenti jam ſatis probatam habemus. Reſtat *Major* adhuc paucis expedienda, quæ hæc fuit: *Eo modo participes ſumus juſtitiæ Chriſti ad juſtificationem, quo participes ſumus peccati Adami ad condemnationem*, ideòque eodem modo imputatur juſtitia Chriſti quo imputabatur peccatum Adami. Hoc verò ſatis apertè probat tota hæc eâque toties repetita *Chriſti* cum *Adamo collatio* à verſu 12. ad finem Capitis, ubi ſexies, imò octies inculcatur Eo modo à *Chriſto juſtitiam* habemus, quo ab *Adamo peccatum* & *mortem*.

At hîc *unus Davus perturbat omnia*, hîc ſe opponit *Socinus*, & hanc Adami & Chriſti *collationem* turpiſſimè *pervertit*, quam ſic à *Paulo* inſtitutam eſſe dicit „ Sicut per unum hominem (Adamum) peccatum intravit in mun„ dum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſiit, eò „ quòd vel quatenus omnes peccaverunt: ſic per unum hominem (Chriſtum) „ obedientia in mundum intravit, & per obedientiam vita, & ità in omnes „ homines vita pertranſiit, *in quo* vel *eo quod* vel quatenus obediverunt. Atque ità ſemel omnem tum peccati Adami tum juſtitiæ Chriſti *imputationem* unâ liturâ impiè expunxit. Hæc enim hæretica eſt ejus mens & ſententia; ut non ex peccati Adami *imputatione* ſed *imitatione peccatores* conſtituti ſumus, & ſic per *peccatum*, hoc eſt per ſola *peccata* à *nobis actualiter commiſſa morti* obnoxii ſumus; ità neque ex imputatione juſtitiæ Chriſti juſti ſumus, ſed *per Chriſtum obedientia* ità *intravit in mundum* ut dum ille tam verbo quàm exemplo nobis obedientiæ documenta dediſſet, nos ab eo edocti, eumque *imitando obedientiam* Deo *actualem* præſtemus, ità demum in quantum ſcilicet actu obedimus, vitæ participes facti ſumus. Hic ſcilicet Symboli *Sociniani Articulus* primarius eſt: hæc *Socini* collationis hujus *Paulinæ* explicatio, ſeu potiùs depravatio omnium fœdiſſima. Scilicet (ut breviùs dicam) ſicut per noſtra actualia peccata ad imitationem Adami nobis obvenit peccatum & cum eâ mors, ità per noſtram actualem obedientiam ad imitationem Chriſti nobis obvenit juſtitia, & ex eâ vita. Merum *Socinianiſmi* virus, idque lethiferum.

Sed hujuſmodi nec παράσεως nec ὑπάρξεως hæreticæ vel vola vel veſtigium in Textu Apoſtolico apparet uſpiam. Nam

In *Protaſi* non dicit Apoſtolus

Quòd per *Adami peccatum* tanquam per ſolam *occaſionem* & *exemplum peccatores* facti ſumus;

Neque quòd per *peccatum noſtrum perſonale & actuale*, eum ſcilicet *imitando* mortis rei conſtituamur, quæ cum *Pelagio* aſtruit *Socinus*.

Sed contrarium prorſus. Nam

Quolibet penè Commate *illius unius hominis unum illum lapſum* ingerit, quaſi peccatorum noſtrorum omnium cauſam & ſcaturiginem.

Et præterea *eos exinde morti obnoxios* factos eſſe affirmat v. 14. qui *non peccârunt* ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ *ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami*, id eſt, qui per *imitationem* ejus παραβάσεως i.e. actualis tranſgreſſionis

in ſuâ *perſonâ actualiter* non *peccârunt*, cum præ *ætate* (nam de *infantibus* loquitur) ne *potuerunt* quidem.

Similiter neque in *Apodoſi* ullibi *Chriſti obedientiam* tanquam *occaſionem* ſolam vel *exemplum* proponi dicit, ex quo nos per ejus actualem *imitationem* & *obedientiam propriam juſti* atque ità vitæ æternæ meritoriè participes fieremus, ut per *proprii peccati* noſtri *demeritum mortis* rei facti ſumus. Sed omninò ex adverſo τῦ ἑνὸς (id eſt *Chriſti*) δικαίωμα, illius unius (non *noſtram*) ὑπακοὴν ſeu *obedientiam* χάριν τῦ Θεῦ, τὴ δωρεὰν ἐν χάριτι, δώρημα, χάρισμα perpetuò ſuggerit, urget, quod *accepimus*, non ipſi *præſtitimus*, quòd *gratuitò* accepimus, non *meruimus*, ut inde vel *juſti* conſtitueremur, vel *vitæ æternæ participes*.

A nobis ergo longiſſimè in æternum exulet hæreticiſſima iſta *Socini* ſententia, & fœdiſſima dulciſſimæ hujus Chriſti cum Adamo collationis depravatio.

Quam longè rectiùs & menti Apoſtoli accommodatiùs *Piſcator* (uti ab Apoſtolo inſtituta eſt) ſic explicat „ Quemadmodum per Adamum pec-„ catum introiit in omnes homines, & per peccatum mors, eò quòd in „ Adamo omnes peccaverunt: ſic per Chriſtum juſtitia introiit in omnes „ credentes, & per juſtitiam vita, eò quòd in Chriſto omnes credentes pro „ peccatis ſatisfecerint. Scilicet ut per *Adami peccati* actualis *imputationem*, atque per *peccati* exinde *originalis propagationem peccatum* & *mors*, ſic per Chriſti *juſtitiam* mediatoriam credentibus *imputatam*, & *infuſam* exinde *gratiam*, ex *illâ* tanquam *cauſâ meritoriâ* & efficienti, ex hâc tanquam imputatæ illius juſtitiæ *effecto* & ad vitam æternam viâ & medio, juſtitia & vita.

Object. At hîc objici poteſt quòd hæc collatio *rem* dicat, ſed non *modum*, ſcilicet quòd juſtitiam & vitam à Chriſto habeamus ſicut ab Adamo peccatum & mortem, non ità tamen eodem modo ut ſi per *imputationem peccatum* habeamus ab *Adamo*, neceſſe ſit ut per ſimilem *imputationem* habeamus *juſtitiam* & vitam. Sat' erit ad collationem inſtituendam ſi *conveniant* quoad *rei ſummam*, dum interim longè *diſpar ratio* ſit *modi* & reliquarum circumſtantiarum. Ad quam objectionem corroborandam duo hæc adduci poſſunt.

1. Quòd ipſe Apoſtolus in hâc *collatione*, ut quoad *rei ſummam ſimilitudinem* aſſerit v. 12, 18, 19. ſic in aliquibus *diſſimilitudinem* eſſe probat, quam interſerit v. 15, 16, 17. „Sed non ſicut delictum, ita & donum, &c.

2. Si eodem modo per omnia, atque ità per *imputationem* juſtitiam habeamus per Chriſtum, quo peccatum ab Adamo, tum, ut verè dicitur *nos ipſos peccâſſe in Adamo*, vel per *Adamum*, ſic æquè verè dici poteſt *nosmetipſos juſtitiæ Dei ſatisfeciſſe in Chriſto*, à quo loquendi modo (quamvis *Baxterus. Piſcator*, ut modò audivimus, adhibuit tamen) vel noſtrorum Theologorum aliqui abhorrent: atque ità *noſtrûm* & *Redemptores* eſſe, quod noſtræ huic ſententiæ de juſtificatione noſtrâ per imputationem juſtitiæ *Chriſti* impingit *Bellarminus* de juſtific. lib. 2. cap 7.

Reſp. Ad quæ reſpondeo in genere concedendo ad veram *ſimilitudinem* non requiri ut res *collatæ per omnia omninò conveniant*, ità enim non *ſimiles* forent, ſed *res* prorſus *eadem*: in *eo* tamen in quo *conferuntur conſentire* debent. Jam verò id in quo hîc conferuntur Adamus & Chriſtus, non ſolùm eſt, quod

quod uterque ſuis fons & origo ſit, ille peccati & mortis, hîc juſtitiæ & vitæ, ſed quod *ſimilis* utrinque via & *modus* ſit *derivationis*, partim quidem per Phyſicam *ingenerationem*, partim tamen (idque primo in loco) *reputationem* vel *imputationem* moralem. Sic ut ab Adamo peccatum derivatur in poſteros inhærendo per *naturalem propagationem*, ità tamen *ordine priùs* attribuendo per *peccati Adami imputationem*, ſic à *Chriſto* in ſuos fideles derivatur *juſtitia* per *ingenerationem gratiæ inhærentis* in *ſanctificatione*, ità tamen ut ipſius *juſtitia* nobis attribuatur per *imputationem* in *Juſtificatione*. Atque hoc ipſum in hâc *collatione Adami* & *Chriſti* intendi hæc duo evincunt.

Primò quod tota hæc Collatio Capite 5. ulterior confirmatio ſit eorum quæ diſputata erant *Capitibus quatuor præcedentibus*; at ea tota erant de *juſtitiâ imputatâ*, (cujus *imputationis* undecies mentionem fecerat Capite 4.) non *inhærente*, de quâ agere incipit Capite 6. ut *effecto* vel *Socio juſtitiæ imputatæ* quam tamen priùs removerat à *formali causâ* juſtificationis, quia talem juſtitiam quæ ad juſtificationem ſufficere poſſet nullibi vel apud Gentes vel Judæos reperiri probaverat tribus primis Capitibus.

Secundò quod in hâc Collatione *mortem eos* (infantes ſcilicet) *pervaſiſſe* demonſtrat, *qui non peccârunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami* v. 14. id eſt *actualiter*; at non *morituri* fuiſſent, niſi priùs *peccaviſſent*, peccaverunt ergo, at non *perſonaliter* in ſeipſis, ergo in *alio*, at *alterius* peccatum, *eorum* nullo modo eſſe potuit niſi per *imputationem*; ergo non niſi per ſimilem *imputationem alterius*, ſcilicet Chriſti *juſtitia* ipſis cedere potuit. Ergo juſtificantur per ejus *juſtitiam* ipſis *imputatam*. Atque hæc ad objectionem illam in genere dicta ſunto. In ſpecie ad

Primum illud, quod ipſe Apoſtolus in hâc ſimilium collatione diſſimilitudinem ineſſe dicat, in illis verbis „Sed non ut delictum, ità & donum, &c. Verum eſſe fateor; imò neceſſarium; Si enim per omnia conveniſſent, non ſimilia, ſed eadem fuiſſent, ergo quoad varia diſcrepant, quæ *Chryſoſtomus* particulatim enumerat, qualia hæc ſunt, „ Confert cum peccato gratiam, „ cum peccato hominis gratiam Dei, cum peccato unius hominis gratiam „ non tantum unius Chriſti, ſed & Dei Patris; unius hominis unicum peccatum „ cum multorum peccatorum condonatione; illinc mortem, hinc vitam; „ adeòque multo in ſe convenientius fuiſſe alterum propter alterum ſervari „ quàm puniri, atque adeò longè efficaciorem eſſe gratiam Chriſti ad ſer„ vandum quàm hominis peccatum ad damnandum. Quibus illud addit *Ludov. de Dieu*, „ morti ex Adamo contractæ opponi τὸν περισσεύοντα abun„ dantiam gratiæ, quod *mors* illa ſuperari per *gratiam*, ac in vitam verti fi„ delibus potuerit, hæc autem ſuperari & in mortem rurſus verti nunquam „ poſſit. Hæc licèt atque alia plura vel ſexcenta fuerint, quæ in Collatione hâc & inter has res collatas diſſimilia, imò prorſus contraria ſunt, nil tamen impediunt, quò minùs in iis quibus tanquam ſimilia *comparantur omninò ſimilia* ſint. At hæc duo præcipuè ex mente Apoſtoli fuiſſe, ſcilicet utrumque *Adamum* fontem ſuis fuiſſe, *illum peccati*, *hunc juſtitiæ*, *eundemque* utrinque *modum* ea ſuis derivandi, per *imputationem* ſcilicet, ut priùs monſtravimus.

2. Ad

2. Ad ſecundum quod attinet, ubi objiciebatur, ſi nos per imputatam Chriſti juſtitiam juſtificemur, tum rectè dici poſſe quod ut nos peccavimus in Adamo, ſic *nos juſtitiæ* Dei *ſatisfecimus* in *Chriſto*, imò ut *Bellarminus* addit, nos hâc ratione debere dici & haberi *Redemptores* & *Salvatores mundi*; quia, ut *Sanderus* objicit, *Obedientia & mors Chriſti* fuit *perſonalis ejus juſtitia*, quæ fuit *propitiatio & Redemptio totius mundi.*

Reſpondeo

1. Ad illud ultimum *Bellarmini*, illud ſcilicet nullatenùs ſequi.

Ut ex hâc imputatione juſtitiæ Chriſti ipſi *Redemptores mundi* conſtituerentur, quia „paſſio Chriſti ità cuique imputatur ac ſi ipſe paſſus eſſet *pro ſe*, „ non autem *pro aliis.*

Piſcator de juſtifi. lib. 2. Cap. ult. pag. 104.

Imò neque *ſui Redemptor* hâc imputatione efficitur. Atque quod ad hoc hæc reſpondeo.

1. Ad *hominem:* hoc, ut dicamur *noſtri Redemptores* & *Salvatores* non *Bellarmino* ſaltem & ſuis adeò ingratum eſſe debet, cum *Bellarminus* lib. 1. de Purgat. Cap. 14. exertè dicat „ hominem ſui ipſius Redemptorem & Sal„ vatorem rectè dici poſſe. Neque hoc unius tantùm *Bellarmini* dictum, quod temerè eum effutiiſſe aliquis dicere poterit, nam omninò convenit cum communi *Pontificiorum* reliquorum doctrinâ de *meritis* noſtris & propriis Divinæ juſtitiæ *ſatisfactionibus.* At nos ab hujuſmodi blaſphemiis prorſus abhorremus, neque ſequi aſſerimus ex iſtâ juſtitiæ Chriſti nobis imputatione.

2. Si teneremus *ipſiſſimam Chriſti juſtitiam nobis inhærere*, vel (cum *Oſiandro*) nos ipsâ *eſſentiali Chriſti juſtitiâ* juſtificari, tum aliqualem hoc probandi vim habiturum eſſet hoc eorum argumentum: Sed cum *ipſiſſimam Chriſti juſtitiam* non affirmamus *nobis inhærere*, imò neque *eſſentialem* ejus *juſtitiam*, vel nobis *imputari* ad juſtificationem, ſed ſolam *Mediatoriam*, nulla eſt in hoc eorum argumento vel umbra conſequentiæ. Nam

3. *Imputatio* rei alicujus perſonæ alicui non efficit ut perſona illa ſit talis *activè* ſed tantùm *paſſivè*; ut cum Rom. 2. 26. *præputium* dicitur *imputari legis obſervatori* in *circumciſionem*, non facit eum *activè circumcidentem*, ſed *paſſivè circumciſum.* Et cum *peccata noſtra Chriſto imputantur*, hæc imputatio non facit Chriſtum *activè peccatorem*, ſed *paſſivè* tantum quantum *peccata noſtra tulit.* Sic ex *imputatione* nobis *Redemptionis* & *juſtitiæ Chriſti* non efficimur inde *juſtificantes* ſed *juſtificati*, non *Redemptores*, ſed *redempti.* Juſtitia Chriſti non imputatur nobis ut *cauſis efficientibus* & agentibus, ſed ut *ſubjectis recipientibus.* Neque

4. Hæc paſſiva noſtra ex imputatione iſtâ receptio *totum* illud communicat quod in *re imputatâ* quocunque modo ineſt, ſed tantum ſolùm quantum *perſonæ* cui *imputatur capacitati* vel *neceſſitati convenit* & *ſufficit*, & quantum *vult perſona imputans*, (cum imputatio hæc libera ejus ſit actio.)

Jam verò Deus hâc ſuâ imputatione nunquam voluit totum illud quod in Chriſto eſt nobis transferri; ejus *juſtitiam* nobis *imputare* ex gratiâ placuit, non *Deitatem*, non *majeſtatem*, non *munus Redemptorium*: ut nos ità demùm *noſtri Redemptores* evadamus.

Nam

Nam (primò) Nos hujus gloriæ *incapaces* ſumus, ad hanc enim non ſola ſufficit imputatio, ſed *Divinæ Naturæ unio Hypoſtatica* nobis minimè communis, ſed Chriſti ſolius propria.

Præterea (ſecundò) Neque noſtræ juſtificationi *neceſſaria* eſt. Nobis enim *juſtificandis* ſufficit ut Chriſti *juſtitiam* nobis *imputatam* & *applicatam* habeamus quantum pro noſtrâ parte peccatorum veniam & jus ad vitam æternam conſequi poſſimus. Non ità, ut quicquid in Chriſto eſt, id nobis etiam eodemque omninò modo nobis tribuatur, ut *nosmet* noſtrûm *Redemptores* & *juſtificatores* redderemur. Hæc Dei, Chriſtique Regalia ſunt, ſat' nobis ſuperque eſt ſi Redempti juſtificatique evadamus: ſic rectè *Ameſius* noſter, juſtitia Chriſti imputatur ſingulis fidelibus ſecundùm eorum particularem neceſſitatem, non ſecundùm univerſalem, quem habet, valorem, ſicut gemma magni prætii, quæ datur pro variis captivis redimendis, applicatur ſingulis non ſecundùm univerſam æſtimationem, ſed ſecundùm cujuſque captivi neceſſitatem. Chriſtus ut Redemptor Catholicus tantam ſummam ſolvit, talem Catholicam medicinam paravit, ut ſingulorum debitis perſolvendis omnium morbis ſanandis ſufficiat, quam dum ille nobis imputat, jure *ſolus Redemptor* dici meretur, nos eam per fidem recipiendo & applicando (Deo gratias) quòd *Redempti* audiamus, beati ſumus, ſi ultrà *Redemptores* dici velimus, *blaſphemi* & *ſacrilegi* erimus. „ Non imputatur Petrò juſtitia „ Chriſti ut generale pretium pro omnibus, ſed ut pretium, quo illius „ anima in particulari redimitur, ut *redemptus* audiat, non *Redemptor*, ut „ cavillatur *Bellarminus*. Ipſe *Bellarminus* dum de imputatione & applicatione juſtitiæ Chriſti per Indulgentias ſuas à Papâ factâs agit, inter *rem* & *modum* rei diſtinguere novit; ſic enim loquitur. „ Illud videtur certum paſ„ ſiones Chriſti, quæ ſunt infiniti pretii, applicari per Indulgentias finito „ modo. Si igitur nobis aliquanto æquior eſſe voluit, pro nobis hîc ſibimet reſpondere potuiſſet juſtitiam Chriſti, *infinita* licèt fuerit, nobis tamen pro modulo noſtro ità *finito modo* imputari ut non inde *Redemptores noſtri* ſimus, quod infinitatem requirit.

Bellarm. enervat. Tom. 4. lib. 6. c. 1. p. 537.

Davenantius de juſtitiâ habituali c. 24. p. 331.

Lib. 1. de Indulg. c. 4.

Secundò ergo ad illud quod objiciebatur: hâc ratione ut *Levi* dicitur *decimas ſolviſſe* in *Abrahamo*, & nos *peccâſſe in Adamo*, ſic dici poſſe nos *juſtitiæ Chriſti ſatisfeciſſe in Chriſto*, à quo loquendi genere aliqui Theologi noſtri abſtinendum eſſe dicunt; Ego quidem eorum hâc in re pietatem colo ac veneror, cum confiteri nos peccâſſe in Adamo humilitatem ſapit in noſtri delicti agnitione; at nos *ſatisfeciſſe Dei juſtitiæ in Chriſto*, dum aliquid *magni* de *nobismetipſis* dicit, *arrogantiæ* aliquid ſpirare aliquibus videri poſſit, ideòque potiùs prout nos decet, dicamus *Chriſtum Divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe*, pro nobis, quàm *nos ei ſatisfeciſſe per Chriſtum*. „ Non Nobis Domine, non Nobis, ſed „ Nomini Tuo da gloriam. *Forbeſius* pag. 89. dicit nos omnes in Chriſto, & cum Chriſto ſatisfeciſſe juſtitiæ Dei per mortem ejus. At *Brashawus* Cap. 13. §. 16. dicit „ non neceſſe eſſe ut quod imputatur ad ju„ ſtificationem alterius reputetur quaſi ab eo factum qui juſtificatur, ſed „ ſufficit ut reputetur ac imputetur ut par dignitate & merito ei quod ab „ eo in ſuâ perſonâ propriâ fieri debuit. Atque ità hîc quod Chriſtus fecit „ & paſſus eſt, in noſtram juſtificationem imputari dici poteſt, quamvis

„ nos non reputemur id vel feciſſe vel paſſi eſſe, ſed ſufficit quòd à Chriſto „ ſuſceptum, & à Deo acceptatum ſit, vel pro debitâ inhærente juſtitiâ vel „ pro ſatisfactione §. 24.

Si dicamus itaque per Chriſti juſtitiam nobis imputatam ità Divinæ juſtitiæ ſatisfactum eſſe perinde ac ſi nos ipſi ei ſatisfeciſſemus imò multò magis, nihil hinc *arrogantiæ* noſtræ *datur*, nil Chriſti *gloriæ*, vel noſtræ humili *gratitudini detrahitur*. Imò hoc diſertis verbis ipſe *Bellarminus* concedit de Juſtificat. lib. 2. cap. 10. ubi hæc habet, „ Et hoc modo non eſſet abſurdum „ ſi quis diceret nobis imputari Chriſti juſtitiam, & mortem cum nobis do- „ nentur & applicentur *ac ſi nos ipſi Deo ſatisfeciſſemus*. Sic etiam *Coſte-* *Cap. 6. de juſtif. p. 257.* *rus* „ Chriſtus ſuam paſſionem ſua juſta opera, ſua merita Deo Patri in ſa- „ tisfactionem pro peccatis noſtris obtulit, quæ à Patre pro nobis accepta „ nobis imputentur, nobiſque applicentur, ac ſi ea ipſi edidiſſemus.

Atque ità demùm ex duobus hiſce quos ultimò explicavimus locis, ad probandàm juſtificationem noſtram ex *imputatâ Chriſti juſtitiâ*, *duplicem* illam *analogiam* huc facientem ſimul explicatam dedimus. 1. Eo modo participes facti ſumus *juſtitiæ ſecundi Adami*, quo *peccati primi Adami*. At hoc fit per *imputationem peccati* hujus. Ergo illud per *imputationem juſtitiæ* illius. 2. Ut *imputantur peccata noſtra Chriſto*, ſic *nobis imputatur ipſius juſtitia*. At contra hoc inſurgit *Bellarminus* de Juſtificat. lib. 2. cap. 7. argumento ſuo 7timo contra juſtificationem ex imputatione juſtitiæ Chriſti, quod ſic ſe habet „ ſi per juſtitiam Chriſti nobis imputam verè dici „ poſſumus juſti & filii Dei, Ergo poterit etiam Chriſtus per injuſtitiam „ noſtram ſibi imputatam dici verè peccator; quod dicit *Illyricum* admittere, nimirum *Chriſtum* veriſſimè dici *peccatorem* per *potentiſſimam* Patris *imputationem*, & *voluntariam* in ſe *peccatorum receptionem*. At hoc *blaſphemum* eſſe dicit, quia ubique in S. Scripturâ *ſanctus*, *innocens*, *immaculatus* & *juſtiſſimus* prædicatur. Adeòque ſi Chriſtus propter *inhærentem* ſibi *juſtitiam*, non *obſtante peccatorum imputatione*, non *peccator*, ſed *juſtus* & fuit & dicebatur, tum ſimiliter non *obſtante juſtitiæ Chriſti nobis imputatione* ob *inhærentem* adhuc nobis *injuſtitiam* nos *injuſti* erimus, & vocabimur, ideòque non *verè juſtificati*.

Cui in genere reſpondeo, cum in hâc Controverſiâ nos non de *inhærente juſtitiâ* agimus, ſed de *juſtificatione ſenſu forenſi* acceptâ, argumentum hoc ſi aliquid contra nos valeret, ſic rectè inſtitui debuiſſet „ ſi nos ex *imputatâ* nobis *Chriſti juſtitiâ juſtificemur*, tum Chriſtus ex *imputatione noſtrorum peccatorum* ipſi factâ *reus perageretur* & *condemnaretur*, quod ultrò gratique fatemur, conſentiente ſcilicet & ſimul aſſerente S. Scripturâ, ut mox videbimus. Hoc utique eſt quod dicimus & agnoſcimus, Chriſtum *eo modo injuſtum* vel peccatorem dici poſſe, quo *nos* in *juſtificatione* (præcisè ſumptâ) *juſti* dicimur. Jam verò quamvis quoad *Sanctificationem* Juſtificationi ſemper annexam, *inchoatè* licèt, at *verè* tamen *inhærenter juſti efficimur*; Hoc tamen non ſpectatur in *formali ratione Juſtificationis*, quæ nos eo ſenſu à reatu & pœnâ tantùm liberat, ex peccatorum veniâ, & juſtitiæ Chriſti imputatione, atque ità ex imputatione ità nos *pro juſtis reputat*, & nobiſcum ità Deus agit, *ac ſi* verè, propriè & per omnia inhærenter *juſti*

eſſe

eſſemus. Simili item modo per & propter imputationem peccatorum noſtrorum Chriſto, non per omnia, id eſt *propriè* & *inhærenter* injuſtus fit Chriſtus, quod argumentum hoc vult, ſed ſolùm ità *imputativè* ut cum eo ità actum fuerit *ac ſi* reverâ *injuſtus* fuiſſet. Hoc in genere dictum ſit, ſed (ſi placet) magis particulatim & minutim agamus.

1. Primò negatur illa *Conſequentia*, „ſi per imputationem juſtitiæ Chriſti „ juſti efficimur, tum Chriſtus per imputationem noſtrorum peccatorum „ ſimiliter injuſtus efficitur. Nam non eadem utrinque ratio. Nam

1. *Gratia Chriſti* in *imputatione juſtitiæ ſuæ nobis* factâ longè efficacior & *abundantior* quàm *reatus noſter ipſi imputatus*; ut docet Apoſtolus Rom. 5. *Ameſius, Tilenus.*

2. Injuſtitia noſtra Chriſto imputatur ut *vincatur* & *tollatur*; ſed ejus juſtitia nobis imputatur ut *ſuper nos maneat* in ſuo *vigore* & efficaciâ.

3. Injuſtitia noſtra non *imputatur* Chriſto ut ejus *ſtatus* abſolutè *mutaretur*. At ejus *juſtitia nobis imputatur*, ut *ſtatus noſter mutetur*.

4. Chriſtus transferendo in ſe peccata noſtra, non *omnia eorum conſequentia* in ſe tranſtulit. Per hanc imputationem in ſe *pœnam & maledictionem* tranſtulit, quod noſtræ ſaluti inſerviret: non *fœditatem*, quæ nec *debuit*, nec *potuit* in eum transferri, & quæ ſi in eum tranſlata fuiſſet, eum ad nos redimendos ineptum effeciſſet. *Davenant!*

5. Denique Chriſtus admiſit *imputationem peccatorum* noſtrorum eâ conditione ut nos *ejus juſtitiâ conſtitueremur juſti*, ſed nullâ tali conditione ei imputabantur noſtra peccata, ut *ex eâ* ipſe *injuſtus conſtitueretur*. Ex his ergo & aliis rationibus nulla eſt argumenti *Bellarminiani* conſequentia; „Si „ nos ex imputatione juſtitiæ Chriſti juſti efficimur, tum ille ex peccatorum „ noſtrorum imputatione injuſtus & peccator conſtitueretur.

2. Secundò Tota illa ejus argumentatio cum ex quatuor Terminis conſtet, *homonymiâ* laborat. Nam cum ſic arguit „ *Si nos verè juſti ſu-* „ *mus ex Chriſti juſtitiâ nobis imputatâ, tum Chriſtus verè injuſtus vel pec-* „ *cator ſit ex peccatis noſtris ipſi imputatis*; *At hoc blaſphemum ergo illud* „ *falſum: Verè juſtum* vel *injuſtum eſſe* dupliciter dicitur, vel quoad *imputationem*, vel *actualem inhærentiam*. Jam verò dicere Chriſtum *inhærenter verè injuſtum & peccatorem eſſe eſt* revera *blaſphemum*. At verò ità dici quoad ſolam *imputationem* (prout nos in *Juſtificatione* ex ejus *imputatâ juſtitiâ* juſtos factos vel juſtificatos contendimus, ſic minimè blaſphemum eſt, niſi ipſum *Spiritum* in S. Scripturâ *blaſphemare* dicemus; ubi *Chriſtum pro nobis* κεκάρων Gal. 3. 13. ἁμαρτίαν 2 Cor. 5. 21. *factum* eſſe clarè pronuntiat. Neque hoc ſolùm eò quòd *hoſtia pro peccato factus* eſt, quatenus peccatorum noſtrorum pœnam luebat (quæ quidem vera eſt loci illius explicatio, ſed non plena) ſed quia ipſa *noſtra peccata ipſi imputa fuerunt*; aliter non *juſtè* eorum *pœnam luiſſet*. Atque ità propter hanc imputationem, ut ex eo quòd Apoſtolus ipſum κεκάρων factum dixerit, eo ſenſu ἐπικατάρατος ſanctè dici poteſt, ſic etiam ex eo quòd idem Apoſtolus eum ἁμαρτίαν factum dixerit nec minùs rectè, imputativè ſcilicet ἁμαρτωλὸς dici poteſt. Quo in ſenſu *Lutherus* eum *peccatorum omnium maximum* fuiſſe dicit; forſan ni-

mis *audacter*; nè tamen *Pontificii* exinde eum blaſphemiæ inſimulent, cum vel ex *ſuis Ruardus Tapperus* dictum illud Apoſtoli ex Chryſoſtomo, Theophylacto, ei Oecumenio ſic explicet, quod *Chriſtus pro nobis factus ſit inſignis peccator.* A quibus loquendi modis ego (Chriſti honoris ergò) libenter abſtinuerim: Cum verò nil aliud volunt; quàm quod Chriſtus non ſolùm peccatorum noſtrorum pœnas tulit, ſed ut id juſtè fieri poſſet ipſa noſtra *peccata* ei *imputata* ſunt; quod veriſſimum eſt, (neque quod aliquid falſi vel *blaſphemi* in ſe habet) aſſerunt.

Verſamur adhuc in quæſtione illâ An Juſtitia Chriſti nobis imputetur ad juſtificationem: cui cum tanquam fundamento innitatur tota ſpes noſtra & ſalus, ei diutiùs inhæſimus. In hanc ex variis principiis inſurgit tota *Sociniano*rum, *Remonſtrantium*, & *Pontificiorum* cohors. *Bellarminus* inprimis lib. 2. de Juſtificatione à Capite 7. ad 15. eamque Capite ſeptimo decem impugnat argumentis.

1. Quorum primum eſt quod *nullum in Scripturis teſtimonium habeat:* quod expedivimus ex tribus præſertim Scripturæ locis, quæ hanc *nobis imputatam Chriſti juſtitiam* clarè loquuntur, ut fuſiùs explicavimus.

2. 3. Secundum & tertium argumentum ex eo ſumit quod „ nulla neceſſitas „ hujuſmodi imputationis adferri poteſt; Ea enim eſſet vel (1) quia homo „ poſt remiſſionem peccati adhuc ſit verè peccator, peccato videlicet tecto, „ ſed non deleto: at peccata in juſtificatione in Scripturâ dicuntur tolli, de„ leri, mundari, ſuper nivem dealbari, purgari, in profundum maris „ projici, ut licèt quærantur non inveniantur, ſed Sponſa Chriſti tota pul„ chra ſit & ſine maculâ vel (2) quia juſtitia noſtra inhærens non tam ſit „ perfecta, ut ſimpliciter & abſolutè juſtificet: at renovatio in fide, ſpe, „ & charitate (quæ totam inhærentem juſtitiam complectuntur) hîc perfecta „ eſſe poteſt, ut pluribus probare nititur. Ergo nulla imputatæ juſtitiæ neceſſitas eſt.

Quibus omnibus in genere ſic reſpondeo, quod imputationis hujus duplex neceſſitas conſiderari poteſt, vel *neceſſitas fidei*, in quantum neceſſariò credi debet, vel *neceſſitas rei*, quatenus *imputatio* iſta ad *juſtificationem* & ſalutem noſtram omninò neceſſaria eſt: Nos verò utramque hanc iſtius imputationis neceſſitatem aſſerimus. Nam

Primò, *neceſſariò* à nobis *credenda* eſt, quod ex reſponſione ad primum ejus argumentum conſtat, Quicquid enim Deus in Sacrâ Scripturâ teſtatur, id (modò nobis reveletur) neceſſariò credendum eſt. „ Hæc ſcripta ſunt ut „ credatis Johan. 20. 31. „ Credite Prophetis, & proſperabimini 2 Chron. 20. 20. At *imputationem* hanc *juſtitiæ Chriſti* ad *noſtram juſtificationem* tribus illis *S. Scripturæ* locis clarè teſtatam eſſe multis oſtendimus. Ergo hoc ſaltem in ſenſu (creditu ſcilicet) omninò neceſſaria eſt.

Nec minùs ſecundò quatenus quoad *rem* ipſam *imputatio* hæc ad *juſtificationem* & ſalutem noſtram etiam *neceſſaria* eſt. Quamvis enim non neceſſaria eſſet ex duabus illis cauſis, quas *Bellarminus* recenſet & refutare conatur (de quo mox agemus) cum non ſit ſufficiens cauſarum enumeratio, ex aliis tamen evinci poteſt ejus neceſſitas: verbi gratiâ,

1. Ex eo quod qui ex *alterius* juſtitiâ & ſatisfactione juſtus cenſetur, ille *neceſſariò* per ejus ſibi *imputationem* juſtificatur: cum id aliter fieri niſi per imputationem ne fingi quidem poteſt, per *acceptationem* ſcilicet *juſtitiæ* & *ſatisfactionis alienæ*, quæ illi ipſi ineſſe, atque ab eo fieri debuit.

At nos juſtificamur *alienâ juſtitiâ*, Chriſti ſcilicet, „ ut inveniar in illo, „ non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ eſt ex fide „ Chriſti Philip. 3. 9. Neque hæc intelligenda eſt de *juſtitiâ inhærente* ex *operatione Spiritûs Chriſti*, ut volunt *Pontificii*, ſed de *ipſiſſimâ* Chriſti *juſtitiâ* juxta illud ejuſdem Apoſtoli Rom. 5. 18. ſicut δι' ἑνὸς παραπτώματος „ per unius (ſcilicet ipſius Adami) offenſam reatus vênit in omnes homines „ ad condemnationem, ità δι' ἑνὸς δικαιώματος per unius (nempe ipſiſſimi „ Chriſti) juſtitiam (vel juſtèfactum, ſive actualem obedientiam) „ gratuitum donum redundavit in omnes homines ad juſtificationem vitæ. Ut pulchre *Bernardus* „ Aſſignata eſt homini juſtitia aliena qui caruit ſuâ; vel *Epiſt. 190.* „ ut *Ambroſius* „ ſub Chriſti primogeniti noſtri fratris pretioſâ puritate *de Jacob. libæ.* „ deliteſcimus, ut teſtimonium juſtitiæ in conſpectu Dei referamus. Vel ut luculentiſſimè *Auguſtinus* „ Ipſe peccatum, ut nos juſtitia, non no- *Enchirid.* „ ſtra, ſed Dei, non in nobis, ſed in ipſo; ſicut ipſe peccatum non ſuum *Cap. 41.* „ ſed noſtrum non in ſe, ſed in nobis. Ut enim *ſatisfactio alterius* imputari nequit *reo*, niſi *offenſa* ejus & *reatus imputetur homini ſatisfacienti*, qui *in ſe juſtus* per *alterius offenſam ſibi imputatam ſolam reus* fit; ſic juſtificatus qui in ſe *injuſtus* eſt per *ſolam alienæ ſatisfactionis imputationem juſtus* cenſetur. Eodem enim ſenſu *ille juſtus* eſt, quo *vas* ejus *injuſtus* eſt. Ità ut ſi hoc teneamus nullum ullo modo juſtum eſſe poſſe per alterius juſtitiam, neceſſe eſt ut aſſeramus neminem beneficium lucrari ex alterius alicujus ſatisfactione, neque aliquem pro alio quicquam mereri poſſe, quod „ quid aliud eſt (ut ille rectè pronuntiat) „ quàm totius Chriſtianitatis fundamentum di- *Brasham. de* „ ruere, & ſimul omnis noſtræ conſolationis & ſalutis materiam labefactare? *juſtific. c. 7.* Sic enim optimè *Cardinalis Contarenus*. „ Ego prorſus exiſtimo piè & *De juſtificat.* „ Chriſtianè dici quod debeamus niti, niti inquam, tanquam re ſtabili, „ quæ certò nos ſuſtentet, juſtitiâ Chriſti nobis donatâ, non autem ſanctitate & gratiâ nobis inhærente, &c. Quo nihil vel ipſe *Lutherus*, vel *Calvinus* dicere poterat ad noſtram (de alienâ & externâ juſtitiâ ad juſtificationem noſtram requiſitâ) ſententiam confirmandam vel clarius vel accommodatius. Cum verò hæc externa atque aliena juſtitia non aliter niſi per *imputationem* noſtra vel eſſe vel dici poteſt, hinc primò aſſurgit hæc (quam *Bellarminus* negat) imputationis hujus neceſſitas.

2. Secunda inde quod juſtificatio noſtra, ſi non ſola, magnâ ſaltem ex parte conſiſtat in *peccatorum remiſſione*. Sic *imputare juſtitiam* & *non imputare peccatum* Rom. 4. 6, 8. Phraſes licèt ſint contra diſtinctæ & in ſpeciem contrariæ, *æquivalentes* tamen ſunt & idem planè dicunt, ipſiſſimam ſcilicet *juſtificationis* noſtræ *rationem* & *naturam*, de quâ ibi loquitur Apoſtolus, eam nimirum conſiſtere in *imputatione juſtitiæ*, quæ aut eadem omnino eſt cum non imputatione peccati, vel ſaltem eam omninò ſibi annexam habet; dum enim Deus non *imputat*, *peccata*, *quæ habemus* 2 Cor. *Synopſ. pur.* 5. 19. *imputat juſtitiam*, *quam non habemus* v. 21. Rom. 4. 3, 6. Jam *rior. Theolog. diſp. 33. §.* verò *21. 22.*

verò ut utraque hæc Phraſis ſolius *imputationis* in hoc negotio mentionem facit, ſic etiam *peccatorum remiſſio* ſi præcipuè (prout hîc fit) per *ſponſoris noſtri ſatisfactionem & meritum impetrata* ſit, *ex ſolâ imputatione* fit. Si enim *peccata mea remittantur propter Chriſti ſatisfactionem*, tum ea *ſatisfactio* mihi *cedit*, atque eo in ſenſu *mea* facta eſt; at hoc niſi per *imputationem* omninò fieri nequit. Ut ſi cui debitum remittitur propter Sponſoris ſui ſolutionem, id eò fit, quia *ſolutio* illa ab altero facta ei *imputetur*. Quâ in re vel ipſum *Bellarminum* nobiſcum conſentientem priùs habuimus de juſtificat. lib. 2. cap. 7. ubi ſic loquitur „ ſi ſolùm vellent nobis imputari Chriſti me„ rita, quia nobis donata ſunt, & poſſumus ea Deo adferre pro peccatis no„ ſtris quoniam Chriſtus ſuſcepit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis, noſ„ que Deo Patri reconciliandi, recta eſſet eorum ſententia. At hæc ipſiſſima eſt noſtra ſententia, ideòque vel ipſo *Bellarmino* judice *rectiſſima*. Summa ergo eſt imputationis hujus ad juſtificationem neceſſitas, quoniam ad *peccatorum condonationem* neceſſaria utique eſt quod hoc ut *peccata noſtra omninò remittantur*, ut *iſta remiſſio continuetur*, ut *imperfecti noſtri in Deo glorificando conatus gratis a Deo acceptentur*.

Amef. Bellarm. Enervat. Tom. 4. lib. 6. c. 1. p. 134.

Id ſolùm hîc addam, tantam ſcilicet & tam neceſſariam connexionem eſſe inter *Chriſti* pro peccatis noſtris remittendis *ſatisfactionem* atque ejuſdem nobis *imputationem*, ut quamvis *Pontificii* & *Remonſtrantes* dum *ſatisfactionem* illam agnoſcunt, hanc verò ejus nobis *imputationem* negent, *Sociniani* tamen re magis perpensâ, nunquam ſcilicet auditum eſſe vel cogitari poſſe aliquem pro alio ſolvendo vel condonando ſatisfeciſſe, cui ſatisfactio talis ab alio præſtita non imputatur, cum *imputationem* hanc æquè ac *Remonſtrantes* negent quam à *ſatisfactione* divelli non poſſe probè noverint, unà cum *imputatione ſatisfactioni Chriſti* etiam blaſphemè nuntium remittere audent. En quò tandem evaſit hæc *imputationis* negatio!

Sed jam tandem accedamus ad duas illas alias hujus neceſſitatis cauſas, quas refutandas ſibi ſumit *Bellarminus*, & videamus quàm fœliciter hoc præſtat.

1. Quarum prior hæc eſt: quia homo poſt *remiſſionem* peccati adhuc ſit verè *peccator*, peccato videlicet *tecto*, non *deleto*. At *Bellarminus* contrà ex pluribus in Sacrâ Scripturâ phraſibus & loquendi modis probare ſatagit in verâ peccatorum remiſſione ea penitùs *tolli*, *deleri*, *aboleri*, ut nullâ jam opus ſit *imputatione*. Hæc *Bellarminus* ità proponit, invidioſè ſatis & malignè. At ſi nobis liceret rationem hanc noſtram propriis verbis exprimere, hoc vel conſimili modo eam proponeremus. Ideò ad juſtificationem noſtram neceſſaria eſt imputatio juſtitiæ Chriſti; quia tam ante quàm poſt juſtificationem & remiſſionem peccatores ſumus; at ubi peccatrm, ibi reatus, ubi reatus, ibi juſtitia, nec vera juſtificatio, niſi aliunde ſubveniatur, & loco juſtitiæ noſtræ ſubſtituatur atque imputetur juſtitia Chriſti, & quidem ante primam remiſſionem ut primitùs indulgeatur, & etiam pòſt, ut continuetur & renovetur, renovato poſtea reatu. At quid contra hoc *Bellarminus*? ſcilicet *poſt remiſſionem* nos *peccatores* adhuc eſſe negat, ſed peccata noſtra non ſolùm *tegi* ſed penitùs *aboleri* aſſerit.

Hîc verò plura reponenda ſunt.

1. *Pec-*

1. *Peccatum* dupliciter conſiderari poſſe vel quoad ejus *reatum*, vel *exiſtentiam in ſubjecto*, & *maculam inhærentem*. Jam *quoad reatum* poſt juſtificationem & condonationem homo juſtificatus *peccator* non dicitur eo ſenſu quo 1 Reg. 1. 21. *Bathsheba* dixit *ſe & Solomonem filium ſuum* futuros *peccatores*, hoc eſt, *reos*. Sic juſtificati, *peccatores* non ſunt, non *rei* ſcilicet, non quod peccata quæ priùs perpetrârunt vel jam perpetrant *reatum in ſe* non contineant, vel quòd ipſi *in ſe morte dignè* non fuerint: Sed non rei ſunt *reatu redundante in perſonas*; hic enim condonatione & juſtificatione tollitur. Neque hoc *putativè* quamvis *per imputationem*, ſed *realiter* & veriſſimè, neque *imperfectè*, ſed ſimpliciter abſolutè & *perfectiſſimè* ex peccatoribus perfectè juſti efficiuntur eo ſenſu quo *juſtitia* in *juſtificatione* ſumitur, totus enim reatus plenè & perfectè tollitur. Atque huc ſpectant plures ex iis loquendi modis, quos *Bellarminus* ad ſuam ſententiam ſtatuminandam adduxit. Sic enim juxta Scripturas agnoſcimus & ultrò profitemur in juſtificatione *peccata* quoad reatum tolli, *deleri*, *aboleri*, *purgari*, *ablui* (nam *ablutio peccatorum* in *amotione reatûs* æquè ac *maculæ* & *ſordium* peccati ſpectatur, uti ex Pſalmo 51. 9, 10, 11, 12. conſtat, ut & ex 1 Cor. 6. 11. „ Sed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis, utque etiam ex ablutione Baptiſmali, quâ peccati originalis reatus fidelibus tollitur, non tamen ſtatim eradicatur penitùs quoad inexiſtentiam) in juſtificatione, inquam, peccata quoad reatum plenè *abluuntur*, quàm *longè abeſt Oriens ab Occidente à nobis removentur*, *poſt tergum Dei*, imò in *profundum maris projiciuntur*, ut ſi *quærantur*, quoad hoc *non inveniantur*, homines juſtificati *mundantur*, *ſuper nivem dealbantur*; & ſi quæ aliæ occurrant Phraſes conſimiles, quæ plenariam peccatorum quoad reatum deletionem & condonationem nobis exhibent. At talis peccatorum ablutio, ablatio & ablitio tantùm abeſt ut *imputationem juſtitiæ Chriſti* deſtruant ut eam neceſſariò *præſupponant*, utpote quod ab eâ omninò *pendeant*. Ex enim (quoad *naturæ* ordinem, non quoad *tempus*) antecedaneâ juſtitiæ atque ſatisfactionis Chriſti nobis *imputatione* à *peccati reatu* & maledictione *abſolvimur* & juſtificamur (ut debitor à debiti nexu per precium à ſponſore ſolutum) atque ità hoc nomine, ſcilicet ex parte *reatûs in perſonas redundantis* cum ſemel verè condonati & *juſtificati* ſimus, non ampliùs *peccatores* ſumus. At quid demùm dicendum eſt *ex parte inexiſtentiæ peccati?*

2. Quod hoc 2dò dicimus, hominem dupliciter etiam *peccatorem* eſſe & dici. Vel quatenus *peccatum* in eo *regnat*, vel ſolùm *inhabitat*. Priore ſenſu vox illa ſumitur, cum „ filius hominis tradi dicitur in manus *peccato-* „ *rum* Matth. 26. 45. & affirmatur „ Deum non audire *peccatores* Johan. 9. 31. ſenſu poſteriore venit Lucæ 15. 7. „ Dico vobis fore gaudium in „ cœlo ſuper uno peccatore reſipiſcente, & cap. 18. 13. „ Deus propitius eſto mihi peccatori.

Jam verò homo verè *juſtificatus priore ſenſu peccator non* eſt, *peccatum* enim ei non *dominatur*, quia non *ſub lege* eſt ſed *ſub Gratiâ* Rom. 6. 14.

Atque ità ſecundùm *Auguſtinum* „ is in quo peccatum non regnat non „ peccat, adeòque hoc nomine *peccator* non eſt. At neque hoc *imputationem* juſtitiæ Chriſti tollit, ſed *præſupponit*. Ex hâc enim *imputatione juſtitiæ* *In Expoſ. ad Gal.*

Chriſti

Chriſti non *imputantur* ſed *remittuntur peccata*: his condonatis Deo *reconciliamur* 2 Cor. 5. 19. *filii Dei* efficimur, in *corda noſtra Spiritus Dei emittitur* Gal. 4. 6. Hic Spiritus *peccati dominium* tollit Rom. 8. 13. 1 Cor. 6. 11. Ideòque *imputationi* iſti *juſtitiæ Chriſti* hoc debemus, quod *hoc ſenſu peccatores* non ſimus. Cum ergo invidioſè Bellarminus ſententiam noſtram proponit, ac ſi teneremus *peccata* noſtra ſolùm *tecta*, *minimè deleta* eſſe, ſycophantam pro more ſuo agit. Nam nos

1. Ea *tecta* quidem eſſe dicimus, unà aſſerente S. Scriptura Pſal. 32. 1, 2. „ Beatus ille, cujus tectum eſt peccatum: Beatus homo, cui Jehova non „ imputat iniquitatem. *Non imputando* peccata *tegit*, & quoad *reatum* omninò *tollit*, quod ſolùm in *juſtificatione* attenditur. At quia *ſanctificatio* cum juſtificatione ſemper conjuncta eſt, & eadem *fides* quæ peccatorem juſtificat, *cor etiam purificat* Act. 15. 9. Ideò

2. Dicimus unà cum reatu tolli etiam *dominium*, ut non *regnent*, atque eatenus vel hîc *deleri*.

3. Eorum vires paulatim indies minui, donec

4. Ultimò quoad ipſam *inhærentiam* & inhabitationem penitùs exturbentur & *aboleantur*. Ultimo ſiquidem die Chriſtus „ ſanctos ſuos omnes ſta„ tuet in conſpectu gloriæ ſuæ inculpatos Judæ v. 24. „ Eccleſiam tum „ demùm ſibi ſiſtet glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut „ quicquam ejuſmodi Epheſ. 5. 27. Imò priùs etiam *Spiritus juſtorum* quamprimùm poſt mortem *cœlum* aſcenderint (in quod *non intrat quicquam quod inquinat* Apoc. 21. 27.) *conſummati* fiunt Heb. 12. 23.

Quinimò in ipſo *mortis* articulo unà cum *corpore hoc morali* à *corpore hoc peccati* liberantur. Sic Ille *mortem ἁμαρτίας ἔξοδον* vocat, ut & *Ambroſius peccatorum ſepulturam*. Hæc omnia apertè confitemur, imò ultrò profitemur: Interim tamen ac ſi teneremus *peccata ſolùm tecta* in Juſtificatis, *minimè* verò *deleta* eſſe, à Bellarmino inſimulabimur?

Ultimò verò quoad *actualem* poſt Juſtificationem peccati *inhærentiam*, & ut Apoſtolus Rom. 7. 17. loquitur *inhabitationem*, ſi Bellarminus juſtificatum ullum dum hîc in vivis agat *peccatorem* eſſe negaverit, eo ipſo *Deum mendacem* facit quando ipſe mentitur impudentiſſimè (Johan. 1. 8, 10.) contra apertiſſima *Sacræ Scripturæ* teſtimonia, *Eccleſiæ & Patrum* omnium ſententiam, *piorum* omnium *ſenſum* & experientiam, quin & (audacter dicam) contra *propriam* ſui ipſius (ſi modò ei attenderit) *conſcientiam*.

Quoad *peccata actualia* quotidiè *peccamus omnes*; & licèt per renovatam fidem & pœnitentiam unà cum *reatu* ipſe peccati *actus* tranſeat, manet aliquoties ſi non *habitus*, *maculæ* tamen vel *ſordium* aliquid quod animam polluat, neque ſine magno labore & longo temporis intervallo penitùs eluatur.

Quoad vero *peccatum originale*, licèt in juſtificatione *reatus* ejus (ut priùs oſtendi) omnino *tollatur*, *manent* tamen hujus *συνεχοῦς ἁμαρτίας reliquiæ* quædam, quæ ſæpiùs fortiter nimis ſe exerunt, atque ad actualia peccata prorirom. 7. 23. tant, imo (ut de ſeipſo conqueritur Apoſtolus) ipſos pios *captivos reddunt legi peccati*.

Nunquid igitur ad hæc peccata amolienda, quæ ante juſtificationem dominabantur, poſt eam verò in ipſis juſtificatis modo & ſenſu prædicto adhuc

manent

manent nulla omninò *imputationis juſtitiæ Chriſti neceſſitas?* imò vel maxima; Triplici de causâ.

1. Ad ipſam *primam juſtificationem.* Nam concederetur licèt in ipsâ juſtificatione *peccatum* utrumque *originale* quàm *actuale* quoad *inhabitationem* penitùs & radicitùs *ſublatum* eſſe, ipſa tamen *juſtificatio* tantùm abeſt ut hominem juſtificandum *non peccatorem* eſſe *dicat*, ut contrà eum *peccatorem* eſſe neceſſariò *præſupponat.* *Juſtificatio* quidem *Legis*, quæ ſecundùm *Fœdus Operum* fieri potuit, hoc non admittit, cum non niſi eum, qui in ſe *abſolutè juſtus* & omnis peccati expers eſſe, *juſtum* eſſe pronuntiet; At *juſtificatio fidei Evangelica* aliter ſe habet; Cum enim ea *juſtificet impium* Rom. 4. 5. & in condonatione reatûs & pœnæ conſiſtat v. 7, 8. hominem ità juſtificandum in ſe *peccatorem* eſſe præſupponit, qui eâ ratione non magis *juſtus in ſe* cenſeri potuit, quàm *ſanus* qui *æger*, imò *vivus* qui *mortuus.* *Reus* ergo & *peccator* eſt, qui *veniâ opus habuit*; *peccata enim ſemel facta infecta fieri nequeunt*, ac proinde non niſi per *remiſſionem* deleri poſſunt; at *remiſſio* hæc ex *Dei* vel *naturâ* vel *decreto* obtineri non potuit niſi ex *Chriſti juſtitiâ & ſatisfactione*, quæ nihil nobis profutura eſſet, niſi nobis & in rem noſtram *imputaretur.* Ergo ad hoc omninò neceſſaria fuit hæc imputatio. *Chamier. Tom. 3. l. 21. cap. 20.*

2. Ad hujus juſtificationis *continuationem.* Cum enim peccatum *originale* quoad *inhabitationem*, nec *actuale* omne quoad ejus *operationes* per juſtificationem continuò *ſtirpitùs eradicetur*, hæ novæ *operationes peccaminoſæ* priorem illam *juſtificationem novo* ſuo *reatu* penitùs *extinguerent*, niſi qui *igneo ſerpente* de novo *vulneratus* eundem *ſerpentem*, qui adhuc & ſemper in *altum ſublatus manet*, denuò *aſpexerit*, niſi ad novum vulnus ſanandum idem emplaſtrum applicaverit, hoc eſt, niſi *continuata juſtitiæ Chriſti imputatio* non fieret, qui εἰς τὸ παντελὲς „ in perfectum & perpetuò ſervare poteſt eos qui ad „ Deum per eum accedunt, cum ſemper vivat, ut pro eis interpellet Heb. „ 7. 25.

3. Denique & ultimò neceſſaria eſt hæc imputatio (prout priùs oſtendimus) ut impetretur & *emittatur Spiritus Sanctus*, qui peccata *actualia* poſt juſtificationem *antevertat*, atque *originalis* peccati intùs latens virus quotidiè paulatim *minuat*, donec tandem omninò *expurgaverit.*

Sarta tecta ergo adhuc manet hæc *imputationis neceſſitas*, quam ſecundo ſuo argumento *Bellarminus* labefactare voluit; ſcilicet quia tam ante quam poſt juſtificationem proprii nominis *peccatores* ſumus, qui *continuatâ* vel *renovatâ condonatione* opus habemus, ergo vel renovatâ, vel continuatâ *juſtitiæ Chriſti imputatione.*

2. Secunda etiam ejus neceſſitas eſt, quia non ſolùm verè peccatum in nobis perpetuò hæreat, ſed etiam quod *juſtitia* noſtra *inhærens* non tam ſit *perfecta* ut ſimpliciter & abſolutè *juſtificet.* Hanc verò ſecundam imputationis neceſſitatem ipſe 3tio. ſuo refutare conatur argumento, dum probare nititur *fidem ſpem & charitatem* (in quibus conſiſtit tota *inhærens juſtitia*) *in hâc vitâ perfectas eſſe poſſe.* At huic ejus argumento diluendo non eſt quod hoc in loco diu multumve laboremus, partim quia ad aliam Controverſiam ſpectat, partim etiam, quia cum priori argumento multum cognationis in ſe habet.

Cum enim harum virtutum imperfectiones peccato non careant, juxta illud *S. Auguſtini* illud quod minus eſt quàm „debet, ex vitio eſt, ſi in priori argumento probavimus, in ſanctis *peccatum poſitivum* (quod majus eſt) inhabitare, certè minùs probatu difficile erit, ipſis (dum hîc agunt) adeſſe & ineſſe *virtutum harum* Theologicarum, adeòque *totius gratiæ inhærentis, imperfectiones* aliquas & *deficientias*, quò minùs ex his juſtificemur, ſed ut ab his juſtificemur magis neceſſariò adhuc opus habeamus juſtitiæ Chriſti imputatione.

Epiſt. 29.

Ut verò *Bellarmini* probationibus aliquatenus ſatisfiat;

Primò hæc in genere obſervari volumus;

1. Quod Ille ſæpiùs hoc inculcat, *fidem, ſpem & charitatem* adeoque totam *inhærentem juſtitiam* in hâc vitâ *perfectam eſſe poſſe*. At nos dicimus hoc *poſſe* non ſufficere. Sed ultrà neceſſariò requiritur, ſi per eam juſtificemur, ut *actu perfecta* ſit. Potuit Adamus in ſtatu integritatis ſuæ perſtitiſſe: ſed ad hoc requirebatur actualis perſiſtentia, quam quoniam non præſtitit, eo ſtatu, atque ab illius Fœderis juſtificatione excidit; conſimili modo, ſi juſtificatio in Fœdere Gratiæ in *perfectione gratiæ inhærentis* conſiſteret, non ſufficeret *poſſibilis*, ſed *actualis* illa perfectio. At neutram harum veram eſſe ex ſequentibus conſtabit.

2. Quod *Piſcator & Tilenus* rectè obſervârunt. Si gratiæ inhærens *aliquando* tandem in hâc vitâ *perfecta* evadat, non ità *ſemper actu* fuit, non enim ab infantili & imperfectâ ætate ad ἄνδρα nisi per gradus pedetentim aſcenditur 1 Cor. 13. 12. Ad hanc verò totam antecedaneam *imperfectionem expiandam* neceſſaria eſt *remiſſio*, atque ad eam *ſatisfactionis* à Chriſto factæ *imputatio:* neque enim ſufficere poteſt hæc (ſi unquam futura eſſet) ſera nimis *inhærentis gratiæ imperfectio*, quæ ſi unquam hîc advenerit, præſtabit tantùm præſens illud quod tum incumbet officium, non exſolvet prius illud, cui obnoxii eramus, debitum.

Licèt in quibusdam aliquando perfecta eſſe poſſit (quod nunquam accidit) imputatio tamen juſtitiæ Chriſti requiritur ad peccatum originale tollendum, & actualia peccata ante perfectionem adeptam commiſſa. Scharpius in Curſu de juſtificat. Contr. v. 9. pag. 1042.

3. Sit licèt *fides* in hâc vitâ *perfecta* atque ità nos juſtificet, tantum abeſt ut *imputationem juſtitiæ Chriſti* tollat, ut eam neceſſario requirat: nam ſolummodo juſtificat quatenus *Chriſtum* ejuſque *juſtitiam* apprehendit Johan. 1. 12. Jam verò *juſtitia* hæc (ut ex eâ juſti ſimus) æque ex partè Dei donatur & *imputatur*, ac ex parte noſtrâ per *fidem recipitur.*

4. Idem etiam dici poteſt de totâ juſtitiâ inhærente, quam in *fide, ſpe, & charitate* ponit.

Si enim hîc aliquando (ut ille vult) perfecta eſſet, *imputationem juſtitiæ Chriſti* non tolleret, ſed præſupponeret: non enim niſi ex ejus *imputatione* dari vel haberi poteſt illa qualis qualis eſt inhærentis *juſtitiæ perfectio*. Nam quicquid demùm ſit, hoc ut nobis daretur & infunderetur, Chriſtus *meruit:* at merita ejus niſi per *imputationem* nobis communicari non poſſunt.

At præterea, rem ipſam quod attinet: negamus unquam uſquam talem in inhærentis *juſtitiæ imperfectionem* ullo (Chriſto ſolo excepto) vel ſanctiſſimorum hominum in hâc vitâ vel extitiſſe, vel in poſterum extituram.

Quod verò ad varias *Bellarmini* probationes ſpectat, non eſt quod eas ſigillatim perſequamur: Sat' erit ſi eas in faſciculos aliquos colligamus ut *zizania* olim *comburenda*, at à nobis jam leviter perſtringenda.

Pri-

Primò igitur earum quædam nihil omninò in hanc cauſam dicunt, quales hæ ſunt. Ut fidem probet hîc perfectam eſſe poſſe, illud *Petri* adducit, „ ut probatio fidei veſtræ multò pretioſior auro quod per ignem proba„ tur inveniatur in laudem & gloriam in revelatione Domini noſtri. At „ aurum quod ignem ſuſtinet, perfectum eſt. Ergo & fides ei ſimilis. Quaſi verò omne *aurum* quod *ignem* ſuſtinet ab omni prorſus *ſcoriâ defæcatum* ſit, decoctum licèt ſepties. Martyres plures explorationem igneam ſuſtinuerunt qui tamen (*non malè docti* quod ipſis impingit *Caſtellio*) vel inter ipſas flammas carnis infirmitates ſenſerunt, & peccatorum ſuorum veniam humilimè efflagitârunt, quorum in tantis tamque diris ſuſtinendis alacritas omnipotentiſſimæ Dei ſuſtentationi, non fidei ſuæ omnimodæ perfectioni tribuenda eſt, cum ut aliàs, ità tum præcipuè in *humanâ infirmitate* conſummetur *Divina potentia*. *De obedientiâ Deo præſtandâ in reſp. ad* 11. *pag.* 251.

Huic gemellum illud quod ad *ſpei perfectionem* aſtruendam affert ex 6to ad Hebræos, ubi ſpes noſtra „ tanquam anchora animæ tuta ac firma dicitur. At quid hoc ad omnimodam ejus *perfectionem?* Quid enim ſi hæc non ad ἐλπίδα quæ proximè præceſſit, ſed ad πληροφορίαν referatur, ut *Grotio* placuit? vel ſi quid in ſe ſit & valeat indicet Apoſtolus, intelligi tamen debet, (ut ille ibi addit) *modò eâ rectè utamur*, quod non ſemper facimus; ſed etſi faciamus, & de ſpe etiam ea intelligenda ſint, num quia *anchora tuta & firma* eſt, ideò in *nihilo deficiens*, ſed quoad omnia prorſus *perfecta* efficietur? Nihil minus: ideò enim tuta & firma eſt, quia in *Chriſto* fixa eſt, cujus *manûs tenacitati* tota noſtra debetur tutela & firmitas, non *fidei* vel *ſpei noſtræ* perfectioni, quæ inter *decumanos fluctus* aliquoties vacillant; ut *Petrus* olim, quem tamen *Chriſtus extensâ manu incolumem præſtitit*; ſimulque etiam increpando dixit. „ Exiguâ fide prædite, quid dubitâſti? Certè *P. Lombardus* lib. 3. Diſtinct. 31. fidem & ſpem in *vitâ futurâ evacuandas* eſſe dicit (quod etiam *Bellarminus* in hoc ipſo Capite de fide dixerat) quia in hâc vitâ tantum *ex parte* erant; ergo (vel ipſo judice) *imperfectæ*. *Matth.* 14. 30, 31.

Huc etiam refer alia illa quæ adducit loca. „ Sancti per fidem vicerunt „ regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Hæc eſt victo„ ria quæ vincit mundum, fides noſtra. Cui reſiſtite fortes in fide. In „ omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poteſtis omnia tela nequiſſimi ex„ tinguere. Omnia enim hæc fidei in hâc vitâ perfectionem minimè evincunt; omnia enim hæc efficere, *mundum* & *Satanam vincere*, quin & *cor purgare*, inſuper (Deo gratiâ ſuâ aſſiſtente adjuvante) fides poteſt, quamvis omnimodo perfecta non ſit; *Chriſto* ſcilicet *duce* & *auſpice Chriſto*, in quo „ quæ infirma ſunt in mundo elegit Deus, ut pudefaciat robuſta, atque ità ſancti illi ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας „ ex infirmitate corroborati ſunt. En *infirmitatem* ſimul & potentiam, infirmitatem humanam cum Divinâ potentiâ conjunctam! *in ſe imbelles* licèt fuerint, in *Deo robore ſuo robuſti facti* ſunt, ut *Jahel* muliercula illud ἐπινίκιον caneret „ proculcato anima mea robur. *Heb.* 11. 34. *Judic.* 5.

Hæc ergo probationis neque vim neque ſpeciem habent.

Secundò alia de perfectione illâ, non quæ *viatoribus* in *hâc* vitâ contigit, ſed quæ in *illâ alterâ comprehenſoribus* competit, loquuntur. Huc ex parte

ſpectat illud ex *Petro* priùs allatum, „ fidem noſtram auro pretioſiorem inve-
„ niendam in laudem & gloriam in revelatione Domini noſtri: Cui gemellâ
1 Cor. 13. alia plurima. At quàm longè diſtat *adulta* illa *ætas* (de quâ loquitur Apoſto-
lus) à *noſtræ* (quamdiu hîc agimus) *infantiâ*.

Tertiò alia loquuntur de eo non quod hîc habemus, ſed quod debemus; non quod hîc aſſequimur, ſed ad quod excitamur, & ex officio conamur. Sic ipſe ibi *Bellarminus* de ſpe verba faciens, eam eſſe *debere* tanquam anchoram animæ tutam & firmam.

Ex decimo ad Hebræos, Accedamus cum πληροφορίᾳ vel plenitudine fidei.

. Sic & illud quod ex Matth. 5. „ affert; Eſtote perfecti ſicut Pater veſter
„ cœleſtis perfectus eſt. At ô bone! illud officium noſtrum eſſe poteſt, ad
quod Dei mandato incitari poſſumus, à quo tamen multùm abſumus: illud etiam *debemus*, cui *ſolvendo non ſumus*; proindeque illud exigi, ſaltem in mandatis nobis dari poteſt, non quòd illius jam à nobis præſtandi *vires* innuat, imò potiùs *impotentiam*, ut ex iſtis mandatis & hortamentis de noſtrâ omnimodâ *imbecillitate* certiores facti, *alienam* (*Chriſti* ſcilicet) imploremus *juſtitiam* & *gratiam*, ut optimè *Auguſtinus*. „ Quid ergo non præcipe-
„ retur homini iſta perfectio, quamvis eam in hâc vitâ nemo habeat? illud denique enixè petere atque conari debemus, ad quod tamen in hoc ſtatu uſquequaque pertingere non poſſumus. Sic *Paulus Corinthiis* optat ut *nequid mali faciant* 2 Cor. 13. 7. & eorum *conſummationem* v. 9. Sic etiam nobismetipſis gratiæ perfectionem petere poſſumus, ut animi noſtri deſiderium teſtatum faciamus, ut Propheta Jeremias Cap. 28. 6. „ Amen! ità faciat Jehovah, dixit ad *Hananiæ* Prophetiam de *Judæorum intra biennium reditu*, quem tamen non ità citò futurum ſatis noverat, & ipſe prophetaverat, ſed ità precatus eſt, ut benevolum in populum ſuum animum, & ſummum ejus incolumitatis deſiderium declararet. Eodem etiam modo & nos hîc *perfectionem* petimus, ut quò *anhelamus* oſtendamus, atque inſuper ut ad majores conatus nosmet incitemus; quibus ſi non *abſolutam* hîc *perfectionem*, majores tamen ad eam *progreſſus* aſſequamur, ut Apoſtolus Philip. 3. 12, 13.

Quartò Alia quæ affert, docent, quid *fides*, *ſpes*, *charitas in ſe* ſint, & efficere poſſent, modò perfectæ eſſent; at non noſtram earum (dum hîc vivimus) aſſecutionem. Sic „ qui ſervat verbum, in eo verè Dei charitas perfecta eſt
„ 1 Johan. 2. 5. ſi modò perfectè ſervet, quod interim non facit. Sic (quod dicit) „ fides precioſior auro igne probato, victoria noſtra eſt, quâ
„ mundum vincimus, tela Satanæ ignita extinguimus. Spes animæ anchora tuta & firma, atque charitas (quod ex *Auguſtino* adducit) eſt veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaque juſtitia.

Perfecta quidem *charitas perfecta juſtitia eſt*, ut ab eodem *Auguſtino* dictum ponit, ſcilicet ſi reverà ea *hîc* perfecta eſſet, ut Apoſtolus *Jacobus* de
Cap. 1. 4. *patientiâ* loquitur, ſi *opus ſuum integrum haberet*, nos *perfectos* & integros & in nullo deficientes efficeret. At hoc ipſum quæritur, imò negatur, idque
Epiſt. 29. ab ipſo eodem *Auguſtino*, „ pleniſſimam ſcilicet charitatem quamdiu hîc
„ homo vivit in nemine eſſe, affirmat. „ Eſt quidem fides (ut rectè *Chamie-*
Tom. 3. l. 21. cap. 20. *rus*) „ virtus in ſe, & in ſuo genere perfecta, ſed hîc nunquam in quoquam,
„ ut ſanitas in ſe conſiderata eſt perfectum corporis temperamentum: at nulli

„ poſt

„ poſt lapſum perfectè ſani; Longè ſiquidem alia eſt *abſtractorum* & *concretorum* ratio.

Quintò, ſi quatenus gratia in *concreto* vel *ſubjecto* eſt, conſideretur, alia tamen eſt ejus perfectio *comparativa*; alia *ſimplex* & *abſoluta*. Jam verò loca aliqua, quæ adducit de *comparativâ* perfectione loquuntur, ut illa, „ Sapientiam loquimur inter perfectos 1 Cor. 2. Et „ quicunque perfecti „ ſumus, hoc ſentiamus Philip. 3. 15. *comparatè* ſcilicet ad *minùs perfectos*. Quod verò ad *abſolutam perfectionem* attinet, *Apoſtolus* in verbis immediatè antecedentibus vel *ſeipſum* fatetur *nondum perfectum fuiſſe*, vel *apprehendiſſe*, ſed *quæ à tergo erant obliviſcentem ad ea quæ à fronte erant contendiſſe*. Hoc ergo perfectimos ſentire vult, quod non perfecti ſint; imò de noſtrâ hîc perfectione eſſe ut humiliter agnoſcamus noſtram imperfectionem, juxtà illud *Auguſtini* „ ſecundùm iſtius vitæ modum eſt quædam perfectio, eique „ perfectioni hoc deputatur, ſi ſe quiſque noverit nondum eſſe perfectum. *Contra 2. Epiſt. Pelagian. lib. 3. cap. 5. & in Pſal. 38.*

Sic (quod urget *Bellarminus*) *Fides* Abrahami *fortis* eſſe potuit, cum *promiſſioni* de *prole credidit*, & *filium obtulit*, quatenus comparatur cum debili aliorum fide, atque etiam ſui ipſius cum aliquando vacillavit; at *tenuis* interim & *languida* (quod dixit *Melanchthon*, & ſuggillat *Bellarminus*) tum *Abrahami* tum reliquorum omnium fides eſt, ſi cum *omnimodâ* (quæ ineſſe *debet*) *perfectione* comparetur, imò etiamſi ad πληροφοριαν (cui inſiſtit *Bellarminus*) aſcenderit: nam πληροφορια *abſolutam* uſquequaque *perfectionem* non dicit, ſed *inconcuſſum* ejus in Dei omnipotentiâ & veracitate poſitum *fundamentum*. Unde non deſunt ex noſtris aliqui, qui *omnem fidem Catholicam* πληροφοριαν eſſe affirmant, etiam ejus, qui dicebat (Marci nono) „ Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ. At de hoc ſaltèm ἐπίλοιπον. *Rom. 4. 20.* *Chamier, ubi priùs.*

Sextò, Quædam, quæ affert *Bellarminus* de perfectione *Evangelicâ*, non *Legali*, intelligenda ſunt ut cum aliqui dicuntur credidiſſe, atque Deum laudâſſe & dilexiſſe *toto corde*. Hoc enim perfectionem *Evangelicam*, *ſinceritatis* & *partium* deſignat, non *legalem* illam *conſummationis* & *graduum*.

Septimò denique quædam quæ adducit de *re quatenus in ſuo genere* eſt loquuntur, quæ ità *perfecta* dici poteſt, ut *modi* ejus perfectionem non comprehendat, in quo *deficiens* eſſe poteſt, quale illud „ Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amico ſuo; quod quidem in ſuo genere ſummum eſt: at non inde ſequitur quod omnes *Martyres*, qui id (Deo adjuvante) fecerunt, nullâ *deficientiâ* (quoad modum efficiendi) vel in ipſo Martyrio laborârunt: hoc ſiquidem ſolius *Chriſti* proprium erat, qui ſolus, (dum in holocauſtum offerebatur) *agnus* omninò *immaculatus* fuit, qui dum *animam ſuam* pro nobis in Sacrificium ἱλαστικὸν poſuit, ſolus & rem omnium in ſuo genere maximam fecit, idque modo per omnia perfectiſſimo.

Atque ita demùm omnes *Bellarmini* probationes in claſſes ità redegimus, atque reſponſiones, vel ſtricturas potiùs, quantum opus erat, appoſuimus.

Unum tantùm reſtat accuratiùs perpendendum, quod in initio probationum ſuarum ponit, ex quo *fidei in hâc vitâ perfectionem* aſtruit, nimirum

„ ſi fides in hâc vitâ non poteſt eſſe perfecta, nunquam omninò põterit eſſe „ perfecta, nam in aliâ vitâ non perficietur, ſed evacuabitur. Quis autem „ credat tam inſignem virtutem nunquam futuram eſſe perfectam? Cui
Pag. 239. ſuccinit *Sebaſtianus Caſtellio* in Tractatu ſuo *de Obedientiâ Deo præſtandâ*, cum dicit „ veterem hominem per fidem necari oportet: fides autem in fu- „ turâ vitâ non videtur habitura locum. Ergo in hâc vitâ fieri id oportet;
Pag. 35. &c. qui idcircò in *libello ſuo de Juſtificatione* faſtuosè ſatis contra eos diſputat, qui in *morte* tandem *peccatum* in ſanctis *penitus extingui* docent: vel ut ille (id quidem ſcoptiçè ſatis) ipſis impingit, neſcio quod *Purgatorium* quod ſuperiores *poſt mortem* collocaverant, iſti *in ſuâ morte*, non quidem *nomine*, ſed *reipsâ* certè commenti ſint (quibus gemella & argumenta & ſcommata
* *Tentam. ad Nov. Tranſlat. Bibl. pag.* 247. 750. habet Dr. Gell.) * Quæ quidem cum ulteriore aliquâ ventilatione digna & ad uberiorem cauſæ, quam jam in manibus habemus elucidationem aliquantùm conferre videantur, ſi placet, ὡς, ἐν παρόδῳ; de utroque hoc pauliſper diſpiciamus.

1. An fides, ſi in hâc *vitâ* non *perficiatur*, *nunquam* perfici poſſit, cum in futurâ evacuabitur: quod dicit *Bellarminus*.

2. An non in *morte extinguantur fidei imperfectiones* & omnium peccatorum reliquiæ: quod negat *Caſtellio*.

Prima Quæſtio. Ad primam Quæſtionem quod attinet

1. Primò rectiſſimè cum Reverendiſſimo *Davenantio* noſtro dicere poſſumus „ Quid ſi nunquam perficeretur? cum fidei (ſaltèm quoad aliquos
Lib. 1. Diſtinct. 21. 4. 4. 5. ejus actus) imperfectio ſi non de *eſſentia* ſit (quod negat Durandus) *concomitans* tamen ſit, quod idem Durandus concedit. Quid, inquam, inde incommodi? Cum enim (ex eorum ſaltem ſententiâ) virtus tantùm *vialis* ſit, quæ Chriſto Sponſori & Redemptori noſtro apprehendendo, & nobis hîc per gratiam ad gloriam præparandis inſervit, ſi huic officio ſufficiat, in ſe licèt non omni defectu careat, quid eſt quod ejus omnimodam exigeremus perfectionem; vel in hâc vitâ, in quâ (Deo adjuvante & acceptante) non obſtante illâ ſuâ infirmitate munere ſuo fungitur, vel in futurâ, ubi (prout illi volunt) evacuabitur? Ad *Chriſti* enim *apprehenſionem* ad juſtificationem quod attinet cum *fides* non *juſtificat*, quatenus in ſe *virtus perfecta eſt*, ſed ut *Chriſtum* (quaſi *in ſe egena*) *recipit*, eique (quaſi *in ſe infirma*) *innititur*, *perfectio* ejus intrinſeca quoad *omnes grandus* non requiritur: *pauperrima* utique & *infirma* manus oblato muneri *recipiendo* ſufficit: & quoad hoc fidelium infirmiſſimorum æquè ac fortiſſimorum (teſte Apoſtolo)
2 *Pet.* 1. 1. πίστις ἰσότιμος eſt. Atque in eo magis elucet Dei gratia, cujus divitias in hoc negotio maximè celebrandas unicè voluit. Et quod ad illam alteram officii ſui partem ſpectat *noſtri* ſcilicet (*cor purificando*, *mundum vincendo*, *tela Satanæ ignea extinguendo*) *per gratiam ad gloriam præparationem*; eam Chriſti vi & efficaciâ perficere poteſt, ipsâ interim aliquatenus *imperfectâ* manente. Ut *Moſes* olim, quamvis ob offenſarum ſuarum reatum nec *ipſe* in Terram promiſſam *intrare* nec *populum tranſmittere* potuit, per deſerti tamen avia eum duxit, & ad ipſos *Canaanis* limites deduxit à *Joshua* introducendum: idem de *fide viatorum* dici poteſt, quæ ipſis *in viâ comes & dux* eſſe, adeòque munus ſuum exequi poteſt, licèt in ſe nunquam hîc per omnia

per-

perfecta fuerit, & in futurâ vitâ (uti illi volunt) omninò *evacuetur*; at *nunquam evacuaretur*, ſi poſſet eſſe *perfecta* juſtitia, ut legales Ceremoniæ nunquam evanuiſſent ſi *accedentes conſummare potuiſſent* Heb. 8. 13: 10. 1, 2.

Sed ſecundò dicimus fidem *perfici* in *patriâ*, quamvis ibi penitùs *evacuaretur* eodem ſcilicet modo, quo Chriſtus *implevit legem Ceremonialem*, cum eam *abolevit*, non quidem *nudâ* ac *ſimplici* abolitione, ſed pro *umbrâ* ipſius *corporis* vel rei ſignificatæ *ſubſtitutione* & exhibitione; vel ut *infantia* perficitur cum per ἀνηλία ſive *ætatem adultam* evacuatur, non utique eam *ſimpliciter deſtruendo*, uti fit per intempeſtivam mortem, ſed *perficiendo*, cum ad *ſtatum perfectiorem* promovetur: adeòque hæc evacuatio perfectio eſt, cum non tam ſit *rei* quàm *modi* mutatio, ad perfectiorem ſcilicet à minùs perfecto. Cum enim *fides* (quoad *eſſentiam* ſuam *generalem*, & radicalem) *cognitio*, *perſuaſio*, vel *inhæſio* ſit, ſecundùm hanc *manet* in *patriâ*, quamvis quoad *particulares* quaſdam eaſque *accidentarias conditiones* huic vitæ & *viatoribus* proprias, quæ *imperfectionem* aliquam denotant, & in ſe habent, omninò *mutetur*, quæ tamen *mutatio perfectio* magis quàm *abolitio* & *evacuatio* cenſenda eſt. 2. *Neque hæc coacta eſt expoſitio, ut Eſtio videtur in* 1 Cor. 13. 8.

Ut illud interim moneam, quod noſtrorum quidam rectè annotavit, quòd hæc perfectio vel imperfectio ad hanc (quam jam agimus) cauſam nil omninò pertinet. Cum enim *inhærentem juſtitiam* à *juſtificationis* noſtræ *cauſâ* vel *materiâ* removemus, ob ejus nimirum *imperfectionem*, non intelligimus *imperfectionem* naturæ *innocuam*, qualis eſt naturæ *fidei* in hoc ſtatu *viatorum* inferiori, comparatè ad *comprehenſorum* fruitionem, ſed *imperfectionem vitioſam* & peccaminoſam ex *defectu* ejus, quod huic viatorum ſtatui adeſſe *potuit* & *debuit*, qualem defectum toti *juſtitiæ* noſtræ *inhærenti*, ipſique *fidei*, adultæ licèt, *ſemper* hîc ineſſe affirmamus & evincimus, atque ea propter *juſtificationem* noſtram ab eâ tanquam *cauſâ* vel *meritoriâ* vel *materiali* vel *formali* non arceſſimus. *Chamier. ubi prius.*

Sed tertiò inquirendum reſtat An fides in patriâ ità *evacuetur*, ut ibi omninò *non maneat*; In 1mâ ad Corinthios, Capite 13. ità legimus „ ſive Prophe„ tiæ, evacuabuntur, ſive linguæ, ceſſabunt, ſive ſcientia, deſtruetur. At non idem (ſaltem ἁπλῶς) de *fide* itidem ibi dixit Apoſtolus. Si dicatur in initio Capitis inter res plures, quibus omnibus charitatem præfert Apoſtolus πάντων τῶν πίστιν etiam numerari, facilis reſponſio, *fidem miraculorum* ibi intelligi, uti ex verbis proximè ſequentibus & Cap. 12. 9. conſtat, conſentientibus *Chryſoſtomo*, *Theophylacto* σαφῶς πῶς ὁ βεβαιῶν πάντα ἀφείλατο τὸ χαρίσματα, ἀσφαλείαν εἰπὼν ἡ πίστιν, ἣ οὐδὲ ἐν λόγοις, ἢ ἐν ἔργοις ἐστὶ τὸ θαύματος. Loquitur enim Apoſtolus de *fide* à *charitate ſeparabili*, qualis *miraculorum fides* eſſe poteſt, at *nequaquam fidem juſtificans* & ſalvifica. Præterea, Capitis illius initium ab ejuſdem medio aut fine ità diſtat, ut licèt in initio de *fide ſalvificâ* verba feciſſet, atque alio reſpectu ei *charitatem prætuliſſet*, non inde ſtatim ſequetur, cum ultrà poſtea progreditur, & *charitatem* ratione *perſeverantiæ* ſuæ donis aliis præfert, quòd *fidem* etiam hoc nomine ei poſtponat, niſi, ut priùs, ejus hîc etiam *diſertam mentionem* feciſſet, quod tamen (ut jam dixi) non feciſſet. 3. *Eraſm. in* 1 *Cor.* 13. *ult. ad finem.*

Si

Si verò objiciatur: at quoad hanc *charitatis* continuationem, eam *prophetiis*, *linguis*, *cognitioni* præponit, cum quibus *fides* in initio Capitis *conjuncta* erat, adeòque hîc quoque quoad hoc etiam cum iis connumeranda ſit; Reſpondeo utique ſi hîc æquè ac illîc *nominatim* poſita eſſet: at verò cum hoc non ſit, & dum *cætera nominat*, *fidem reticuit*, magis ſequi videtur, quod *fides* hâc ratione ab aliorum illorum cenſu quoad hoc ſaltèm *eximenda* ſit.

Si ultrà dicatur, quod ab *Eſtio* fit, Apoſtolum v. 10. affirmare „quod „ cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. At *fides* ex iis eſt, quæ *ex parte* ſunt, æquè enim *ex parte credimus*, ac ex *parte cognoſcimus* & *prophetamus*, ut dicitur v. 9;

Reſpondeo

Hic non ſolùm ex *parte prophetamus* & *credimus*, ſed etiam ex *parte* i. e. *imperfectè* (quoad) hîc ſumus *diligimus*. At licèt *dilectionis* & *charitatis imperfectio* in vitâ futurâ penitùs *abolebitur*, *ipſa* tamen ſemper *manebit*. Et *cognoſcimus* ex *parte*, at *cognitio* manet in cœlo ſecundùm illud *Hieronymi*: „ Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cœlo. Nihil ergo ex hoc fit, quin idem de *Fide* etiam dici poſſit.

Epiſt. ad Paulin.

Lib. 3. diſtinct. Præſertim cum (quod ſæpè inculcat *Durandus*) eodem modo ibi loquatur Apoſtolus de *fide*, quo de *cognitione* & *ſcientia* ibi ſemper duraturâ.

Imò cum *prophetiam* & *cognitionem*, tandem *evacuandas* eſſe dixerat, nuſquam tale quid de *fide* κατὰ λέξιν pronunciat.

Imò unà cum *ſpe* & *charitate* eam *manere* verſu ultimo aſſerit. Agnoſco quidem Interpretes plurimos hoc *Manere* de in *hac vita* permanentiâ exponere. Sic *Calvinus* „ *Manere* ſignificat omnibus ſubductis, tanquam „ in calculo ſupputatorio, ſummam hanc reſtare: neque enim manet à mor„ te fides, quam Apoſtolus alibi aſpectui opponit, & tantùm ad id uſque „ temporis durare tradit, quo peregrinamur à Domino. Sic etiam *Beza*; „ Puto νῦν & τότε opponi i. e. præſentis vitæ conditionem futuræ, ac ſi di„ ceret, Ea igitur *tum* erit noſtra conditio; ut verò *nunc* ſumus, tria nobis „ adſunt & neceſſariò manent, ſi modò Chriſti ſimus. Utitur tamen „ *Manendi* vocabulo, ut hæc dona ab aliis diſtinguat, quæ cum reli„ gione neceſſariò non cohærent, &c. Quibus gemella habet *Eſtius* in locum.

Sic & Photius. At verò *Grotius* aliter „ νῦν hîc non eſt temporis, ſed oppoſitionis. Manebunt enim in altero ævo. At quomodò? Cui reſpondet quidem non *in ſe*, ſed *quoad effecta*, nempe eo modo quo *rupes Iraëlitas ſequebatur effectu* ſuo, & ut *mortuos ſequuntur opera*, nimirum quatenus *præmium* habent. *Adhuc* igitur *ſub Judice lis eſt*.

Hilarius item de Concil. Ariminenſi. Whitakerus in Controverſiâ qu. 6. p. 389. *Irenæus* quidem Lib. 2. Cap. 47. *fidei* & *ſpei* æquè ac *charitati* in futuro ſæculo locum concedit, ob quod Annotatori ſuo *Gallaſio* vapulat: & *Tertullianus* Lib. de Patientiâ Capite 12. cum exhauriuntur linguæ, ſcientiæ, prophetiæ, permanere tamen dicit fidem ſpem & dilectionem. At contrà alii plurimi.

Et quidem ſi accuratiùs attendamus Apoſtolo, *aliquam* ſaltèm fidei *evacuationem*

tionem in altero ſæculo futuram creditu neceſſarium eſt. Nam ubi *ſpem fidem & charitatem manere* dicit, *quoad hoc* etiam *majorem* charitatem eſſe dicit. Et quamvis in præcedentibus *fidei* mentionem nominatim non faciat, eam tamen tanquam *ſpecularem & ænigmaticam* viſionem in hâc vitâ opponit ei, quæ facie ad *faciem* in alterâ futurâ eſt v. 12. prout 2 Cor. 5. 7. *ambulare* διὰ πίστεως, & διὰ εἴδους quaſi αὐτόπτως ponit, prout Heb. 11. 1. *fidem* τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασιν καὶ πραγμάτων ἔλεγχον οὐ βλεπομένων definit, quæ duo *futuritionem & minorem evidentiam* denotant. At quomodo *futura* vel *ſperanda* quæ tùm *præſtò* erunt? Et quænam οὐ βλεπόμενα reſtabunt in *Beatificâ* illâ *viſione*? Hinc eſt quòd *Lombardus* Lib. 3. Diſtinct. 31. *fidem & ſpem* penitùs evacuandas concludat. Sed [a] *Aquinas*, & *Durandus*, [b] & alii *aliquid fidei* in gloriâ *manere* concedunt, quorum ille dicit *ſpem* quidem totaliter *evacuari*, quia *comparatur ad beatitudinis fruitionem ſicut motus ad quietem in termino*, at *fidem* manere *eandem* in *genere* quoad *cognitionem*, non *ſpecie & numero*. Hic quoad *habitum*, non quoad *actum*.

Hâc in causâ Hieronymus Pragenſis in Concilio Conſtantienſi palinodiam cecinit. Foxus Martyrol. Tom. 1. pag. 834.

[a] 12 *q.* 67. *art.* 5.
[b] *Lib.* 3. *diſtinct.* 31. *qu.* 3. 4.

Priore ſenſu fidem manere *veriſſimè dictum eſſe* affirmat *Aquinas*. Sic *poſſe* manere & quoad habitum & quoad actum *minimè hæreticum* eſſe ex eo probat *Durandus*, quia *nulli S. Scripturæ teſtimonio contrarium* eſt, imò ne *falſum* quidem eſſe, quia quoad evacuationem Scriptura „ idem dicit „ de ſcientiâ & de fide cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod „ ex parte; ſed ſecundùm omnes Doctores ſcientia non evacuabitur quoad „ actum, ſed ſolùm quoad modum imperfectionis. *Corn. à Lapide* & quoad *actum* & quoad *habitum* evacuari vult, quia iſte habitus fruſtrà eſſet ſi nunquam reduceretur in actum, cui objectioni reſpondet *Durandus* ubi ſuprà.

In 1 *Cor.* 13 8.

Hoc ergo ſolum eſt quod contendunt, fidem *ſpecie & numero eandem* cum eâ quæ hîc *viatorum* eſt non manere in *comprehenſoribus*, neque ejus *actus* ibi *actu exeri*, quod ex variis principiis alii atque alii confirmare nituntur.

Aquinas ex eo præcipuè quia *imperfectio cognitionis* eſt de *ratione fidei* cum ex eâ definiatur „ ſubſtantia ſperandarum rerum, & argumentum non apparentium; At *perfectio* eſt de *ratione viſionis Beatificæ*; quæ verò ità opponuntur, non magis in eodem convenire poſſunt, quam *unum* & *idem numero manens* transferri poteſt ab *unâ ſpecie* ad *aliam*.

Ubi priùs Art. 3.

Durandus autem ſic arguit, ſi de facto actus & viſionis in beatis ſimul conſiſterent tum vel ut actus *diſtincti*, vel ut *unus*; non ut *diſtincti*, quia beati *clarè vident* in *patriâ* id quod *credunt viatores*. Jam *fides authoritate Scripturæ* nititur, cui *credit*, licèt non *evidens* ſit eam à *Deo inſpiratam* fuiſſe; at hoc ipſum ex *viſione* tanquam *per ſe notum cognoſcunt*, *beati*, ergo non propriè *credunt*, quod *fidei* eſt. Ergo non manent ut actus diſtincti.

Neque in *unum & eundem actum* concurrunt, quia non *idem medium* fidei & viſionis; *medium* enim *fidei* eſt *authoritas Scripturæ*, *inevidens*. At *beatis* clarâ viſione patet *Scripturas* eſſe θεοπνεύστους, vel ſi tale medium viſionis ibi daretur, cum viſio illa ſit *actus* præcisè *ſupernaturalis* & quoad *cauſam* & quoad *eſſentiam* ſuam, ideò totaliter & præcisè eſt ab *eſſentiâ Divinâ effe-*

ctivè & objectivè, nullo alio concurrente. Et ſic actus fidei ibi evacuatur non ſolùm quoad ejus imperfectionem, ſed quantum etiam ad eſſentiam actûs.

At quod ad *Aquinatis* argumentum ſpectat, quamvis *Eſtium* & plures alios (in eo quod dicit imperfectionem eſſe de ratione fidei) συμψηφος habeat, at *Durandum* adverſarium. Imperfectio enim vel denotat *defectum* & *privationem perfectionis debitæ ineſſe*, vel tantùm *gradum minoris perfectionis.*

In 1 Cor. 13. 10. In priori verò ſenſu *privatio* & defectus, licèt conditio *concomitans* eſſe poteſt, nunquam tamen de *formali ratione* alicujus *actûs poſitivi*, qualis eſt actus fidei. Si verò in ſecundo ſenſu Imperfectio ponatur pro *minore gradu perfectionis*, tum quidem erit de *ratione actûs* cui ineſt; & ſic quidem fides imperfectior eſt viſione, at non indè à cœlo neceſſariò exulabit. Quamvis enim omnia ibi ſumma ſint in ſuo genere, non inde tamen ſequetur omnia ibi futura *æqualia*, vel in *variis ſubjectis*, cum aliorum præ aliis majores ſint gloriæ gradus, vel ità in *eodem ſubjecto*, quin quoad *varios reſpectus* ejuſdem hominis major vel minor gloria eſſe poſſit, ut major *animæ* quàm *corporis*, & quidni major *viſionis* quàm *fidei*? Nam concederetur licèt viſio Dei una omnibus, at hoc nil impedit quò minùs, ut beati res omnes cognoſcunt in ipſo Deo per viſionem, & tamen in earum cauſis per proprii nominis ſcientiam: ſic etiam ipſum Deum ibi ſimul cognoſcant per *viſionem immediatam* & per *creaturarum ſpeculum.* In ipſis enim ibi magis quàm hîc elucebit ipſius Deitas, & quidni etiam per fidem quatenus eſt *acquieſcientia* in *authoritate Divini Teſtimonii.*

Ad id verò quo probat *Aquinas* imperfectionem eſſe de ratione fidei, quia ex eâ definitur „ ſubſtantia ſperandarum rerum & argumentum non apparentium;

Reſpondeo,

1. Quamvis hanc fidei *definitionem* vocant *Hieronymus*, *Theodoretus*, & *Theophylactus*, per definitionem tantùm *deſcriptionem* intelligunt juxta non noſtrorum ſolùm, ſed & *Eraſmi*, *Eſtii* & aliorum ſententiam.

2. Ut tantùm deſcriptio eſt fidei, ſic etiam tantùm quantùm *viatoribus dux* eſt, ut totum Caput ſequens oſtendit, ut & illud quod *rerum ſperandarum* ὑπόστασις in illâ ipsâ deſcriptione dicitur.

In Heb. 11. 1 *v.* 3. 3. In eo verò quod *argumentum non apparentium* vocatur, ipſo *Eſtio* judice, non ſentit Apoſtolus id omne quod creditur eſſe non-apparens; nam ibidem Apoſtolus dicit nos *per fidem* intelligere *mundum à Deo factum*, quod tamen per demonſtrationem apparet. Sed duplici aliâ de cauſâ, 1. quia non-apparentia ſint *magis propriè* objectum fidei, cum enim *evidentia* ſint objectum *ſcientiæ* & *viſionis*, *fides* ut *evidentia*, ſic ob Dei Teſtimonium etiam *non-apparentia* credit. 2. Ut inde magis eluceat fidei *virtus* & *commendatio*, quòd cum vel abeſt viſio & ſcientia, *Deo* tamen *teſtanti credit* de *non-apparentibus.*

4. Quicquid *Thomas* dicit de *incompoſſibilitate viſionis* & *Fidei* ſecundùm *idem ſubjectum* & *objectum*, nil tamen probat quin idem *ſubjectum* de eodem *objecto* per *varia media* poſſet habere *varios actus* & cognoſcendi rationes: nam ipſe concedit *eandem Concluſionem* ſequi ex medio tum *demonſtra-*

tivo

tivo tum *topico*: ac proinde *idem beatus* rem *eandem* cognoſcere poteſt & per *viſionem* ex clarâ objecti præſentiâ, & per *ſcientiam* ex clarâ *cauſæ* notitiâ & ſimul etiam per *fidem* certo *Dei* dicentis teſtimonio & authoritate. Nec enim viſio ità omnia abſorbet ut beatus Deo quâ dicenti & teſtanti non credat, quod *fidei* eſt, ut neque omnem hîc ex *cauſarum* cognitione hâc in vitâ acquiſitam *notitiam* prorsùs extinguat, quam in futurâ permanſuram concedunt, imò affirmant Scholaſtici. Qui enim *demonſtrativè* concludit, non inde ſtatim *obliviſcitur medium dialecticum*, nec qui rem ex *viſione* cognoſcit, continuò oblivioni dat ſibi certam factam ex *teſtimonio* perſuaſionem. *Major* utique lux *minori* prælucet; eam tamen licèt *obfuſcare* videatur, non penitùs *extinguit*. *Durandus ubi priùs. q. 3.*

5. Denique cum dicit *viſionem* & *fidem* ità opponi, ut non magis in eodem convenire poſſint, quàm *unum & idem numero manens* transferri poſſit ab *una ſpe* in *aliam*, in eo peccat, quia multùm abeſt ut dicamus actum *viſionis* & *fidei* eſſe vel *unum numero*, vel etiam eſſe *ſpecies oppoſitas*. Ut verò conveniunt in communi *genere* & ſubſtantiâ *cognitionis*, ità *ſimul manere* poſſe tantùm abeſt ut ipſe diffiteatur Aquinas, ut pro *veriſſimo* habeat. *Ubi priùs Art. 5.*

Quod ad *Durandi* argumentum attinet, ſcilicet ſi actus *viſionis* & *fidei* in patriâ ſimul eſſent, tum vel ut *unus actus*, vel ut *diſtincti*: nos *unum* actum eſſe non dicimus, cujus improbatio, quam affert, nos minimè lædit: *diſtinctos* eſſe aſſerimus, quorum *ſimultatem* ſaltem quoad *poſſibilitatem* ipſe aſſerit: cum verò ſimultatem actualem inde improbat, quia *medium cognitionis fidei* in cœlo locum non habet, medium enim hoc eſſe ponit *notitiam inevidentem authoritatis Scripturæ ut à Deo inſpiratæ*, quia Beatis Scripturæ προνόησις per ſe viſione illâ nota ſit, hæc breviter repono.

1. Ea ipſa argumenta, quæ *Durandus* adducit ad improbandum *actualem ſimultatem* actuum *fidei*, cum *viſione* æquè infirmare (quam tamen ipſe fusè probat) etiam *habitûs* & *actûs compoſſibilitatem*, ut, ſi per tempus liceret, oſtendi poſſet.

2. Priùs oſtendimus, nec ſine *Durandi* veniâ, *Imperfectum* non eſſe de formali ratione objecti fidei, ſed tantum *minùs perfectum*, quod etiam de *inevidente* & *minùs evidente* dici poteſt: adeòque non ideò de *cœlo* deturbabitur *fides* aliquo in ſenſu, quamvis *minor ejus* quàm *viſionis* fuerit *evidentia*.

3. Sit ergo *Scripturarum* προνόησις Beatis ex viſione per ſe *nota*: hæc tamen non eſt ſolum medium, quo fides operatur & credit, ſed *quicquid quocunque modo Deus dixerit*, ſive minùs in ſe evidens, vel etiam evidentiſſimum fuerit, ideòque ſi beatus aliquid credit, vel eò quod id meminit in Scripturâ dictum, vel aliter ſive hâc in vitâ ſive in futurâ revelatum, licèt evidentiſſimum fuerit, hæc *affirmanti Deo credentia* (in *patria* ut fuerit) *fidei* propriè dictæ actus erit.

Quam non penitùs tolli viſione cœleſti ſuaderi poſſe videtur.

1. Ex eo quod *Paulus* in raptu (cujus meminit 2 Cor. 12.) *viſionem* Dei (qualem *beati* cœli incolæ poſſident) ad tempus habuit; at interea temporis illius *fidem*, ſaltem quoad *habitum non amiſit*, ut non penitus exutus corpore.

2. *Fides teſtimonio* de *re corporaliter viſibili* non tollitur *exhibitione* & *præſentiâ rei* de quâ teſtimonium perhibetur, vel ex ſcientificâ illius per cauſas notitiâ, ſed magis *firmatur*: Prophetarum prædictionibus magis fidem habemus, cum prædicta jam facta coràm videmus; neque diſcipuli Matth. 14. minùs fidem habuerunt Chriſto dicenti *Ego ſum*, cum eum poſteà eundem eſſe *clara viſione perceperunt*, viſio ergo cum *firmat teſtimonium*, non *tollit* rei *teſtatæ fidem*.

Præterea, quia fides quoad eſſentiam fuit in *ſtatu integritatis*. Ergo futura eſt in *ſtatu gloriæ*.

Sancti & Angeli in cælo in Deum credunt, quamvis non quomodocunque conſideratum, ſed *quem vident ſicuti eſt*. Non ergo manet fides quoad nomenclaturam hanc ſecundùm quam reſpicit ea, *quæ non videntur*, & quæ *ſperantur*: at quoad *eſſentiam* tamen manet, quemadmodum *charitas* quæ in hâc vitâ *miſericordia* vocatur quòd circa *miſeros* verſetur, quoad *hunc reſpectum* deſinit in *patriâ* in quâ *nulli* erunt *miſeri*: at quoad *eſſentiam* ibi *manet*.

Vide Maccovii Loc. Com. pag. 780. 781.

Ut breviter concludam omnia. Quid demùm de iſtâ *fidei* in cælo perduratione ſemel ſtatuendum, cum ab utrâque parte ſtant argumenta & teſtimonia? Hoc ſcilicet

1. Quoad *habitum* manere. Hoc concedunt plures.

2. Quoad ipſam *poſſibilitatem actûs*. Hoc aſtruit *Durandus*.

3. Quoad *actuale actuum exercitium*. Duo dicenda ſunt,

1. *Non manere* quoad *minorem gradum perfectionis* illius quæ adeſſe vel *debet* in *hâc vitâ*, vel *poſſet* in *futurâ*. „ Cum enim advenerit quod per„fectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt, dicente Apoſtolo 1 Cor. 13. 10. Licèt ergo actus ejus maneant quoad *ſubſtantiam*, deſinunt tamen 1ò. quoad rei *creditæ obſcuritatem* vel *minorem evidentiam* & cognitionem ænigmaticam quatenus eſt ἔλεγχος τ πραγμάτων ἀ βλεπομένων: „ tum enim vi„debimus facie ad faciem, hoc eſt clariſſimè, & cognoſcemus ſicut cogniti „ſumus, id eſt, perfectiſſimè. 2dò. Etiam deſinunt quoad rerum creditarum nondum adeptarum *futuritionem*, quatenus eſt ὑπόστασις τ ἐλπιζομένων, quæ ibi præſtò erunt omnia. „ At quod videt quis cur ſperat? Rom. 8. 24. Atque hoc ſenſu cum *Durando* dico *tolli fidei actus*, quia tollitur eorundem *imperfectio*, & quoad hoc etiam *neceſſitas*.

Fides ceſſabit quoad modum ejus accidentalem ſed quoad eſſentiam ejus quâ conjungit nos Deo in Chriſto manet in æternùm: ſi enim ceſſaret quoad eſſentiam, ſequeretur inde unionem noſtram cum Chriſto eandem quæ nunc eſt non manſuram, quod eſt abſurdum.

2. At contrà nil opus eſt ut tollantur ii actus qui *nil in ſe imperfectionis* denotant, adeòque vel *Comprehenſorum* ſtatui ritè competere poſſunt, quales hi ſunt.

1. *Firma rerum revelatarum cognitio*. Quo in ſenſu *C. à Lapide* (in 1 Cor. 13. 13) *Tertullianum* & *Irenæum* interpretandos eſſe vult cum *fidem* in vitâ futurâ *manere* innuunt, & *Aquinas* reverâ ità manere *pro veriſſimo* habet.

2. *Firma* etiam *rerum à Deo teſtatarum credentia*, non ob earum in ſe *evidentiam*, ſed *Dei* teſtantis *authoritatem*. Non enim minus valet apud *Beatos* quàm apud *viatores Dei teſtimonium*.

3. *Firma* etiam *Chriſto adhæſio* ut Capiti & Authori ſalutis licet jam adeptæ.

Ameſii concio in Johan. 17. pag. 325. 326. Duo includit fides, certitudinem infallibilem, & obſcuritatem; hæc perit, illa in cælo manet. Cerdæ Annot. in Cap. 12. Tertulliani de Patientiâ.

tæ. Cum enim *juſtitia* ejus *ſempiterna* ſit Dan. 9. 24, eam in æternum ei grati acceptam ferent. Cum *lætitia æterna ſuper caput eorum* fuerit, *Redempti Jehovæ* adhuc & in æternum audient Iſaiæ. 35. 10.

4. *Firma* item *de amre Dei perſuaſio*, quæ hîc nititur Dei *promiſſione* vel *implenda* vel *ex parte impleta*: at ibi nititur ſenſu promiſſionis *perfectè adimpletæ*.

5. Firma denique *fiducia* & *confidentia* de *gloriâ illâ*, *quâ fruuntur* per *Chriſtum in æternum continuandâ*. Hîc enim fidei *luĉta* eſt, ibi perfecta *victoria*, & *triumphus* perpetuus.

Aliæ ſiquidem & aliæ fidei operationes ſunt pro variis fidelium ætatibus, ſtatibus, & credendi opportunitatibus. Eadem quoad rei eſſentiam fides fuit *Judæorum* parvulorum quâ in infantili illâ ætate *Meſſiam futurum* credebant, & *Chriſtianorum* ſub *Evangelio adultorum*, quâ Chriſtum poſtquam *advenerit* amplexantur. Nec ſpecificè differt fides hîc in *ſemente* & *primitiis* à ſeipsâ in *plenâ meſſe*. In infantiâ hâc Chriſtum gradatim primò intuetur, anhelat, apprehendit, in eum recumbit, & tandem certa & ſecura facta pace fruitur, in eo gaudet, gloriatur, exultat: quorum *infirmiora* quædam *viatoribus* tantùm conveniunt: at *majora* & *lætiora* illa ne vel *beatos* dedecent; adeòque in cælo æterna manebunt:

„ Speramus quidem futurum ut eo ſemper fruamur, ſed eam certitu-
„ dinem firmiorem & evidentiorem reddit lumen gloriæ, quàm ut eam
„ fidei ſpeive, quæ laborant infirmitatibus variis, nomine nuncupemus.
Jac. Cappell. Obſervat. in Rom. 8. 24.

Saltem poſt mortem in cælo manet uſque ad ultimum judicium, de quâ re vide L. de Dieu in Heb. 11. 4. p. 320. 321.

Atque hæc de primo quæſito, An fides in patriâ aliquouſque maneat, vel ibi omninò evaçuetur contra *Bellarminum*. Secundum jam adeamus.

Secunda Quæſtio.

An in morte primùm omninò tollantur inhærentis peccati reliquiæ.

De quâ triplex eſt variorum Theologorum ſententia.

Prima eorum qui non in *ipsâ morte* ſed aliquantùm *poſtea* hanc plenariam fieri putant inhærentis peccati abolitionem.

Secunda eorum qui *ante mortem* in quibuſdam, dum hîc *in vivis* agunt, eam perfici exiſtimant.

Tertia denique, eorum qui tenent neque *ante* neque *poſt mortem*, ſed in *ipſo mortis articulo* unà cum *animâ à corpore* ſeparatione *peccati* ſimul ab ipsâ *animâ to toque homine* ſi modò verè *fidelis* fuerit æternum fieri divortium.

Primam tenent ex noſtris aliqui pii doctique, putant enim non in ipsa morte, imò non antequam corpus mortuum *in cineres redigatur*, plenariam fieri hanc peccati eradicationem, eo præcipuè adducti, quòd *Lazarus* & alii aliqui verè licet mortui, ad vitam tamen denuò reſtituti non peccatum penitùs exuiſſe credendi ſunt, cum poſt vitam illam ſecundò ipſis conceſſam morti adhuc obnoxii erant, atque ideò peccato etiam.

Burgeſſ. Vindic. legis pag. 118.

Huic ſententiæ refutandæ non diu immorabimur: Liceat tamen pauciſſimis tum ipſam *ſententiam*, tum ejus *probationem* perſtringere.

Et primò quod ad *ſententiam* ipſam attinet, duo dico, eam primò *miram* eſſe, ſecundò *falſam.*

1. *Miram.* Tum quòd (ut opinor) nova ſit, tum quòd mirari quis poterit quòd in *ipsâ cinerefactione* (non ante, vel pòſt) hanc peccati abolitionem ſtatuant. At quid peculiare in ſe habet hæc *cinerefactio* ut quod peccatum aboleat? An hoc, quia tamdiu non *abolita manet* imago *veteris hominis* vid. *peccatum*, quamdiu *integra manet forma corporis mortui*, quæ ambæ in cinerefactione ſimul abolentur? Nugæ! non hoc dixerint docti illi viri, qui hanc tuentur ſententiam; nam quamvis hanc cinerefactionem reſuſcitatio *Lazari* (de qua loquuntur) & quorundam aliorum præoccupavit: reſurrectio tamen eorum qui ad mortem vel reſurrectionem Chriſti revixerunt Matth. 27. 52, 53. eam longè forſan ſecuta eſt. Imò hoc certum eſt, ſi eorum ſententia obtineat, qui eos *Adamum*, *Evam*, *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Davidem* eſſe volunt, vel etiam eorum qui illos fuiſſe putant qui *Chriſtum* in *carne viderant*, ut *Zacharias*, *Simeon*, *Johannes Baptiſta*, ut eſt apud *Lucam Brugenſem*, qui jam die ante mortem Chriſti *in cineres redacti* ſunt: At hi omnes revixerunt, & aliquandiu in vivis degebant, & quamvis eos *immortales ſuſcitatos* fuiſſe & unà cum Chriſto in aſcenſione ſua *in cœlum ablatos* fuiſſe ſentiat Author Quæſtionum ad Orthodoxos quæſt. 85. cum quo *Maldonatus* conſentit, & ipſe etiam *Calvinus*, tamen ex Græcis Patribus *Theophylactus* & *Euthymius* eos mortuos poſtea fuiſſe credunt, ex Latinis *Auguſtinus* Epiſt. 99. librique 3^tii^ de mirabilibus Scripturæ Cap. 13. ex *Pontificiis Aquinas* parte 3. q. 53. art. 3. Quòd etiam cum eorum ſententiâ de juſtis veteris Legis non ſine Apoſtolis juſtiſque Novæ Legis ultimâ reſurrectione conſummandis convenit. Atque ipſe *Calvinus*, quamvis priori ſententiæ magis faveat, nil tamen abſurdi eſſe fatetur ſi dicamus eos hoc officio defunctos iterùm quieviſſe in ſepulchris. Quòd ſi verum ſit, in eos impingeret hoc argumentum, nam longè poſt *cinerefactionem* in qua *deletas* eſſe *peccati reliquias* dicit hæc ſententia, *revixerunt* & *denuò mortui* ſunt, adeòque non à *peccato* utpote non ab *effectu* ejus, *morte* ſcilicet, omninò liberi. Unde ſententiam hanc non ſolùm *miram* eſſe dicere poſſumus, ſed ſecundò

2. Falſam etiam: nam ſi peccatum mortuo nondum in cineres redacto inhæreat, tum vel *corpori* ab anima *ſeparato*, vel *animâ* jam *ſeparatâ* à corpore: at neutri;

Non *corpori* ab anima ſeparato, cum enim ratione, ſenſu, *vitâ* omni careat, *peccati* ſubjectum omninò eſſe nequit.

Non *animæ* ſeparatæ à corpore (de juſtorum animabus loquimur) Niſi enim cum *Pontificiis* poſt hanc vitam *Purgatorium* aliquod, vel *ſtatum* aliquem *medium* ſomniemus, juxta noſtrorum, imò ipſius S. Scripturæ ſententiam animas juſtorum ſtatim à morte, multùm ſanè ante corporis *cinerefactionem* in cælum intromitti concedere neceſſe eſt. At nil illuc peccato *inquinatum* intrat. Ergo ante *cinerefactionem* à peccato integræ & omnino immunes ſunt. Atque hæc de ipsâ ſententiâ dicta ſunto.

Argum. Ad probationem quod attinet ab exemplo *Lazari* à morte ſuſcitati, nimirùm eum licèt mortuum ſed ante cinerefactionem excitatum peccatum non

non penitùs exuiſſe, quoniam adhuc morti obnoxius erat, quòd tamen non potuit, ſi in morte illâ ſuâ primâ imago Dei perfectè conſummata fuiſſet, quæ unà cum *peccato mortem* etiam ejus *mercedem* ſimul & in perpetuum abolitura fuiſſet.

Reſpondeo, *Sol.*

1. Malè ſumi argumentum ab exemplo *extraordinario* ad efformandam vel *conformandam regulam* omnibus *de communi* applicandam; qualis illa *Lazari mors* erat, qualis etiam *animæ* ejus *ſtatus* in illo mortis quatriduo fuit nobis parùm conſtat: de eo quidvis certò affirmare *temerarium* eſſet, ut & illud, quicquid erat, in communem reliquorum mortuorum ſtatum trahere.

2. *Non ſequitur* argumentum, ſi imago Dei in *Lazaro* morte ſuâ aliquâ ex parte non perfecta erat quoad *mortem*, quin poſteà ſecundò mortuus eſt, non (inquam) inde ſequitur, non perfectam eſſe ex alia parte, ſcilicet *quoad peccatum*, quin à peccato ejuſque inexiſtentia, licèt poſtea moreretur, emninò liberari potuiſſet. Non quòd dixerim *Lazarum* jam à morte ſuſcitatum ab omni peccato, in toto quod poſtea vixit liberum fuiſſe. Nil de hoc S. Scriptura dicit, nil hîc à nobis temerè affirmandum eſt. Id ſolùm volo, conſequentiam infirmam eſſe, ſi imago Dei in mortuo non perficitur quoad *dominium mortis*, non etiam perfici quoad *inhærentiam peccati*; nam quicquid de *Lazaro* fuit, certum tamen eſt *juſtos omnes ſtatim à morte*, vel ſaltèm juxta hujus ſententiæ Patronos quam primùm in *cineres redacti* ſunt ab *omnibus peccati reliquiis* liberatos eſſe; at nondum tamen, imò non niſi in *die noviſſimo à mortis dominio* liberabuntur. Quamvis itaque „ mors „ per peccatum primò in mundum introiit Rom. 5. 12. non tamen ſimul cum peccato exit; *ſublatâ* quidem *causâ tollitur effectum*, ſed ſuo *tempore*, & *ordine*, ità ordinante Deo, ſapientiſſimo, ut „ ultimus hoſtis abolendus „ mors ſit 1 Cor. 15. 26.

Secunda *Pontificiorum* & *Caſtellionis* opinio de *perfectione juſtitiæ in hâc vitâ*, adeòque de plenariâ peccati hîc evacuatione, in *aliquibus* ſaltem (nam in plurimis poſt hanc vitam in Purgatorio peccati reliquias expurgandas volunt) ut in *Jeremia*, *Johanne Baptiſta*, Beata Virgine nullis unquam peccati ſordibus juxta *Pontificios* attaminatis, ut & in aliis perfectioribus ſuis, in *Bonaventurâ* puta, *in quibus Adam* (uti volunt) *nunquam peccâſſe viſus* eſt, utpote à peccati fæcibus, ſi nunquam adhæſerant, integrè purgatis; ſecunda inquam iſta horum opinio ad controverſiam de qua egimus (de juſtificatione ſcilicet vel ex *imputatâ* vel *inhærente* juſtitiâ) magis ſpectat: Atqui neque hanc hoc in loco perſequi jam animus eſt.

Tertia ſola eſt, de qua hodiè agendum eſt, ſcilicet *verè fideles* in *ipſo mortis articulo*, ſive animarum à corporibus ſeparatione totalem, *peccati* à toto homine *ſeparationem* atque *abolitionem* tum primùm & in ſolidum aſſequi. Huic tota Theologorum Saniorum cohors militat, qui mortem ἀ ἁμαρτίας ἐγκοπὴν vocant. „ Quid eſt mors niſi peccatorum ſepultura? ſic *Ambroſius* in

Non ſolùm fidelibus non inutilis eſt mors, verùm etiam utilis Cyprianus propagine renaſcentium

reperitur, quoniam peccandi periculis hominem ſubtrahit, & in non peccandi ſecuritatem conſtituit apud Auguſtinum de prædeſtin. Sanctorum. l. 1. cap. 14. ità cum ex hominis primi perpetuatâ procul dubiò ſit mors pœna naſcentis, tamen ſi pro pietate juſtitiàque perpendatur, ſit gloria

in Rom. 6. Qui enim moritur jam non peccat, mors enim finis peccati eſt. „ Gratia finalis delet maculas omnium peccatorum in omnibus ſalvandis. Sic *Albertus Magnus* Compend. 3. 13. Nondum contingit peccatum funditùs ac radicitùs exſcindi. Quomodo enim id fieri poſſit, antequam homo morti objiciatur? Hæc *Methodius* apud *Epiphanium.* (Hæreſ. 64.)

„ Quod pulchrâ illâ ſimilitudine illuſtrat, Quemadmodum ubi in ædifi-
„ ciis pulchrorum templorum ficus aut alia quælibet arbor enaſcitur, atque
„ per lapidum juncturas radices ſuas diffundit, non priùs eradicari poteſt
„ quàm diſſolutis lapidibus ædificium de novo extruatur: ſic peccatum, quod
„ inſtar ſilveſtris ficûs in homine Dei templo germinavit, non priùs extir-
„ patur, quàm mortis ictu templum hoc diſſolutum fuerit; tum verò per-
„ fectè & funditùs aboletur. Cui gemellum illud *Auguſtini* contra Julianum
„ l. 6. c. 6. Omnium malorum, quibus poſtea moriendo vel proficiendo fuerunt
„ exuendi. Sed clariùs adhuc *Gregorius Nyſſenus* συνυφίστη τρόπον τινὰ τοῖς γινομένοις ἡ ἁμαρτία, συναπολικμένη τε καὶ συναύξουσα, καὶ τῷ τέλει τῆς ζωῆς ὅρῳ συγκαταλήγουσα· (de Beatitud. Orat. 6. pag. 817.) „ unà cum naſcentibus peccatum extitit,
„ ſimul & naſcens & augeſcens, & cum termino vitæ unà deſinens. Atque
æquè clarè *Gregorius Nazianzenus* περιδεὴς μέν τοι καὶ ταύτῃ τὸ θνητὸν καὶ ἀλγεινὸν τῆς ἁμαρτίας, ἵνα μὴ ἀθάνατον ᾖ τὸ κακὸν, καὶ γένῃ φιλανθρωπίας ἡ τιμωρία
„ atque hic quoque mortem ac peccati præciſionem lucratur, ne malum im-
„ mortale eſſet, ità ipſa pœna in miſericordiam ceſſit. Quod à priore *Irenæo* ſumpſiſſe videtur *Nazianzenus.* Talia enim habet *Irenæus* Lib. 3. Cap. 37. Deus non ex invidiâ, ſed miſeratione à ligno vitæ Adamum excluſit, ne malum ejus „ eſſet immortale, ſed mortem interpoſuit ut ceſſare faceret pecca-
„ tum, finem inferendo ei per carnis reſolutionem. Et *Juſtinus Martyr*
„ Cohort. 2. ad Græcos ἐπιθυμίας ἀπαλλαθείσης ἔνδον ἡ ψυχὴ καὶ χαλλιωῶσα γένῃ· ἀπαλλαθεῖσα δὲ τοῦ ἐπὶ τὸ τρύχιλον αὐτῆς κακῶν ἀπειρεσίων ἀπέρχῃ πρὸς τὸ ποιήσαντα αὐτόν.

Julian. Archiep. Toletani ἀντιγνωστικῶν *lib. 1. cap. 7. Bibliothec. Patrum Tom. 9. pag. 1344.*

Orat. 38. pag. 619.

Baſilius etiam Serm. 9. quod Deus non eſt author malorum ſic Judæi ex illo Iſa. 22. 14. colligunt peccata per mortem expiari. vide L. de Dieu in Locum.

Sed teſtimoniorum ſatis *humanorum*, licèt Eccleſiaſticorum, & Patrum omni fide digniſſimorum.

Ad *Divina* tandem (ſi placet) accedamus, atque ex iis deducta argumenta.

Levit. 11. 24, 25, 27, 31, 32, 39, 40.

Hoc veteri lege adumbratum, ubi ſæpè legimus plures legali aliquâ pollutione contaminatos, *immundos* fuiſſe uſque ad *veſperam*: „ mortis ſcilicet
„ umbram, quâ intermittitur operatio, noſque peccato liberamur, ut anno-
„ tavit non nemo in Levit. 11. 24.

vide Annotata in V. T. incerti Authoris Cantabrig. 1653

Sed umbras mittamus; clariùs hoc elucet Novi Teſtamenti radiis. „ Qui
„ mortuus eſt, liberatus eſt à peccato Rom. 6. 7. Quamvis enim mors hæc ex ſenſu loci genuino de *morte ſpirituali*, ſive peccati mortificatione intelligenda ſit, ut ex verſu 2. & ſerie argumentationis Apoſtolicæ conſtat, ex Interpretum tamen conſenſu hîc alludit Apoſtolus ad id quod in *morte corporali* accidit, quod per ὑπόνοιαν aptat ei qui mortuus eſt peccato, ut rectè annotavit *Grotius.*

Idem habens Calvinus & Beza.

Sic *Theophylactus* & eo prior (quem & ferè tranſcribit *Chryſoſtomus* ὥσπερ γὰρ ὁ ἄνθρωπος

ἀνθρώπῳ τῷτό φησιν, ὅτι ἄπαξ ὁ ἀποθανὼν ἁπλῶς) τὸ λοιπὸν ἓξ ἁμαρτάνειν ἀνεῖται, κεκώλυται, ὕτω ὁ ἀναβὰς ἀπὸ τὸ βαπτίσματος, &c. „ Mortuus enim omninò non peccat, „ ità & qui natus eſt de Deo non peccat. Sic *Pſeudo-Hieronymus* in locum. Hanc verò *Pauli* ſententiam ὁ ἀποθανὼν δεδικαίωται) ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας (cui gemella illa *Petri* eſt 1 Pet. 4. 1. ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ πέπαυται) ἁμαρτίας) ex dictis *Rabbinorum* ſumptam eſſe vult *Grotius*, ex illo ſcilicet *Thalmudico* שאדם מת נעשה חפשי מן המצוה „ ſimul ac quis eſt mortuus, factus eſt liber à præceptis, proindeque à peccato. Hoc ſenſu mors *medica* *Æſchylo* dicitur, quia ab omnibus miſeriis nos liberat, ut & à peccatis & vitiis ut *Anacreon*, ὁ θανὼν οὐκ ἐπιθυμεῖ.

At huic loco minùs inſiſto, quia ſi non de ſolâ *morte ſpirituali* loquatur, prout *Piſcator* in *Analyſi*, & *L. de Dieu* in Annotatis ſuis exponunt, ſed concederetur licèt ad *mortem corporalem* in eo fieri alluſionem, non tamen videtur ſpectare peculiarem illam à peccato liberationem, quæ *ſanctis* in morte accidit, ſed quæ *omnibus* omninò hominibus poſt mortem contingit. Sic enim ὡδὶ πάντὸς ἀνθρώπῳ τῷτό φησιν dixit (ut priùs habuimus) *Chryſoſtomus*, & poſt eum *Theophylactus*, quatenus nimirum mors abolet omnes vitæ actiones; atque ità ſecundùm *Eſtium* tacita eſt argumentatio ab effectu ſeu proprietate mortis, ad hunc modum explicanda; mortuus homo nihil agit vitale, ſed abſolutus eſt ab officiis vitæ, quâ priùs vivebat; ſic nos peccato mortui ab ejus actionibus liberari debemus, ut intelligenda videantur hæc verba de ceſſatione ab actibus peccandi prout in hâc vitâ exſeri ſolent, qui poſt mortem omnibus hominibus deſinunt, non de peculiari *reliquiarum peccati* in *ſanctis per mortem abolitione*, de quâ jam agimus. *Calvinus.*

Huc etiam aliqui illud 1 Cor. 15. 26. adducunt ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος „ ultimus autem hoſtis aboletur mors. At ſi *peccatum* poſt *mortem* in ſanctis *maneret*, mors non eſſet *ultimus hoſtis abolendus*. At hoc non videtur ſequi, quia licèt peccatum in mortuis aliquandiu maneret, non tamen *tamdiu* ac mors: nam ſecundùm aliquos peccatum manet quidem poſt mortem, ſed tantùm ad *cinerefactionem*, ut priùs oſtendimus; at mors ad *ultimum judicii diem* uſque, in quo demùm per reſurrectionem ad æternam vitam tum primò factam mors omninò *abolebitur*, adeòque *ultimus hoſtis eſt abolendus*, peccato ſi non in ipsâ morte, ſaltem in cinerefactione longè anteà abolito. *Cotton in Eccleſ.* 7. 1.

Illud ergo hoc magis probat quod Apoſtolus *Paulus* Epheſ. 5. 27. & *Judas* v. 24. dicant „ Chriſtum nos ſiſtere in conſpectu Patris ἀμώμους ſine „ maculâ aut rugâ aut hujuſmodi aliquo; quod licèt *ultimatiò* & *perfectè* & *toti* ſimul *Eccleſiæ* non fit ante *diem judicii* noviſſimum: *ſigillatim* tamen particularibus vel *ſingulis fidelibus* in *ſuâ morte* cuique fit. „ Cum enim „ revertitur pulvis in terram ſuam unde erat, tum ſpiritus redit ad Deum, „ qui dedit illum Eccleſ. 12. 7. ad Deum inquam vel tanquam ad *Judicem* ut à conſpectu ſuo in *tenebras exteriores* abigatur, ſi *impius* fuerit, ſi verò *pius* & *fidelis* fuerit, *ad Deum redit* tanquam ad *Patrem* ac *remuneratorem*,

ut ſecum *continuò* in *cœlo regnet*: at *nil illuc inquinati intrat*, ut poſtea videbimus, ab ipſis ergo neceſſariò tum peccatum exulat, cum non jam diutiùs in terrâ exules, ſed cum Domino fuerint cœleſtis patriæ tandem incolæ.

Sic Heb. 12. 23. vocantur πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων „ Spiritus juſto„ rum *conſummatorum*, vel *perfectorum*. Illud τετελειωμένων *perfectorum*, non ἀμφελικῶς ſed ἐμφαλικῶς additur, non ut diſcrimen ponat inter alios atque alios piorum hominum defunctorum ſpiritus, ſed ut eorum omnium *communem* indicaret *perfectionem*. *Gregorius* de *Valentiâ* in re ſimili illud Petri 1 Epiſt. 4. 3. ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις „ nefariis vel illicitis idolorum cul„ tibus impiè pervertit, dum ex illis verbis ἀμφελικῶς (ut vult) ſumptis *alios Idolorum cultis illicitos alios* verò *licitos* exſculpere conatur, & conſimili modo *Eſtius* ſi non *impiè*, ſaltèm *ineptè* ex hoc τετελειωμένων *juſtis defunctis* addito Epitheto elicere vult eorum *alios* (*plenè* ſcilicet in *hâc vitâ* à *peccato purgatos*) ſtatim à *morte* in *cœlum evectos* omninò *perfectos* eſſe, alios verò non ità hîc *purgatos*, in *Purgatorio* ad tempus aliquod *tardiùs* vel *citiùs* adhuc *purgandos*, atque interim nondum plenè *conſummatos* vel *perfectos* eſſe, quod ante eum delirârunt Hebræorum aliqui; At neuter locus (ut dixi) ἀμφελικῶς ſed ἐμφαλικῶς uterque exponendus eſt, non per modum *diſcriminis*, ſed *Explicationis*, ut cum *S. Petrus* ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις vocat, intelligendus eſt ac ſi diceret *Idololatrias*, quæ *omnes nefariæ* & *illicitæ* ſunt, & ſimiliter cum *Paulus* hîc δικαίων τετελειωμένων dicit, hoc dicit, juſtos qui à morte *omnes perfecti* & *conſummati* ſunt. Cum enim de *Spiritibus* loquitur, intelligendus eſt de *animabus* (ut etiam priùs hoc ipſo in Capite Commate 9.) ut à carne vel corpore diſtinctis, imò hoc in loco ut à corpore per mortem *ſeparatis*, (ut omnes Interpretes in hoc conveniunt) quos quamprimùm ità ſeparati ſunt *perfectos* & *conſummatos* eſſe pronunciat. At ità perfecti non eſſent, niſi æquè à *peccato* ac à corpore ſeparati, quod vel ipſa vox τετελειωμένων ſubindicat, quæ non minùs *conſecratos* quàm *perfectos* in Sacrâ paginâ ſignificat: nequit enim eſſe *plenaria* vel præcipua animæ *perfectio*, niſi adſit plena etiam *conſecratio*, & perfecta à *peccato ſeparatio*: tum demùm enim τετελειωμένοι, vel ut Codex *Claromontanus* habet πεθεμιτολιωμένοι ſunt, ſcilicet per plenariam conſecrationem perfectè conſummati, in eaque fundatiſſimi. Nec tamen diffiteor, quin aliqua ſint, quæ contra iſtam hujus loci expoſitionem opponi poſſint.

Vide Grotium in Locum.

Obj. 1. Primum illud, quod hæc τελείωσις vel perfectio forſan de eâ, quam in *hâc vitâ* aſſecuti erant intelligenda ſit, ut ſit ſenſus; ſub Fœdere Evangelii per fidem acceſſimus ad communionem *juſtorum illorum* jam defunctorum, qui *dum hîc vixerint* per eximiam ſuam fidem & egregia opera *ſummum perfectionis apicem* attigerint, quò ſpectare videtur *Theophylactus* in locum, quem ità ἐξηγεῖται: πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων, τοῦτ' ἐπὶ ψυχαῖς τῶν ἐνδοξοτάτων τῶν τελείων φανέντων παρὰ Θεῷ διὰ τῆς πίστεως δηλαδή. „ hoc eſt, ad animas eorum qui clari „ ac perfecti viſi ſunt apud Deum, per fidem videlicet. Quæ expoſitio ſi obtineat, tantùm abeſſe videtur hic locus ut probet animas juſtorum ſtatim poſt mortem primùm à peccato omninò purgatas & conſummatas eſſe, quod

nos.

nos contendimus, ut potiùs dicat homines *juſtos* ante *mortem perfectos* eſſe, quod volunt Adverſarii, cum non dicat πνύμασι τετελειωμένα *Spiritus* tum demùm primò *perfectos* factos, ſed πνύμασι δικαίων τετελειωμένων *Spiritus juſtorum priùs* (ante mortem ſcilicet) *conſummatorum.*

At ſi ità vellet Apoſtolus, dixiſſet δικαίοις τετελειωμένοις. Cum verò dicit πνύμασι δικαίων τετελειωμένων, apertè ſtatum animæ ſeparatum deſignat, cui hanc aſſignat τελείωσιν ſcilicet poſt peractum curſum coronam & bravium ipſis repoſitum, ut *Hammondus* noſter locum hunc rectè ἀναφαίζι & Scholiis illuſtrat, *notione* ſcilicet *agoniſticâ*, quæ apud *Paulum* toties occurrit: atque hoc in ſenſu Phraſis hæc apud Hæbræos Scriptores frequens eſt, quibus קדשים נכלים ἅγιοι τετελειωμένοι ii vocantur qui eò evecti ſunt ut ſint *ſub ſolio gloriæ*, prout loqui amant. At hîc *ex parte* ſumus *olim perficiendi* 1 Cor. 13. 10. ergo non hîc *perfecti.* *Sol.* *Kedoshim Niclim.*

Secundò *Cornelius à Lapide*, & quidam alii hoc exponunt de Patriarchis & Prophetis & Sanctis Veteris Teſtamenti, qui licèt ante Chriſtum in *Limbo* detenti perfecti non erant, at per Chriſti ad inferos deſcenſum perfractis *Limbi* iſtius foribus, inde evolârunt piæ illæ animæ, & per ejus aſcenſum apertâ ſemel cœli januâ unà cum eo introierunt, atque ità tandem *perfectè conſummatæ* ſunt, quibuſcum omnibus per Chriſtum & Evangelii gratiam nobis Societatem eſſe affirmat Apoſtolus, ut (Cap. præced. Com. ult.) priùs dixerat „ Deum nobis melius aliquid providiſſe, ut non ſine nobis conſummarentur. *Obj.* 2.

Sed reſpondeo

1. Deum quidem *meliùs nobis proſpexiſſe* ut fideles ante Chriſtum ſine *nobis non conſummarentur*, quoad *Incarnationem* ſcilicet, quod promiſſionem non acceperant, id eſt *promiſſum ſemen* Chriſtum incarnatum ante *plenitudinem temporis*, in quo nos æquè ac illi ad gratiam vocati ſumus. At

2. Quòd toto illo ante Chriſtum tempore ideò conſummati non fuerant quia in *Limbo* detentis cœlum nondum reſeratum fuerat, non hîc illud jam refutandi locus eſt; nondum *cœlum intrâſſe* docti piique aliqui tam Veteres quàm Recentiores tenuerunt, atque etiamnum tenent, ex eo quod nondum *propalata fuit Sanctorum via, priore tabernaculo adhuc conſiſtente* Hebr. 9. 8. ubi illud τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν *Sanctorum viam*, de ſanctis tum hominibus exponunt Interpretes aliqui, ac ſi ipſis omnibus *impervia*, *invia* eſſet in cœlum via, ἄβατον. Sic *Chryſoſtomus*, οὐκ ἦν βάσιμον ἡ τῶν ἁγίων ὁδός. τουτέστιν ἡ εἰς τὸν οὐρανὸν εἴσοδος. Sic *Theophylactus*. At non ſic Apoſtolus. non dixit viam ad cœlum ità omninò *clauſam* ut prorſus ἄβατον ἀβάσιμον & *impervia* omnibus vel ſanctiſſimis eſſet, ſed tantùm dicit μήπω πεφανερῶσθαι nondùm *propalatam* fuiſſe, ut reddit Vulg. Interpres, non *manifeſtam*, ut Beza, non *patefactam*, ut *Piſcator*. At oſtium illud quod nocte vel in tenebris non *manifeſtè* apparet, non inde continuò prorſus *clauſum* eſt. Neque hoc modo ſententiam hanc exponunt *Noſtri* ſoli ſed ex Pontificiis *Eſtius* qui *per viam illam Sanctorum* intelligit „ gratiam Novi Teſtamenti, per quam nobis „ aditus eſt in cœlum, quæ tempore Veteris Teſtamenti nondum erat pro- *Vide Bezam in locum.*

„ palata ſeu manifeſtata, id eſt palàm cognita & prædicata, ſed latebat ſub „ umbris ceremoniarum, quæ poſt adventum Chriſti, prædicato ejus „ Evangelio, ac legalibus umbris per ejus paſſionem remotis, manifeſtari „ cœpit ac palàm agnoſci. Hæc ille, quæ ſi obtineant, non obſtante illo loco inane erit illud Scholaſticorum *Limbi* κενοσάφιον; antiqui Patres ſub lege ſtatim poſt mortem cœlum ingreſſi ſunt, adeòque vel ante Chriſtum quoad animas τετελειωμένοι erant; proindeque corruat omninò hæc *Corn. a Lapide* loci iſtius Interpretatio.

Obj. 3. Reſtat 3^tia objectio adhuc ſolvenda ut explicetur adhuc magis hic locus, & confirmetur hæc noſtra ab eo deducta probatio, nimirum Apoſtolum in hoc Commate loqui de iis quæ *ultimo Judicii die* tandem fient; tum enim fiet illa πανήγυρις ἡ ἐκκλησία πρωτοτόκων, tum futurus Deus κριτὴς πάντων, & proinde quod ſequitur de *ſpiritibus juſtorum conſummatorum* de ea finali & plenaria eorum conſummatione intelligi etiam debere videtur, quæ tum demùm ipſis contingit, & non *ſtatim a morte* ut adhuc contendimus.

Sol. Cui Reſpondeo

1. Concedendo hæc omnia ἀποτελεσματικῶς, & quoad *ſummum gradum* dici de *die* illo *noviſſimo*, tum primùm propriiſſimè dicta πανήγυρις erit, cum omnes qui uſpiam unquam fuerunt fideles in unum congregati coram Chriſto unà comparebunt, qui tum omnium *Judex* eſſe conſtabit, cum ille *dies ſit*, quem *conſtituit* ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην Act. 17. 31. & tum demùm *juſti omnes* ὁλοκλήρως & *conſummatiſſimè perficiendi* ſunt, ſcilicet, non ſolùm quoad *animas* (quod à *morte* habuerunt) ſed quoad *corpora* etiam, quæ à morte ad illum *noviſſimum diem* uſque mortis imperio ſubdita erant: at Noviſſimo illo die *hoſtis iſte noviſſimus abolendus* erit 1 Cor. 15. atque animæ tamdiu viduæ corporibus ſuis denuò reddendæ, ex quâ reunione & appoſitâ gloriâ aſſurgit *omnimoda* illa & in ſolidum in univerſum ὁλοκληρία & *perfectio*.

2. At 2^dò dico hoc nihil impedire quò minùs quoad *animam* in *ſtatu ſeparato perfecti* rectiſſimè dici & verè eſſe poſſint juſti omnes à peccato æquè ac à corpore per mortem ſeparati, quando etiam propiùs accedunt *ad Deum omnium Iudicem*, *concives facti cœleſtis Hieruſalem*, cum beatis *Patriarchis* & *Prophetis* omnibus, qui (Interprete *Calvino*) illam τῶν πρωτοτόκων πανήγυριν conſtituunt; vel ſi (cum aliis) πανήγυρις vel ἐκκλησία illa ex *univerſâ Eccleſiâ* *Jac. 1. 18.* & fidelibus in univerſum omnibus (qui alibi *primitiæ* vocantur) integranda *Apoc. 14. 4.* ſit, ſtatim ac Evangelio verè credimus, ad eos omnes *accedimus*, ſive in *hâc vitâ* contra peccatum *militantes*, ſive ſtatim à morte à peccato perfectè liberatos, & in *cœlo triumphantes*.

Ultimò ad ſententiam noſtram ſtatuminandam adduci poteſt locus ille ad Rom. 7. 24. „ Infœlix ego homo, quis me liberabit ἐκ τοῦ σώματος τοῦ „ θανάτου τούτου de corpore mortis hujus? vel, ut *Eraſmus*, & alii reddunt *ex hoc corpore morti obnoxio*, in quo quamdiu inquilina eſt anima, inquilinum etiam erit & peccatum (ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ ἁμαρτία ut priùs locutus eſt v. 17) *Hoſpes Ambroſ.* quod tum demùm ejicietur foràs quamprimùm anima in morte evolaverit ex hoc corporis ergaſtulo.

Sunt quidem tam ex antiquis quàm ex recentioribus noſtris præcipuè qui

qui hoc *corpus mortis* de corpore peccati (ut ab Apoſtolo vocatur Rom. 6. 6.) interpretantur, ſub quo oppreſſus gemit, atque ab eo gratiâ Chriſti non ſolùm morte, ſed quocunque demùm modo liberari anhelus optat. Sic *In locum.* „ *Origenes* meritò corpus mortis appellatur, in quo habitat peccatum quod *In locum.* „ eſt mortis cauſa. *Ambroſius* dicit eſſe „ cuncta peccata, multa enim „ unum corpus ſunt, ſingula quaſi membra. Atque ad eundem ſenſum ſic *Auguſtinus*, „ Liberari à corpore mortis eſt omni ſanato languore *Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 10.* „ concupiſcentiæ carnis non ad pœnam recipere corpus, ſed ad gloriam.

Sic *Calvinus* exponit per *maſſam peccati* & *congeriem*, ex *quâ totus homo conflatus eſt ac ſi corpus quoddam eſſet, vel res in ſe ſubſiſtens*; ut Phraſin hanc Paraphraſticè explicat *Piſcator*. „ *Mortis corpus* vocat corpus ob- „ noxium affectibus peccando. Eraſm. Atque hinc eſt quòd *Ludovic. de Dieu* in illis verbis ἐκ σώματος τοῦ θανάτου τούτου Pronomen illud τούτου non refert ad *Antecedens* illud *remotius* σώματος cum *Eraſmo*, *Calvino*, *Bezâ* in ultimâ Tranſlatione, & aliis, qui ſic reddunt *ex hoc corpore mortis*, ſed cum *Bezâ* in prioribus editionibus, & *Genevenſibus* ad proximum verbum θανάτου, atque ſic reddit *ex corpore mortis hujus*, quod (ut opinatur) maximam in ſe Emphaſin habet, atque indicat *triſtiſſimam* & *infœliciſſimam* eam eſſe *mortem*, quam ex reliquiis peccati in corpore ſuo ſentiebat. Et ſic *corpus mortis* metonymicè dicitur pro corpore vitioſo, id eſt pro mortis meritorio, ut *filius mortis* dicitur, qui *mortis reus* eſt: vel *corpore mortifero*, eodem ſenſu quo *odor mortis* & *arbor vitæ* in S. Scripturâ dicuntur, prout interpretatur *Grotius*. Neque hæc expoſitio mihi *impropria*, *remota*, & *aliena* eſt, uti *Cornelio a Lapide* videtur, ſed optimè cum Apoſtoli eo in loco antecedentis Diſputationis ſerie convenire videtur, ubi de *peccato in eo inhabitante* & contra illud luctâ diſſeruiſſet, ab eo tandem *liberari* vehementius optat.

Sed hunc ſenſum non excludit altera illa hujus loci expoſitio magis uſitata, quæ *corpus* hoc *mortis* non per *mortiferum* reddit ac ſi de *peccato* (quod mortis cauſa eſt eamque infert) intelligatur, ſed per *mortale* θανάτῳ ὑποκείμενον. Sic *Theophylactus*; morti obnoxium, ut *Eraſmus*, *Eſtius*, alii tam *noſtri* quàm *Pontificii* atque hunc ſenſum eſſe volunt, „ Apoſtolum inhabitantis peccati, „ cumque eo luctæ hîc perpetuæ admodùm pertæſum ad mortem anhelare „ tanquam unicum mali ſui remedium. Sic *Calvinus*, nam ut rectè *Theophylactus* ἐπειδὴ γὰρ παθητὸν ἐγένετο ἐκ τῆς παραβάσεως, καὶ δύσπαλον λοιπὸν τῇ ἁμαρτίᾳ κατέστη. Ex prima prævaricatione corpus noſtrum ſimul *peccaminoſum* & *mortale* factum eſt, quo utroque ſub onere congemiſcunt fideles omnes quamdiu hîc degunt: at ſumma Dei omnipotentiâ Chriſtique gratiâ effectum eſt ut poſtquam *mater filiam pepererit filia devoraret matrem*, ut quemadmodum peccatum mortem primò induxerat, ità mors tandem peccatum in æternum abigeret. Et ſic Apoſtolus à *corpore mortis* liberari optat, hoc eſt per *mortem* à *corpore mortali*, ut unà etiam à *corpore mortis* liberaretur, hoc eſt à *peccato mortifero*; atque ità utraque Expoſitio in unam plenariam coaleſcit, quam etiam utramque in ſuis Expoſitionibus conjungunt Interpretes.

Sic *Eſtius* in locum „ *de corpore mortis iſto*, id eſt ex hoc corpore mortali, „ quia durante hac mortalitate manet in corpore Lex & ſervitus peccati, „ optat.

„ optat autem ità liberari & eripi de mortali hoc corpore, ut idem recipiat „ aliquando immortale, & ab omni corruptione & ſervitute peccati liberum. Sic etiam *Beza* ad hæc verba de *corpore mortis* hæc habet. „ Per corpus „ deſignat carneam iſtam corporis molem, ut ſimul ſignificet nos in nobis „ ipſis nihil aliud eſſe quàm maſſam peccati & mortis, unde exoptat liberari. Et ad illa verba πολλάκις ἐν ἀθλίοις hæc etiam ad noſtrum propoſitum habet, „ Miſerum quidem eſt adhuc ex parte obnoxium eſſe peccato, quod „ ſuâ naturâ reddit nos reos mortis, ſed clamandum eſt ad Dominum, qui „ nos per ipſam mortem aliquando victores reddet: Et ad illa verba *Quis eripiet* hæc paraphraſticè addit „ Certamine nimirum durante donec morte „ finiatur. In morte enim tandem illud obvenit quod Jobi 3. 17. legimus, „ illic improbi deſiſtunt à commotione, ac ibi quieſcunt defeſſi viribus: quod licèt de tum finitis externis hujus vitæ ærumnis dictum fuerit, æquè tamen ad liberationem à peccatorum moleſtiis, quæ tum demùm piis omnibus continget applicari poteſt.

Vide etiam Annotat. Anglicas & Belgicas in locum.

Cui illud ſolùm P*arei* adjungam in locum hunc ad *Romanos* de quo jam agimus „ Docet non finiri hos conflictus quamdiu mortale corpus circumgeſtamus, ſed morte demùm abrumpi, quando corpus peccati aliquando exuemus.

Quod primùm ex his (quæ adduximus & explicavimus) Sacræ Scripturæ Teſtimoniis ſatis (ut opinor) confirmatum dedimus, quod ſatis etiam erit ad eorum retundendam audaciam & confidentiam nimiam qui faſtuosè ſatis quaſi jam partâ victoriâ ità nobis (quos pro adverſariis habere volunt) inſultant, „ Quem Scripturæ Locum ad hoc probandum afferre poſſunt? Certi „ ſumus nullum talem in verbo Dei comparere. At hi aliquot ſunt, quibus nondum reſponſum eſt.

Dr. Gell. p. 750.

Quibus & alii adjungi poſſunt. V. G. ille 2 Cor. 5. 1. „ Scimus enim, „ nos, ſi terreſtris hujus domûs noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, „ ædificium ex Deo habituros, domicilium non manu factum, æternum „ in cœlis. Ille etiam Philip. 1. 23. „ Deſiderium habeo diſſolvi & eſſe „ cum Chriſto. Quibus in locis quamprimùm pii hinc abeant, & corporis *tabernaculum diſſolutum* fuerit, quod in *morte* fit, eos ſtatim *cum Chriſto*, ipſiſque *ædificium* in *cœlo* paratum invenimus. At qui *cum Chriſto* eſt, in *cœlo* eſt; qui in *cœlo* eſt, omni *peccati* labe *vacuus* eſt; „ Nil enim in illud „ intrat quod inquinat Apoc. 21. 27. Hîc quidem ex parte cognoſcimus, & „ ex parte prophetamus; poſtquam autem advenerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt: ſi verò *nullæ boni imperfectiones* beatis illis animabus tum adhærebunt, minimè omnium *peccati reliquiæ*.

Argum. Adhæc, quod pro argumento ſit, Duo hâc de re nobis in Sacrâ Scripturâ occurrunt. Primum: omnes (vel optimos) dum hîc vivunt, peccato inqui- „ natos eſſe, nam nemo eſt qui non peccat 1 Reg. 8. 46. imò „ nemo ju- „ ſtus in terrâ qui facit bonum, & non peccat Eccleſ. 7. 20. „ Si dixeri- „ mus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non „ eſt 1 Johan. 1. 8. imò Chriſtum mendacem facimus, & ſermo ejus non „ eſt in nobis v. 10. & his gemella alibi plura alia; dum enim habitamus

domus

domus iſtas *luteas*, aliquid inerit pulveris, (imò dum eas pœnitentiâ expurgamus, pulvis hujuſmodi aliquis excitabitur) quod inquinet. Illud primum eſt, ſcilicet quamdiu hîc vivimus, peccati remanebunt ſaltèm reliquiæ aliquæ.

Secundum verò eſt, quod ex locis priùs adductis conſtat nos *in cœlo* eſſe, *cum Chriſto* eſſe, *perfectos* eſſe quamprimùm hoc *corpore mortis exuti* ſumus. Ex quibus duobus ſimul poſitis exſurgit hoc tertium, ipsâ animæ per mortem à corpore ſeparatione unà etiam totalem & finalem à piis animis peccati fieri ſeparationem: quod *Methodius* priùs laudatâ ſuâ *arboris* alicujus in *ædificiis enaſcentis* ſimilitudine pulchrè illuſtravit.

Huc etiam accedit *corporis* vel carneæ hujus molis ulterior conſideratio. Quamvis enim minimè dicam totum animi *morbum* oriri ex *corporis* uniti *contagio*, imò ultrò fateor ipſiſſimam animam omnium peccatorum, quoad habitum, πρῶτον δεκτικὸν *ſubjectum primum* & *maximè proprium* eſſe, (aliquorum præcipuè, quæ *ſpiritualia* peccata dici ſolent, & minùs brutalis fœcis mixturam habent; unde in ſtatu ſeparato anima peccati capax eſſe poteſt, quod de corpore mortuo & extra ſtatum unionis cum animâ dici nequit.) Cum tamen (quod dicitur) *corpus aggravet animam* quò minùs ad cœlum evolet, imò ad *brutalia* & *carnalia* pelliciat, quò magis *deorſum* vergeat & propendeat, præcipuè quoad peccati operationes plurimum labis animæ affricet; Atque inde ſæpiùs in Sacrâ Paginâ tota peccati corruptio *Carnis* nomen habet, quia corporis & carnis miniſterio in actum producitur, Idcirco cum in morte anima tanto onere levatur, tantis illecebris liberatur, quamvis hoc non ſufficiat ad *totalem* animæ jam ſeparatæ perfectam à peccato *purgationem* (impiorum enim animæ in illo ſtatu ſeparato manent adhuc impiæ) *beatis* tamen *Sanctorum animabus* multum confert ad *plenariam purgationem* iſta jam facta *ſeparatio a corporibus* tum *corruptibilibus* tum *corruptivis*, dum in ultimo die reformentur in *corpora ſpiritualia* nil ὄγκου prægravantis, nil illecebræ carnalis habentia. *Heb.* 12. 1.

Reſtat jam tantùm ut perpendamus ea, quæ ex adversâ parte adferunt ſcommata dicam potiùs quàm argumenta.

Quorum illud primum ſit, quod pro deridiculo habeat homines tum demùm (morte ſcilicet) à *peccato purgandos*, cum jam *ampliùs peccare non poſſunt*. Egregium verò Triumphum! *Obj.* 1.

Cui duo reſpondeo, *Sol.*

1. Si de hominibus vel animabus *impiis* loquantur, non uſquequaque verum eſt; poſt mortem, cum jam in *termino* ſint, non *mereri* quidem nobis dictitant Scholaſtici, de quo ipſi videant: at *non peccare* etiam, me σύμψηφον non habent. Damnatorum enim in Deum obſtinatio, blaſphemiæ, impœnitentia, Deique odium & deteſtatio, & plura alia quæ *Aquinas*, cum aliis, in eis agnoſcit, mihi ſemper in peccatorum cenſu venient; ut & ipſi *Aquinati*, licèt demeritoria eſſe non putet, ſed potiùs ad damnationis pœnam pertinentia. 2. 2æ. q. 13. art. 4.

2. Si de fidelibus in Chriſto morientibus loquantur, (de quibus hæc quæſtio inſtituitur) verum quidem eſt, eos poſt mortem in cœlum evectos, adeòque in gloriâ confirmatos *peccare ampliùs non poſſe*. At hoc tantum abeſt ut

noſtram

noſtram ſententiam infirmet, ut eam maximè confirmet potiùs. Si enim peccare non poſſunt, tum unà cum peccandi potentiâ evacuata eſt *reliquiarum peccati* pollutio. Si enim vel tum *remaneret* internus aliquis *peccati* vel *habitus* vel *fomes* aliquando in *actum* foràs *erumperet*, quod non fieri vel ipſi concedunt.

Obj. 2. Secundum quod objiciunt, eſt quod ii qui morte primùm fideles à peccatorum reliquiis purgari aſſerunt, plus *ipſorum morti* quàm *Chriſti* tribuunt.

Sol. Apage blaſphemas has ineptias; imò verò contrà, totum hoc *morti Chriſti*, ejuſque *merito* grati attribuunt: at gradatim iis communicandum, inchoativè in hâc vitâ, at perfectè poſt mortem in futurâ, juxta illud *Juſtini Martyris* Quæſt. & Reſponſ. 75. ad Orthodoxos μετὰ δὲ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον ἐυθὺς γίνεται τῶν δικαίων καὶ τῶν ἀδίκων ἡ διαφορὰ, ἄγονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους, in paradiſum ſcilicet, at talem, in quo (ut ibi ſequitur) „ fruuntur conſuetudine angelorum & archangelorum, imò viſione ipſius „ Servatoris Chriſti, juxta illud quod dicitur peregrè abſumus à corpore & „ præſentes adſumus apud Dominum; Quem cum oporteat cœlum ſuſcipere uſque ad tempora reſtitutionis omnium Act. 3. 21. in quod etiam hujus vitæ exitus introitum præbuit, ac proinde eos à peccato liberos reddidit. An verò hoc *eorum morti* plus quàm *ipſius Chriſti morti* tribuat, vel ipſos Adverſarios noſtros appello Judices. Quia *Angelorum* miniſterio (ut anima *Lazari* Lucæ 16. 22.) in *cœlum aſportantur*, num ideò plus *eis* quàm *Chriſto* debent, qui *ſolus morte ſuâ* id *promeruit*? vel ſi (ut *Caſtellioni* cum *Pontificiis* videtur) in hâc vitâ ex majore eorum curâ peccato immunes eſſe poterint, num exinde *conatibus* ſuis magis aliquid tribuitur, quàm *Chriſto* ejuſque *morti*, cujus morti hoc totum acceptum ferunt. *Morte* ergo *interveniente* hoc illis contingit ut & Chriſto Lucæ 24. 26. ſed ex *ſolo Chriſti merito*, cui in ſolidum attribuunt omnia.

Obj. 3. At hoc tertiò oggerunt ex noſtrâ ſententiâ novum procudi *Purgatorium*, non quidem *Pontificium*, illud enim *poſt mortem* fingunt; at nos *in morte*, ipſis forſan minùs probabile.

Sol. Benè eſt quòd *Purgatorium* ſaltèm *Pontificium* nobis non affingunt, quòd ſententiæ noſtræ omninò ἀσύστατον eſt: ſi enim *in morte* à peccatorum reliquiis *purgamur*, nil nobis opus erat ulteriori *poſt mortem purgatorio*; quod unicum nobis *Chriſti Sanguis* eſt 1 Johan. 1. 7. qui in juſtificatione nos penitùs à peccatorum reatu purgat, in Sanctificatione *Spiritûs* Chriſti operâ 1 Cor. 6. 11. *verbi* Miniſterio Johan. 15. 3. *afflictionum* etiam adminiculo Dan. 11. 35: 12. 10. ab eorum reliquiis & retrimentis ſubinde & paulatim abluit 2 Cor. 7. 1. donec cum *corpore mortali* morte aboleatur *corpus hoc peccati* & *mortis*, ut ſuperſtes anima pura & immaculata in cœlum continuò avolet, qua licèt dum ἰσκήνωσεν in pulverulento terreni corporis tabernaculo
Pſal. 68. 13. inter *Chytropodas* peccatorum ſitu & fuligine obfuſcata dormi verat, tum demùm quamprimùm ex luteo hoc tuguriolo evolaverit, erit ſicut *pennæ columbæ argento tectæ, & alæ ejus ſubviridi auro.* Si hoc *novum purgatorium Caſtellioni* videatur, ille nobis *Novator* erit, nos interim retinebimus *antiquam fidem.*

At

At hoc adhuc velitationis præludium fecit, tandem toto agmine concurritur, & copias omnes ſimul in aciem ducit, animoſiùs inſurgit *Caſtellio*, & quærit „ quânam vi fiet quòd in morte moriatur vetus homo, utrùm vi fidei, vel vi mortis corporis? *Obj. 4.* *pag. 36. 37. in Tractat. de juſtificatione.*

„ Non vi fidei, quia ſive in intellectu ſive in voluntate fides ſit, in „ morte nec Intellectus nec voluntas vires habent, id quod ſæpè in morbis „ experimur dum debilitatis & corporis & animi ſenſibus ne ad precatiuncu- „ culam quidem vires ſuppetere ſentimus nequid interim de iis dicamus, „ quos repentina mors extinguit, in cujus momento certè nulla vis poteſt „ eſſe fidei. Præterea uno temporis puncto vi fiei fieri, quòd eâdem „ fide per omnem hominis vitam fieri non potuit abſurdius eſt quàm ut cui- „ quam in mentem venire debeat.

„ Non vi mortis, quia iſtud non eſt hominem ſanari, ſed mori. Alio- „ quin & Latrones æquè ſanarent hominem interficiendo, atque Chriſtus „ ipſe curando. Et impiorum non minùs quàm piorum animæ in ipsâ „ morte ab omni peccato expiarentur, atque ità & nulli perirent, & Chriſtus „ homini ad ſalutem nihil conduceret.

„ Sin dicatur à Chriſto veterem hominem, ſed in ipsâ demùm morte „ interfici, mirabimur cur non ipsâ potiùs vitâ interficiat majore & Patris „ ſui gloriâ, & efficaciore ad alios ad imitationem permovendos exemplo. „ Deinde quæritur utrùm Chriſtus hoc efficiat per fidem, vel per mortem, quod utrumque priùs refutâſſe ſibi videtur. Et ſpeciatim „ ſi per mortem, „ tum Chriſto inimicam ſociam mortem adjungimus, qui cum venerit ut „ mortem aboleret, peccatum non niſi mortis auxilio abolere vel poſſet, „ vel velit. Sin neutro adhibito, efficitur ut ſalus fidei non debeat aſcribi, „ cum tamen homines fide ſervari nulli magis quàm nos affirment.

Hæc fusè & ut ſibi videtur nervosè *Caſtellio*, in hanc noſtram ſententiam, quæ omnia unà tranſcribete libuit ut unâ Synopſi ſub oculos habeamus ea ſingula, quibus peſſumdare conatur hanc quam jam propugnamus veritatem.

Quibus omnibus ſi in genere reſponderem, *rem tenemus, modum neſcimus*, idem eſſet quod clamitant *Pontificii* atque alii quibus nimium favet *Caſtellio* in re Sacramentariâ de *præſentiâ corporis Chriſti in Euchariſtiâ*: & quod omninò & veriſſimè dici debet de *rebus fidei*, quæ *Divina revelatione* nituntur, non quæ Demonſtratione Scientificâ de causâ vel modo conſtant. Cum enim fides ἔλεγχος οὐ βλεπομένων ſit Heb. 11. 1. aliquid non quidem *incerti* at ſaltem *obſcuri* quoad *cauſam* vel *modum* rei in ſe continet. Non iniquè ergo (ſpero) *Caſtellio* feret, cum ex Scripturis & argumentis τὸ ὅτι noſtræ ſententiæ evicimus ſi τὸ διὰ ὅτι vel τὸ ποῖον τι eâdem facilitate elucidare non poterimus. Si verò hoc importunè nimis adhuc exigat, is prior in re ſimili at magis obviâ nobis ſatisfaciat. Se aliquando *natum* atque in utero matris *conceptum* fuiſſe pro certo habet: num verò ejus *modum* æque expediet? quod nobis ignotum aſſerit *Solomon* & quoad Philoſophica & Theologica *Caſtellione* (ut opinor) peritior. Se etiam nocte *dormiiſſe* atque mane *evigilâſſe* probè novit, num verò in ipſo *dormitionis* atque *evigilationis articulo* quomodo *ſe habuit* vel ipſe *diſtinctè ſenſit*, vel nobis *enarrare* poterit? Non ergo, ſi æquus arbiter eſſe volet, nobis vitio vertet, multò

Sol. 1. Non cum Luthero dicas has reliquias peccati mortis dolore purgari, vel cum Bellarmino de purgat. l. 2. c. 9. per primum actum contrarium animæ ſeparatæ. *Eccleſ. 11. 5.*

minus ſententiæ noſtræ falſitati deferet, ſi *modum* vel *ſpiritualis nativitatis* h.e. regenerationis, quem ipſe ſalvator noſter ignotum eſſe affirmat Johan. 3. 8. vel *dormitionis* in *morte*, ſeu *vitæ* huic & *peccata demiſcentia diſtinctè* tenere vel *explicare* nequeamus.

Hoc in genere de *universis*, quæ hîc congeſſit *Caſtellio* dictum ſit. At aliquid etiam dicamus ſigillatim de *ſingulis*.

2. Ad illam, quam objicit, jam morientium intelligendi, volendi, adeòque actum fidei exerendi impotentiam „ jam debilitatis & corporis „ & animi ſenſibus, ut ne ad precatiunculam quidem vires ſuppetere; duo dico,

1. Illud ſæpè non obtinere, quin ad ultimum halitum in multis vigere non ſolùm *intelligendi* verùm & *loquendi potentiam*: præterea *appropinquante morte animum* multò *Diviniorem* eſſe, morientes etiam *divinare* ex *Poſſidonio* & *Homero* probat *Cicero* de *Divinatione* Lib. 1. de quo plura tradiderunt & ſcripſerunt alii. Certè ſicut in ægrotis *quoad corpus reviviſcentiam* quandam aliquoties cernimus morti proximè antecedaneam, ità etiam *animi* & *fidei*. Sic de *Jacobo* jam lecto defixo legimus „ ſe confirmâſſe ut ſederet ſuper lectum & *Ephraimo* & *Manaſſæ* benediceret Gen. 48. 2. & „ cum „ abſolviſſet præcipere filiis ſuis pedes ſuos in lectum recepiſſe & continuò ex„ pirâſſe Gen. 49. ult. ut & *Davidi* jam lecto emortuali decumbenti (ut *Mueſio* videtur) debemus Cygneam illam Cantionem *Pſalmo* 72. exaratam, ut cum *verbis* illis *ſuis noviſſimis* (ut vocantur 2 Sam. 23.) animam exſpirâſſe creditur. Neque deſunt nobis libri integri, qui *Apophthegmata morientium* continent. His ergo atque eis gemellis non in ipsâ morte ità hebeſcit animus, quin (contra ac affirmat *Caſtellio*) *Intellectus* & *Voluntas* in iis *vires habeant* vel *aliis teſtibus*.

In argum. Pſalm.

Mylii Apophth. morientium.

2. At quid de iis dicemus qui morbis *Lethargicis*, *Phreneticis*, vel aliis *acutis* ſæpiſſimè, aliquoties etiam *morte repentinâ* extinguuntur, in quibus vitiatis corporis organis, debilitatis ſenſibus *anima* (*teſtibus aſtantibus omnibus*) nil *ſentit*, *intelligit*, ac ne poteſt quidem, quod ut plurimùm accidit?

Num cum *Caſtellione* dicemus in illo momento *nullam* omninò *vim fidei* eſſe poſſe? Imò verò nil minus. Nam cum nil aliis præſentibus conſtat, quid in hominibus animam agentibus agat vel non agat Deus temerarium eſt aſſerere; cum (ut rectè *Cicero*) „ jacet corpus dormientis ut „ mortui viget & vivit animus. *Ligatis* in ſomno *ſenſibus Divina* habuerunt *Prophetæ inſomnia:* in ecſtaſi poſitus *Apoſtolus* audivit ἄῤῥητα ῥήματα. 2 Cor. 12. 4. Obj. At hæc (dices) extraordinaria erant. Sol. At ego, & quidni *præter benè valentium morem* & *ordinem* in jam moribundis operari Deum *ſæpiſſimè* (atque eo nomine *ordinarie*) credi poteſt? Ἐν πλεῖ Θεός dixit *Æſchylus*, τὸ πλέον Cap. 5. 11. Κρείσσον ὄδυσσι, ſic Apoſtolus *Jacobus*. Certè deficientibus aliis omnibus in extremo agone actu non deficit Chriſtus, imò tum præcipuè perficit omnia qui יַנְחֵנוּ עַל מוּת qui nos deducturus eſt, ad mortem uſque Pſal. 48. ult.

Ubi priùs.

Ienahagenu Gnal muth.

„ qui ſuos εἰς τέλος ἠγάπησε Johan. 13. 1. qui ſervare poteſt εἰς τὸ παντελὲς Heb. 7. 25. i. e. לנצח εἰδίως ſic Theophylactus in *perpetuum*, *in finem*; atque

atque(ſi parvis componere magna liceat)ut *Oratores firmiſſimum* quŏdque *primum* collocant dum tamen ea quæ æquè excellunt ſervabunt etiam *ad extremum*, ità Deus ſapientiſſimus juxta ac indulgentiſſimus fidei noſtræ *exordia* atque *exodia*, fidelium diem *natalem* atque *emortualem* præcipuis ornare ſolet gratiæ ſuæ ſpeciminibus. σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι. *Johan.* 2. 10

Sic *Jeremiam Prophetam*, *Johannem Baptiſtam*, atque alios à primâ *nativitate* vel *infantiâ ſanctificatos rationis* uſum tum habuiſſe ut *intellectûs*, *voluntatis*, adeòque ut *fidei* actum exerere potuiſſent non jam diſputo ego, non dicet (ut opinor) *Caſtellio*; at non diffitebitur interim ex Divinâ ipſis applicatione tum factâ *verè ſanctificatos* fuiſſe, atque ipſis indita fuiſſe totius illius quâ adeò poſteà abundârunt gratiæ ſemina, cujus inſitionis *modum* (cum ipſi nec *intelligere* nec *velle*, nec *fidei* actum exerere poſſent) cum ſemel nobis explicaverit *Caſtellio*, nos etiam ab eo adjuti *rationem* & *modum*, quo eandem *gratiam* in jam *animam agentibus* (magis forſan tum quàm in infantiâ intelligere, velle, actum fidei edere valentibus) *perficere* poſſit Deus, ipſi viciſſim enucleabimus. Intereà verò ſi concederetur moribundos iſtos æquè ac infantulos actum rationis & fidei non poſſe exerere, ut ipſi nil agant: tamen ut in *primo-primâ gratiæ infuſione* hominem operationi Divinæ ſe *paſſivè* habere rectè affirmant noſtri Theologi, quid abſurdi erit ſi eodem modo ſe res habeat in hâc *ultimâ* ejus *conſummatione*, ut Deo ſoli (qui hîc præcipuè A & Ω, principium & finis eſt) gratiæ & ſalutis noſtræ & *primitias* & *meſſem* acceptas feramus, nobis nihil interim agentibus, ut *non virtute neque vi*, ſed *Spiritu Domini exercituum* (qui fidei noſtræ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς eſt) incipiantur & perficiantur omnia, dum „ eadem manus, quæ *Heb.* 12. 2. *Zech.* 4. 6, 7. „ ſola fundamentum poſuit, lapidem etiam ſummum tandem proferat, Gra- „ tiam Gratiam ei acclamando.

At forſan *Caſtellioni* minùs arridet *Gratia*, qui *liberi arbitrii* tam amicus decomptor, imò ſtrenuus aſſertor eſſe mavult.

3. Tertiò ergo videamus utrùm ſua in nos intentata tela in ſeipſum retorqueri poterint. Ille *gratiam perfici* & *peccatum* ità *ante mortem aboleri* contendit, ut in *ipsâ morte* neutrum effici poterit. Duo hîc quæro.

Primum ſiquis in toto vitæ anteactæ curſu impius fuerit, num in ipſo mortis articulo nil omninò ſalutis ſuæ ſpei reliqui eſt num de eo in æternum ἀναλήψιν conclamatum eſt. Sanè *durus hic ſermo*, neque Sacræ Scripturæ, *Dum ſpiro* nec charitati Chriſtianæ conſonus. Si *Auguſtinus durus Pater infantum* ſit, *ſpero, dum* certè æquè *moribundorum Caſtellio*. Non ad ità decumbentem & animum *anima eſt,* agentem vel admonendum vel conſolandum accerſetur iſte qui inter illos *ſpes eſt.* מְנַחֲמֵי עָמָל *conſolatores oneroſos* (de quibus *Jobus* loquitur) cenſendus eſt dum *Job.* 16. 2. nil præter *æternæ condemnationis* onus huic ſuſtentando afferat. Si verò conſiliis & monitis jam locus non ſit, cum vel *lethargo* vel alio morbo laborat, qui auditum ſenſationemque omnem adimant, at *vota* tamen adhuc *ſuperſunt*, pro tam miſero *preces* ſaltèm *fundere* non detrectabit, nam „ timorem Dei *Job.* 15. 4. „ evacuat qui preces cohibet. At ex hujus ſententiâ hæ etiam denegandæ ſunt, cum jam non ſolùm vitæ hujus, ſed & *æternæ ſalutis* nulla *ſpes* vel etiam *poſſi-*

bilitas jam reliqua eſt. At non ità animatus *Paulus* in conſimili diſcrimine Act. 27. 20.

At forſan minùs curat tam deſperatæ ſalutis homines *Caſtellio.*

Secundò ergo quæro de aliis, de quibus non adeò ſpes languida & emortua eſt, ſed vel in ipsâ morte *viva*, ut Apoſtolus loquitur 1 Pet. 1. 3. de iis dico qui *verè* ſed nondum *perfectè ſancti* ſunt, qui cum *Paulo* aliquouſque
Philip. 3. 12. licèt provecti „ nondum tamen ſe conſummatos eſſe humiliter fatentur, ſed
Rom. 7. 17, 24. de *habitante in ſe* adhuc *peccato* conqueruntur, atque ad liberationem ex hoc corpore mortis anhelant unicè; hos (cum *Auguſtino**, & *Theona* apud *Caſſianum* Collatione 23.) nos (pace *Caſtellionis*) pro *verè ſanctis* habeamus, at *nondum perfectis*, nondum ab omnibus peccati reliquiis in totum purgatis.
* *Retract. l. c.*

Et contra duas Epiſt. Pelagian. lib. 1. c. 10. Jam horum aliquis ſubitò & improviſò in *Lethargum* incidat ex quo ante mortem non evigilet, vel aliquâ aliâ *repentinâ* morte diem obeat, quid de iſto ità mortuo ſentiendum vel ſperandum eſt? Nobis quidem nimis forſan (at cum *Paulo*) credulis *optima* quæque atque auſpicata omnia, cum Apoſtolus eorum nomine dicat „ Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum, & nullam ipſis „ condemnationem ſupereſſe affirmet. Peccatorum de quibus pœnitentiam egerunt *reatum* in *juſtificatione* ablatum eſſe credimus juxta promiſſionem 1 Johan. 1. 7. Eorum etiam *vires* & *maculas* continuo *mortificationis* ſtudio multùm imminutas *morte* tandem (eâque repentinâ licèt) penitùs *ablatas* atque *ablutas*. At quid de his juxta ſententiam *Caſtellioni* ſtatuendum eſt. Si *malè*
Pſal. 73. 15. *perire* dicat, caveat ne *generationem filiorum Dei condemnet*. At ſi (ut ipſe contra nos diſputat) neque *fide*, neque *morte* iſta à peccato diremtio fieri poſſit, quid ſibi ipſi reſpondere poterit, ipſe videat.

3. Tertiò accedamus ad ſecundum ejus Argumentum, quo probare nititur per fidem in mortis articulo peccatum evacuari non poſſe, quod ab *abſurdo* ducit, eoque tali & tanto ut *nunquam* (eo judice) in *mentem venire* debeat. At quid demùm hoc eſt, quod pro tam ἀνεπιούσῳ *abſurdo* habendum putat? hoc ſcilicet quod „ uno temporis puncto vi fidei fieret, quod „ eâdem fide per omnem hominis vitam fieri non potuit.

Sol. Sed nos nil moramur hæc *Claudiana* tonitrua: nihil hîc de quo metuamus abſurdi. Nam

Ex naturæ propenſione motum naturalem in fine concitatiorem eſſe ex Philoſophiâ novimus.

In Dei etiam rerum humanarum οἰκονομίᾳ & gubernatione & Sacrâ Scripturâ edocti ſumus, quo propiùs ad exitum accedit, eò majores facere progreſſus, ut qui in ſtadio currit, quò magis metæ appropinquat, eò magis
Philip. 3. 13 (ut cum Apoſtolo loquar) ἐπεκτείνομαι inſtat, urget acriùs. Sic *Iſraëlitæ* in eremo palantes *ultimo* id eſt quadrageſimo peregrinationis ſuæ *anno* ma-
Gen. 15. 13. jora terrarum ſpatia dimenſi ſunt quàm in totis *triginta novem* prioribus. Sic etiam ex *quadringentis* à promiſſione Abrahæ factâ annis, per totum *prius* eorum *dimidium* ſemen ſanctum non ultra *ſeptuaginta* vel *ſeptuaginta quinque animas* excreverat Gen. 46. 27. Act. 7. 14. cum exacto annorum illorum *dimidio poſteriori altero* ad *ſexcenta millia virorum prater parvulos* adauctum fuit Exod. 12. 37.

Præterea tum majus aliquid *brevi* fit, cum agens *fortius* agit. At hoc ut plu-

rimùm

rimùm *in fine* ſit. Sic ut „ Diabolus iram magnam habet ſciens quod mo-
„ dicum tempus habeat Apoc. 12. 12. (atque hinc inſtante morte tentationi-
bus ſuis inſtare ſolet acriùs) ità ex adverſo *miſericors & fidelis ſacerdos* noſter *Heb.* 2. 17.
Jeſus Chriſtus in *ultimo agone* (ut *potentia ejus in noſtrâ infirmitate perficiatur*) *2 Cor.* 12. 9.
ſuppetias nobis ferre dignatur maximas; ut „ *Samſone* olim jam morti proxi- *Iudic.* 16. 30.
„ mo totis viribus ſe inclinante decidit domus ſuper Philiſtæos, ut plures in-
„ terfecerit moriens quàm ante vivus occiderat. Hîc, ſi unquam; *neſcit tarda molimina Sancti Spiritûs Gratia*, cum ejus vi adjutus curſor noſter incitatiùs fertur, ad quod jam attingit bravium.

Atque ultimò hoc eò magis, quod priore illo *peccati* jam magis levetur *onere*: per continuam enim in vitâ anteactâ carnis *mortificationem vetus ille homo* debilior factus eſt, & (ut Apoſtolus loquitur) ἐγγὺς ἀφανισμοῦ; ut ea vulnera *Heb.* 8. 13.
ſenem imbellem & *morbidum* citò conficiunt, ex quibus *revaleſcunt* facilè *juvenes robuſti* & *vegeti*; cumque *poma acerba* majore concuſſione vix excutiuntur, quæ ſemel *plenè matura*, vel jam vieta leviſſimâ arboris agitatione (ut loquitur Propheta) *in os comedentis decidunt*. Cum hoſte ſæpè priùs in *Nahum.* 3. 12.
prælio *cæſo* & *triumphato* in hoc ultimo conflictu pugnant fideles; unde nil miri ſi jam ultimò *plenam* reportent *victoriam*: imminutæ priùs ejus vires, ſuccifi nervi; parata jam materia eſt, „ ſtipula jam arida facta conflagrationi *Nahum.* 1.
„ apta: jam iniquitas ſimilis rupturæ muri cadentis quæ ventrem facit in mu- 10.
„ ro edito, cujus repentè momento advenit fractura, ut cum *Prophetâ* lo- *Iſa.* 30. 13.
quar. Sic *gutta ultima lapidem cavat*; nec mirum eſt, ſi multis priùs impactis à lignatore ictibus, ultimò tandem tota arbor corruat.

Sic Antichriſtum priùs *Spiritu oris Domini abſumptum illuſtris* tandem ejus *adventus* prorſus *abolebit* 2 Theſſ. 2. 8.

Qui his non acquieſcit, nobis enarret modum, quo crebris priùs *contrariis actibus imminuti habitus* tandem omninò evaneſcunt; & nos ab eo edocti luculentiùs ei monſtrabimus, quo modo peccati habitus continuo reſipiſcentiæ & pietatis curſu priùs infirmati, *morte* tandem *ultra exiſtere* deſinant, paulatim prius ablato, & tum demùm prorſus extincto fomite. Atque ſic excuſſimus ea, quibus *Caſtellio* probare conatus eſt peccatum in morte extingui non poſſe *vi fidei*.

Proximo in loco probare pergit idem effici non poſſe vi *mortis* „ quia iſtud *Obj.*
„ eſt non hominem ſanari, ſed mori. Alioquin & latrones æquè ſanarent ho-
„ minem interficiendo atque Chriſtus ipſe curando, & impiorum non mi-
„ nus quàm piorum animæ in ipsâ morte ab omni peccato expiarentur, at-
„ que ità & nulli perirent, & Chriſtus homini ad ſalutem nihil condu-
„ ceret.

1. Ad illud quod hoc *non eſt hominem ſanari ſed mori*. At non ſic *Æſchy-* *Sol.*
lus, qui (ut prius diximus) mortem *medicam* vocat. Sed hoc (dices) ille *Poëticè*. nos verò ſi *per mortem ſanemur*, hoc non ſolum *mori* eſt, ſed & *ſanari*, ſatis *verè*, licèt *Tropicè*.

2. At dicit, ſi per mortem ſanemur. 1. „ Tum Interfectores æquè ac
„ Chriſtus medici forent. 2. Impii æquè ac pii morte ſanarentur. 3. Imò
„ nulli perirent. atque 4. Chriſtus nobis ad ſalutem nihil conduceret. Egregiè verò & pluſquàm Athleticè! in campo vacuo, inſtructis quatuor argumen-

mentorum, quaſi bombardarum, ordinibus acriter pugnat; at ſine *Adverſario*. Quis enim noſtrûm unquam vel ullus alius (niſi *Judæus apella* aliquis qui per *mortem omnia peccata ſua expiari* credit) vel dixit vel ſomniavit unquam *mortem in ſe* nudè conſideratam, *naturæ inimicam*, *peccati ſtipendium*, ità *ſuopte ingenio* evaſiſſe *medicam* & ſalutarem, ut eo ipſo quod *moriantur* homines, à *peccatis expiarentur* illicò? Sic quidem *Interfectores medici* forent, *impii æquè ac pii morte ſanarentur*, neque *ullus qui morte perit in æternum periret*. Nos tribus ejus argumentis ultrò manus damus; at non itidem & quarto, quod ità *Chriſtus nobis ad ſalutem nihil conduceret*; imò verò vel in hoc maximè quod ità (mortem quaſi transformando) *captivam ducit captivitatem*; adempto ei aculeo viperam in Theriacam vertit, dum mortis ſuæ merito, & Spiritûs efficaciâ mors quæ in ſe Gehennæ θεσπέσιον & veſtibulum fuit, jam *cœli porta* fit peccati exitus & gloriæ introitus. Hoc non *Morti* debemus, ſed *Chriſto vitæ Domino*; ut ſicut ipſe *mortis ſuæ* interventu in *gloriam* ſuam intravit Lucæ 24. 26. Sic ejuſdem *merito morte noſtrâ interveniente peccati* prorſus *expertes* efficeremur, & *gloriæ participes*.

Vide L. de Dieu in Iſa. 22. 14.

Gen. 28.

Huic itaque levi armaturæ parum confiſus *Caſtellio*, eam miſſam facit, & nos ſuſpicatur dicturos, quod jam fecimus, veterem hominem (peccatum) à *Chriſto* quidem, ſed *in ipsâ* demum *morte* interfici. Cui reſponſioni tria objicit.

1. Si Chriſtus hoc in morte efficiat, tum vel per *fidem*, vel per *ipſam mortem*; at per neutrum, ut prius probâſſe ſibi videtur.

Sol. At utramque hanc ſuam probationem jam examinavimus & exploſimus, ac proinde unà argumentum, illud ergo jam miſſum facio. Utrâque adhibitâ hoc opus efficitur, *morte* ut viâ & medio, *fide*, ut inſtrumento operante. At nil hinc impedimenti eſt quin ſalus fidei ſuo modo & ordine aſcribi poterit, quod nimis ægrè fert *Caſtellio*.

2. Illud objicit „ Si per mortem aboleatur peccatum, tum Chriſto ini„micam hanc ſociam adjungimus, qui cum venerit ut mortem aboleret, pec„catum non niſi mortis auxilio abolere vel poſſit vel velit.

Sol. At quid ità Sycophanticè Chriſti *potentiam* ingerit? ac ſi quis noſtrûm *Chriſtum ante mortem peccatum penitùs abolere non poſſe* vel dixerit unquam vel cogitaverit. Hoc non *poſſe* ſolum, ſed etiam actu *effeciſſe* in *Enocho* & *Eliâ* nunquam mortuis, ſed in tranſlatione ſuâ ab omni peccato liberatis certò credimus.

Non ergo de Chriſti *potentiâ* diſputamus, ſed de ejus *voluntate* loquimur, quam ità ſe habere dicimus, ut (ſepoſitis illis *Enochi* & *Eliæ* exemplis) ordinariè nemo ante mortem, ſed *ejus* demum *interventu* liberetur à *peccatorum reliquiis*.

Neque verò, ſi Chriſtum ſpectemus hoc *mortis auxilio* fieri dicimus, cum *Caſtellione*, prout ille loqui amat, ut nobis odium creare poſſit.

Adeòque neque *mortem*, quam Chriſtus ſublatum iri venit, ei in hoc opere ininſicam *ſociam* ut ei auxilio ſit *adjungimus*, imò verò hâc noſtrâ ſententiâ non à morte Chriſto auxilium ſubminiſtratum, ſed inſignem Chriſti

de

de morte partam victoriam prædicamus, qui ità ipſam *hoſtium* noſtrorum *noviſſimum* ſub jugum miſit, ut ex *inimico* nobis *amicum* fecerit, dum, nobis in bonum cooperari, à *peccato* ſcilicet *hoſte* longè *infeſtiori* nos *expedire* effecerit, atque ità è contrà, ut mors & peccatum, quæ *priùs amica* ſatis erant dum *peccatum mortem peperit*, *jam inimiciſſima* facta ſint, ut *mors peccatum*, à quo originem traxit, *interimat*, ut teredines, cui innaſcuntur, arborem.

Priùs lictor erat, qui nos ad inferni carcerem traheret, jam ad gloriam ante ambulo eſt. vide Brightmannum in Luc. 4. 18. pag. 66.

3. At illud inprimis urget „ Si Chriſtus in ipsâ morte peccatum interfi„ ciat, cur non potiùs in ipsâ vitâ hoc efficeret, majore ſcilicet & Patris & ſui „ gloriâ, & efficaciore ad alios ad imitationem permovendos exemplo? ad „ viventium enim non ad mortuorum exempla provocare ſolemus.

Sol. 1. At „ quis Deo fuit à conſilio dixit modeſtior *Paulus*. Quis *Caſtellionem* ei λογίτην vel *Rationarium* inſtituit, qui operationum ejus tempora & momenta vel imperet vel exigat, „ quæ Pater in ſuâ ipſius poteſtate „ poſuit Act. 1. 7? *Rom.* 11. 34.

Atque (ut propiùs ad rem accedamus) eodem jure, vel eâdem potiùs audaciâ quærat quare „ Pater-familias operarios illos, qui circa diei horam un„ decimam (vel *ſub finem undecimæ*, ut *Lucas Brugenſis* locum illum exponit) „ in vineam intrârunt, æquales eis faceret qui pondus & æſtum diei portave„ runt. *Matth.* 20. 6, 12, 15.

Cui reſponſum obmurmurator ille habuit, & ſimile habeat *Caſtellio* „ Abi, „ Annon licet mihi quod volo in eis quæ mea ſunt? Quærat etiam quare Chriſtus *Latronem* illum non antequam jam *humanis exceſſurus* erat ad *Pœnitentiam* vocaverat, „ majore ſcilicet (ut loquitur *Caſtellio*) & Patris & ſui gloriâ, „ & efficaciore ad alios ad imitationem permovendos exemplo? Nam ad utrumque (*Caſtellione* arbitro) magis conduxiſſet ſi longè anteà ad meliorem frugem revertiſſet. At nihilominùs aliter Chriſto viſum eſt, in cujus *beneplacito* nos placidè *acquieſcimus*, utpote qui quæ ad *ſui ipſius gloriam* & *aliorum commodum* maximè accommoda ſunt, *novit optimè*.

At dicet *Latronis* illius, & *noſtrorum moribundorum* longè aliam eſſe rationem, nam ille quamvis morti jam proximus, *corpore ſano*, *mente integrâ* fuit, atque ità claram ſatis tam *pœnitentiæ* quàm *fidei* ſuæ *confeſſionem* ad *Dei gloriam* & *aliorum imitationem* edidit: at hi noſtri, corpore ſemimortui, animâ torpidi *nil ſentiunt*, *intelligunt*, tantùm non jam mortui ſunt. At; ô bone, non omnes tales ſunt qui ſenio vel morbis confecti diem obeunt, quorum multos diximus ad ultimum habitum ſui compotes; Deum ſpirant, articulatè laudant, & in hoc mortis confinio vel in *ipsâ mortis umbrâ* illuſtria *fidei* & *pietatis* ſpecimina, æquè ac Latro ille, edunt ad *Dei gloriam* & *aſtantium* omnium *emolumentum*. Quòd ſi verò plures alii aliter ſe habeant, ex iis quæ in vitâ anteactâ geſſerunt *imitationis* argumenta ſumi poſſunt; vel ex eo ipſo quòd jam morituris præ morbi violentiâ non adeò micent jam extinctioni proximè vitæ ſcintillulæ, admoniti alii ſunt ut dum vivunt ac valent „ ſalutem ſuam operentur, antequam nox advenerit, quando nullus operari „ poteſt. *Philip.* 2. 12.

Quod verò ad iſtos ità decumbentes attinet, quid in eis & per eos vel tum *Johan.* 9. 4. ope-

operari poteſt, vel etiam vult Deus, id totum ei relinquamus, prout *voluntati* atque *gloriæ* ſuæ conſultiſſimum ipſi videbitur.

Nam quod ad *Dei gloriam* ſpectat, cui eum meliùs conſulturum putat *Caſtellio*, ſi non in ipsâ morte, ſed longè ante mortem Sanctos ab omni peccati inquinatione purgaverit, hæc breviter ſubjicio.

Rom. 2.4.5. 1. Deo ſecurè permittamus gloriæ ſuæ curam ad diem ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ quando demùm *occulta* tam *ſua* quàm noſtra clarè *relaturus* eſt, atque inter reliqua quid in *jam moribundis operatus* eſt, & quare *plenariam* à *peccatorum reliquiis expurgationem* ad *ipſam mortem* uſque diſtulerit, & quomodo ità diem protelando gloriæ ſuæ optimè conſuluerit. De quo etiam

2. Jam in anteceſſum nobis aliquâ ex parte conſtat. Nam inde effulget *gloria*.

Primò *fidelitatis*, atque *veracitatis* ſuæ, quod juxta promiſſionis verbum „ad mortem uſque nos deducat Pſalm. 48. 14.

Indefectibilis etiam *amoris* ſui ac *benevolentiæ*, cum hîc uſu venit idem quod de inſolubili amicitiæ nexu dicitur inter *Naomi* & *Ruth*, & inter *Saulem* & *Jonathanem* (Ruth. 1. 17. 2 Sam. 1. 23.) „ ne mors ipſa eum dirimere „poſſit, imò magis accendat & augeat, ità ut quod dixerat *Boaz* de *Ruth* „priorem miſericordiam poſteriore ſuperâſti Cap. 3. 10. Et quod de *Angelo Thyatirenſi* Chriſtus „opera tua noviſſima plura, „majora prioribus Apoc. 2. 19. hîc imprimis obtineat, cum quod in totâ anteactâ *vitâ* fieri non poterat in ipsâ *morte* fit, perpetuum ſcilicet & integrum à peccato divortium.

2 Cor. 12.9. *Omnipotentiæ* etiam illuſtre in hoc elucet ſpecimen, cum ea „in noſtrâ infirmitate perficitur, ut & *Omniſufficientiæ* & αὐταρκείας cum quod Paulo dixit ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου nobis ſcilicet nihil penè agentibus ille ſolus peragat omnia.

Quinetiam ex ipsâ pugilum ſuorum contra peccatum ſolicitans per fidem luctâ perpetuâ Chriſto conſtat *gratiæ* ſuæ gloria atque *oblectatio*.

Ne quæratur itaque quare Deus peccatum in mundum introire permiſit, quod juxta *Auguſtinum* non feciſſet, niſi bonum aliquod, ſuique ipſius gloriam exſculpere potuiſſet, gloriam ſcilicet Omnipotentis ſuæ *gratiæ* peccatum hoc ità permiſſum gratioſè *condonando*, potenter *ſubjugando*, omnipotentiſſimèque tandem *prorſus abolendo*.

Nec magis quæratur quare peccatum hoc quamdiu hoc carnis tuguriolum inhabitamus nobis inquilinum eſſe permittit, non niſi exuto corpore foras abjiciendum. Sic enim *gloriæ* ſuæ optimè conſulit, dum

Ex unâ parte *fidem probat*, exercet, confortat, *pœnitentiam* renovat, *preces* accendit, ad humilitatem erga ὁμοιοπαθεῖς charitatem & miſericordiam, continuam à Deo dependentiam erudit, & his ſimilia, in quibus fides & viatorum gratia præcipuè conſiſtit, atque ex quibus Deo (quantùm hic poſſumus) gloria cedit quam maxima.

Ex alterâ etiam parte ex his imminutis licèt, at ad mortem uſque permanentibus peccatorum reliquiis, *ſuperbiam* & *ſecuritatem*, faſtidioſum *aliorum*

con-

contemptum, ſuffenam *noſtri confidentiam* minuit, eruncat, quæ ipſius *gloriæ* magis officerent.

At hoc inprimis ridet *Caſtellio.* Sic enim in fine Tractatûs ſui de Juſtificatione „ Neque eſt quòd hîc quiſquam mihi tritum illud alleget, ideò nolle, „ ne homo peccatis liberatus ſuperbiat. Quod perinde eſt ac ſi dicas, Deum „ nolle ut pecccato liberetur, ne peccet, quaſi verò à ſuperbiâ quoque ſicut „ à cæteris expiare vel nolit vel nequeat. At Paulo relictus eſt ſtimulus carnis „ ne ſuperbiat. Credo; ſed ſi ſtimulum illum vultis eſſe peccatum, mirum „ nobis facitis Deum, qui in diſcipulo ſuo peccatum relinqueret ne peccaret „ diſcipulus, quod minùs abſurdum eſt quam ſi dicas, Chriſtum noluiſſe ſanare „ ægrotum, ne ægrotus ægrotet. *De juſtific. pag. 70.*

Quibus hæc repono

1. Quis iſte *Carnis ſtimulus* fuerit, cum *S. Auguſtinus* ſe *neſcire* fateatur, non eſt quod curiosè nimis ſciſcitemur, an *corporis ægritudo* & morbus aliquis, quod plures ſenſerunt, vel *perſecutiones* à Diabolo ejuſque aſſeclis Pſeudapoſtolis & adverſariis aliis, ut *Chryſoſtomus*, & ferè Commentatores *Græci* reliqui, ſive denique *libidinis ſtimuli* à Satanâ immiſſi & accenſi, jam diſputare non vacat.

Agnoſco quidem *Eraſmum* demirari hoc ulli docto Theologo placere; *Calvinus* etiam eos ridiculos vocat, qui tale commentum ſomniant, qui ipſe tamen de tentationibus ſecundùm carnem quibus pungitur caro, ſive pars animæ nondum regenita, hunc ſtimulum exponit; ut & de illis *libidinis ſtimulis* interpretantur plures & Patres & Recentiores, & quidem ex *Pontificiis*. Nec diſſuadet Ratio; quâ de re videantur *Eſtius* & C. *à Lapide* in locum, & *Bellarminus* Cap. 30. de Monachis. Quæ expoſitio ſi obtineat, hic locus multum in ſe habet, quod ſententiam noſtram confirmet; atque inter reliqua hæc duo. *De naturâ & gratiâ cap. 27.*

Primum, quòd ex Dei permiſſione, imò & ordinatione (nam iſte ſtimulus hîc dicitur *dari*, idque *a Deo* interprete *S. Auguſtino*) levioribus tentationibus & lapſibus fideles retinentur ne in graviores corruant, ut Paulus *ſtimulo carnis* à *ſuperbiâ*, quæ „ tantum venenum eſt ut (ſecundùm eundem Auguſtinum) „ non poſſit niſi veneno curari. *Ubi priùs.* *De verbis Apoſt. Serm. 3.*

Secundum etiam & illud eſt, hoc triſte & ſatis moleſtum reliquiarum peccati contra graviora προφυλακτικὸν non ſolùm ad breve tempus adhibetur, ſed tenaciter ad mortem uſque adhæret; nam ſtimulum illum licèt ægrè ferebat *Paulus*, & ut *ab eo liberaretur ter Deum oravit*, illud tamen ſe *non impetrâſſe* fatetur. Nam ſtimulus ille datus eſt Interprete Theophylacto τὸν ἵνα ἄπαξ μὴ κολαφίσῃ, ἀλλ' ἀεὶ Malum hoc *diuturnum* fuit juxta *Calvinum*.

Bellarminus audacius, „ Apoſtolus tentabatur magnis & diuturnis ſtimulis carnis. Omnium confidentiſſimè *S. Auguſtinus* * qui exiſtimat Paulum hoc carnis ſtimulo uſque ad mortem non caruiſſe. Nam iſti ſtimuli ità carni noſtræ infixi ſunt ut evelli in hâc vitâ non poſſint, ſi *Cornelio à Lapide* credimus, aſtipulante Apoſtolo, qui ab eis unà cum corpore liberari expectat Rom. 7. 24. [*Licet lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 7. & 11. eos damnat, „ quod dixerint Paulum vel omnes Apoſtolos ſemper immoderatâ libidine fuiſſe „ pollutos, ſed dicimus à conſenſione pravarum libidinum liberatos, de concupiſcentiâ* *Ubi priùs.* * *De peccati meriti. lib. 2. cap. 16.* *In locum.*

„*ſcientiâ tamen carnis, quam moderando frœnabant; tantâ humilitate &* „*pietate gemuiſſe ut optarent eam non habere potiùs quàm domare, in fine* „*Cap.* 11.]

Obj. Sed hîc inſurgit *Caſtellio* & locum hunc totum contra nos eſſe ex eo contendit quod „ Paulo reſpondit Deus, Sufficit tibi gratia mea: Virtus mea in in„firmitate perficitur. Jam quid, quæſo, eſt perfici? Nonne perfectè præ„ſtari? quaſi hoc diceret, niſi tentarere, vincere non poſſes; nunc tentatus, vinces meo beneficio. *Vicit* itaque Paulus. Ergo certamen hoc non ad *mortem* uſque permanſit.

Sol. Cui reſpondeo. At hoc certè non ſequitur. Nam

Vicit quidem *Paulus*, ſed ſuo modo & tempore vicit, dum *hîc* in *luctâ* erat, *non cedenda*, hoſtis inſultus fortiter *tolerando*, vireſque ejus *gradatim minuendo*, & in *morte* tandem (ut ipſe Chriſtus in cruce) de eo jam prorſus *devicto* triumphando.

Coloſſ. 2, 15.

Suffecit ei Dei Gratia. At, ſi per *Gratiam* Dei *favor* intelligatur, atque ſenſus eſſet, non obſtantibus iſtis carnis tuæ ſtimulis, te adhuc gratiâ complector, & pro dilecto habeo (ut interpretantur aliqui) quid hoc contra nos, vel pro *Caſtellione* faceret? vel ſi juxta *Calvini* ſententiam vocabulum *Gratiæ* hîc non favorem Dei (ut alibi) ſed per Metonymiam *auxilium Spiritûs S.* ſignificet, quod nobis à gratuito Dei favore provenit; quod tamen ibi in *Calvino* ſequitur omnem ſcrupulum eximit, ſcilicet „ *ſufficere* autem „ piis debet, quia firma eſt & inſuperabilis futura, ne unquam ſuccumbat. Ut breviter dicam, licèt carni infixus ad mortem uſque permanſerit iſte ſtimulus, ſufficio tamen Dei gratiâ in *vitâ* ad *pugnam*, in *morte* ad *victoriam* plenariam.

In 2 Cor. 12. 9.

Eodemque planè ſenſu „ Potentia Dei in noſtrâ infirmitate perfici dicitur, non (ut vult *Caſtellio*) quòd *perfectè præſtatur*, illicò ſcilicet, vel dum in luctâ ſumus: ſed in eo perficitur, quia *perfectius agnoſcitur*, ut *Calvinus* & *Grotius* exponunt, ſicut ſæpè verba Hebræa conjugationis *Hiphil* ad *notitiæ* effectum referuntur: vel ſi de *reali perfectione* intelligatur, ſine quâ vera & realis agnitio illa eſſe non poteſt, de *graduali* tamen hîc in *viâ* intelligenda eſt, & non de omnibus numeris abſolutâ ante viæ vitæque terminum. Nam, ut rectè obſervat *Grotius*, in his verbis cauſam reddit Deus quid malum hoc ei non auferat, quia potentia ipſius hoc magis perficitur id eſt illuſtratur, quo ii per quos agit magis ſunt adverſis obnoxii. Nondum ergo ablato, ſed manente adhuc (retuſo quidem magis indies) hoc ſtimulo, ut ad pugnam magis eum animaret Chriſtus, dicit *virtutem & potentiam ſuam perfici* id eſt *perfectiùs exeri*, illuſtrari & agnoſci hâc ſuâ adhuc manente *infirmitate*, quod infirmus licèt ſit, & crebris ſtimuli hujus ictibus obnoxius & ſauciatus, hâc tamen Chriſti aſſiſtente & corroborante potentiâ fit, ut non cedat malis, ſed contrà eat audentiùs, idque ad finalem tandem victoriam; ut aut *ſuperentur*, vel ne *noceant tolerentur* *; ut hoſtem ſubinde in prælio fortiter excipiat & labefactet, & finitâ tandem cum vitâ belli hujus militiâ plenam victoriam referat, atque æternum agat triumphum.

Virtus Dei, perficitur in tolerando. Eraſm. in patientiâ & victoriâ.

* *Eſtius.* Quamvis etiam infra hoc conſiſtere poteſt *Evangelica perfectio* in noſtræ *imperfectionis agnitione*, ut verè in illum loçum *Eſtius*. Non hoc dicitur, quòd

2 *Cor.* 12. 9.

propriè virtus ſeu fortitudo *Chriſtiani* hominis in hoc genere *infirmitatis perficiatur*, cum ſit ei *contraria:* ſed quia, ſicut *Auguſtinus* loquitur, „ perfici non poteſt homo qui ſe non fateatur infirmum. Unde & *Hieronymus* in Epiſtolâ ad *Cteſiphontem* affirmat „ hanc unam præſentis vitæ perfectionem „ eſſe, ut te imperfectum agnoſcas. Sed longiùs jam provecti ſumus; ad *Caſtellionem* revertamur.

2. Et ſecundò ad id quod dicit contra illud, ideò nolle Deum ne homo peccatis liberatus ſuperbiat; quòd „ perinde eſt ac ſi dicas Deum **nolle** ut „ peccato liberetur ne peccet, quod non minùs abſurdum eſt, quàm **ſi dicas** „ Chriſtum noluiſſe ſanare ægrotum ne ægrotus ægrotet, quaſi verò à ſuper„ biâ quoque ſicut à cæteris expiare vel nolit vel nequeat.

Quibus reſpondeo

1. Illud *nequeat* malitiosè dictum, ac ſi vel cogitaremus unquam Deum non *æquè ſubjugare poſſe ſuperbiam* ac reliqua *peccata.*

2. Nec multò magis candidè illud etiam *nolit.* Nam & *ſuperbiam* etiam in ſanctis penitùs *tolli* vult, imò hoc maximè vult ut gloriæ ſuæ conſulat, contra quam præ reliquis inſurgit ſuperbia, quo nomine ei maximè *reſiſtit* Deus, & maximopere eam ablatum it.

At quia hoc ſuperbiæ peccatum primarium fuit, cui ex naturâ jam lapsâ maximè obnoxii ſumus, ejuſque ſimul tenaciſſimi, & cum reliqua ferè peccata in *male-factis* locum habent, hoc verò in *optimis operibus* timendum eſt, ac proinde radices altiùs agit ut *difficilimè* revelli vel *ſanari* poſſit, ſed ut humani exitii *prima cauſa* fuit, ità *extremum* eſt vitium, quocum pugnandum eſt: ideò contra eam præcipuè cautum vult Deus. *Vide Calvinum in 2 Cor. 12. 7.*

Et cum ut ex optimis (ut dixi) operibus, ità ex *totali* à reliquis *peccatis liberatione* (ut Lucifero ex ſuæ lucis & dignitatis intuitu) naſci facilè poſſit, Deus pro ſummâ ſuâ ſapientiâ in gratiæ ſuæ οἰκονομίᾳ *venenum veneno curat*, fortius ſcilicet debiliori, Neque hoc adeò novum eſt, ut *Caſtellio Novatorum* maximus ſit qui illud negaverit, quod ex Sacrâ Scripturâ liquidò conſtat, atque communi tam Patrum quàm Recentiorum tam Reformatorum quam Pontificiorum calculo ſemper adhuc in Eccleſiâ obtinuit. Non eſt quod huc corradam teſtimonia. Illud unicum *Gregorii Magni* ſufficiat *Moralium* lib. 19. cap. 4. 5. in illa verba „ *Pondus ventis fecit, & aquas appendit* „ *menſurâ:* Quia Sancti ipſi, qui Sancto ſublevante Spiritu ad ſumma rapiun„ tur, quamdiu in hâc vitâ ſunt, ne aliquâ elatione ſuperbiant, quibuſdam „ tentationibus rapiuntur, ut nequaquam tantùm proficere valeant quantùm „ volunt, ſed ne extollantur ſuperbiâ fit in eis ipſarum menſura virtutum, „ quod in *Eliâ* & *Paulo* fuſiùs oſtendit. Et ad verba illa *ſufficit tibi gratia* „ *mea, &c.* apertâ voce Dei oſtendi dicit, quia cuſtos eſt virtutis infirmitas. „ Hinc quippe benè interiùs cuſtodimur, cum per diſpoſitionem Dei tolera„ biliter tentamur exteriùs, aliquando preſſuris, aliquando vitiis, ut de „ *Paulo* oſtendit ex Rom. 7. Ut omniam finiam dico, non cum *Caſtellione* Deum *nolle* ut *fidelis* hîc *penitùs liberetur à peccato ne peccet*, ſed nè *gravius* peccet, vel *nolle ſanare ægrotum ne ægrotet*, ſed nè *ægrotet lethaliùs.* Sic enim vulgò Medici *minorem morbum* in leviter ægrotis *incuratum* ſinunt, quò (ut ſæpè fit) obviàm eant magis *atroci* & *lethifero*, neque ſolis fontanel-

lorum vulneribus febrium materiam eliciunt, ſed ipsâ *febre lethargo medentur.* Non quòd *peccatorum* ullorum, vel *reliquiarum* eorum *inexiſtentiam* vult Deus in ſe *voluntate ſimplici* & *complacentiæ*, ac ſi eâ *ſimpliciter delectaretur*, ſed ob rationes prædictas *voluntate permiſſionis* atque *ordinationis* etiam ad fines ſuos optimos, gloriæ ſuæ, atque electorum utilitati & ſaluti maximè inſervientes. *Stimulus carnis* etſi ſecundùm ſe vitandus fuerit, tamen quantum eſt *via* ad *virtutem* & *exercitium virtutis appetendus* eſt, etſi non fateamur eum *ſimpliciter appeti*; ſic aliquantum *duriùs Aquinas*, & poſt eum *Eſtius:* vel ut *Calvinus molliùs*, & pro more ſuo *elegantiùs* „Sed quid ſibi vult, quod „Satan, qui homicida fuit ab initio, Pauli fit medicus?

In 2d. diſtinct. 23. & in 2 Cor. 12.

Reſpondeo

Calvin. in 2 Cor. 12. 7.

„Satanam pro ingenio, moréque ſuo non aliud quam necandi perdendi„que conſilium agitâſſe; ſed hoc ſingulare fuiſſe beneficium Domini, quod „naturæ exitiale erat in medicinam vertere. Hoc ſine ſapientiſſimus, idemque ſanctiſſimus Deus in fidei, pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, reliquarumque virtutum vialium exercitium & incrementum, peccatorum reliquias in ſanctiſſimis quibuſque dum hîc degunt ineſſe patitur, donec in morte tandem, & ipſo corpore, ſimulque peccati corpore exutis, cum Chriſto jam animam agente dicamus πτέλεσται *Conſummatum eſt.*

Johan. 19. 30.

Atque ità tandem (facto interim longiori in duas has jam diſputatas Quæſtiones excurſu) Secundo & Tertio argumento *Bellarmini* contra *Juſtificationem* ex *Imputatione juſtitiæ Chriſti* ſatis (ut opinor) reſpondimus.

Bellarmini Arg. 4.

Quarto in loco licèt concedat „rectam noſtram ſententiam eſſe, ſi hoc „ſolum vellemus, nobis imputari Chriſti merita, quia nobis donata ſunt, & „poſſumus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſtris, quoniam Chriſtus ſuſce„pit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis, noſque Deo Patri reconciliandi: „ſed ità imputari nobis Chriſti juſtitiam, ut per eam formaliter juſti nomi„nemur & ſimus, id cum rectâ ratione pugnare contendit. Nam tametſi „aliquando denominatio fiat à formâ extrinſecâ, quo modo res dicitur co„gnita per cognitionem quæ eſt in mente, &c. tamen cum in aliquo duæ ſunt „formæ contrariæ, una inhærens, altera extrinſeca, ſine dubio denomina„tio abſoluta ſumitur ab inhærente formâ potiùs quàm ab extrinſecâ. Si quis „enim Æthiopem albâ veſte indueret, non rectè diceret hic Æthiops eſt al„bus, ſed contrà rectè diceret hic Æthiops eſt niger, quoniam magis perti„net ad eum propria & inhærens nigredo, quàm ille aſcititius candor exter„nus. Sic igitur ſi hominem verè impium & injuſtum per inhærentem inju„ſtitiam induas per apprehenſionem & cogitationem juſtitiâ Chriſti, non „rectè pronuntiabis eum juſtum, ſed impium & injuſtum rectiſſimè nomi„nabis.

Sol. Quibus multa reponenda ſunt;

1. Primò Herbam nobis porrigit *Bellarminus*, dum concedit *ſententiam noſtram rectam* eſſe, ſi per *juſtificationem ex imputatione juſtitiæ Chriſti* hoc ſolum vellemus, ſcilicet *nobis imputari Chriſti merita, quia nobis ità donata ſunt ad ſatisfactionem juſtitiæ Divinæ & noſtram cum Deo reconciliationem, ut ea poſſimus Deo offerre pro peccatis noſtris: Hoc* utique *volumus*, imò *hoc ſolum* volumus: nimirum nos ex juſtitiâ, obedientiâ, vel meritis Chriſti nobis imputatis

putatis accipere liberationem à reatu & pœnâ, peccatorum condonationem, ad favorem Dei & vitam æternam acceptationem, in quibus veram & propriam *juſtificationis* naturam conſiſtere tenemus & aſſerimus.

Cum verò *Bellarminus*, & *Pontificii* alii *juſtificationem* in *inhærentis juſtitiæ infuſione* conſiſtere volunt, atque hoc poſito & ſubintellecto *juſtificationem* non in *imputatione* conſiſtere contra nos probant, ineptâ λογομαχίᾳ aërem verberant, *Adverſarium* ſibi fingunt, qui *ex nobis nullus* eſt. Quis enim ex noſtris unquam adeò delirus fuit, ut *juſtitiam realiter inhærentem imputatam* eſſe diceret? Nemo noſtrûm negat *formam*, quâ quis *intrinſecè juſtus* eſt & dicitur *juſtitiæ habitum* vel *qualitatem inhærentem* eſſe? Negamus autem (atque priùs ſatis improbavimus) vocem *juſtificationis* in diſputatione *Paulinâ* ad *Romanos* contra Judæos & Gentes, & ad *Galatas* contra falſos fratres, imò & in *Jacobo* illo ſenſu accipi; ut rectè hâc in re *Arminius*. *Diſput. publ. Theſ.* 19. *num.* 3.

In hâc quidem vocis *Juſtificationis* ſignificatione eis verè adverſamur, ut & ſententiæ eorum, quæ *meritis Chriſti* nobis imputatis *merita ſua* etiam adjungit, ſed *inhærentem juſtitiam* (in quâ illi *juſtificationis formam* falsò conſtituunt) nobis *imputari ad juſtitiam* ſi quærant quinam affirmant, minimè omnium *nos*, ſed *ſeipſos* potiùs invenient, cum quibus (ſi placeat) ipſi pugnent.

2. Secundò, Ad illud quod improbat *Chriſti merita ità nobis imputari ut per ea formaliter juſti nominemur & ſimus*, Reſpondeo nos de *formalitatibus* iſtis non adeò curiosè ſolicitos eſſe. Cum enim *juſtificatio* vel activè vel paſſivè ſumpta *ſubſtantia* non ſit, quæ propriè *formæ* capax eſt; ejus *formam propriè dictam nullam* eſſe cenſemus. Hunc ergo loquendi modum *Scholaſticorum* argutiis primò debemus, non *noſtrorum* ſcriptis, quorum nullum inveniri poſſe affirmat *Chamierus* qui dicat nos Chriſti juſtitiâ ſic imputatâ formaliter eſſe dicive juſtos, ſed eſſe phraſin ab ipſis *Papiſtis* nobis imputatam ad arbitrium. Quod (ut opinor) intelligi debet de *primâ* hujus *Phraſeôs inventione* & uſu: nam aliter, poſtquam *Pontificii juſtificationis formam* in *juſtitiâ inhærente* poſuerunt, nil frequentius apud Theologos præcipuè *Methodiſtas* noſtros, quàm *juſtificationis formam* vel *cauſam formalem* in *imputatione juſtitiæ Chriſti* collocare; *tropicè* ſcilicet & *alluſivè* ad *formas ſubſtantiarum forma actioni Dei* tribuitur, & ſic *imputatio juſtitiæ Chriſti* pro *formâ* habetur hujus *actionis Dei* cum *juſtificat impium*. Hoc eſt, Illud quod intuetur Deus in noſtrâ juſtificatione, non eſt qualitas nobis inhærens, ſed imputata Chriſti juſtitia: adeòque hæc juſtificatio *formaliter* (ſi ità loqui liceat) non eſt hujus *inhærentis juſtitiæ infuſio*, ſed *juſtitiæ Chriſti imputatio*. *Tom.* 3. *l.* 21. *cap.* 20. *Vide Davenant. de juſtit. habit. cap.* 28.

3. At tale loquendi genus *cum rectâ ratione pugnare* dicit *Bellarminus*: at non cum Sacrâ Scripturâ, cui recta ratio non repugnat, imò nec loquelæ humanæ mos uſitatus. Quamvis enim *locutiones humanæ* non tollunt *locutiones* quibus *Deus* in ſuo *verbo* utitur, tamen hîc nil à *locutione communi abſonum*, cum non aliâ ratione nos *formaliter juſti* nominari & eſſe dicimur *imputatâ Chriſti juſtitiâ*, quàm is cujus *debitum* ab *altero ſolvitur*, nominatur, & eſt, *ab illo debito liber*, vel quâ *reus ſolutâ* à *Sponſore* ſuo *pœnâ ſibi debitâ eique imputatâ* ſtat *rectus in curiâ*, & à *reatu* & *pœnâ* judicis ſententiâ *immunis denunciatur*, *eſt*, & *nominatur*. Quod cum ab *hominibus* ſæpè fit, quare *Deo*

abjudicabitur? quin ipſe à *Chriſti Sponſoris noſtri imputatâ juſtitiâ* nos ritè *juſtos* vocare poſſit, noſque ab hâc ejus nobis *imputatione juſti ſimus & nominemur?* Quemadmodum *peccatum Adami poſteris imputatum* facit eos *formaliter peccatores* coram Deo & quoad eſſe & nominari, quod ipſe *Bellarminus* fatetur Lib. 4. amiſſione gratiæ Cap. 10. Sic etiam *Chriſti juſtitia* poteſt fidelibus ità *imputari* ut per eam *in reputatione juſti* ſint, & nominentur, prout etiam *Bellarminus* hoc ipſo in loco concedit *denominationem* aliquando (imò ſæpiſſimè in uſu communi) fieri ex *formâ extrinſecâ*, ut cum res dicitur *cognita* per *cognitionem* quæ in *mente cognoſcentis*, & *viſibilis* à *viſione videntis*: quidni ergo & homo *juſtus* ex *ſententiâ* ſaltem juſtiſſimi & ſupremi *Judicis?*

4. At regerit *Bellarminus* „ cum duæ contrariæ formæ inſunt, una inhæ„rens, altera extrinſeca, denominatio abſoluta ab inhærente, non ab extrinſe„câ ſumenda eſt, ut Æthiops à propriâ nigredine niger dicendus eſt, non ab „aſcititio veſtium candore albus; & ſic cum homo ex inhærente injuſtitiâ „impius & injuſtus eſt, verè impius & injuſtus nominandus eſt, non juſtus „ex juſtitia Chriſti imputata per apprehenſionem & cogitationem.

At hîc plura perſtringenda ſunt.

1. Illud, quod *juſtificationem per imputationem* ità deſcribit ſi *verè impium induas per apprehenſionem & cogitationem juſtitia Chriſti.* Hoc ſcilicet pro more, qui *imputatam* juſtitiam *veræ opponit*, & pro *putatitiâ* & *imaginariâ* habet, ut hîc, per *apprehenſionem noſtram & cogitationem.* At hoc ſæpiùs refellimus. Quamvis enim *Illyricus*, & alii noſtrûm imputationem in *Eſſentialem* & *Cogitationis* dividant, & hanc juſtitiæ Chriſti nobis imputationem in poſteriori ſpecie (*Cogitationis* ſcilicet) collocent, non tamen *humanam cogitationem* volunt, quæ ſæpè falſa & perverſa eſt, ſed *Divinam*, cui *nihil falſi ſubeſſe poteſt*, adeò ut quicunque à *Deo* omniſcio veriſſimo *pro juſto reputatur, verè juſtus* ſit. Sic Apoſtolus Rom. 5. 19. δίκαιοι κατασταθήσονται *juſti* non ſolùm *cogitativè reputabuntur*, ſed verè & realiter *conſtituentur juſti.* Nam imputatio hæc non eſt fictio cogitationis humanæ, ſed efficaciſſima Dei ordinatio & validiſſima donatio.

Davenantius.

2. Ineptè à *Bellarmino juſtitia imputata*, & *injuſtitia inhærens* habentur ut *formæ contrariæ*, cum *contraria* debeant eſſe *ad idem*, & ſub *eodem genere proximo* contineantur.

Sic quidem contrariantur *juſtitia & injuſtitia imputata*, & *juſtitia & injuſtitia inhærens*, ſed non *juſtitia imputata*, & *inhærens injuſtitia.*

3. Cum dicit denominationem *potius* ſumendam eſſe à *forma interna*, quàm ab *extrinſeca*; nil agit. Nam jam non adeò quæritur utrùm denominatio hæc *potiùs* ſumenda ſit à formâ intrinſecâ, ſed utrùm *rectè* ac *ritè* deſumi *poſſit* ab *extrinſeca*: Nos ab utrâque rectè deſumi poſſe aſſerimus; Nam

4. Quod de *abſolutâ* denominatione loquitur, nihil ad nos pertinet. Cùm enim *Abſolutum* partim *Relativo*, partim *imperfecto* & *partiali* opponitur, neutro ſenſu nos juſtificatum in hâc vitâ *abſolutè juſtum* eſſe dicimus, Nam quoad juſtificationem eum quidem *perfectè* adeòque *ſecundo ſenſu abſolutè juſtum* eſſe aſſerimus, ſed tamen *relativè* per *Chriſtum*, *fidem*, *gratiam*, nimirum quatenus per fidem Chriſti juſtitiam imputatam apprehendit, ſibique applicat, & ſic ex *Dei gratia relativè juſtus* habetur & renuntiatur: ſed quoad

ſan-

ſanctificationem, quamvis in ſe poſitivè & *inhærenter* & *non relativè*, atque ità in *primo ſenſu abſolutè juſtus* eſt, quia tamen hoc in hâc vitâ non ὁλοκλήρως, ſed *imperfectè* fit, ideò ſecundo illo ſenſu *Abſoluti*, *abſolutè juſtus* neque in ſe eſt, nec à nobis dicitur.

5. Ergo licèt à *neutrâ abſolutè juſtus* vel injuſtus denominatur, *reſpectivè* tamen ab *utrâque* ità rectè denominari poteſt ut *Æthiops* ille ſuus *albis veſtibus indutus*, licèt *abſolutè* & per omnia nec *niger* nec *albus* denominari debet, tamen *reſpectivè* quoad corpus ejuſque colorem niger dici debet, at quoad *dentes* per *Synecdochen*, quoad *veſtes candidas Metonymicè albus* dici, idque rectè poteſt: ſimiliter & fidelis *juſtificatus reſpectu* habito ad *concupiſcentiæ reliquias* & corpus mortis & peccati adhuc inhabitantis *injuſtus* (à *ſeipſo* præſertim) humiliter & veraciter dici poteſt, prout *Publicanus pœnitens*, quamvis jam *juſtificatus* fuit Lucæ 18. 14. tamen ſe *peccatorem* vocavit v. 13. Quia tamen denominatio à *potiori parte* deſumi pro more ſolet, & ex æquo debet, ideò (ſi illud *Bellarmini potiùs* ſpectemus) procul dubio non ab illâ *aliqualiter inhærente injuſtitiâ injuſtus* denominandus eſt, ſed *juſtus* potius ab illâ tam *imputatâ* quàm *inhærente juſtitiâ*. Non hoc quidem ex *rigore legis* & *juſtitiæ*, cum *bonum non niſi ex integrâ cauſâ*, *malum vero ex quolibet defectu*, & „ qui in uno peccat, omnium reus eſt Jacobi 2. 10. ex *Dei* tamen in *Evangelio* per *Chriſtum* ἐπιεικείᾳ & *Gratia* quæ peccata condonat, & quod minimum vere boni eſt gratioſè reſpicit & acceptat, cum talis in juſtitiæ ſtatu ſit, eum *reſpectivè juſtum* pronuntiat & denominat: & quidem quoad *ſtatum duplicem*, tum *juſtificationis*, tum *ſanctificationis*.

Primò *juſtificationis*; & ſic ex perfectiſſimæ juſtitiæ Chriſti imputatione (quamvis tantùm *relativè*, & eo ſenſu *non abſolutè* juſti denominari poſſunt, tamen) *ſenſu poſteriore perfectè* & *abſolutè* juſti dici debent. Cum enim de *re extrinſecâ* agitur (quod hîc fit) quare non ex *formâ extrinſecâ potiſſimum* imò *ſolùm* eſſet denominatio, & non ab *intrinſecâ?* ut *Æthiops candidis veſtibus indutus* (ſi ſolùm ſecundùm *veſtes* illas eum ſpectemus) *albus* omninò dicendus eſt. Et homo licèt in *ſe* & ortu ſuo planè *ignobilis* ſit, ſi eum tamen conſideremus quatenus *Regis gratiâ* in *illuſtrem familiam* vel *titulum aſcitus* eſt, optimo jure *Nobilis* denominationem habet. At verò *hoc* in *juſtificationis* negotio præcipuè ſpectandum eſt, atque ab *eo* idcircò præcipuè deſumenda eſt denominatio. Hoc ſæpiſſimè uſu venit in *foro humano*, in quo qui Judicis *ſententiâ juſtificatur* & reatu liberatur, pro recto & *juſto habetur* & denominatur, quamvis *in ſe* ſummè reus & *injuſtus* priùs erat, imò etiam forſan ſi talis in poſterum adhuc manſerit: at quantò hoc magis concedendum eſt in *foro Divino*, ut qui ex *ejus* ſententiâ *juſtus renunciatur*, *juſtus* omninò *denominetur?* Præſertim, cum nullus qui ità à Deo in juſtificatione pro juſto deputatur *injuſtus* prout priùs erat, *in poſterum* maneat. Nam

Secundò (cum *juſtificatio* ex ſententiâ noſtrâ, & ſcripturæ ſemper *ſanctificationem* indivulsè annexam habeat) quoad hunc *ſanctificationis* ſtatum juſtificatus meritò *juſtus* nominari poteſt. Non eſt enim vel *Æthiops* ille *Bellarminianus veſtes* & *dentes* ſolos *albus*, ſed *intùs* & *in cute* gratiæ *ſanctificantis candore imbutus*, nec etiam *impius*, ut eum blaſphemando vocat *Jeſuita*.

Rom. 4. 5. *ſuita.* „ Deus quidem (dicente Apoſtolo) juſtificat impium: ſed hoc *antecedenter* intelligendum eſt; nam *conſequenter* poſt *juſtificationem* (cui ſemper, ut dixi, annexa eſt *ſanctificatio*) non *manet impius.* Ità enim in Sacrâ Scripturâ is ſolus vocatur, qui omnis *gratiæ ſanctificantis expers*, & *in peccato mortuus* eſt, imò *peſſimis flagitiis* mancipatus unde ἀσεβεῖς & ἁμαρτωλοὶ *impii*, & *peſſimæ notæ peccatores* ut *Synonymi* conjunguntur 1 Tim. 1. 9. 1 Pet. 4. 18. At nullus verè *juſtificatus ſic impius* eſt, ſed veri nominis *Pius* eſt Act. 10. 2, 7. 2 Pet. 2. 9. Quamvis ex *peccato* adhuc *inhabitante* quoad *actus* ſæpiùs peccet; neque enim ità ſubito eradicantur priùs contracti mali habitus interiores, *ex parte* tamen *ſanctificatus* eſt, imò *homo novus integer* in eo creatus eſt, *ſemen Dei in eo manet*, quoad firmum animi *propoſitum* & *deſiderium juſtus* eſt, & juſtitiâ delectatur, quoad *actus* etiam *crebriores*, & *continuum vitæ curſum juſtitiam operatur.* Quod ergo in uſu communi alias venit, æquum eſt ut hîc etiam obtineat, ſcilicet ut ex *parte potiore*, imò & *fortiore*, denominetur *juſtus*; atque ità & quoad ſtatum juſtificationis & ſanctificationis verè & propriè juſtus omnis verè juſtificatus denominari poteſt, nam in *eadem perſona* utramque conjungimus juſtitiam, quamvis non in *eâdem cauſæ ratione.* Atque ſic 4to *Bellarmini* Argumento ſatis, abundè (ut opinor) ſatisfactum eſt.

Arg. 5. 7. Quintum ejus argumentum priùs profligavimus, ut & ſeptimum. Miſſa ergo jam facio.

Arg. 6, Quod etiam urgent Tapperus & Andradius. Sextum verò ſic ſe habet „ Chriſtus id nobis reſtituit quod perdideramus „ in Adam: At in Adam non perdidimus juſtitiam imputatam, ſed veram „ juſtitiam inhærentem. Igitur per Chriſtum veram juſtitiam, non extrinſecam tantam, imputatamque recipimus.

Sol. Sharpius in Curſu paginâ 1053. Hoc argumentum *in forma* peccare volunt noſtrorum aliqui, quod ſic inſtituunt. „ Quod non amiſſum fuit in Adamo, id non datur in Chriſto: „ At imputata juſtitia non fuit amiſſa in Adamo; Ergo juſtitia imputata „ non datur in Chriſto. Quod ideò *in forma* peccare dicunt quia *Minor* eſt *negativa* in *prima Figura.* Cui exceptioni non aſſentior duplici ratione. 1. quia in Syllogiſmo ità formato *Minor* non eſt *negativa.* Quamvis enim hæc Propoſitio *Imputata juſtitia non fuit amiſſa in Adamo in ſe* ſeparatim ſumpta ſit *Propoſitio negativa*, at *conjunctim* ſumpta cum *Majore Propoſitione*, in cujus ſubjecto negatio continebatur (quod non amiſſum, fuit in Adamo) pro *affirmativa* ſumenda eſt, ut in hoc Syllogiſmo „ Quod non „ ſentit, non eſt animal: Lapis non ſentit; Ergo non eſt animal; & in „ aliis ſimilibus.

2. Quia licèt ut *illi* hoc argumentum *formant*, ſit in *prima Figura*, tamen ut à *Bellarmino* proponitur poteſt eſſe *in ſecunda*, in qua *Minor* poteſt eſſe *negativa.* Sic nimirum „ Id recipimus in Chriſto, quod perdidimus in „ Adamo; ſed imputatam juſtitiam non perdidimus in Adamo: Ergo im„ putatam juſtitiam non recipimus in Chriſto. Qui Syllogiſmus *in forma* nihil peccat, niſi quòd *Major Propoſitio* non ſit *univerſalis* (prout eſſe debet) cum ità vel dici vel intelligi debeat „ *Id ſolum* recipimus in Chriſto, quod perdidimus in Adamo; quod *reſtrictionem* loquitur *univerſalitati contrariam.* Sed miſſâ hujus Syllogiſmi *forma* ad omnes ejus Propoſitiones ſigillatim reſpondemus.

Et

Et primò ad *Majorem* duo reſpondemus, *Ad Majorem.*

1. Si cum *reſtrictione* ſumatur, & ſic efferatur uti ex vi argumenti debet, „ *id ſolum* in Chriſto recipimus, quod amiſimus in Adamo, ut in *formâ* „ peccat, ſic etiam in *materiâ*. Non enim id *ſolum* quod in *Adamo amiſimus*, in *Chriſto recipimus*, ſed & *plura* & *majora*.

Plura à Chriſto recipimus, fidem in Mediatorem, de delictis pœnitentiam, & converſionem, quas *non amiſimus in Adamo*, quia eas in eo nunquam habuimus, ut nec velle quod poſſumus, neque in bono perſeverantiam.

Majora etiam, gratiam *Chriſti*, quæ longè major eſt illâ *Adami*, gratiam *indeclinabilem*, qualis illa *Adami* non erat, quod miſerâ edocti ſumus experientiâ. Majorem etiam vel inhærentem gratiam per *Chriſtum* tandem aſſequemur in *cœlo* quàm illa fuit quam *Adami* lapſu amiſimus in *Paradiſo*.

2. Veriſſimum etiam illud eſt, quod communiter huic reſpondent Theologi noſtri, nimirum eſſe *fallaciam accidentis*, à *re* ipsâ ad *modum*. Mutatur enim hoc argumento *Quid* in *Quale*, & confunditur *res* & *rei modus*. *Res eadem* eſt, quam in Adamo amiſimus, ſcilicet *vera juſtitia*, at *modus* eam aſſequendi *diverſus*, in *Adamo* per *ſolam infuſionem*, in Chriſto *partim* etiam per *infuſionem*, ſed *primò* & *radicaliter per imputationem*, ex quâ fluit illa ſequens infuſio. Sic in Adamo amiſimus *originalem juſtitiam*, in Chriſto vero recipimus *veram* quidem & *ſecundùm eſſentiam eandem juſtitiam*, ſed non *originalem*, hoc eſt nobis ab origine noſtrâ inſitam.

Ad *minorem* etiam quæ hæc erat, *At in Adamo non amiſimus imputatam juſtitiam*; *Reſpondeo* concedendo juſtitiam illam primævam Adamo à primo ortu non fuiſſe *imputatam*, ſed *infuſam* & *collatam*. Dico tamen *Ad Minorem.*

Primò ſi in eâ perſtitiſſet, ex Fœdere Operum fuiſſet ei *imputanda* in juſtitiam, ſecundùm illud Apoſtoli Rom. 4. 4. „ ei qui operatur merces non „ imputatur ex gratiâ, ſed ex debito. In eo ergo amiſimus, licet ob ejus lapſum non actu imputatam, at *ex Fœdere imputandam*.

Neque *Adamo ſoli*, ſed *nobis imputandam*: imò quatenus *noſtra* dici potuit, *ſolum imputata* fuit, quia nobis lapſis priùs quàm natis *nunquam* perſonaliter *inhærens* fuit, quam tamen *amiſimus*. Sicut ergo eam in *Adamo* amiſimus quatenus fuimus in eo tanquam in *radice* & *principio*; ſic licèt nobis non inhæreat *Chriſti juſtitia*, *noſtra* tamen reputari poteſt, quatenus ſumus *in eo* tanquam *membra in Capite*.

Ut illud etiam addam in hâc controverſiâ non quæritur an in Chriſto *reſtituatur*, ſed an *imputetur*. Non ergo hîc intendimus, utrùm *Adamo imputata* vel *collata* fuit. Hoc volumus, quod eam (qualiscunque fuit) *amiſimus*, quam non recuperamus niſi præeunte & hoc præſtante juſtitiæ Chriſti *imputatione*.

Ad *Concluſionem* denique, quæ hæc fuit *Igitur per Chriſtum veram juſtitiam*, *non extrinſecam tantùm imputatamque recipimus*; rejectâ ſolâ falſiſſimâ illâ ſuâ (quam hîc & paſſim innuere & ingerere vult) inter *veram* juſtiam, & *imputatam* oppoſitione, ac ſi *imputata vera* non eſſet, hoc inquam ſolo notato, & rejecto Concluſionem veram eſſe concedimus, nimirum *Ad Concluſionem.*

nos recipere *inhærentem juſtitiam* à Chriſto, & non ſolùm *imputatam*; nam utramque nos à Chriſto accipere grati ſemper confeſſi ſumus æquè illam in *ſanctificatione* ac hanc in *juſtificatione*, *inhærentem* inquam, licèt non formaliter per juſtificationem, tamen *concomitanter* cum *juſtificatione* in *ſanctificatione* ei indiſſolubili nexu *conjunctâ*. Annon ergo tremendus hoſtis *Bellarminus*, cujus eum totum telum corpore noſtro excipimus, nil inde nobis adverſi accidit? Ità ſcilicet ſemper concludant eorum argumenta, ut nihil concludant contra Chriſti veritatem, vel ſententiam noſtram ei innixam.

Arg. 8. Octavum *Bellarmini* argumentum ex eo deſumitur quòd „ in Canticis „ Canticorum Eccleſia comparatur Sponſæ, quæ pulcherrima eſt pulchri- „ tudine ſibi inhærente, non pulchritudine Sponſi ei imputatâ. Quod „ duobus probat „ 1. quia Sponſæ tribuitur pulchritudo propria mulierum, „ & Sponſo pulchritudo virorum. 2. Quia abſurdiſſimum eſſet ſi Sponſus „ cœleſtis & verè pulcherrimus Sponſam haberet turpiſſimam, & ſolùm or- „ natam extrinſecùs preciosâ aliquâ veſte viri.

Sol. Ad Argumentum in genere hæc dicimus.

1. In Canticis Sponſa *pulchra* dicitur, ſed utrùm ex pulchritudine *imputatâ* vel *inhærente*, vel utrâque πρώτως non dicitur; ideòque vel alterutri vel utrique communis eſſe poteſt hic locus.

2. Malè etiam opponuntur pulchritudo *inhærens* & *imputata*, ac ſi ità ἀσύστατα eſſent, ut eidem ſponſæ vel perſonæ ambæ convenire non poſſint; quod non ſolùm pro *poſſibili*, ſed pro *veriſſimo* habemus & aſſerimus. *Veſtem* illam *nuptialem* Matth. 22. 11. tam ex gratiâ Chriſti *infusâ* quàm *imputatâ* conſtare non ægrè fateor, quâ utrâque Sponſam ornatam eſſe contendimus, ut illa Ezek. 16. quæ non tam ab innatâ vel inhærente formâ quam ab externis ornamentis (uti conſtat ex v. 10, 11, 12, 13.) pulchra dicitur à *Decore Dei ipſi impoſito* v. 14. imò tantùm abeſt ut *inhærens pulchritudo imputatæ repugnet* ut ex eâ *dependeat* ut *effectum* ex *causâ*.

Ad primam probationem, quòd „ pulchritudo Sponſæ mulierum pro- „ pria ſit, ut Sponſi virorum, ut utriuſque eadem non ſit.

Reſpondeo,

Non eadem *per omnia* eſt Sponſi Chriſti & Sponſæ Eccleſiæ pulchritudo: licèt *eſſentia eadem* ſit, *gradu* tamen & *modo* diverſa Pulchritudo *ſponſæ*, quoad *ſanctificationem* & inhærentiam, in hâc vitâ ſimpliciter *imperfecta* eſt, & *comparatè* ad Chriſtum *ſemper* vel in cœlo *imperfecta* erit: at *Chriſti* utrobique ſemper *perfectiſſima*. Pulchritudo etiam *ſponſæ* quoad *juſtificationem mutuatitia* & *imputata* eſt, at *Chriſti inhærens* & propria.

At quamvis ità gradu & modo diverſæ ſint, non inde tamen ſequitur aliam omninò eſſe illius & hujus pulchritudinem. Nam quamvis juſtitia *perſonæ* Chriſti ſit *Sponſi*, juſtitia tamen *officii* ſui & *meriti Sponſæ* eſſe poteſt per *imputationem*, quatenus ex officio ſuo nobis *factus eſt juſtitia*. Ut enim *uxor fulget radiis mariti*, ſic Sponſa Eccleſia pulchritudine & juſtitiâ Sponſi ſui Chriſti, quæ & ſibi & ſuis abundè ſufficit, ut pulchrè & more ſuo piè admodùm *Bernardus* Serm. 61. „ Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius, „ ipſa eſt enim & mea, nempe factus es tu mihi juſtitia à Deo: nunquid „ mihi verendum eſt ne non una ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve

quod

„ quod ſecundùm Prophetam non poteſt operire duos. Juſtitia tua in æter-
„ num: quid longius æternitate? & te pariter & me opertet largiter larga
„ & æterna juſtitia. Neque nobis metuendum eſt ab interdicto illo Deut. 22. 5. „ non induetur mulier veſte virili. Quamvis enim eadem *veſtis* utriuſque *ſexûs corporibus* non conveniat, at eadem *gratia* utriuſque *animis* quàm optimè, & (ut ità dicam) unicè: non alia virorum & fœminarum fides, pietas, charitas: eadem *Adamo* & *Evæ* primitùs impreſſa Dei imago, & ſimilitudo: „ ad imaginem Dei creavit eum; marem & fœ-
„ minam creavit eos. Gen. 1. 27. ſed in *eâdem imagine* utroſque.

Ad ſecundam verò *Bellarmini* probationem, quæ pro abſurdiſſimo habet
„ Sponſum pulcherrimum Sponſam habere turpiſſimam, ſolùm extrinſecâ
„ pretioſâ aliquâ veſte viri ornatam, duo tantùm reponimus.

1. Nos non adeò blaſphemè delirare, ut *ſponſam Chriſti*, vel Eccleſiam, vel animam quamvis fidelem *turpiſſimam* eſſe vel dicere vel cogitare unquam audeamus; imò verò eam, quatenus in *juſtificatione Agni* illius ἀμώμου καὶ ἀσπίλου vellere veſtita eſt, ſimpliciter & *abſolutè pulcherrimam* eſſe non veremur aſſerere: quin & quoad *ſanctificationem* & gratiam inhærentem *comparatè pulcherrimam* eſſe dicimus, *non* quidem comparatè ad *Legem Dei*, & ſtrictum examen *Divinæ juſtitiæ*, ſed ad *priorem corruptionis ſtatum*, in quo erat quidem *turpiſſima*, at jam ex *infuſione gratiæ* multis ejus donis decora eſt, & *pulchra* admodùm. Sed tamen *1 Pet. 1. 19.*

2. Hæc inhærens gratia & *pulchritudo* in hac vita *imperfecta* eſt, multisque peccati inhabitantis nævis & maculis aſperſa, quò minùs legis rigorem, & ſeverum Dei judicium ſuſtinere poterit, vel ejus favorem ſibi conciliare, hoc à ſolo *Chriſto* habet, *in quo Deus ſibi complacuit*: Quod verò ad nos attinet cum *omnis juſtitia noſtra ut pannus menſtruata* ſit, cum *Bernardo* humiliter dicamus, „ qui non poſſumus in veſtitu innocentiæ & juſtitiæ, appa-
„ reamus veſtiti confuſione, pulchritudo enim noſtra non in perfectione inhærentis juſtitiæ conſiſtit, ſed potiùs in fide & pœnitentiâ: prout *Gregorius* in illa verba Canticorum *Tota pulchra es*, „ Quamvis quotidiè peccat,
„ per aſſiduam tamen pœnitentiam munditiam ſuam aſſiduè ſervat. Sic etiam ipſa *Sponſa*, quam *totam pulchram* Sponſus vocat, ſeipſam tamen (ſibi ipſi optimè cognitam) *nigram* vocat, nigram inquam, ſed non ideo (ut *Bellarminus* blaſphemat) *turpiſſimam*, ſed & *nigram* ſimul & *pulchram* Cant. 1. 5. *Matth. 3. 17.* *Serm. 2. in vigil. Nativ. Domini.* *In Cant. Cap. 4.*

Argumentum *Bellarmini* nonum ſic ſe habet. „ Per juſtificationem mun- *Arg. 9.*
„ datur cor, ut præparetur ad viſionem Dei; nam ideò dicitur Matth. 5.
„ Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt & Act. 15. fide puri-
„ ficans corda eorum. At oculus reipſâ immundus, quamvis mundiſſi-
„ mus habeatur, non poteſt Solem videre, igitur neque cor immundum,
„ quamvis mundum reputetur, Deum unquam videbit. Vera igitur mun-
„ dities, non imputata confertur in juſtificatione, ſi ad viſionem Divinam
„ præparare nos debet. Hæc ille.

Quibus hæc Reſpondeo, *Sol.*

Primò & in genere, hoc *Bellarmino* ſolenne eſſe, ut *argumenta* ſua non *in formam redigat*, quo meliùs *ſoluto* & *confuſo dicendi genere* fucum faciat,

in eiſque latentem *fallaciam obtegat.* Si verò *in formam redigatur* hoc ejus argumentum, hoc vel conſimili modo inſtitui debet „ Per Juſtificationem „ cor mundatur ut ad Deum videndum præparetur. Sed per ſolam imputa- „ tam juſtitiam cor non ità mundatur, ut ad Deum videndum præparetur. „ Ergo in imputatâ juſtitiâ non conſiſtit juſtificatio.

Cui argumentationi ſic Reſpondeo,

Primò ad *Majorem*, quòd *cor* dupliciter *mundari* dicitur, à peccati vel *reatu*, vel *maculâ* & inquinamento ſecundùm illud 1 Cor. 6. 11. „ Sed „ abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, ubi *ablutio* illa quæ primo loco ponitur, ut utrique communis, tam *juſtificationi*, quàm *ſanctificationi* tribuitur, *juſtificationi* ſcilicet ablùtio à *peccati reatu*, *ſanctificationi* à *maculâ*. Quo poſito ad *Majorem* reſpondeo per *juſtificationem ſenſu priori propriiſſimè mundari cor*, ſcilicet à *peccati reatu* ex *imputatâ Chriſti juſtitiâ*, quæ χάρις non eſt inanis δόκησις, ſed eſt non ſolùm ὑποκριτικὴ ſed & ἐνεργητικὴ (nimirum *vera applicatio fundamenti ad terminum*) atque ex eâ ità homo præparatur ad videndum Deum, ut cum humili confidentiâ *coràm Deo compareat, ſine cujus condonatione nemo in conſpectu ejus conſiſtere poteſt* Pſal. 130. 3. Ezræ 9. 15. Sed *hanc cordis mundationem*, quam *juſtificationi* ultrò concedimus, *Bellarminus* hîc non intelligit, ſed illam alteram, quæ peccati non *reatum*, ſed *maculam* abluit, & ſic pro more ſuo *juſtificationem* & *ſanctificationem* confundit: Nos verò hanc *maculæ* etiam *ablutionem* etſi concedimus *unà cum juſtificatione* & *in juſtificatione* conferri, eam tamen per *ſanctificationem formaliter* fieri dicimus, per *juſtificationem* verò vel *efficienter*, vel *concomitanter*, quatenus ſanctificationem ſibi ſemper annexam habet, quæ hanc mundationem formaliter operatur.

Ad *minorem* ergo (quæ fuit „ At per ſolam imputatam „ juſtitiam cor non ità mundatur ut ad videndum Deum præparetur) Reſpondeo negando. *Cor* enim per *juſtificationem* ex *imputatâ juſtitiâ* priore illo ſenſu *mundatur*, & in ſenſu item priùs dicto ad *Deum videndum præparatur*, quatenus fides *Chriſtum* apprehendit, eumquè (ut *Benjaminem Joſepho*) *Sponſorem* ad *reatum tollendum* & *favorem Dei conciliandum adducit* & offert: at in iſtâ *reatus ablatione*, & *favoris Divini conciliatione*, vel reconciliatione *juſtificatio* conſiſtit, quæ, cum per ſolam imputatam Chriſti juſtitiam acquiratur, in ejus utique *imputatione* juſtificatio conſiſtit.

Sed (ſi placet) *Bellarminum* in ſoluto ſuo argumentandi genere ſequamur.

Primò dicit per juſtificationem mundari cor, & ad Dei viſionem præparari. Quo in ſenſu hoc verum ſit jam diximus.

Sed ſecundò cum ad illud probandum ea loca adducit, „ Beati mundi cor- „ de, quoniam ipſi Deum videbunt, & „ fide purificans corda eorum vellem ut oſtendat quomodo hæc loca probant hanc *cordis mundationem* atque ex eâ ad Dei viſionem præparationem *formaliter* per *juſtificationem* fieri. Prior locus dicit mundos corde Deum viſuros, ſed non dicit per *juſtificationem cor* ità *mundari* (ſcilicet ab *inhærentibus peccati ſordibus*, quod tamen intelligit *Bellarminus*) ſatis fit huic loco, ſi per *ſanctificationem* fiat hæc *mundatio*. Secundus quidem locus *fidei* meminit, quæ *juſtificationem* ſpectat, at non *ſolùm* juſtificationem, ſed & *ſanctificationem* etiam, juſtificat Chriſti juſtitiam ap-

pre-

prehendendo, & ſic cor à peccati reatu mundat, ut Deum videat, & coràm eo compareat, ſed & ſanctificat etiam cor à peccati ſordibus purgando quò meliùs etiam „ juſtitiâ videat Dei vultum, & tandem cum expergiſcitur, „ ejus ſimilitudine ſatiabitur, ut habetur Pſal. 17. 15.

Tertiò dicit *Bellarminus* „ ut oculus reipsâ immundus, quamvis mundiſ- „ ſimus habeatur, non poteſt Solem videre; ſic neque cor immundum, quam- „ vis mundum reputetur, Deum unquam videbit. Sed nos contrà dicimus

1. Cor *reipsâ immundum* falsò pro *mundiſſimo* haberi. Sed „ ſcimus *judi-* *cium Dei* „ ſecundùm veritatem eſſe dicente Apoſtolo, proindeque qui à *Rom.* 2. 2. *Deo* juſtus & *mundus* habetur, ità *verè* habetur atque ideò non ſolùm in juſtificatione ex Chriſti imputatâ juſtitiâ mundiſſimus eſt, ſed etiam in ſanctificatione juſtificationi ſemper annexâ ſpiritûs ſanctiſſimi operâ & gratiâ infusâ, licèt non *mundiſſimus*, omnique maculâ vacuus ſit; ex parte licèt, tamen *reipsâ mundus* eſt, & nominari debet: oculus loco, inquam, hic non *totus immundus* vel *cæcus* eſt, cum jam *Chriſti collyrio unctus* ſit, cum, ut rerum *Apoc.* 3. 18 creatarum prima *lux* fuit, ſic prima ſanctificationis exordia ab *intellectûs illu-* *Gen.* 1. 3. *minatione* & *ſpiritûs mentis renovatione* incipiant Act. 26. 18. Epheſ. 4. 23: 5. 8, 13, 14. quæ Dei viſio unà pariter cum cordis mundatione incipit, adoleſcit, & ad ἄκμὴν tandem aſſurgit. Primò quidem ſubluſcus fidelis eſt, ut ille in Evangelio qui „ primò homines ambulantes vidit ut arbores, ſed poſt- *Marci* 8. 24. eà auctâ indies munditie, inclareſcit magis viſio, donec tandem diſſipatis omnibus peccati nubeculis, & oculo *Aquilino* facto *Solem intueri* poteſt, meridianâ luce viſione beatificâ „ Deum facie ad faciem videbit, Duplex, *1 Cor.* 13. 12. inquam, Dei viſio. *Viatorum* una, *Comprehenſorum* altera. Hæc ſecunda ἐξεως *viſio* dicitur quatenus *ambulare per aſpectum* & *per fidem* opponuntur ab Apoſtolo 2 Cor. 5. 7. At fides oculum ſuum habet, nec tota cæca eſt, quamvis enim hîc Deum „ per ſpeculum videat & in ænigmate, aliquid videt tamen, ſi non in meridianâ luce tamen in crepuſculo, & licèt ad clariſſimam illam, beatificam ſcilicet, ejus viſionem (quamdiu hîc agitur) non pertingit, *ad Deum tamen videndum præparatur*, de quo *Bellarminus* hîc loquitur.

Ejuſdem commatis eſt decimum & ultimum ejus argumentum, quod tale *Arg.* 10. eſt „ Chriſtus paſſus eſt ut ſanctificaret populum ſuum: at ſi non verè, ſed „ imputativè tantùm populum ſuum ſanctificet, fruſtrà paſſus eſt, & non „ potuit efficere quod optabat, verè enim ſanctificare non eſt liberare à pœ- „ nâ peccati, ut habeamur pro ſanctis, quamvis reverâ non ſimus, ſed effi- „ cere ut verè ſancti, mundi & immaculati ſimus.

Reſpondemus

1. Abſurdè & calumniosè *verum* & *imputatum* opponi, cum *imputationi Divinæ* ſumma ſubſit *veritas*.

2. *Chriſtus paſſus eſt* ut æquè *juſtificaret* ac *ſanctificaret* populum ſuum, in quorum neutro, fine ſuo fruſtratur. Nam

Et verè *juſtificat* per ſolam *juſtitiæ ſuæ imputationem*, de quâ juſtificatione jam agimus.

Verè etiam & *inhærenter* non *imputativè* ſanctificat quos juſtificat juxta illud Apoſtoli „ Quos juſtificavit eos etiam & glorificavit; hîc quidem *inchoatè* *Rom.* 8. 30. & per gradus, & tandem *perfectè*, de quâ ſanctificationis in cœlo perfectione

ab *Auguſtino* [a], *Bedâ* [b], imò ab ipſo *Aquinate* exponuntur quædam eorum quæ hîc adducit *Bellarminus* loca. Ut & loca illa omnia, quæ Eccleſiam perfectè ſanctificatam & omnibus maculis mundatam prædicant, qui „ultimus finis eſt ad quem perducimur per paſſionem Chriſti, unde hoc erit „in ſtatu patriæ, non autem in ſtatu viæ ſunt verba *Thomæ* parte 3. q. 8. art. 3. ad 2dum. verè ergo juſtificat Chriſtus per juſtitiæ ſuæ imputationem, atque æquè verè ſanctificat per inhærentis gratiæ infuſionem. Sed hoc poſterius *verè* licèt, tamen pedetentim, & *lentè* aliquando ut *Calvinus* & *Pezelius* loquuntur, & in *hâc* vitâ *imperfectè*, ſed *certiſſimè* atque *perfectiſſimè* in *futurâ*, quod utrumque efficere & poteſt & vult, atque hoc modo efficit; Nulla ergo fruſtratio eſt. Ut duo hîc coronidis loco apponam,

a *De perfectione juſtitiæ.*
b *In Epheſ. 5*

1. Quamvis Chriſtus utroque modo finem ſuum aſſequitur, non tamen vult ſua beneficia *confundi*, cum iſta confuſio *gratiam* Dei non parum *obſcuret*, & ſimul *pacem conſcientiæ* perturbet. Nam *Vorſtius.*

2. Illud ſecundum eſt, cum hæc noſtra *ſanctificatio* licèt *vera* & *inhærens* eſt, in hâc vitâ *imperfecta* ſit, ideò *juſtificationem* noſtram coràm Deo ab *illâ* ſuſpendere minimè *tutum* cenſemus, adeòque ad nos juſtificandos *ſoli imputatæ nobis Chriſti juſtitiæ* totos niti vel cum ipſo *Bellarmino* eſſe judicamus ὁ ἰδὴ δεῖγμα.

Atque ità tandem omnibus *Bellarmini* in contrarium argumentis, ut opinor, reſponſum eſt. Et cum ille in calce illius Capitis hæc ultima verba habet, „Aliæ rationes multæ adferri poſſunt, ſed hæ viſæ ſunt nobis præcipuæ. O quàm benè habet! ſi hæ *præcipuæ* ſint, minùs nobis de reliquis metuendum eſt, cum eæ, quæ *Bellarmino præcipuæ* ſunt, tam *imbelles* fuerint.

Soluto jam tandem ſecundo, quod propoſuimus, quæſito, vid. An Juſtitia Chriſti nobis in juſtificatione noſtrâ imputetur in juſtitiam?

Sequitur jam tertium, ſcilicet *Quænam* juſtitia Chriſti illa ſit, quæ nobis in juſtitiam imputatur?

Cum enim Chriſti juſtitia multiplex ſit. 1. vel *Eſſentialis* quâ *Deus* eſt, vel quâ & *homo*. 2. Eàque aut *tota* atque univerſalis ei inhærens juſtitia, vel *ſola Mediatoria*, 3. vel denique (quæ dici ſolet). *activa*, vel *paſſiva* juſtitia, de his omnibus (ut ab aliis fit) à nobis etiam non incommodè fieri poteſt diſquiſitio.

Primò, An juſti efficiamur *eſſentiali* Chriſti, quâ *Deus* eſt, juſtitiâ?

Secundo, An *univerſâ* ejus *juſtitiâ*, vel *ſolâ Mediatoriâ?*

Tertiò, An *ſolâ paſſivâ*, vel etiam & *activâ* ejus juſtitiâ nobis imputatâ? Et primò de primâ

An juſtificamur vel juſti efficimur eſſentiali, quâ Deus eſt, juſtitiâ.

Partis affirmativæ ſuperiori ſæculo inventor & aſſertor fuit *Andreas Oſiander*, vir ſatis doctus, at turbidi ingenii, & vitæ minùs ſobriæ, ſi eis quæ vel à *Calvinô* [a] vel [b] *Melanchthone* de eo ſcripta ſunt fidem habemus. Hic dum cauſam ſuam gnaviter egit, ſubito Paroxyſmo Epileptico correptus diem obiit, prout *Funccius* hyperaſpites ejus primarius ob turbatas res in Rep. *Regiomonti* capite multatus eſt, qui (referente *Bucholzero* [c]) hoc diſticho ſeipſum ante mortem deflevit, alioſque monuit,

a *Epiſt. pag. 108.*
b *Enarrat. Evang. parte 3. vide Hoornbeek Summ. Controverſ. p. 613. &c.*
c *In indice Chronologico*

Diſce

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem τὸν πολυπραγμονίλω.

Sed *homines* miſſos faciamus, eorum nobis examinandæ veniunt *opiniones* & ſententiæ. Hæc verò *Oſiandri* non diù obtinuit, ſed paucis ab exortu ejus annis à viris doctis & cordatis confoſſa unà ferè cum *Oſiandro*, *Funccio* & aliquot aliis ejuſdem farinæ hominibus defunctis ſimul exſpiravit.

Neque mihi quidem animus eſſet, præſertim hoc *noſtro tempore errorum* omnium feraciſſimo *damnatas* priùs & orco datas malè feriatorum hominum *opiniones refodere*, niſi quòd *Oſiandri* de juſtificatione ſententia (de quâ paucis acturi ſumus) partim in *Pontificiis* nunquam vivere deſiit, partim in hodiernis noſtris *Enthuſiaſtis* ſummâ cum Eccleſiæ illatâ labe dicam an peſte revixerit. Rem igitur continuò aggrediamur.

Oſiander iſte quamvis egregiè cum *Interimiſtis* ſui ævi luctatus fuerat, tamen, ut in aliquot aliis doctrinæ capitibus (in *Orali* ſcilicet & *Corporali* Chriſti in cœnâ *præſentia* & *manducatione*, quam cum *Pontificiis* aſtruit) præcipuè in re *juſtificationis* plura malè ſana excogitavit, & primò quidem contra *Morlinum* Collegam ſuum *, dein contra alios propugnavit acriter.

* *Cujus ſententiam nobis explicatam dedit in duabus diſputationibus ejus Regiomonti editis Anno* 1551. *& in Confeſſione ſuâ Germanicâ Anno* 1551.

Atque inter hæc quædam de *juſtitia Adami originali* in ſtatu integro heterodoxa protulit, nimirum eam non adeò conſtitiſſe in totius hominis rectitudine & ſanctitate infusâ & creatâ; ſed

1. *Adamum* fuiſſe *eſſentialem Dei imaginem* quod *Chriſti* Filii ſolius *proprium* eſt Heb. 1. 3. quod etiam *Oſiander* (ſibi contrarius) aſſerere videtur. Nam

2. Tenet *Adamum* ad *Jeſu Chriſti imaginem* creatum fuiſſe tanquam ad Ideam & primarium Dei exemplar.

3. Quem Chriſtum proinde (3tiò in loco) quamvis nos in *Adamo* peccaturi non fuiſſemus *incarnandum* nihilominùs fuiſſe dicit, licèt *non crucifigendum*. Sed hæc quia rem, quam in manibus habemus non adeò ſpectant, miſſa faciamus. Nos de *juſtificatione hominis lapſi* jam agimus. In eâ conſtituendâ hinc in caſtra *Pontificiorum*, illinc in *Enthuſiaſtarum* tranſit *Oſiander*.

Et quidem cum *Pontificiis* in aliquibus convenit, in aliis eos longè ſuperat. Eſt & in quo eis contradicit.

1. In hoc *Pontificiis* contradicit, quòd affirmat Chriſtum nos juſtificare, & Mediatorem noſtrum eſſe tantùm ſecundùm *Divinam Naturam*, cum Pontificii licet *Principium* operationum Mediatoriarum *Quod* fateantur eſſe totum Θεανθρώπου ſuppoſitum, *Principium* tamen *Quo* eſſe ſolùm *naturam humanam* non Divinam, & ſic *Stancaro* magis favent, qui cum *Oſiander* juſtificationem Mediatoriam *ſoli Divinæ* Chriſti *Naturæ* attribuiſſet, ἐκ τῆ ἀνθρωπότητος ἀμετοχίας eam *ſoli humanæ naturæ*, vel Chriſto quatenus homini tribuit. Sic „ dum vitium fugiunt ſtulti, in contraria currunt. Sic cum *Arius* in tribus Perſonis *Naturæ unitatem* negavit, *Sabellius* ad eum refutandum *Perſonarum confuſionem* intulit. Sic etiam cum *Neſtorius* in Chriſto *duas Perſonas* eſſe voluit, *Eutyches* in contrarium *duas confudit*. Sed hæc πρὸς ὀδόν. Ad ſemitam redeamus. In hoc utique *Oſiander Pontificiis* adverſatur.

Vide Bellarm. de Chriſto l. 5. cap. 1. & ſequent.

2. In aliquibus hâc de re iis prorſus *conſentit*.

1. In eo quod *fidem* ad *juſtificationem* tantùm *præparationem* eſſe pronuntiat.

2. Quod remiſſionem peccatorum juſtificationis *appendicem* eſſe vult, vel potiùs *anteambulonem.*

3. Sed præcipuè in hoc quòd juſtificationis vocem *ſenſu forenſi* in hâc Controverſiâ ſumi ridet, & quod ut *Pontificii* juſtificationem noſtram per *imputationem* juſtitiæ Chriſti exſufflant & contemptim *putatitiam* vocant, ità *Oſiander* eos glacie frigidiora docere dicit, qui docent nos tantùm propter remiſſionem peccatorum reputari juſtos.

4. Sed contrà, unà cum *Pontificiis juſtificationem* noſtram in *juſtitiâ* nobis *inhærente* conſiſtere acriter contendit, atque ità *juſtificationem* cum *ſanctificatione* confundit. In his ſcilicet *Oſiandro* cum *Pontificiis* circa *juſtificationem* omninò convenit.

5. In aliquibus etiam hac de re *Pontificios* longè ſuperat,

1. Quòd ſtatuat *paſſionem* & *obedientiam Chriſti* non per ſe & directè ſed tantum *per accidens* nos *juſtificare*, idque miro hoc argumento, quia obedientia illa Chriſti, qua nobis remiſſio peccatorum facta eſt, *pluribus* quàm *mille quinquagentis annis* præſtita fuit *quando Chriſtus cum Deo* egit, at quando *nobiſcum* agit *juſtificatio* noſtra quâ *inhærenter juſti* facti ſumus in *præſenti* eſt. Quàm egregiè! ac ſi aliquid longè remotum non poſſit eſſe cauſa per ſe effecti remotiſſimi, vel ac ſi *Adamus* quia ante annos ferè ſex mille creatus fuit, ideò noſtrûm omnium jam hîc degentium ideò *pater* eſſet & *cauſa* tantùm *per accidens.*

2. Quod affirmat Chriſtum non ideò *juſtum* dici & nobis *Dei juſtitiam factum* fuiſſe, quia legem implevit, ſed ſolummodò quia ab æterno & *juſto* Patre *juſtus filius* natus eſt. Atque hoc ut viam ſtrueret.

3. Et principali non ſolùm hæretico, ſed etiam blaſphemo ſuo dogmati, quòd *juſtificamur juſtitiâ inhærente*, non, ut *Pontificii* volunt, creatâ & infuſa juſtitiâ, qualitatibus ſcilicet divinis Spiritûs Sancti efficacia in nobis productis, ſed (quæ Helena ejus eſt) *juſtitiâ Chriſti eſſentiali* qua *Deus* eſt, & quia eſſentia Divina in tribus Perſonis una & unica eſt, ideòque juſtificationem noſtram ponit in omnium trium Perſonarum eſſentiali in nobis inhabitatione, quâ nos juſtos facit, & movet ad juſtè agendum: atque huc trahit illud Jer. 23. 6. „Jehova juſtitia noſtra, ut & illud Pauli: Facti ſumus juſtitia Dei in eo 2 Cor. 5. 21. & plura ſimilia alia. Atque in his potiſſimùm conſiſtit *Oſiandri* tum à Pontificiis diſcrepantia, tum cum eis convenientia.

At in hoc ultimo omninò cum *Manichæis* antiquis, & *Enthuſiaſtis* hodiernis facit, & planè συμπηφω eſt, dum *eſſentialem Divinæ naturæ in nobis habitationem* blaſphemè aſtruit, non eam, quâ Deus *eſſentialiter*, vel quoad eſſentiam ſuam in *omnibus* rebus creatis ineſſe vulgò dicitur, ſed ejus naturæ Divinæ cum noſtrâ eſſentialem *unionem*, imò in nos *transfuſionem*, & cum animâ & corpore commixtionem ſubſtantialem, quâ Chriſtus ſe in nos transfundens nos quaſi partem ſui facit. Quò obtorto collo trahit plura S. Scripturæ Teſtimonia, ut illud „vivit in me Chriſtus Gal. 2. 20. Chriſtus in vobis 2 Cor. 13. 5. Qui manducat carnem meam in me manet, & ego in eo

Vide Calvin. Inſtit. l. 11. c. 11. §. 5.

Joh.

Joh. 6. 56. Ego in eis & Tu in me Johan. 17. 23. adeò ut quod Apoſtolus Col. 2. 9. *Chriſto* ut peculium tribuit (vid. quòd „ Deitas in eo corpora- „ liter inhabitat) Hic *Sanctis* omnibus blaſphemè communicat, atque ultrò aſſerere non veretur „ omnem Spiritum qui non profitetur (non ut Apoſtolus 1 Johan. 4. 3. Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, ſed qui non confitetur) „ Chriſtum hoc modo, quo ille blaſphemat, veniſſe in carnem, hoc eſt, in *Sanctos* hìc *carne veſtitos* à *Deo non eſſe*. *En cor Zenodoti en jecur Cratetis!* En *Oſiandri ſententiam*, vel potius *delirium*, *mentem* dicam, an blaſphemam *inſaniam*? Concedit quidem in homine juſtificando intercedere *peccatorum remiſſionem*, quaſi inferiorem ejus *appendicem*, vel potiùs eam longè antecedere ut *anteambulonem*; in ipsâ ſcilicet Chriſti paſſione partam & factam, ſed in primo & ſummo gradu (ut *Calvinus* rectè ait) locavit ſpectrum hoc eſſentialis juſtitiæ, eâque ſolâ nos juſtos eſſe aſſerit, & graviſſimè errare omnes, qui putant aliâ re quàm ipſiſſimâ *eſſentiali* Chriſti quâ *Dei juſtitiâ*, vel ſolo uno & vivo Deo Patre, Filio, Spiritu Sancto nos poſſe juſtificari. *Epiſtol. pag.* 303.

Prolixior fui (Auditores) in longiori *Oſiandri* ſententiæ vel potiùs blaſphemiæ, & chelarum cancri hujus, denudatione, quia magis particularis explicatio ſatis eſſe poſſit pro refutatione.

Sed ut magis liberaliter cum *Oſiandro* agamus.

Primò ponamus ea, quæ ultrò ei hâc in re concedimus.

Secundò ad examen ducamus in quibus ab eo (prout par eſt) abhorremus.

Concedimus ergo, imò clarè, ſponte profitemur, imò contendimus

1. Cum *Oſiander* objicit nos non juſtificari niſi uno ſolo Deo, lubenter agnoſcimus *Deum ſolum* fontem & *cauſam* eſſe *omnis in nobis juſtitiæ*, *efficientem* ſcilicet, at non *formalem*, ut noſtra juſtitia ſit ipſa Dei *juſtitia eſſentialis*, adeòque & ipſa Dei eſſentia „ quâ ſe in nos transfundens Deus quaſi partem „ ſui faciat. *Calvin. Inſtit. l. 3. c. 11. §. 5.*

2. Liberè profitemur ad Redemptionem & Juſtificationem noſtram neceſſariò requiri ut *Chriſtus* Θεάνθρωπος; ut homo, ſic etiam *Deus* ſit. At non inde ſequitur id quod *Oſiander* vult, ideò eum *ſolummodo quatenus Deus* erat, nos juſtificare *eſſentiali ſuâ juſtitiâ*. Nam ad juſtificationem noſtram requirebatur *ſatisfactio*, ad hanc *paſſio*, paſſioni & ſatisfactioni iſti Deitas precium & valorem præſtitit; at *humanitas* eam pertulit, *utraque* hypoſtaticè unita rem totam abſolvit.

3. Grati agnoſcimus (ut multa in unum faſciculum colligamus) Chriſtum *fide noſtrum* fieri, nos *Chriſto* ut membra capiti myſtico *uniri*, & per *Chriſtum Deo*, *Deum* quoad *eſſentiam in nobis*, ut & *rebus creatis aliis* omnibus adeſſe, & *ineſſe*, Patrem & Filium ſpeciali & intimâ gratiosâ Spiritûs Sancti præſentiâ & efficaciâ in Sanctis *inhabitare* & *manſionem facere* Johan. 14. 23. Epheſ. 3. 17. Sed non

Vel ut *Pater* eſt in *Filio eſſentialiter*:

Nec ut Filius ſecunda Perſona Deitatis eſt in humanitate Chriſti *hypoſtaticως* & *perſonaliter*, ut unam & eandem *perſonalitatem* habeamus cum *Chriſto*, vel *eſſentiam* cum *Patre*. „ Totam enim plenitudinem Deitatis in „ eo inhabitare Chriſto proprium; & quamvis ipſe dixerit: Ego in eis, & Tu „ in me Johan. 17. 23. & ſicut ego vivo per Patrem, ſic qui me manduca-

„ verit, vivet per me Johan. 6. 57: hoc *ſicut ſimilitudinem* tantùm & *proportionem* indicat, non *æqualitatem*, non *identitatem eſſentialem* & *ſpecificam*; non ità ut commiſceretur *Dei eſſentia*, vel *Chriſti* quà *Dei eſſentialis juſtitia* cum *noſtrâ*. *Pater* quidem & *Spiritus* in *Chriſto* ſunt, & „ ſicut in „ ipſo habitat plenitudo Divinitatis, ità in ipſo nos poſſidemus *totum Deum*, ut *Calvinus* rectè pronunciat, ſed modo ſuo cuique proprio; *Pater* in *Filio eſſentialiter*; *Filius* in *humanâ* Chriſti *naturâ perſonaliter*; Pater, Chriſtus, Spiritus Sanctus in *Sanctis myſticè* per *fidei unionem* & *gratiæ efficaciam*.

4. Credimus Chriſtum nos ſalvos & juſtos facere non ſolo merito ſuo & ſatisfactione nobis imputatâ, ſed *ſui* etiam nobis *communicatione*, gratiæ & *juſtitiæ inhærentis infuſione*, *inchoatione*, *augmento* donec tandem adoleſcat & perficiatur in gloriâ. „ Quos vocavit, juſtificavit; quos juſtificavit, glorifi- „ cavit Rom. 8. 30. ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Do- „ mini Jeſu, & per Spiritum Dei noſtri 1 Cor. 6. 11. At

Primò hanc communicationem juſtitiæ inhærentis *ſanctificationi* (juſtificationi ſemper conjunctæ, ab ea tamen diſtinctæ) tribuimus: juſtificationem verò (cum Apoſtolo in Rom. 4. & totâ illâ de eâ diſputatione) in totâ *Chriſti* noſtrûm loco *obedientiâ* ab eo præſtitâ & nobis *imputatâ*, atque inde donatâ *peccatorum veniâ* collocamus.

Secundò hanc etiam inhærentis juſtitiæ in Sanctificatione Communicationem, in *Gratiæ creatæ* per Spiritum Sanctum *infuſione* ponimus non in blaſphemâ (quam *Oſiander* comminiſcitur) *juſtitiæ Divinæ eſſentialis*, adeoque ipſius Divinæ eſſentiæ *participatione*. „ Dicimur quidem Divinæ participes „ facti naturæ 2 Pet. 1. 4. At hoc pro hujuſmodi *Enthuſiaſmo* nil facere ex ſequente Diſputatione (uti ſpero) ſatis conſtabit. Ad eam igitur jam tandem nos accingamus.

Et quantùm *Oſiandri* ſententia cum Pontificiis in re *juſtificationis* Syncretiſmum facit, nimirum quatenus *juſtificationis* vocem in hâc Controverſiâ in ſenſu *forenſi* ſumi negat, ipſam juſtificationem ex *imputatione* juſtitiæ Chriſti exſibilat, eamque in *juſtitiâ inhærente* ſitam eſſe contendit, non opus eſt ut hoc in loco eam convellamus, cum de duobus illis prioribus antehac fusè egimus; de tertio vero exagitando ſuo loco magis opportunè forſan agendum erit.

Reſtat igitur ut impræſentiarum de hoc ſuo dogmate diſquiramus, quantùm *Pontificios* (ut dixi) *longè ſuperat*, & *Manichæis* & *Gnoſticis* antiquis, & recentioribus noſtris *Fanaticis* & *Enthuſiaſtis* ſe σύμψηφον facit.

Atque hoc quidem latiùs perſequi, ingenuè fateor aliquantùm nos à tramite diſputationis noſtræ de juſtificatione abripiet. Sed non omnino abs re erit, imo longioris itineris tædium levabit, ſi (ut aliquando antehac fecimus) ὡς ἐκ παρόδου paulisper excurramus, præcipuè cum his noſtris temporibus *Enthuſiaſtæ* noſtri homines (cum Oſiandro) turbidi ingenii, & ad Pacem tam Politicam quàm Eccleſiaſticam perturbandam paratiſſimi, nil ferè intentatum relinquunt, quo ſe non (quales ſe venditant) Θεοφορεμένους, ſed δαιμονιζομένους eſſe liquidò demonſtrent, non *Divinæ naturæ* (quæ mitis & benigna eſt) *participes* ſed (ſiquid ex inimicitiis, convitiis, & truculentis facinoribus eorum conjectari licet) *Satana* & *Diabolo* plenos, qui *Abaddon* & *Apollyon* vocatur, & *homicida fuit ab initio*.

Apoc. 9. 11. *Joh.* 8. 44.

Sed.

Sed quod noſtrum eſt, & quod hujus loci eſt agamus. Quæritur utrùm (ut vult *Oſiander*) juſtificemur vel juſti ſimus eſſentiali Chriſti (quâ Deus eſt) juſtitiâ.

Hâc quidem in re fateor *Patres* aliquos, præſertim ex *Græcis* pro ſuâ in dicendo facundiâ inter *Hyperbolas* ſuas Rhetoricas, & quò magis ad vivum Dei filiis ſuis impreſſam repræſentarent imaginem, ſatis, & forſan aliquantum plus æquo ſibi indulſiſſe loquendi licentiam. Huc referre licet illud [a] Sti *Athanaſii* Θεοποιέμεθα, ut & illud [b] G. *Nazianzeni*, τῇ πρὸς Θεὸν νόσῳ ϑεούμεθα; & plura alia apud S. *Baſilium* & alios ſimilia. Hoc ſolùm (ſpero) voluerunt illi (apud *Gerſonem*) qui vocabantur *Contemplativi*, *Myſtici* etiam, uti audiunt, Theologi, & hodierni aliqui noſtri *Platonici*, qui jactitant ſe in Divinis ſuis Contemplationibus ab obſcurâ ſuâ perſonalitate abſtrahi, humanitatem ſuam annihilari, & in *profundam Divinitatis abyſſum* (in quam toti transferuntur) *abſorberi:* quod *Herſentius* in Commentariis ſuis in *Dionyſium Pſeudo-Areopagiticum* ità efferc, „Cum mens ad hunc amoris & contemplationis gradum „pervenerit, miro & incognito modo à Deo rapitur, à Deo & in Deo ſuſci„pitur, ità Deo plena fit, tota in Deum transfunditur, ità ut eſſentia Dei „ejus eſſentiæ & ſubſtantiæ nitimè & abſque ullo modo creato uniatur. At forſan his ſuis (audacioribus iis quidem) loquendi formulis magis intimam atque immediatam in tranſeuntium contemplationum ſuarum Apogæo cum Deo *communionem* & *conjunctionem* deſignare voluerunt. Agnoſco quidem intimam illam atque abſque ullo modo creato factam (quam crepant) unionem eſſentiæ Dei cum eſſentiâ noſtrâ magis grande aliquod ſonare, & eſſentialem vel ſubſtantialem noſtri cum Deo coalitionem, quam quidem noſtri & prioris ſæculi *Enthuſiaſtæ* non veriti ſunt palàm aſſerere, dum ſanctos ſuos *Deo Deificari* & *Chriſto* (date veniam blaſphemæ eorum barbariei) *Chriſtificari* ajunt. Sic *Servetus* blaſphemè impius *Divinæ eſſentiæ in nos transfuſionem* ridiculè commentus eſt, & præfractè ad mortem etiam defendit. Sic etiam *Oſiander* (de quo jam agimus) nos *juſtificari*, hoc eſt juſtos inhærenter fieri affirmat eſſentiali Dei in nos transfusâ juſtitiâ.

[a] Orat. 4. in Arrianos.
[b] Orat. 42. pag. 680.
In Epiſtolâ ad Barthol. Carthuſienſem.
Vide Mores 2d. lash pag. 43.
Vide Bezam in 2 Pet. 1.4.

At contra

(Ut primò quod minimum eſt dicamus) Hoc ad *juſtificationem* noſtram *minimè neceſſarium* eſt. Ad hanc quidem requiritur ut *legi ſatisfiat*. *Argum.* 1.

Jam lex quidem à nobis exigit ut *juſti* ſimus, at verò ad hoc non magis exigit ut de *eſſentiali* Dei *juſtitiâ* participemus, quàm de ipſius *eſſentiâ* & *naturâ*. Lex enim quà lex nos pro Dei *ſubditis* habet mandatorum ejus authoritati obſequentibus & obnoxiis. At *Oſiandri* ſententia, &, quam fingit, *juſtificatio* nos ipſiſſimos Deos facit (quod *Enthuſiaſtas* quoſdam aſſeruiſſe non puduit) adeòque Divinum *cultum* non tam exhibere, quàm nobis præſtitum admittere debere, quod & eorum aliqui impiè factitarunt.

Secundò tantùm abeſt ut *neceſſarium* ſit, ut contra ἐκ τῶν ἀδυνάτων & planè *impoſſibile* ſit. *Quicquid enim recipitur, recipitur ad modum* & menſuram *recipientis*. Cum verò omnes *creaturæ* in ſe *finitæ* ſint (ex quarum numero & cenſu *Enthuſiaſtæ* vel ſummi eximendi non ſunt) *infinitæ* Divinæ *eſſentiæ* capaces eſſe nequeunt, adeòque neque *eſſentialis* ejus *juſtitiæ*, quæ cum ipsâ eſſentiâ Divinâ in ſe *eadem* eſt: quam ne *intellectu* comprehendere poſſunt ἀλλὰ πάν- *Argum.* 2.

De Divinis Nominibus Cap. 1. ὑπερβολὴν ἀπειρίαν, ut *Dionyſius* loquitur, nedum *ambitu* ſuo continere, per *eſſentialem* Divinæ Naturæ in nobis *inhabitationem*, ejuſque in nos (quam blaſphemè fingunt) *transfuſionem*. Si enim in hypoſtaticâ Chriſti unione (à quâ nos longè abſumus) nulla fuit naturarum, earumque proprietatum confuſio, quod orthodoxa ſemper tenuit & credidit Eccleſia, multò minùs in myſticâ hâc ſummâ licèt & maximè intimâ quæ vel cogitari poteſt animæ noſtræ cum Deo unione.

Arg. 3. Proinde tertiò ut omninò impoſſibile, ità horridè *blaſphemum* eſt. Cum
Iſa. 42.8. enim in perpetuum ſtabit juſtiſſima illa Dei ſententia „Gloriam meam non „dabo alteri: quid demùm pro *Gloriâ Dei* reputabitur, ſi non ipſiſſima ejus *eſſentialis juſtitia*, adeòque & ipſa *eſſentia?* quâ in immenſum diſtat à rebus creatis omnibus, quæ idcircò vel ſummis prorſus incommunicabilis eſt. Apage ergo hanc maximè omnium ſacrilegam blaſphemiam, & ſuperbiam plus
Iſa. 14.14. quàm *Luciferianam*. Ille *Deo* tantùm *ſimilis* eſſe voluit: hi non ſuppares, ſed *æquales* ipſius ſolii, cum & *naturæ ſocii:* qui dum (ut jam diximus) *Divinam* ſibi *adorationem* factam non recuſant, quare non ſe *omniſcios*, *omnipræſentes*, *omnipotentes* præſtant? quibus illud dictum ſit quod Jobo olim „ſi „habes brachium ſicut Deus, voce ſimili intones, orna te jam excellentiâ & ſublimitate, diſperge indignationes iræ tuæ, & aſpice omnem elatum, & humilia eum, &c.

Arg. 4. Nec mirum cùm adeò blaſphemum ſit, ſi & ſupra modum *abſurdum* & *ridiculum* etiam fuerit. Annon verò inter ἀνυπάρκτα ponendum eſt, quod eſſentialis Dei juſtitia *accidens* fieret; quod *adeſſe* nunc homini, nunc *abeſſe*
In Epiſt. poſſit, ut *Calvinus* rectè alicubi annotavit. Hanc enim, quam homini juſtificato nunc ineſſe vult *Oſiander*, aliquando *antè abfuiſſe* fatebitur: quin & iterùm poſt *transfuſionem* & *commixtionem*, quam fingit, *expelli* vel recedere poſſe non diffitebitur ille qui *juſtificatum* è *ſtatu juſtificationis* ſuæ *excidere poſſe* exiſtimat. At non adeò accidentaria eſt Divinæ eſſentiæ ſubſtantia, nec adeò volatilis & deſultoria eſt ejus homini, cui eſſentialiter unitur, præſentia: ἀχώριστος utique erat *hypoſtatica* illa duarum naturarum in Chriſto *unio*, ne in ipsa triduanâ animæ à corpore ſeparatione diremta, ac proinde in perpetuum indivulſa foret hæc, quam fingunt, juſtitiæ, eſſentiæque Divinæ Communicatio.

Arg. 5. Quintò, ut rem, quam jam agimus, magis attingamus, hoc commentum *Oſiandricum* totam *juſtificationis* naturam & doctrinam in Sacrâ Scripturâ traditam evertit.

1. Primò enim (ut priùs annotavimus) juſtificationem cum *ſanctificatione* omninò *confundit*, cum in *juſtitiâ inhærente* fitam eſſe ſtatuit, in quo cum *Pontificiis* ſyncretiſmum facit. Splendidùs quidem loquitur (ut ait *Pezelius*) dum cauſam nominat Deum, ſeu eſſentialem ejus juſtitiam, cum Papiſtæ ipſam *novitatem* nominant.

Hi ſiquidem *juſtificationem* in *gratiâ inhærente* infusâ ponunt: *Oſiander* in ipsâ *eſſentiali* Dei *juſtitiâ*; at utrique in inhærente, inhabitante, & non forinſecè & per imputationem, ſed phyſicè per *juſtitiæ* (quæcunque ea demùm fuerit) *infuſionem* hominem juſtum efficiente; cui appoſitè objicit *Melanchthon* illud ex Rom. 3. 21. juſtitiam quâ juſtificamur, licèt à Lege teſti-

teſtificata ſit, *ſine Lege manifeſtatam eſſe*; ſcilicet non à Lege, ſed ſolâ Evangelio revelatam eſſe. At hominem *juſtum* eſſe, & pro juſto haberi *juſtitiâ inhærente* Lex ipſa *exigit*, adeòque ex *eâ ſatis notum* eſt. At ex *peccatorum remiſſione*, & *juſtitiæ* alterius *imputatione* hominem pro juſto haberi per ſolum *Evangelium* innoteſcit, adeòque hæc ſola eſt juſtificatio Paulina i. e. Evangelica.

2. Quod ſecundum eſſe poteſt, quod hîc annotemus ſcilicet *juſtificationem*, ſi non in ſolâ, ſaltem magnâ ex parte in peccatorum remiſſione conſiſtere, non tanquam ut in *appendice*, vel *ex præſuppoſito*, ut delirat *Oſiander*, ſed *formaliter*, & quoad λόγον εἶναι atque definitionem; ſic enim ab ipſo Sancto Spiritu *juſtificatio* hæc definitur, ut in *peccatorum veniâ* conſiſtens Act. 13. 38, 39. Rom. 4. 7, 8. 2 Cor. 5. 19. At *peccatorum remiſſio* longè diſtat ab *eſſentialis* Dei *juſtitiæ communicatione* & transfuſione, illa χάριν & *privativa* eſt, hæc res *poſitiva*; illa ab extrà, hæc intus fit: injuſtitia & *reatus* ex ſe alicui *condonari* poteſt, qui non continuò inhærenter indefit, vel eſt *juſtus*, quod ſæpè apud homines obtinet; & licèt hîc in vera juſtificatione hæc nunquam *ſeparantur*, *non* tamen *idem* ſunt, ſed unum eorum ex altero conſequitur; ex conceſsâ peccatorum veniâ ſequitur infuſa juſtitia. Hujus argumenti vim contra cauſam ſuam ſatis perpendiſſe videtur *Oſiander*: atque ideo ut eam evitare poſſit, hac ratione ſibi conſulit, ut *remiſſionem peccatorum* à juſtificatione procul diſſitam fecerit, atque ideò *remiſſionem* illam *peccatorum* idem facit cum *Redemptione*, & in ipsâ Chriſti paſſione peractam eſſe vult. Sed *juſtificationem* longè poſt eam in tempore ſequi, nimirùm cum Deus hanc partam Redemptionem nobis applicat & eſſentialem ſuam juſtitiam nobis infundendo ſanctificat; atque huc illud Apoſtoli trahit „ Traditus eſt *Rom.* 4. 25. „ pro peccatis noſtris (id eſt condonandis) reſurrexit verò ad noſtri juſtifica- „ tionem, quâ vera juſtitia ex *infusâ* Dei *eſſentiali juſtitiâ* nobis inhæret. Hæc ille. At contra. Nam

1. *Redemptio*, quamvis aliquoties in Sacrâ Scripturâ totam illam, quam nobis Chriſtus & meruit & applicat, liberationem, omneſque ejus partes in ſe continet; tamen quatenus à *juſtificatione*, *adoptione* & *ſanctificatione* diſtinguitur, ad ejus *paſſionem*, ejuſque *meritum* reſtringitur, atque ab ejus *applicatione*, invocatione, juſtificatione, adoptione & ſanctificatione diſtinguitur, quæ omnes, quamvis ab æterno in Electione Divina prædeſtinarentur, & in Chriſti paſſione quoad meritum & pretii ſolutionem acquiſitæ fuerint; primò tamen à *vocatione efficaci* & deinceps *applicantur*, & noſtra fiunt, adeòque in ipsâ Chriſti *paſſione* nondum *quoad nos*, & *terminum ad quem*, *actualis* exiſtit peccatorum noſtrorum *remiſſio* & juſtificatio, cujus *fides actualis medium* & inſtrumentum ponitur Act. 10. 43: 13. 38, 39. Ergo, *Iſa.* 53. 11. quoad *naturam* ſaltem, in *juſtificatione* ut *fides prior* antecedat neceſſe eſt, ut *Rom.* 3. exinde ſequatur actualis peccatorum remiſſio. Quo magis abominanda eſt 28, 30. inſulſa illa *Oſiandri* ſententia, quæ affirmat *Neronis peccata* per Chriſti mor- *Rom.* 5. 1. tem *remiſſa* eſſe; at eum non *juſtificatum* eſſe, quia *eſſentialem Dei juſtitiam* *Gal.* 3. 24. inhærentem non habuit.

2. Quod ad illum ex 4to. ad *Romanos* locum, quem *Oſiander* ad ſententiam ſuam firmandam adducit „ Chriſtum ſcilicet pro peccatis noſtris tradi-

„tum fuiſſe, at reſuſcitatum ad noſtrî juſtificationem, ſenſus perſpicuus eſt, nimirum Chriſtum morte ſuâ peccatorum noſtrorum pœnas luiſſe* reſurrexiſſe verò (cum jam *mortis victor* fuit, atque inde idonea fidei noſtræ ansâ factus), ut hanc redemptionem nobis actu per fidem applicando, non ſolùm per ſanctificationem nos inhærenter juſtos efficiendo, ſed & in juſtificatione peccata noſtra actualiter & ἐμπλεσμαλικῶς condonando, quod meruit, nobis præſtaret. Atque hîc ad *Oſiandricæ* interpretationis & ſententiæ inſulſitatem demonſtrandam illud annotare liceat; ſi (ut ipſi placet) remiſſio peccatorum non ideò in juſtificatione fiat, quia paſſio Chriſti eam longè anteceſſit, nonne *juſtificatio* etiam abrogabitur *Reſurrectioni*, quod non dicit, imò contrarium (ipſo aſſerente Apoſtolo) affirmat *Oſiander*: cum Reſurrectio etiam illa hanc juſtificationem noſtram præceſſit, quæ tertio die paſſionem ejus ſecuta eſt?

* *Atque eorundem condonationem poſtea per fidem in juſtificatione applicandam & actualiter nobis præſtandam meruiſſe.*

3. Tertiò, In hoc etiam contrariatur *Oſiandri* ſententia doctrinæ *Juſtificationis*, quòd Sacra Scriptura eam obedientiæ, *morti* & *ſanguini* Chriſti paſſim deferat „factus eſt ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant redimeret Gal. „4. 4, 5. „ quem propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius „Rom. 3. 24. „juſtificati in ſanguine ipſius Rom. 5. 9. „ Pro nobis eum „peccatum fecit (i. e. in morte ejus pro peccato hoſtiam) „ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo 2 Cor. 5. 21. At, ſicût *fides Chriſti* dicitur, non quâ credit Chriſtus, ſic juſtitia Dei, „non quâ juſtus eſt Deus, ſed quâ induit ho„minem, cum juſtificat impium, ut rectiſſimè *Auguſtinus* de Spirit. & lit. cap. 9. at non juſtificat impium illâ, quâ ipſe juſtus eſt, „æternâ ſuâ & incommutabili juſtitiâ, ut idem *Auguſtinus* Epiſt. 120. Cap. 30. ut & rurſus non propterea *juſtitia* Dei dicitur, quoniam Deus juſtus eſt, ſed quia „homini eſt ex Deo Lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagianorum. Certè obedientia, ſanguis, mors Chriſti non ſunt ipſiſſima & *eſſentialis Dei juſtitia:* *Philip. 2. 7, 8* *humanitatem* enim Chriſti includunt, quod de *eſſentiali Dei juſtitiâ* dici non poteſt; deſignant non quid in ſeipſo Deus eſt, ſed quid Chriſtus pro nobis homo factus & fecit & perpeſſus eſt. At ab his *Oſiander* nos avocat: hæc omnia ad *juſtificationem* noſtram parùm conferre vult, dum ea non per ſe ſed *ex accidente* facere blaſphemando aſſerit.

4. Hinc eſt quod quartò cum juſtificatio noſtra maximè propriè *Chriſti ſacerdotio* debetur, quatenus ad noſtra delenda peccata ſe in *victimam* Deo obtulit, uti ex jam laudato Apoſtoli loco 2 Cor. 5. 21. apertè conſtat; ſecundùm *Oſiandri* ſententiam, hoc Chriſti ſacerdotium nil commercii cum juſtificatione noſtrâ habebit: cum ex ejus placitis non *officio* ſed *naturæ* ejus tribuenda ſit: neque Chriſtus ut *ſacerdos*, ſed ſolummodo quà *Deus* eſt, nos *juſtificat*, „ fortiter enim „negat Chriſtum quà ſacerdos eſt peccata expian„do & Patrem nobis placando eſſe juſtitiam noſtram, ſed ut eſt Deus æter*Calvin. Inſtit. l. 3. c. 11. §. 6.* „nus & vita. Ad quid ergo tanta pertulit Chriſtus? nunquid ut tantis ſumptibus nihil redimeret? ut rectè argumentatur *Bellarminus*.

5. Quæ & quinta ſit ſanæ de juſtificatione doctrinæ ab *Oſiandro* depravatio, quod non ſolùm Chriſti morti & ſacerdotio juſtificationem noſtram abroget, ſed penitùs & in univerſum etiam ejus *humanitati*, dum ſoli *divinæ* ejus *naturæ*, & eſſentiali Deitatis ſuæ juſtitiæ in nos transfuſæ in ſolidum eam attribuat

buat, cum clarè & apertè, ut jam diximus, clamat Scriptura, ut nos juſtitia Dei efficeremur in eo (i. e. ut ab eo juſtificemur) eum *peccatum* factum fuiſſe, quatenus nimirum *imputatis* ei *noſtris peccatis ſacrificium* (ut Sacerdos) *factus* eſt, quod *humanitati* convenit, & à *naturâ Divinâ abhorret*, ; quò nos à tam impiâ Oſiandri ſententiâ abhorreamus. Atque eò magis

6. Et ultimò quòd in hoc juſtificationis noſtræ negotio non ſolùm à morte, ſacerdotio, & humanitate Chriſti, ſed ab *ipſo* toto *Chriſto*, ſaltem quâ *Mediatore* nos abſtrahere & diveltere conatur, cum juſtificationem hanc ex *eſſentiali Dei juſtitiâ* provenire aſſerit. At hæc æquè omnibus Perſonis Deitatis convenit, unde (in hoc ſaltem juſtificationis beneficio) *nil peculiare Chriſto* reliqui erit, ut optimè annotavit *Calvinus*. §. Quoad *acquiſitionem* quidem concedit *Oſiander* Chriſtum morte ſuâ meruiſſe ut nos eſſentiali hâc Dei juſtitiâ in juſtificatione noſtrâ donaremur, adeòque *Chriſtum* ad eam *multum conferre*, idque peculiariter juxta ſuam ſententiam dicet. At contrà ego. 1. Ergo ſibi ipſi contradicit. Si enim *hoc*, idque tantùm ad juſtificationem noſtram conferat *Chriſti mors* juxta ejus ſententiam, quæro quid ergo erat quòd mortem Chriſti ad eam tantùm *ex accidenti* conferre dicat; num *tanti* aliquid confert *accidentalis influentia*? Quid etiam eſt quòd *juſtificationem* noſtram Chriſti *Sacerdotio* abrogat? non & inde & *morti* ejus, annon enim quà *Sacerdos* ſe *in victimam obtulit*, mortuus eſt? ſed ſecundò etiam regero, licèt in juſtificationis noſtræ *antecedentibus* Chriſtus quà *Mediator* juxta ejus ſententiam locum habere poſſit, in *ipsâ* tamen *juſtificatione actualiter* & *formaliter producendâ* ſecundùm ejus opinionem Chriſtus nihil peculiare reliquum habet, cum ejus juſtitiæ Mediatoriæ imputationem ut rem *glacie frigidiorem* ab eâ rejiciat, eamque in ipſius *Dei eſſentialis juſtitiæ communicatione* & *transfuſione* collocet. At ut priùs dixit *Calvinus* hæc eſſentialis Dei juſtitiæ omnibus Deitatis Perſonis æquè ex communi convenit ergo quoad hoc nil Chriſto Mediatori peculiariter tribuendum manet. Manet ergo *Oſiander* pro Chriſtiano *Deiſta*: At væ ipſi, nobisque omnibus, ſi Deum extra Chriſtum quæramus; non juſtificationis & abſolutionis, ſed *condemnationis* expectanda erit ſententia, cum Deus extra Chriſtum ſit πῦρ κατανάλισκον Heb. 12 29.

Ubi priùs §. 8.

Atque ità tandem vidimus quomodo delira ac impia hæc *Oſiandri* ſententia in re juſtificationis longè omnium dulciſſimâ, totâque adeò Dei in Evangelio gratiæ οἰκονομίαν peſſundet omnia, ut veriſſimè à *Bellarmino* dictum ſit, „ Oſiandri ſententia recipi non „ poteſt niſi quis velit totum myſterium humanæ redemptionis & reconciliationis „ evertere.

De juſtific. lib. 2. cap. 5.

Ad quam quidem *Oſiandri* ſententiam evertendam ipſe *Bellarminus* quibuſdam argumentis pugnat, ſed in eorum aliquibus ſatis infeliciter.

Ut cum ità diſputat, „ noſtra juſtitia, quâ juſtificamur eſt fides; at hæc non eſt eſſen„ tialis Dei juſtitia. Ergo. Nam *fides*, ne vel ſecundùm ipſum *Bellarminum* eſt *formalis* noſtra in juſtificatione *juſtitia* ſed *juſtitia noſtra* dicitur, quatenus *apprehendit*, nobisque applicat *juſtitiam Chriſti Mediatoriam*. Sic rectè noſtri. *Oſiander* non *hanc* à fide apprehenſam vult, ſed ipſam Dei *eſſentialem juſtitiam*: in quo licèt falſum dicat, *Bellarmini* tamen argumentum eludit.

Huic non multùm diſſimile eſt alterum ibidem *Bellarmini* argumentum? „ Homo non „ poteſt denominari à formâ extrinſecùs inhabitante, ſed inhærente; at eſſentialis Dei juſti„ tia, ſi in nobis eſſet, forma extrinſecùs inhabitans eſſet. Ergo ab eâ non poſſumus deno„ minari juſti. Cui reſponderi poteſt, ut nil dicamus de Phraſi illâ *extrinſecùs inhabitans* (quæ primo aſpectu ſi non contradictoria in ſe contineat, ut *aliquid extrinſecùs inhabitat*, at minùs perſpicua & accommoda eſt, ſed miſſam hanc faciam atque per *formam extrinſecùs inhabitantem* intelligat *formam* quæ *ab extra venit*, & *dem* aliquid *inhabitat*. Et ſic *eſſentialis Dei juſtitiæ* homini in juſtificatione *transfuſa*, eſſet *forma inhabitans*, ſed quæ θύραθεν (quod Ariſtoteles de animâ ſeu mente) ab extrà ei adveniat. At ſic quid incommodi erit ſi res à tali θύραθεν adveniente formâ *denominetur*? Annon enim hâc prorſus ratione aliqui δαιμονιζόμενοι, Θεόληπτοι, Θεοφόροι nominantur? Annon etiam eadem forma, quæ quoad terminum *à quo ab extrâ venit*, quoad *terminum ad quem inhærere* & *inhabitare* poterit ut anima corpus, ex quâ homo animatus dici poteſt. Et ſic in Sanctificationis negotio ex juſtitiâ extrinſecùs à Deo infuſa, at ex iufuſione iſtâ homini *inhærente* quoad *Sanctificationem* juſtus ritè denominatur. At non ſic quidem in *juſtificatione*, ſed ex *juſtitiâ alienâ* Chriſti ſcilicet nobis *imputatâ*, ut priùs oſtendimus, ubi de hâc re egimus, ubi *Bellarminus* hoc argumentum contra *imputatam juſtitiam* adduxit, ut hîc adverſus Dei *juſtitiam eſſentialem*, ſed fruſtrà utrobique.

Lib. 3. de gen. Animal.

Eſt & tertium ejus argumentum, quod etiam contra *imputatam* nobis Chriſti *juſtitiam* adducit alibi, ut hîc contra hanc, quam *Oſiander* ponit, *eſſentialem*; atque ità ſe habet:

„ Si

„ Si juſtificemur eſſentiali Dei juſtitiâ, tum æquè juſti eſſemus ac ipſe Chriſtus vel Deus; „ nam ipſe ſolâ eſſentiali juſtitiâ ſuâ juſtus eſt. At nos non æquè juſti ſumus ac Deus & „ Chriſtus, quia nos de *plenitudine ejus accipimus*, idque *ad menſuram*. Ad quod hæc dico

1. Hoc argumentum *Bellarmini* magis valere contra ſententiam *Oſiandri* de *transfusâ* in nos Chriſti *juſtitiâ eſſentiali*, quàm contra noſtram de *Mediatoriâ* ejus *juſtitiâ* nobis in *juſtificationem imputatâ*, cum tamen *Bellarminus* id æquè in utramque intorqueat: contra *Oſiandri* ſententiam Lib. 2. de juſtif. cap. 5. contra noſtram Cap. 7. At non ſanè æquo jure. Longè enim diſtat Dei *eſſentialis juſtitia* à *Chriſti juſtitiâ Mediatoriâ*, ut & illius *eſſentialis juſtitiæ* in nos *transfuſæ* atque *eſſentiæ* & *ſubſtantiæ noſtræ* intima & ſine medio ullo creato *unio* & *coalitio*, à *Mediatoriæ* hujus *morali* & *forenſi imputationem*. Nam *ſubſtantialis* illa eſſentiæ nobiscum *unio unitatem*, *identitatem*, adeòque & *æqualitatem* loquitur, cum hæc *Mediatoriæ imputatio* nil tale dicat, ſed tantùm *gratioſam noſtri ob eam acceptationem*.

2. Ex hoc *Bellarmini* argumento anſam habemus ejus *candorem* deſiderandi: in hujus enim confirmatione ideò probat nos non æquè ac Chriſtus juſtos eſſe, quia nos licèt ejus juſtitiæ participes ſimus, ab ejus tamen *plenitudine*, eamque non totam ſed ad *menſuram nobis convenientem* haurimus. Et hæc veriſſimè quidem. Jam verò nonne ipſe ſatis nôrat nos idem ſentire, atque reſpondere argumento ſuo contra *imputatam* nobis Chriſti *juſtitiam* (quam aſſerimus) intorto, nimirum non ideò nos æquè cum Chriſto juſtos eſſe, quia hanc juſtitiam ei acceptam ferimus, idque ad menſuram, capacitatem, & neceſſitatem noſtram, non juxta eam, quæ *in eo* eſt, *plenitudinem*: adeòque nullam ejus argumento contra nos illato ineſſe conſequentiam.

Sed ità ſanè eſt, hæc probatio cum ejus eſt contra *Oſiandrum robur* ſuum habet, cum verò à *nobis* Bellarmino objicitur, *nullum*. Sic hoc *Bellarmino* utique ſollenne eſt ut quæ dum ab ipſo *contra Anabaptiſtas* & alios heterodoxos profert, *Orthodoxa* ſunt, cum verò à *nobis contra ipſum* dicuntur, pro *hæreticis* habenda ſunt. Ità ſcilicet nobis *ſuffeni* ſumus, *erga alios*, quibus minùs favemus, plus ſatis *iniqui*. Reliqua *Bellarmini* contra *Oſiandri* ſententiam, quæ plus in ſe roboris habent, noſtris priùs allatis inſeruimus.

Inſtit. l. 3. cap. 11. §. 8.

Calvinus etiam inter cætera hoc adducit, quod Chriſtus *juſtitia* noſtra, idque *à Deo factus* dicitur; quod de eſſentiali Dei juſtitiâ dici non poſſe contendit, quia quod naturaliter ab æterno fuit non propriè dici poteſt nobis eſſe factum, multò minùs à Deo factum, quod eſſet dicere Deum nobis factum à Deo. Quod quantum in ſe virium habeat, vobis perpendendum relinquo: nam ei reponi poſſe videtur, ut qui *ſuâ naturâ* ab *æterno* in ſe fuerit, & ab *æterno quoad propoſitum*, & in *tempore* quoad officii hujus actuale *exercitium* nobis *factus* ſit *juſtitia*, non quoad *productionem ſubſtantiæ* vel eſſentiæ, ſed quoad *deſignationem* ad *officium*, ejuſque *actuale exercitium*: atque hâc ratione *Deus factus à Deo Patre*, ut „ Jehova „ demiſiſſe dicitur pluviam ſulphuris & ignis ſuper Sodomam à Jehovâ Gen. 19. 24.

Sed quid opus eſt veritatem hanc infirmis & ſolubilibus argumentis emendicare, quam poſſumus (ut jam fecimus) inſolubilibus & invictis evincere. Imò vel ullis porrò argumentis eam in ſe adeò apertam demonſtrando in re non neceſſariâ operam ultrà impendere non utilem?

Præſtat potiùs firmamenta illa, quibus *Oſiander* ſententiam ſuam ſuffulcire conatur convellere; At ne hoc etiam opus eſt, cum adeò infirma ſint, ut à ſe ultrò corruant.

Horum verò quædam talia ſunt.

Hactenus licuit; ſed Autor Profeſſorio munere cedens hanc telam non pertexuit.

Apocal. 1. 5, 6.

Τῷ δὲ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ
Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Ἀμήν.

FAxit, quæſumus, miſericors Deus, Pater luminum, ut nos miſelli, qui cœci & tenebræ ſumus, *in lumine ſuo videamus lumen.* Oriatur nobis *Sol juſtitiæ, qui via, & veritas & vita* eſt; nos in viâ veritatis ad vitam perducat, *ſpirituque ſapientiæ & revelationis* ità intimè doceat, ut *veritatem, prout in Jeſu eſt*, grati ſemper agnoſcamus, agnitam amemus, amatam denique non ſolùm in qualicunque hâc volitatione fortiter propagemus, verùm etiam in ipſo mortis agone vel ipſo ſanguine (ſi ità velit) læti obſignemus per Jeſum Chriſtum Dominum atque Salvatorem noſtrum. Amen.

In Comitiis publicis habitis Julij 1. 1650.

Theſes in præſentiarum diſcutiendæ ſic ſe habent:

Articuli Fidei ad normam humanæ rationis non ſunt exigendi.

Chriſtus juſtitiæ Divinæ verè & propriè ſatisfecit pro peccatis Electorum.

De Priore.

CUm Ratio τῦ Θέιυ λόγυ titulo à Juſtino Martyre inſignita ſit, contra eam verò authore Sancto Auguſtino, nemo ſobrius diſputaverit: Ei vel minimum detractum ire, non ſolùm ἀθεόλογον videri poterit, verùm & ſobriâ illâ (quæ dicitur) Philoſophiâ prorſus indignum; in *Academiâ* præſertim (celeberrimâ ſcilicet univerſæ Rationis officinâ, &, ut ita dicam, *Logiſterio*) tale quidpiam vel clanculùm mutire, nedum in publico omnium conventu palam & clarè eloqui, longe ἀπρωπώτατον. At *noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt*, ut olim *Tertullianus: verſamur in ſcholâ Chriſti, non Ariſtotelis*, ut nuperus quidam. Non Athenis, ſed Hieroſolymis, non in *Zenonis Stoâ*, vel *Platonis Academiâ*, ſed *Templo Chriſto* ſacro convenimus hodie. Liceat itaque bonâ veſtrâ cum veniâ (Auditores optimi) *Hagaram* iſtam non domo ejicere, ſed ſubjicere Dominæ: *Rationem* dico, quam loco quidem movere nollem, at vellem lubens in ordinem cogere, ut *Fidei* non dominari, ſed famulari ſemel diſcat, obſequium præſtet, non arroget imperium. Nam ut verum ingenuè fatear, maximum ſemper apud me pondus habuit gravis admodùm illa *Philippi Melanchthonis* querela; Quòd *cum Chriſtiana doctrina prorſus à Philoſophiâ diſſentiat, ſenſim tamen irrepſit Philoſophia in Chriſtianiſmum, & obſcurata eſt Chriſti beneficentia per prophanam illam & animalem rationis noſtræ ſapientiam. Uſurpata eſt vox Liberi Arbitrii à divinis literis ſenſu & judicio*

Apol. 1. de Trin. l. 4. c. 6.

Meiſneri Philoſophia ſobria.

De præſcript. c. 8. Oſiander.

Loc. Comm. in editione 1ª.

dicio Spiritus alieniſſima. Additum eſt à Platonis Philoſophiâ vocabulum Rationis *æquè perniciòſum. Ariſtotelem pro Chriſto ſummum amplexi. Per Platonicam Philoſophiam Chriſti doctrina labefactata eſt* &c. Hæc ille. Quo nomine *Bellarmino* quidem vapulat; at ulcus hodiernum tangit, cui medelam parat Theſis noſtra in præſentiarum diſcutienda.

In Præfat.

Ne verò σκιαμαχίαν tantùm inſtituere videar, quos in hâc Palæſtrâ Adverſarios habeam, opus eſt ut paucis expediam.

1. Primò Philoſophos Ethnicos, ſummos olim Rationis Arbitros & vindices, atque eo nomine *Tertulliano Hæreſiarcharum Patriarchas*, Fidei verò Chriſtianæ hoſtes infeſtiſſimos, quam, cum placita ſua Philoſophica vel ſuperaverit, vel everterit, dum ipſi imprimis ſtulteſcerent, *ſtultitiam* vocitabant 1 Cor. 1. 23. Sic aliquid verum eſſe credere quod Ratio non poteſt apprehendere, Levitatis ſignum eſſe dixit *Averroës*. Ità *Athenienſibus* Logodædalis Paulum σπερμολόγον eſſe legimus Act. 17: 18. ut & fidem, ſi λογικῷ ὁδηγῷ caruerit, atque aliquid præter vel ſuper rationem crediderit, πίστις ἀπιστίας, omnium ſcilicet errorum excetram *Celſo* apud *Originem*.

2. Secundò Hæreticos antiquos, quorum aliqui Rationem Authoritati Divinæ prætulerunt, de quibus *Auguſtinus* Epiſt. 56. & *Bernardus* Ep. 189. atque *Alphonſus à Caſtro Felicianum* notat, quod in causâ fidei, rationibus magis quàm Scripturarum teſtimoniis utendum eſſe dixerit.

L. 1. c. 2.

Alii contemptâ fide toti in Syllogiſmis erant, & relictis Sacrarum literarum ſtudiis Geometriæ incumbebant, prout apud Euſebium legimus l. 5. cap. ult. quibus opponimus illud Auguſtini. *Spiritus Paracletus non docet has veritates; Chriſtianos enim vult facere, non Mathematicos.* Nec non illud *Epiphanii: Deus non revelat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, his qui de ipſo per Syllogiſmos ratiocinantur.*

De actis cum Felice Manich. l. 1. c. 10.

Hæreſ. 76.

3. Tertiò Scholaſticos Pontificios, qui antiquiore atque puriore Theologiâ Scripturis & ſaniore Patrum doctrinâ ſubnixâ profligatâ, ſæpè Philoſophos, at perrarò Apoſtolos appellant, ut de illis Sadael; non Scripturæ locos, ſed ut plurimùm Axiomata Logica, Maximas topicas, Ariſtotelis effata ſæpè malè lecta, ſæpiùs malè intellecta tanquam irrefragabilis in re fidei demonſtrationis principia ſubſternunt.

Voet. diſp. p. 1. de Theologiâ Scholaſticâ.

4. Quartò Remonſtrantes, eorumque aſſeclas, viros acutos ſatis, at nimis audaces Decretorum Divinorum decempedatores, qui (ut cum S. Athanaſio loquar) Chriſti carnem γεωμετρῶσι, & ſi Decreta Dei ad rationis ſuæ normam non per omnia quadrare compererint, auſu (ut quod minimum eſt dicam) temerario ea obliquitatis, injuſtitiæ, Tyrannidis non ſine blaſphemiâ inſimulant.

5. Quintò Photinianos, Socinianos, & reliquos ejus furfuris Gnoſticos, qui, cum ſibimet non conſtant, vel potius ut quod verè ſentiunt aſtutiùs celare poſſint, omnia à ſe Scripturis tribui jactitant, omnes articulos fidei literaliter in Scripturis extare dicunt. Sic *Smalcius*, imò aliquid ſecundum Scripturam falſum eſſe, quod apud Philoſophiam verum eſt, ut Jacobus ille Paleologus apud *Bellarminum*. Ubi verò diducto ſipario animi ſui ſenſa proferunt, omnes fidei veritates ex ſimpliciter prioribus & notioribus deduci volunt. Notiones univerſales univocè & æqualiter Deo & Creaturis applicandas adhibent; atque ut cum ratione inſaniant explosâ & noſtrorum & Pontificiorum

In refut. Graueri.

De Chriſto l. 1. c. 6.

ficiorum de Judice Controverſiarum ſententiâ, Rationem humanam Dei verbo non ſubordinatam, ſed coordinatam, fidei & normam & Judicem eſſe ſtatuunt. Hinc iſta, eiſque ſimilia eorum effata. *Solâ Ratione judicari poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem articulorum fidei. Non eſſe credenda, quæ menti impoſſibilia videntur. Summam religionem eſſe rationem:* ut quidam etiam nuper pro Tribunali tale quid effutiit *Optimam Dei Legem eſſe Legem Rationis.*

In brevi illâ ſuâ diſquiſitione Eleutheropoli editâ. Oſtorod Inſtit. l. 6. Catechiſ. Racov. p. 37, 55, 56. Smalc. in Præfat. con. Franzium.

Contra hos imprimis Adverſarios militat Theſis hæc noſtra, quæ exertè negat, Articulos fidei ad normam humanæ rationis eſſe exigendos.

Quod verò ad terminorum explicationem attinet,

Cum *Articulos fidei* dico,

1. Primò, *ipſos Articulos* Theologicos, non eorum *connexiones* volo. Cum *Auguſtino* enim intet veritatem *connexionum*, & veritatem *ſententiarum* diſtinguo. Illam Dialecticorum, hanc Chriſti Schola docet. Ad illam per ſe aſſurgit humana ratio, ad hanc non ſine Divinâ Revelatione Epheſ. 1. 17, 18.

Vide Voetii Diſp. par. 1. Diſp. 1. Hoornbeck Socinianiſmi confut. Tom. 1. cap. 6. De Doctrin. Chriſtian. l. 2. c. 31.

2. Secundò cum Articuli fidei vel latè ſumpti continent omnes veritates Theologicas, quæ credi poſſunt & Analogiæ fidei reſpondent, vel ſtrictè eas tantùm, quæ ad ſalutem ſimpliciter neceſſariæ ſunt, adeòque ab omnibus neceſſariò credi debent; In illis dignoſcendis, ut aliquid rationis magis indulgeatur, non multum abnuimus, in his verò a verbi fideique cynoſurâ toti pendemus. *Ad legem & teſtimonium* Iſa. 8. 20.

3. Quin & hoc tertiò adjicimus, cum articuli iſti fidei ſtrictè ſumpti vel Theologiæ, & Juris naturalis ſint, & cum ſanâ Philoſophiâ communes, ut Deum eſſe omnipotentem, æternum, juſtum, veracem, bonum, adeòque colendum eſſe, & his ſimilia: vel Theologiæ, & veritatis purè ſupernaturalis: ut qui de Sacroſanctâ Trinitate, Chriſti Incarnatione, Ipſius noſtrâque Reſurrectione atque hujusmodi reliquis agunt: quamvis in prioribus illis fides multa & præter & ſuper rationem aſſequitur, multum tamen rationi defert. De his itaque (cum ſint objectum fidei quaſi præſuppoſitum) inpræſentiarum non quæritur; ſed de *objecto* Fidei maximè *formali* & οἰκείῳ, de veritatibus ſcilicet fidei ſupernaturalibus ad tribunal rationis humanæ non ſiſtendis.

Voetii diſp. Select. parte 1. diſp. 1. Bellarm. de Grat. & lib. Arbitr. l. 5. c. 3.

4. Quartò & illud addendum eſt, in articulis fidei cautè diſtinguendum eſſe inter τὸ ὅτι & τὸ διὰ τί, τὸ διότι & τὸ ὁποῖόν τι. in iis enim qui Theologiæ naturalis ſunt τὸ ὅτι naturâ conſtat Pſal. 19. 1, 2. Rom. 1. 21. quod in ſupernaturalibus Solâ Revelatione innoteſcit Joan. 1. 18. in utriſque verò, ſaltem in eorum aliquibus τὸ τί, τὸ διότι, & τὸ ὁποῖόν τι omnem rationis captum ſuperant Rom. 11. 33, 34.

Atque hæc de Articulis fidei dicta ſint.

Quòd ad *Rationem* attinet: Ea vel objectiva eſt ex parte Rei, vel ſubjectiva ex parte Intellectûs. De objectivâ illâ quæſtio non adeò intelligitur. Cum enim *ratio* iſta *rei* in ſe nil aliud ſit, quàm ipſa *Dei Sapientia*, ut Apoſtolus eam vocat 1 Cor. 1. 21. rebus ſcilicet indita, juxta quam tam Decreta quàm opera ſua primò inſtituit & deinceps exequitur & adminiſtrat, non negandum eſt, quin ut in naturalibus veritas & ratio rerum eſt menſura intellectûs, ſic in myſteriis iſtis ſupernaturalibus *ratio* hæc *Divina* & *fidei norma* tutò dici poſſit. Quod tamen ità intelligendum eſt

1. Quatenus hæc Divina ratio per Spiritum in verbo revelata eſt. Fides

Forſteri Lexic. enim Divino Teſtimonio nititur, prout apud Hebræos נאם & האמין ut correlata mutuò referuntur.

2. Ut fides rem teneat & certò credat ei, modò in Sacrâ Scripturâ revelata ſit, quamvis in aliquibus ratio rei non perinde innoteſcat. *Facit enim ad rationem virtutis, ut fides credat ſine ratione*, ut alicubi *Bonaventura*. Hoc fidei *Abrahæ* ſolenne erat ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι ἐπίστευσεν Rom. 4. 18. & rurſus πίστει καλούμενος ἐξῆλθε, μὴ ἐπιστάμενος ποῦ ἔρχεται Heb. 11. 8.

De *Ratione* verò *ſubjectivè* ex parte intellectûs ſumptâ Theſis agit, atque ideò eam *Rationem humanam* vocat, quæ pro quadruplici hominis ſtatu conſiderari poteſt, ut creatione integra, lapſu corrupta, per gratiam aliquatenus ſanata, & Gloriâ olim perficienda.

De ſtatu verò illo primævo, atque hoc noviſſimo jam non agimus. Multa enim quæ circa ſtatum innocentiæ diſputantur planè ἄδηλα ſunt; & quo
1 Cor. 2. 9. uſque tandem Beatifica illa in cœlis viſio pertinget, inter ea *quæ oculus non vidit, nec in mentem hominis venerunt* reponendum eſt. De his itaque tacemus, & de ratione humanâ prout ſe habet in ſtatu vel *peccati*, vel *gratiæ* verba facimus, atque ità

1. Primò & propriè facultatem illam animæ rationalis in homine ſignificat, quâ intelligibilia apprehendit & judicat.

2. Secundò Metonymicè in hâc Controverſiâ omne lumen cognitionis ambitu ſuo continet, cujus ſcilicet adminiculo mens humana res Theologicas intelligit & percipit. Sive

1mo. innatum & naturâ inſitum ſit, quod κοιναῖς ἐννοίαις illis conſtat, tam in credendis Rom. 1. 19, 20, 21. quàm agendis Rom. 2. 14, 15.

Vel 2do. inſtitutione, meditatione, induſtriâ & ſimilibus per commune auxilium citrà revelationem acquiſitum, quale olim in Philoſophis Ethnicis, & hodiè in literatis & doctioribus.

Vel 3tio. Divinitus revelatum in Eccleſiâ vel externè tantum per verbum & media externa Rom. 2. 17, 18. vel internè etiam & ſalvificè per Spiritum Sanctum 1 Cor. 2. 12. per Spiritum inquam σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ut
Vide Baneſium in Epheſ. 1. 17. Apoſtolus loquitur Epheſ. 1. 17. non ſolùm ἀποκαλύψεως rem ex parte objecti revelando & proponendo, quod quidem Pelagiani olim agnoverunt, ſed & σοφίας ex parte ſubjecti facultatem illuminando, & quaſi vim vivificam menti ingenerando, quod abnegârunt † Pelagiani, Semipelagiani,* Ticonius, Caſſianus, atque ipſe aliquando ‡ Auguſtinus.

† *Auguſt. Ep. 106. 107.* * *Auguſt. l. 3. de Doctr. Chriſtian.* ‡ *Auguſt. de Prædeſt. c. 3.*

Atque in his præſertim vertitur cardo hujus Controverſiæ; ad cujus ſtatum dilucidè magis explicandum, cum articulos fidei ad normam humanæ rationis exigendos eſſe nolimus, opus eſt ut quid hâc in re concedendum, quid verò pernegandum ſit, diſtinctè & apodicticè ſtatuamus.

Concedimus itaque,

Ex parte objecti, & quod ad rationem rerum attinet, quam objectivam diximus,

1. Primò omnia Dei tam Decreta quàm Opera in articulis fidei comprehenſa ſummâ ratione niti: cum nimirum ex ſummâ cum Sapientiâ tum bonitate prodeant, & ad finem optimum per media accommodatiſſima dirigantur. Cum enim Nihil ſit Deo ſapientius, nihil melius, grande piaculum eſſet tale aliquid de eo ſentire, quod de homine ſapiente & bono penè nefas

L. Vives de verâ Relig. c. 3.

eſſet

eſſet cogitare, vel minimùm ſcilicet ſine ratione agere. De operibus illud *Davidis* extat *in Sapientiâ feciſti omnia*, Pſal. 104. 24. De decretis illud *Apoſtoli* ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα, ὡς ἀνεξιχνίαστοι, Rom. 11. 33. Altitudo quidem eſt, quæ intellectum noſtrum penitus abſorbet, quæ tamen ſapientiam, eamque profundiſſimam in ſe continet: *Sapientia* eſt, quamvis vel Sanctis *in myſterio* ſit 1 Cor. 2. 7. *Sapientia Dei*, quamvis mundo *ſtultitia* ſit 1 Cor. 1. 23, 24.

2. Secundò hinc etiam articulos fidei ſæpius quidem ſupra, at nunquam propriè contra ſanam rationem eſſe aſſerimus. Hoc Donatiſtas aliquando dixiſſe annotavit Auguſtinus. At fides, dum altiora petit, rationem perficit, non deſtruit; cumque idem Deus & veritatis & Rationis fons ſit, & verum ex ſe proprium intellectûs objectum, ipſaque Ratio aliquando *veritas* Rom. 1. 18. aliquando *ſapientia* 1 Cor. 1. 21. dicatur, neceſſariò ſequitur, quòd nullum verum à ratione alienum rationi ſaltem contrarium eſſe poterit. Atque hoc nomine Tranſubſtantiationis Pontificiæ, & Conſubſtantiationis ubiquitariæ portenta explodimus, ut & abſona illa quæ his ſtatuminandis adſtruunt dogmata. Verbi gratiâ

Contra Creſcon. l. 1. c. 13.

1. Primò quòd falſum eſſe poſſit in Theologiâ, quod verum eſt in Philoſophiâ: cum una veritas alteri contrariari nequit. Nam τῷ ἀληθεῖ πάντα συνάδει τὰ ὑπάρχοντα, ut rectiſſimè Philoſophus Ethic. l. 1. c. 8.

Meiſneri Philoſ. ſobr. Metaphyſ. 4. Vide Vedelii Ration. l. 3. c. 2.

2. Secundò quòd Contradictoria ſimul vera eſſe poſſint: cui contrariam de eorum incompoſſibilitate ſententiam *principium in Divinis periculoſſimum* vocare Meiſnerum non puduit. Cui etiam hâc in re *Verronius* ſuccinit, qui contradictiones Philoſophicas in Theologiâ conſiſtere poſſe aſſeruit; & quò meliùs fucum faciant, Divinam omnipotentiam huc accerſunt, ut de Monophyſitis olim Maximus τὸ δυνατὸν τοῦ Θεοῦ πρὸς κατασκευὴν ἀπρεπῶς ἐννοίας λαμβάνουσι. At πάντας φέρειν ἐμπεπόδισται; Bone Deus! quid non abſurditatis in Helenæ ſuæ gratiam quam adeò depereunt, fingitur, defenditur? At ſi nobis fides parùm adhibenda ſit, vellem tamen lubens ut illi *Lutherum* ſuum, hi *Auguſtinum* audiant. *Quod ergo huic Rationi evidenter adverſatur certum eſt & multò magis Deo adverſari.* Ità *Lutherus. Si manifeſtiſſimæ certæque rationi velut Scripturarum Sacrarum objiciatur Authoritas, non intelligit qui hoc facit, & non ſcripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non poteſt, ſed ſuum potiùs objicit.* Sic *Auguſtinus.*

Philoſ. Sobr. pag. 1000. Vedel. Rationnal. l. 1. c. 1.

Epiſt. 7.

3. Tertiò hinc etiam concedimus, ſummam eſſe rationem Deo quidvis revelanti credere. Cum enim omniſcius & † mentiri neſcius ſit, quicquid revelaverit, ſit licet contra rationem corruptam, vel ſupra integram, falſum eſſe non poteſt. Quod quidem principium inter cætera naturalia præcipuum eſt, & ex quo reliqua omnia maximè intelligenda ſunt & explicanda. Quicquid ſit, hoc ſenſu (ut cum Nazianzeno loquar) diſciplina noſtra Pythagorica eſt. Αὐτὸς ἔφη non ſolùm fidei, ſed & rectæ rationi ſufficit.

Dr. Hamond. pag. 81.
† *Tit. 1. 2.*

Hornejus apud Vedel. l. 3. c. 2. Orat. 1. adverſ. Julianum.

Atque hæc conceſſa ſint de *ratione objectivâ*, & ex parte objecti.

Ex parte verò ſubjecti, & de *ratione ſubjectivè ſumptâ*

Primò & in genere Rationem ejusque uſum in rebus fidei dignoſcendis & perſcrutandis non excludimus. Θεολόγους ἀλόγους * eſſe nolumus. Contrá verò *Rationale judicii Aaronis pectori* ſemper affixum volumus. Adeoquò è Scholis noſtris Theologicis æternùm exulet illud *Oſiandri* effatum: *ubi ad*

Vid. Socrat. l. 3. c. 12, 16. Sozom. l. 6. c. 37. Cl. Alexandr. ſtrom. 1. Canum. l. 1. c. 2.

* *Epiphan. hareſ. 31, 51.*

Theologiam ventum eſt, ſecedat Philoſophia: nec non illud *Meiſneri: uſque adeò Ratio non poteſt judicare de articulis fidei, ut illos non intelligamus, niſi cum prius rationi valedixerimus*; nec non illud *Vaſqueſii*, qui licèt in cæteris diſciplinis plus rationi quàm hominum teſtimoniis tribui voluit, at contrarium in Theologiâ ſtatuit. Quod quid aliūd eſt quàm homines excerebrare, hæreſibus & fanaticorum Enthuſiaſmis omnibus feneſtram aperire, atque ἀναζαλησίαν & Atheiſmum tandem introducere? At

Epiſt. ad Tom. 1.

Cum Chriſtus ὁ λόγος ſit, abſit ut λόγον & rationem omnem nobis excuteret.

Cum gratia non tollit naturam, ſed perficit, oportet quòd naturalis ratio ſubſerviat fidei, ſicut & naturalis inclinatio voluntatis obſequitur charitati, ut rectè *Aquinas*.

Part. 1. q. 1. a. 8.

Cum Dialectica, quæ ars Rationis eſt, Ars inſtrumentalis generalis ſit, quidni Theologiæ æquè ac aliis inſerviret? Cui licèt *Creſconius Donatiſta* quaſi Chriſtianæ veritati minus congruenti repudium dederit, *eam* tamen (ſi quæ S. *Auguſtino* fides ſit) *nunquam doctrina Chriſtiana formidabat*.

Auguſtin. contra Creſconium. l. 1. c. 13, 14.

Cum denique pro infinitâ ſuâ bonitate Deus nobis eximiam rationis prærogativam indulſerit, indignum planè & Deo & nobiſmet ipſis, ipſâque ratione foret, ſi ex Adverſariorum ſententiâ res iſtas inferiores & nihili ſolas ſpectaret, cum cœleſtibus verò nihil commune haberet: cum è contrà, ut rectiſſimè *Urſinus* ait, propter hunc uſum præcipuè naturas intelligentes Deus condidit, ut & *Auguſtinus* rationem inferiorem quæ temporalia, à ſuperiori quæ cœleſtia contemplatur, accuratè diſtinguit.

Non enim ceſſas nobis innuere qualis & quanta ſit prærogativa mentiū ſanctiſſima. De Trinit. l. 12.

Quid quod S. Scriptura argumentationis formulis & verbis v. 9. λογίζεσθαι, ἀναλέγεσθαι, κρίνειν, συγκρίνειν, ἀφορμὰς ἐλέγχου, ἀποδείξεως aliquoties utitur.

Rationis defectum perſtringit Iſa 44. 18, 19.

Paratos nos eſſe vult ad reſpondendum cuilibet petenti *Rationem ejus quæ in nobis eſt ſpei*. 1 Pet. 3. 15. σὺν ἀφρονας, ἀλλὰ συνιέντας eſſe jubet Epheſ. 5. 17. Quòd Phrophetæ ex parte Dei ratiocinantur 1 Sam. 12. 7. Iſa. 1. 18.

Apoſtoli argumentantur Act. 15. 2.

Pauli denique Epiſtolæ maximè eximiæ maximè argumentativæ ſint.

Ut procul dubio non magis fide vacuus quàm mente captus ſit, qui rationem à rebus fidei penitùs eliminat. Nos verò quod attinet, *Ludovico Vivi* non vitio vertimus, quòd cum veritatem Religionis Chriſtianæ demonſtraturus erat, rationibus agendum eſſe dixerit, quibus ſcilicet Rationis cultrix non deletrix fides eſt, ut rectè *Grocius*. Atque hæc prima noſtra generalis conceſſio ſit.

Lib. 1. c. 3. Fin.

Ut verò magis ſpeciatim agamus, dicimus

2. Secundò, quòd Ratio multùm valet in veritate & Theologiâ naturali, præſertim in eâ quæ κατὰ φύσιν ἐννοίαις conſtat; tum quoad *credenda*, διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς Rom. 1. 19. tum quoad *agenda*; nam τὸ ἔργον τοῦ νόμου γεγραμμένον ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν Rom. 2. 15. idque in præceptis *negativis* magis quàm *affirmativis*, prout rectè obſervat † *Lutherus*. Hæc enim, cum de Lege naturæ ſint, quæ *manu formatrice noſtri in ipſis cordibus*

Vide Canum l. 9. c. 4. ſic ex naturâ argumenta ſumuntur; Act. 14.-17. Pſal. 139. Joan. 9. Canus l. 9. c. 6.

† *De votis monaſt. c. 5.*

dibus veritas seipsis, (ut cum *Augustino* loquar) atque adeò (quicquid in contrarium Pontificii disputant) primo homini connaturalia, non prorsus vel obliterata vel extincta jam sunt, sed coruscant adhuc tenues hæ scintillæ sive à benigno Creatore relictæ, sive à misericordi Salvatore in omnibus accensæ, qui *lux illa illuminans omnem hominem venientem in mundum* Joan. 1. 9. *Epist. 57.*

3. Tertiò quin & in rebus fidei supernaturalibus multifarium rationis usum agnoscimus.

1. Subjectum naturaliter receptivum est, ut voluntas gratiæ, sic ratio & intellectus luminis supernaturalis: quippe nulla inferior facultas, sed sola hæc rationalis fidei capax est. Licèt enim Evangelium fidei ex mandato Christi Marci 16. 15. πάσῃ κλίσει prædicandum erat, at λογικῇ subintelligendum secundùm Hebræorum morem, qui hominem κατ' ἐξοχὴν נפש vocare solent. *Voëtius. Vedel. l. 2. c. 9. p. 265.* *Grotius in Locum.*

2. Est etiam principium vel instrumentum elicitivum fidei actualis, fides enim si non in intellectu solo sedem habeat, at non sine intellectu credit. Unde Sacra pagina *cognoscere* & *credere* pro eodem ponit Isa. 53. 11. Joan. 17. 3.

3. Ex Dialecticâ Philosophiâ & artibus reliquis non solùm ratiocinandi methodum & instrumenta atque alia τεχνολογήματα rebus fidei melius explicandis atque intelligendis suppeditat, quod *Osiander* non ægrè concedit, sed (quod ipse negat) axiomata artium & naturæ principia etiam subministrat, ex quibus veritas (si non sententiarum Theologicarum) at saltem connexionis terminorum clariùs elucescit.

4. Hinc non multùm repugnamus, si sano sensu Ratio à *Ludovico Vive* Isagoge & quasi *Introductio ad fidem*, si Philosophia à *Clemente Alexandrino* προπαιδεία dicatur, in quantum prævia quædam adminicula adhibet, quibus aliqui, qui Scripturæ testimonio minus fidem habent, magis allici vel convinci poterint, atque (ut cum *Augustino* loquar) *ut per ea vera de quibus se prospiciunt consentire, cogantur alia vera, quæ negaverint, approbare. Non credo! adducor, credo! confirmor, repugno, confundor ratione non dominâ sed administrâ, Syllogismo non præsidente, sed subserviente.* Sic *Melchior Canus.* Atque huc illud facit de Scribâ illo Marci 12. 34. quòd cum vidisset Christus ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη, dixit ei *non longè abes à regno Dei.* Atque hoc totum erat quod *Keckermannus* voluit, cum *per Logicam & Metaphysicam Lucem Spiritûs Sancti accendi* (duriusculè forsan) dixerit, quod & *Goclenius*, cum Gentilem Philosophum faciliùs idiotâ converti asseruit, quod licèt aliquando aliter accidat, non est tamen, quòd adeò severè *Gerhardo* & *Meisnero* vapulent, cum & ipsi ratione præparationis hujusmodi Philosophiam utilem esse agnoscunt. *In Præfat. Strom. l. 1.* *Contra Cresc. l. 1. c. 14.* *L. 9. c. 6.*

5. Ut hoc sensu ratio antecedenter fidei prævia esse potest, ita consequenter ad irradiationem & revelationem Divinam multò magis & perspicax & efficax est. Illa rectissima Augustino disciplina est *in arcem fidei recipi infirmos, ut pro eis jam in tuto positis fortissimâ ratione pugnetur.* Dici quidem solet, quòd Ratio, si fidem antecedat, eam minuit (quod aliqualiter, verum esse potest) at verò si sequatur, multifariam adjuvat. *Contra Felicem Manichæum.*

Multa siquidem tunc videt & approbat tanquam rationi consona, quæ priùs absona videbantur. Unde illud *Bonaventuræ*: *quædam videntur irrationabilia*

tionabilia Philoſophis, quæ tamen videntur valde rationabilia Chriſtianis. Ità quidem Paulus ante converſionem ἐγὼ μὲν ἔδοξα ἐμαυτῷ Act. 26. 9. firmâ ratione ſe Chriſtum perſequi debere credidit: at poſt converſionem Act. 17. 18. v. 8. τί; ἄτοπον κελεύεις, παρ' ὑμῖν; vel ipſius Reſurrectionis (quæ Athenienſibus ipſis inter παράδοξα ἀκούσματα erat) credibilitatem aſſerit.

Neque ſolùm revelata melius percipit, ſed & jam percepta magis confirmat & illuſtrat. Reſolutis enim ſignaculis illis ſeptem, quibus obſignatus erat liber myſteriorum, quem ſolus Agnus ille immaculatus dignus habitus eſt ut aperiat, jam non admodùm difficile eſt rationibus & ſimilitudinibus à naturâ petitis veritatem patefactam (quod tamen cautè ſanctèque fieri debet) & confirmare & illuſtrare. Quo in genere fæliciter operam navârunt *J. Martyr*, *Cl. Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Auguſtinus*, *Lactantius*, *Arnobius*, & *Patres* alii olim contra *Philoſophos Ethnicos*, prout *Mornejus*, *Vives*, *Grotius*, & alii viri docti nuperi, qui veritatem Religionis Chriſtianæ hoc modo aſſertum eunt contra *Atheos*. Neque hoc quidem, uti ſpero, multùm refragantibus *Gerhardo*, *Meiſnero*, reliquisque, qui rationem & Philoſophiam quàm longiſſimè à Theologiâ ablegare ſolent, cum & ipſi hoc ἐπιμένως καὶ ἐκ περισσείας fieri poſſe prolixè largiantur.

L. Vives in Præfat.

6. Multum rationi tribuimus in conſequentiis de fide ex Scripturarum principiis vel ab Adverſariorum confeſſionibus deducendis. Sic Chriſtus Matth. 22. Reſurrectionem mortuorum ex Scripturis per ſequelam rationalem, non falſam & falſo principio innixam (ut blaſphemare auſus eſt *Verronius*) aſſerit. Sic *Paulus* ex ſanctiſſimo dulciſſimoque illo Prophetæ Axiomate *Juſtus ex fide ſuâ vivet*, totam Juſtificationis doctrinam ſolidè argumentando conficit. Delira itaque illa *Perronii*, *Verronii*, *Gonteri* & *Arnoldi* nobiſcum agendi methodus, quâ omnia ῥητῶς atque αὐτολεξεὶ in Scripturâ à nobis exigunt, & conſequentiis uti, omnibus, Proteſtantibus ſaltem, omninò interdicunt, planè exſibilanda eſt, ut non minus noſtris quàm ſuis, non nuperis tantùm ſed Patribus antiquis omnibus contraria, atque in ſeipſâ futilis prorſus ac ridicula.

7. Non minus valet, quamdiu ſancta & ſobria permanſerit, in ſenſu Scripturæ ſagaciter eruendo, eamque juxta Regulas Dialectices, ſi modò & juxta analogiam fidei, interpretando. Sic Chriſtus Matth. 22. 29. dicit Sadducæos errâſſe neſcientes Scripturas, eò quòd ex eis rectè ratiocinari vel non potuerunt, vel noluerunt. *Niſi enim doctrinæ rationem quis adhibeat, fidelis quidem eſſe poterit, ſed fidelium Doctor eſſe non poterit*, ut rectè *M. Canus*. Ità *Tertullianus* diſciplinam rationis in Scripturis interpretandis exigit: ζητῶμεν ὡς δεῖ, καὶ ἐυρίσκομεν ἃ δεῖ, καὶ μετὰ ἀποδείξεως λέγομεν & quæ ad hanc rem ſequuntur reliqua apud *Maximum*.

L. 1. c. 2. de Præſcript. c. 9.

8. Hinc etiam in examinandis doctrinis à quibusvis nobis allatis (quod ad judicium diſcretionis attinet) multùm rationi concedimus. Hoc in *Beræensibus* tanquam *generoſioris animi* indicium annotavit Lucas Act. 17. 11. quod alacriter quidem Sermonem receperint, at non minùs prudenter *eum juxta Scripturas examinaverint*. ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς dixit, juxta quas tanquam normam examen inſtituebant; at illud ἀνακρίνοντες judicium rationis exprimit, cujus adminiculo ſententiam ferebant, atque hoc quidem ἐυγενεσέρως. Illud enim Hæreticorum olim δέχεσθαι ἁπλῶς τὰ λεγόμενα,

καὶ

καὶ μηδεὶς ἐξεταζέτω τί πλέον ἐν αὐτοῖς ἢ τε ἀπλεπὲς &c. apud *Athanaſium* vel *Maximum* meritò vapulavit, ut homine ingenuo indignum, homine ſanè Chriſtiano indigniſſimum.

9. Proinde ultimò quàm maximum rationis uſum eſſe aſſerimus in refutandis Philoſophis Ethnicis Hæreticis, & heterodoxis id genus aliis. Atque ideò apud *Clementem Alexandrinum* φεῤῥγμὸς οἰκείως εἴρηται, ἡ θεολογικὴ εἶναι ἢ ἀμπελῶνος; *non arma Saulis*, ſed *Goliathi gladius*. Ut ſi quid Scripturæ concedunt adverſarii (uti ſolent Hæretici) rationali conſequentiâ per unum articulum fidei conceſſum diſputemus contra negantes alium: ſi verò nil eorum credant quæ divinitus revelantur, ut aliqui forſan Ethnici, recta tamen ratio multùm valet ad refutandas partim eorum calumnias, quibus contradictionis & abſurditatis fidem noſtram arguunt, partim etiam falſas ratiocinationes, quas illi afferunt in contrarium. Cum enim fides (ut *Aquinas* optimè) infallibili veritate innitatur, impoſſibile autem ſit de vero demonſtari contrarium, manifeſtum eſt probationes quæ contra fidem inducuntur non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta. Atque ità (ut cum Prophetâ loquar) *teſtæ* cum *aliis teſtis terræ litigare*, atque humanæ rationis ſophismata humanâ ratione ſatis depugnari poſſunt, præſertim cum non ſolum S. Scripturæ ſed & rectæ rationi & rerum naturæ contraria eſſe oſtenduntur. Sic *Iſaias* [a] contra *Idololatras* quaſi intelligentiâ vacuos, ratione, ſic *Apoſtolus* (cum ἄπιστοι ἄτοποι [b] ſint) contra *Athenienſes* [c] ex propriis principiis contra [d] *Cretenſes* Teſtimoniis à ſuis adductis pugnavit. Quibus etiam telis Tranſubſtantiationis & Conſubſtantiationis monſtra configenda ſunt ad Ravim uſque licèt earum Patroni fidem efflagitent, & intellectum huc captivum ducendum eſſe clamitent. Quo quid aliud poſtulant, quàm ut homines animalia bruta ſint, quibus ipſi tanquam vulpes anſeribus quidvis concionare poſſint, ut acutè ſatis *Urſinus*, vel, ut ille olim, φοβεῖται τὴν ἐξέτασιν, ἵνα φεύγῃ τὸ ἔλεγχον.

Strom. l. 1. Canus l. 9. c. 6.

Parte 1. q. 1. a. 8.

Iſa. 45. 9. οἱ γὰρ λόγοι μαχοῦνται τοὺς λόγους, *ut Frid. Saxoniæ Elector dicere ſolitus fuit.*

[a] *Iſa. 44. 18, 19.*
[b] *2 Theſſ. 3. 2.*
[c] *Act. 17. 28.*
[d] *Tit. 1. 12.*

Maximus.

Atque ità tandem quæ in re fidei rationi tribuenda ſint fuſiùs expoſui, juxta quæ doctrina fidei, & Theologia noſtra tota dici poteſt *Rationalis*. Quo etiam in ſenſu libri à doctiſſimo viro nuperrimè editi Titulum de *Rationabilitate* ſcilicet Chriſtianæ Religionis placidè ferimus; & futile licèt *Durandi Rationale Divinorum officiorum* meritò ridemus; doctum tamen *Vedelii Rationale Theologicum* eo quo decet honore excipimus.

Voetius.

Dr. Hammond.

Ne verò dum hæc omnia tot & tanta conceſſimus & cauſam totam ſimul conceſſiſſe videamur, opus eſt ut tandem proferamus quid hâc in causâ rationi vel intellectui humano in articulis fidei denegandum cenſeamus. Et hîc *tria ſunt omnia*. Eam in re fidei nego *Cognitorem*, *Legiſlatorem*, *Judicem*.

Negamus

1. Primò Cognitorem (voce hâc à ſenſu forenſi aliquantùm deflexâ) eò quòd

1. Res fidei ſupernaturales Ratio ex ſe non invenit. ἐπὶ καρδίαν οὐκ ἀνέβη. 2 Cor. 2. 9. nemini unquam quamvis ingenioſo quantumvis erudito Triunus Deus, Deus Incarnatus veniſſent in mentem niſi revelante Chriſto 2 Tim. 1. 9. 10. hæc & hujuſmodi ὑπὸ τῶν ἀνθρωπίνων φρονίων (ut cum

Eulogio loquar) primò inventa sunt, cum (ut ille loquitur) κρείττω πάσης ἐπιχειρήσεως fuerint.

2. Ne revelata satis capit vel intelligit; ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν 1 Cor. 13. 9. unde planè constat quòd fides humanis rationibus vel primò generari vel secundò perfici nequit, adeoque tertio in loco, quòd valde audax & temerarium sit, siquis (ac si Deo à consiliis foret) rerum plurimarum ex revelatione tantùm credendarum rationis reddendæ provinciam in se susceperit, quod qui venditare ausi sunt, pro oraculis insomnia sæpè enixi sunt.

2. Nolo Legislatorem, ut leges ferat, aut aliquid necessariò vel credendum vel agendum imponat.

1. Vel præter verbum in re cultûs Divini, quod partes ejus & substantiam spectat; ubi, si uspiam, illud obtinet: *Quid ratio in sacris nisi deliratio rebus?* Prout in irrationali & verè deliro illo *Durandi Rationali* plus satis constat. Hîc *Ratio humana* (ut in variis tam *Ethnicorum* quàm *Pontificiorum* cultibus videre est) omnium superstitionum fons & origo extitit. Hîc
Coloss. 2. 23. Apostolus τὸ λόγον σοφίας ἔχοντα damnat. *Religionem enim non quò nos volumus ducere, sed quò illa nos ducit sequi debemus*; ut piè admodùm *Lirinensis.*

2. Vel contra verbum in rebus quibusvis aliis. Ut enim fidem non repugnare rectæ rationi priùs diximus, ità ut Ratio *verbo fidei* insurgat absit ut usquam feramus; imò asseveranter dicimus *Ratiocinationes evertendas esse,*
2 Cor. 10. 5. *omnemque sublimitatem, quæ se extollit adversus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendam omnem cogitationem ad obedientiam Christo.* Hoc Paulinum
Epist. 7. est; sicut & illud Augustinianum: *Si ratio contra authoritatem Divinarum Scripturarum redditur quantumlibet acuta sit, fallit veri similitudine, nam vera esse non potest.* Rationem ancillam volo, non dominam.

3. Ultimò, Testem aliquando, at nunquam Judicem. Quod in hâc causâ præcipuum est.

Atque hîc nolo

1. Primò & in genere ut Articuli fidei ad rationis humanæ trutinam appendantur, vel ad eam tanquam ad normam flectantur: quod sæpè obtorto collo fit, quodque in *Josepho* Historico nuper vir quidam doctus annotavit.
Mr. Gregorii. Cum verò unumquodque primum reliquorum mensura sit, atque ità veritas Dei regula sit veritatis rei, rei verò veritas regula veritatis intellectûs & rationis, sequitur veritatem Divinam non ad tribunal Rationis humanæ, sed contrà veritatem Rationis ad tribunal veritatis in Deo, vel à Deo patefactæ sistendam esse; neque hâc viâ progredi debere. Hæc doctrina absurda est Rationi, ergo verbo Dei repugnat; sed hâc potiùs hæc Doctrina verbo Dei repugnat, ergo sanæ rationi absurda est, ut rectè *Vedelius* annotavit, quicquid in contrarium scripserit Rhapsodographus.
Arcana Arminianismi l. 1. c. 4.

2dò. Neque hoc Ratio exigere debet, ut fides Articulos suos rationibus necessariis à priori semper demonstret. Id ægrè tulit *Archiepiscopus Tyrius* in
Tyrius l. 19. c. 3. *Almerico* Hierosolymorum Rege ab eo postulante ut resurrectionem mor-
Holy Warr. l. 2. cap. 33. tuorum sibi ratione demonstraret. Hujusmodi enim plurima proriè indemonstrabilia sunt, & à Divino Testimonio tota pendent, ut postea patebit.

3tiò. Neque ut fides tandem & ultimò in rationem resolvatur tanquam

in fundamentum & principium ex quo educitur, quod *Scholaſticis Pontificiis* nimis quidem ſolenne eſt, at iniquè noſtris ab *Ubiquitariis* objicitur. Nil nos territant horrida illa quæ nobis hâc in re intentat *Meiſnerus* μορμολυκεῖα. *Philoſoph. ſobr. in Præfat.*

4to. Enim tantùm abeſt ut nos rationem fidei principium & fundamentum ponamus, ut ei non tanquam tibicini inniti volumus. Quicquid enim ex parte hominis ad ejus vel cæcitatem vel contumaciam vel ſanandam vel ſubigendam rationi concedimus, dum ex ejus cum fide concordiâ erroris ſui abſurditatem, & veritatis evidentiam oſtendimus, atque hoc ſenſu eam ut teſtem admittimus, ipſam tamen fidem & veritatem ſupernaturalem adeo ex ſe infirmam eſſe ut Rationis vel ſuffragio vel ſubſidio indigeat, neutiquam credimus. Chriſtus ſic *ab homine teſtimonium non captat* Joan. 5. 34. ejus enim veritas ſuis (hoc eſt Divinis) lineis continetur: atque ut verè Θεόπνευς ità ex ſe meritò ἀξιόπιστος eſt. Αὐτοπελὴς μὲν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ καθ' ἑαυτὴν διδασκαλία &c. φαίησθα δὲ ἡ φιλοσοφία ἡ Ἑλληνικὴ ἢ δυναλωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδύνατον παρέχεται κατ' αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν. ut rectiſſimè *Clemens Alexandrinus.* *l. 1. Strom.*

5to. Quamvis Rationi, quatenus controverſias fidei juxta verbum expendit, *judicium diſcretionis* deferimus, at *judicium deciſionis* ab eâ penitùs abjudicamus. Illud tantùm *potentiæ*, hoc *poteſtatis* judicium eſt. Illud virtus & opus *intellectûs* cognoſcentis objectum, hoc officium *judicis* litem determinantis; ad quod ratio in ſupernaturalibus non aſſurgit. *Vedelij Ration. l. 2. c. 11. p. 277. l. 3. c. 6. p. 511, 512.*

6. Unde ultimò minimè omnium tanta vel licentia vel audacia potiùs rationi indulgenda eſt, ut quod ei rectum non videtur, licèt ex S. Scripturâ vel clarè legatur vel neceſſariò deducatur, ab eâ protinus rejiciatur. At qui rationi *famulitium* tribuimus, non item *magiſterium*, ut cenſoriam virgam ſibi arroget, atque in fidem imperium ſumat, ſuisque faſcibus res Divinas ſubjicere annitatur: quod quid eſt niſi ſolis curſum ad horologium componere vel corrigere? Cum verò quicquid Deus dicit neceſſariò veriſſimum ſit, ſi quid aliter vel in contrarium ratio vel diſputaverit vel ſenſerit, vel aſperiùs increpanda eſt σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ; Rom. 9. 20. vel irridenda Ἄφρον, & quæ ſequuntur cætera 1 Cor. 15: 36. juxta illud quod dici ſolet *Quod ratio ſolvere non poteſt, fides irridere debet.* Hoc ſenſu exulet Philoſophia Col. 2. 8. vapulet ſapientula Ratio ſemetipſâ ebria; hîc ſolus Deus audiendus, & *captivandus intellectus eſt ſub obſequium Chriſti* 2 Cor. 10. 5. *Vide Martini Lexicon ad vocem Ratio.*

Atque hæc prolixa licet at neceſſaria fuit & controverſiæ conſtitutio & ſententiæ noſtræ explicatio, cui obiter intertexta fuit aliqualis etiam ejusdem confirmatio, quam jam tandem (digito ad fontes) propoſitis tantùm argumentorum aliquot capitibus quàm breviſſimè abſolvam.

Probatio.

Quorum primum ex ſummâ Dei prærogativâ deſumptum eſt. Ea verò æquè ad intellectum ac ad voluntatem ſe extendit. ut ergo ei obedire tenemur voluntate retinente, ità & credere ratione vel reluctante, ſaltem caligante Rom. 4. 18. παρὰ θεὸν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπίστει, μηδὲ παρὰ θεὸν δογματίζει. vel inter Pythagoræ Symbola occurrit. *Arg. 1.*

Secundò, huc imprimis facit Scripturæ mos atque articulos fidei proponendi ratio. Licèt enim in quibuſdam *Theologia naturalis* capitibus ad nos noſtræque rationis judicium provocat Iſa. 5. 5. 1 Cor. 11. 13. in rebus ta- *Arg. 2.*

men *fidei ſupernaturalis* rationem contemnit, noſtræque intelligentiæ nullam rationem habet 1 Cor. 1. 20. *Sic dicit Dominus*, hic ſtylus Propheticus eſt. Similiter Chriſtus & Apoſtoli ad verbum Dei ut doctrinæ ſuæ fundamentum auditores ſuos remittunt, atque ex eo ſolo fidem demonſtrant, non rationem crepant, ſed fidem poſtulant, *ratiocinantur* quidem, ſed *ex Scripturis* Act. 17. 2. *loquuntur*, *teſtificantur*, ſed *juxta Prophetas* Act. 26. 22. inſtrumentis Logicis & principiis Philoſophicis utuntur ut Archicectonica ſubminiſtrantibus, at quod res ipſas ſpectat Oracula ratione ſuperiora ſæpiùs fundunt, imò quoad ipſum procedendi modum θειοτέρην παρὰ τὴν ἀπὸ Μελεκλικῆς Ἑλληνικὴν. (ut loquitur Origenes) probandi methodum adhibent.

Luca 24. 25. 27. Act. 13. 27. 26. 22. 27.

Aquin p. 1. q. 1. a. 5.

Contra Celſum. Arg. 3.

Unde tertium ſuppetit argumentum ex naturâ rerum fide Divinâ credendarum petitum, inter quas

1mò. Quædam ſuut ſimpliciter primo-primæ, quæ cauſas priores vel naturæ lumine notas unde demonſtrari poſſent, non habent, ut rectè *Abulenſis* annotavit. Atque hoc nomine *Aquinas* Theologiam ſcientiam non eſſe rectiſſimè concludit, prout contra *Maironem Ockamus*, *Valentia*, & Scholaſtici alii.

in Exod c. 23. qu. 62.

1 pt. 1. qu. 1. a. 2.

Vaſquez. Tom. 1. pag. 9.

2dò. Plures à liberrimâ Dei voluntate ſolâ fluunt, qualia decreta & opera ejus ſunt in quibus omnibus omninò ſtat pro ratione voluntas, cujus voluntatis ſi eſſet aliqua cauſa aut ratio, jam nec Dei voluntas eſſe poſſet; Si Luthero credimus, nulla certè neceſſaria aſſignari poteſt, cum ipſa in ſe liberrima ſit; nulla extra ſe poſita, ἣν τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, Epheſ. 1. 9. cujus rationem in nobis noſtrâque voluntate ſi homines non tam ſagaciſſimi quam audaciſſimi in ſe invenire jactaverint, illud ejuſdem Apoſtoli audiant τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο, Rom. 11. 34.

τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *Epheſ. 1. 9.*

3tiò. Plurimæ ſunt naturæ in ſe infinitæ, atque ideò incomprehenſibiles, myſticæ, atque ità rationem tranſcendentes, quæ licèt quod ad ὅτι attinet, & quantum ad ſalutem ſufficit (verbo revelante) percipi poſſint, (quo ſenſu Zwinglius intelligendus eſt, cum Deum incomprehenſibilia nobis credenda proponere negat) at quoad τὸ διότι vel διότι horum *docta ignorantia eſt*; non ſub rationis *cenſum* cadunt, cum ejus *captum* longè ſuperant.

v.g. Omnipotens, æternus, incomprehenſibilis, Triunus Deus, de quo illud Jobi 36. 26. *Ecce Deus magnus*, *vincens ſcientiam noſtram*, qui poſuit tenebras latibulum ſuum Pſal. 18. 11. Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον 1 Tim. 6. 16.

Chriſtus Θεάνθρωπος, cui יוֹעֵץ פֶּלֶא *admirabilis*, *conſiliarius*, nomen eſt Iſa. 9. 9.

Dei conſilia & decreta, ὦ βάθος, ὡς ἀνεξερεύνητα; &c. Rom. 11. 33.

Pax Dei ὑπερέχουσα πάντα νοῦν Phil. 4. 7.

Gaudium Spiritûs ineffabile χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ 1 Petr. 1. 8.

Gloria Dei *intra velum eſt*; quo non ſcientiâ, ſed *ſpe intramus* Hebr. 6. 19. *Oculus non vidit* 1 Cor. 2. 9. *Auris non audivit*, aut ſaltem ῥήματα ἄῤῥητα 2 Cor. 12. 4. de quibus vel vera dicere periculoſum eſt.

Totum denique Evangelium *myſterium* eſt 1 Tim. 3. 16. εἰς ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι 1 Petr. 1. 12. *ſupra omne quod cogitare poſſumus* Eph. 3. 20. *ut alti ſunt Cæli ſupra terram* Iſa. 55. 9.

Quæ

Quæ omnia, tanquam ſplendidiſſimi Solis radii, ità omnem intelligendi aciem perſtringunt, ut quò attentiùs in his contemplandis cogitationes noſtras defigimus, eò vehementiùs perenni luco obcœcati tenuitatem noſtram deploremus, ſiquis verò arrogantiùs vel curioſius, ut* *Bethſhemitæ* olim, ſe ingeſſerint, *ſcrutator Majeſtatis opprimetur à gloriâ.* Hæc qui rationis ſuæ decempedâ metiri ſatagit, aliquando in μανίαν, ſæpiùs in hæreſin, atque tandem in Atheiſmum decidit. *Vaſquez in præfat. ad Tom. 1. 1 ſam. 6. 19. Pro. 25. 27. Doughty p. 115.*

Quartò, ut à rerum credendarum ſublimitate & ſubtilitate, ità ab humanæ rationis infirmitate arguitur. *Arg. 4.*

Cum enim Ratio (definiente Scholâ) ſit natura intellectualis obumbrata, quamvis pro vario ejus ſtatu res fidei vel minùs vel magis capiat, nunquam tamen ad omnimodò perfectam earum cognitionem aſſurgit. *Aquin. Sententent. 1. Sent. Diſt. 3. 44.*

In ſtatu *Innocentiæ* & *Gloriæ* perfectiſſimè ſe habet, at vel tum *finita* eſt, quæ ideò nullam proportionem habet ad *infinita*, qualia tamen plurima (ut priùs oſtendimus) jam credimus, in quibus (quod ad perfectam eorum cognitionem ſpectat) in immenſum ſubſidit vel Adami, vel Angelicus intellectus.

At quantò magis ratio noſtra in ſtatu *Gratiæ* ex parte tantùm renovata; in quo (dum tantum nativæ caliginis ei adhæret) tanta difficultas, imperfectio, obſcuritas & confuſio in rebus Divinis cognoſcendis permanet, ut ex *parte* tantùm *cognoſcamus* omninò neceſſe eſt. *1 Cor. 12. 13.*

Omnium verò maximè in ſtatu *peccati* ſana illa atque recta ratio, quam aliqui adeò crepant, quod ad actualem exiſtentiam ſpectat, in pleriſque *manca*, atque ideò *male-ſana* eſt, in aliquibus (ipſis *Remonſtrantibus* fatentibus) planè *mortua*, adeoque *nulla* eſt.

In *naturalibus*, ni quibus maximè Lyncea eſt, quàm lippit tamen? Sapientiſſimus *Socrates*, *ſe hoc tantùm ſcire, quòd nil ſciverit* ingenuè agnovit: oculatiſſimus Philoſophus τῶν νυκτερίδων ὀμμάτων meminit. Agur, ipſo fatente, *bruteſcit* בַּר שָׁמִיר ſi qua fides Jobo habenda ſit cap. 26. 14. quàm citò in trivialibus illis ipſe ad incitas redactus erat ex ſequentibus capitibus ſatis conſtat. *Vitreum vas lambimus*; rerum *formas* (circa quas ratio & ſenſus maximè verſantur) planè neſcimus: & quò meliùs cæcitatem noſtram obvelare poſſimus, *occultas qualitates*, *naturæ inſtinctus*, *principia non diſputanda* obtendimus. Quid plura? *In Sapientiâ Dei mundus non agnovit Deum*, 1 Cor. 1. 21. *Metaphyſ. l. 2. c. 1. Prov. 30. 2.*

In *moralibus*, in quibus ſecundùm *Gerſonem* Syntereſis ſemper virgo eſt, atque rectam rationem ſemper ad optima deprecari vult Philoſophus, eodem fatente, τυφλώττει ἡ πονηρία, Et rurſus, ἡδοναὶ φθαρτικαὶ τῶν ἀρχῶν. Unde fit, ut qui κοιναῖς ἐννόαις ad cultum Dei impelli debent, *veritatem Dei in injuſtitiâ detineant*, Rom. 1. 18. Quæcunque verò, *naturaliter*, *ut bruta animalia ſciunt*, *in his ſeſe corrumpunt*, Judæ v. 10. Ut punctim agam. *Eth. 1. c. 1.*

In *Lege* præcipuè quatenus *ſpiritualis* eſt Ratio humano cœcutit, Epheſ. 4. 18. Rom. 7. 7. 14.

In *Evangelio*, meræ *tenebræ*, tota cæca eſt. Epheſ. 5. 8.

Res fidei ſupernaturalis (quod priùs dictum erat.)

1. Exſe non invenit, hanc ſemitam ne *vulturis oculus intuitus eſt*, Job. 28. 7.

2. Revelatas non ſatis capit, *animalis homo non percipit*, 1 Cor. 2. 14. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt.* Joan. 1. 5.

3. Perceptas non approbat, τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν. Rom. 8. 7.

4. Imò oculatiſſimi ſæpè omnium maximè cœci, Matth. 11. 25. Joan. 9. 22. horum enim imprimis illa Elogia ſunt ἐμωράνθησαν, ἐμωράνθησαν, Rom. 1. 21. 22.

5. Denique in iis rebus, in quibus maximè cauti eſſe volumus, ſæpè turpiſſimè fallimur & impigimus, quod inter *animi vulnera* meritò poſuit *Bellarminus.*

De lib. arbit. l. 5. c. 3.

Ejà verò, ità demum recta Ratio erecto ſupercilio incedat, & cœca dum ſit Divinorum myſteriorum adyla rectà adeat, ſcilicet.

1 Arg. 5.

Ultimò argui poteſt ex latâ ſatis illâ inter *Fidem* & *Rationem* differentiâ, quò minus fieri poterit, ut hæc illius ſit *regula.* Ità Apoſtolus fidem ὑπόστασιν τῶν μὴ βλεπομένων definivit, *ambulare per fidem*, & *per aſpectum* non tam diſtinxit quam oppoſuit. Unde Auguſtinus ait *Chriſtum ideò in cœlum aſcendiſſe ut fides noſtra ædificaretur.*

Heb. 11. 1. 2 Cor. 5. 7. Toſſanus part. Evangel. p. 79.

Atque hinc ſolenne illud *Gregorii: Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Si ratio conſequenter accedat ad fidem, multum juvat, ſi verò antecedenter ſe habeat, non *meritum fidei* (ut loquitur *Aquinas*) ſed ipſam *fidem* aliquatenus minuit. Et licèt eadem quæ intelligimus, & credere poſſumus, ſicut *Thomas credidit Chriſto* quem *vidit* & *palpavit*, plura tamen alia atque alio modo credimus quàm intelligimus. Fides ea cognoſcit ut *norma*, intellectus ut *ſubjectum* cognitionis. Ut ſemel concludam omnia, in *fide* tria conſiderari ſolent, quæ ejus à *ratione* diſtinctioni inſerviunt.

22æ q. 2. a. 10. Aliqui tamen hæc incompoſſibilia eſſe putant. vide Baron. contra Turnbul. pag. Gabriel diſtinct 25. q. unic. Vedel. l. 2. c. 17. p. 333.

1. *Certitudo infallibilis*, cui falſum ſubeſſe non poteſt, quæ humanæ *rationi* non adeò, certè non ſemper competit.

2. *Obſcuritas rei*, quæ quantò major fuerit, eò *obſcurior* & *infirmior intellectus*, at *fortior* & *clara magis fides* exiſtit. In tenebris illis palpat ratio, at micat fides. *Ubi ratiocinatio deſinit, fides ſubvenit*, ut rectè *Oroſius.*

In Logicis argumentum facit fidem, ſed in Theologicis fides facit argumentum. Alex. Ales l. 3. q. 58. 1 Joan. 5. 9, 10.

3. Ratio & intellectus *rei ipſius veritate*, fides *teſtimonio* nititur, ſi humana, humano; ſi divina, divino. Sic Apoſtolus 1 Theſſ. 2. 13. Sic etiam *Auguſtinus*: * *Quod ſcimus, debemus rationi, quæ credimus authoritati.* Adeò ut ultima reſolutio fidei non eſt quà vel quia. Ego juxta rei veritatem ità intelligo vel judico, ſed quia Deus verax ità loquitur & teſtatur, & hinc & credo, & credere debeo, licet rem ipſam non undequaque, & per omnia intelligo. Quicunque enim Deo ultra quàm videt non credit, non magis ei longè veraciſſimo, quàm homini omnium fallaciſſimo fidem habet. Qui quo fidem & rationem commenſurabiles efficeret, idem fidei actum aliquando omnium fortiſſimum & efficaciſſimum adimeret, ut in *tentatione* aliquando fit, ubi abſorptâ planè omni ſalutis notitiâ, fides tamen non deficit. Adeoque & Deo, & fidei, & ſibimet ipſi iniquior erit, qui *articulos fidei ad humanæ rationis normam exegerit.*

* *de utilitate credendi cap. 11.*

Quare fruſtrà ſudaverit, qui cæleſtia Religionis arcana noſtræ Rationi adaptare conabitur. Decebit potiùs mentes noſtras ad cæleſtis veritatis Thronum adorandum attollere. Verulamius de Augment. Scient. l. 3. c. 2.

DETERMINATIO QUÆSTIONIS,

pro Doctoratus gradu in Scholis publicis facta Novemb.

ÆTerne Deus, *Fons Luminum*, *Pater Miſericordiarum*, indulgeas, quæſumus, miſeris peccatoribus pœnitentiam, ut pœnitentibus indulgeas veniam. *Aperias oculos noſtros, ut videamus mirabilia legis tuæ:* nobiſque in veritate tuâ propugnandâ verbi, ſpiritûſque tui ductu ità adeſſe & præeſſe digneris, ut qui *ſine te nihil poſſumus*, tuis demùm auſpiciis & vera intelligere, & recta facere, atque æterna illa tandem aſſequi valeamus, per Jeſum Chriſtum Dominum ac Salvatorem noſtrum. Amen.

Lex moralis obligat fideles ſub Evangelio.

Μὴ πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι, dixit Apoſtolus. Noluit utique ſanctos adultiore fide ſuperædificatos in fundamentis ſemel poſitis denuò reponendis occupari, ſed perfectionis culmen potius conſcendere. At væ nobis הַשִּׁתּוֹת יְהֹוָה סוֹן ut olim Pſaltes; ob impium ſcilicet noſtrum verbi Divini contemptum, non ſolum immani illâ quâ jactamur, procellâ templi πλεύμα juſtiſſimâ Dei irâ à cœlo tacta ſunt, verùm horrendo iſto quo obruimur terræ motu ipſa Eccleſiæ θεμέλια nefandâ παραχρυκτῶν perfidiâ ſubruta atque funditus everſa jacent. Chriſti, ſanctique Spiritûs Sacroſancta Deitas, Redemptoris noſtri propria & plenaria ſatisfactio Scripturarum Divina Authoritas, Sacramentorum denique uſus ſaluberrimus quàm firma, quàm immota planè fidei noſtræ fundamenta! At jam tandem ſacrilegâ Socinianorum, Antiſcripturiſtarum, Anabaptiſtarum, aliorumque malè feriatorum hominum manu loco mota ſunt. Inter cætera verò Sacrarii κειμήλια minimè temeranda *Legem Dei* quam ſanctus Apoſtolus *ſanctam*, *juſtam*, *bonam & ſpiritualem*, Propheta etiam *æternam* vocat (prout Demoſthenes leges τῶν θεῶν ἕυρημα eſſe voluit) *Manichæi* olim *carnalem*, *malam*, *à Diabolo profectam*, & *Judæis in eorum perniciem datam eſſe* dixerunt: *Libertini* & *Antinomi* noſtri dum *Spiritum* & *Gratiam* crepant (ut πλησμονὴν σαρκὸς reverà ſatagunt) non minore inſcitiâ quàm impudentiâ & ingratitudine, omni vel *obligandi* vel etiam *dirigendi* poteſtate exuunt. *Vetus* hoc *fermentum* eſt. Infælicis enim hujus meſſis primitias vel ipſorum Apoſtolorum temporibus primùm ſuppullulaſſe comperiemus, ſi quid Apoſtolus ad *Romanos*, quid *Petrus* & *Judas* in ſuis Epiſtolis contra primos hujus incendii authores ſcripſerunt attendamus. Quid enim illud: *Faciamus malum, ut eveniat bonum*, Rom. 3. 8. *Permanebimus in peccato, ut abundet gratia*, cap. 6. 1. niſi purum putum *Libertiniſmum* ſonat ſapitque? Atque illa verba ſancti *Petri*, Epiſt. 2. cap. 2. v. 18. 19. *Prætumida vanitatis loquentes ineſcant per carnis cupiditates & laſcivias alios, libertatem eis pollicendo cum ipſi ſervi ſint corruptelæ*, ad vinum non tam *Gnoſtico-Borboritarum* illius ævi, quàm *Antinomorum* noſtrorum tum loquelæ idiotiſmum, tum vitæ praxin repræ-

Heb. 6. 1.

Pſal. 11. 3.

Rom. 7. 12. 14. *Pſal.* 119. 89. 141.

Contra Libertin. repræſentant, ut *Calvinus* rectè dixerit, *Ego profectò nunquam planè & perſpicuè quæ ibi deſcripta ſunt intellexiſſem, niſi ea in ipſis recognoſcerem.* Et licèt hæreſis iſta egregiè ab Apoſtolis viriſque Apoſtolicis triumphata fuit, at non pænitus debellata tamen (ſerpſit enim adhuc virus iſtud; in *Valentinianorum, Cerdonitarum, Manichæorum* deliriis νομὴν ἔσχε) tandem verò per aliquot ſecula mortua, ſepulta, jacuit, donec, ut in prima Evangelii & gratuitæ juſtificationis per Apoſtolos prædicatione primùm exorta eſt, ità ad ſecundam per *Lutherum* reliquosque Reformatæ Religionis Antiſtites ejuſdem Articuli aſſertionem, Metempſychôſi longè infæliciſſimâ *Manetis* anima in *Quintinum, Coppinum, Pocquium*, reliquosque ejuſdem fæcis homines, at imprimis in *Johannem Agricolam Iſlebium* (qui primus *Antinomorum* Anteſignanus prodiit) delapſa fuit, vel potiùs ab inferis revocata. Quas verò quàmque horrendas in Eccleſiam tenebras, im Remp. ſtrages invexerit hæc luces, teſtis eſt longè omnium miſerrima *Germania*, teſtantur tot miſerè interfectorum millia, tot nefandæ direptiones ac lanienæ, quas *Liberi* iſti *Fratres* (ut eorum aliqui nominari amabant) liberè patrârunt, dum ſcilicet *libertatis vindicias* agebant, ipſi Deo *vindice digniſſimi.* Avertat nobis bonus Deus malum omen, ne qui ſecundò hâc quam meditabamur Eccleſiæ *Reformatione* pœnâ ſimiles ſimus, qui reatu ſuperiores evaſimus. Quicquid enim blaſphemiarum nefarii illi priorum ſæculorum Divinæ Legis hoſtes contra eam impuro ore evomuerunt, relambunt hodierni noſtri *Antinomi.* Illi *Moſen* animosè exploſerunt, *Legem* & *Opera* ad *Curiam Romanam* vel *Judicium*, non ad *conſcientias Chriſtianorum* ſpectare dixerunt, adeòque eâ, eique obedientiâ debitâ omnes precipuè Auditores, Electos, maximè omnium Macaros ſuos exemptos voluerunt. Quibus ſuccinunt noſtri. In Dei ſiquidem regno, id eſt *Eccleſiâ* nullam aliam legem agnoſcunt præter *legem novæ creaturæ, legem Spiritûs vitæ qui eſt in Chriſto Jeſu*, & *legem charitatis.* Legem verò ac imprimis *Moſaicam* planè abrogatam, omni *dirigendi*, nedum *obligandi* vi deſtitutam, per mortem Chriſti jam *mortuam*, adeòque non minùs in ſe quàm nobis *mortiferam* eſſe aſſerunt: eoſque, qui ejus obligandi vim, noſtrumque ei obſequium urgere ſolent, *prædicatores legales* agere, hominesque hypocritas, & Papiſtas (ſi placet) quantum in ſe eſt efficere clamitant.

vide Concionem Mr. Dell. pag. 26.

De Legibus l. 10. c. 1. de juſt. l. 4. c. 1. 12. q. 96. art. 5. diſp. 66. cap. 1. Ex Pontificiis quidem *Suarez*, *Bellarminus*, & *Vaſquez* fortiter calumniantur nos, quia tenemus juſtificationem ſolâ fide niti quâ delicta non imputantur, tenere itidem juſtos nullâ Divinâ lege obligari, ſed ab eâ prorſus liberari; atque huc varios locos ex *Luthero* & *Calvino* quaſi hoc aſtruentes congerunt: ſed ſplendidè mentiuntur, prout cuique conſtabit, qui vel *Eccleſiarum Reformatarum Confeſſiones*, vel *Theologorum noſtrorum ſcripta*, vel illos ipſos quos ex *Luthero* & *Calvino* afferunt, locos inſpexerit. Non eſt itaque quòd vereamur *Tridentina* illa fulmina, *ſi quis dixerit Deorum præcepta nihil ad Chriſtianos pertinere, Anathema ſit. Si quis dixerit hominem juſtificatum non teneri ad obſervationem mandatorum, ſed tantùm ad credendum, anathema ſit. Si quis dixerit Jeſum Chriſtum datum fuiſſe hominibus ut Redemptorem, cui fidant, non autem ut Legiſlatorem, cui obediant, Anathema ſit.* Hæc enim *Antinomorum* quidem jugulum petunt. nihil inde nobis periculi eſt. Agnoſco quidem *Lutherum* pro genio ſuo, prout in reliquis ſolet, ità

hâc

hâc in re præcipuè audacter & hyperbolicè loquutum, dum dulciſſimum illum Articulum gratuitæ Juſtificationis per Fidem ſine operibus legis ex quo tantum ſolatii hauſerat, unicè excoluit, atque hinc plura ab eo de *Lege quaſi abrogatâ* fortiùs atque aliquoties incautiùs dicta ſunt, hoc duplici ſcilicet nomine

1. Ut Lex ad juſtificationem peccatoris adhibetur.
2. Ut maledictio & minæ ejus cruentare ſolent animam fidelis pœnitentiam.

Priori ſenſu eſt, ubi doctrinam operum *doctrinam dæmoniorum* vocat, ubi ſic loquitur *lex ſimpliciter abrogata eſt*; & alibi, *in Chriſtum inſpiciens, totus ſanctus & purus ſum, nihil planè ſciens de lege.* Atque alibi, *Ante Chriſtum lex eſt ſancta poſt Chriſtum eſt mors, ideò ubi Chriſtus venit, nihil ſimpliciter ſcire debemus de lege. Sine fide in Chriſtum lex mortifera eſt, non quia lex mala ſit, ſed quia juſtificare non poſſit.*

Senſu poſteriori hujuſmodi apud eum occurrunt. *Lex, ſi vis aſcendere in regnum conſcientiæ, & illi dominari, & ejus arguere peccata, & gaudium cordis tollere, hoc præter officium tuum facis. Conſcientiam ne attingas, ubi nulla eſt lex. Nunquam peccat homo horribilius quàm in eo Articulo in quo legem incipit ſentire & intelligere. Summa ars & ſapientia Chriſtianorum eſt neſcire legem, ignorare opera & totam juſtitiam activam, præſertim cum conſcientia luctatur cum judicio Dei. Cum conſcientia perterrefit lege, nec rationem nec legem conſulas. Debemus extra conſcientiam facere ex eâ Deum, in conſcientiâ eſt verò Diabolus.* Hæc & hujuſmodi plura in ejus ſcriptis paſſim occurrunt, præſertim in Commentariis ſuis ad *Galatas*, ubi cum *Pontificiis* circa articulum Juſtificationis rem habuit, nondum ſcilicet graſſante *Antinomorum* peſte, quæ cum caput ſuum apertiùs extulerit, viruſque latiùs diffuderit, poſterioribus ſuis ſcriptis, & præcipuè Commentariis in *Geneſin*, non ſolùm cautius locutus eſt, verùm *legis* authoritatem acerrimè propugnavit, *Antinomorumque inſaniam* (ut ipſius verbo utar) coercuit. Illa tamen cum *Pontificii* ad ignominam nobis inurendam, tum *Antinomi* ad placita ſua ſtatuminanda non magis avidè arripiunt, quàm detorquent impiè.

Num verò *Calvinus* unquam in *Libertinorum* caſtra tranſibit, qui (ut *Auguſtinus* olim contra *Adverſarios legis*) ita ille contra hos ipſos duos libros integros non minùs zelo quàm pietate atque eruditione plenos ſcripſerit? Num *Lutherus* hujus hæreſeos *Malleus* in *Antinomorum* cenſu vel per ſomnium tandem reponendus? qui *Decalogum* (prout de ſeipſo profitetur) puerulorum more quotidiè recitabat, qui *Iſlebium* ad *Palinodiam* compulit, contra ejus hæreſin ſex diſputationes publicas inſtituit, Epiſtolam ſatis longam exaravit, in quâ, ut quantum ab eâ abhorruerit oſtenderet, ad ſui ſuorumque Expoſitiones, Catechiſmos, Confeſſiones, Apologias, Decalogum denique canendi, pingendi, excudendi, pueriſque recitandi ſolennem morem provocat. *Antinomo* itaque cum *Antichriſto* hactenus conveniat quatenus mendacia, quæ contra *Reformatos Pontificii* cudunt, *Antinomi* in ſeipſis comprobent, non minori legis Divinæ injuriâ, quàm ſumma Eccleſiarum Reformatarum infamiâ. Ad quam utramque, quantum potero, amoliendam, ut & *Legi* firma ſtet ſua *authoritas*, & illi bata *Eccleſia fama* & dignitas, *Theſin* hanc (quam vel ſanguine obſignaverim) jam explicandâ, atq; aſſerendam propoſui.

Lex moralis obligat fideles ſub Evangelio.

Pſal. 119. 126. 127. INvicta ſiquidem mihi ſemper viſa eſt illa Pſalmiſtæ ratiocinatio, *Irritam faciunt Legem tuam, propterea ampliùs diligo præcepta tua quàm aurum, idque purgatiſſimum.* Adverſariorum enim rabies piorum zelum accendere debet, ut quò magis illi veritatem oppugnant, & ſanctiſſimam Dei legem peſſundare contendunt, eò magis ſtrenuè (prout Apoſtolus hortatur) *pro fide ſanctis ſemel traditâ decertare, legemq́* non ſolùm *obſervare*, verùm (ut res jam poſtulat) quantum in nobis fuerit, etiam & *conſervare* ſatagamus unicè.

Judæ v. 3.

In hâc quidem palæſtrâ, non adeò nobiles habemus adverſarios. Sic enim apud *Calvinum* legimus, *Hi quidem homines indocti ſunt & idiotæ, qui non uſque adeo exolvendis chartis ſunt exercitati, ex quorum Coryphæis alter cubicularius, alter hoſtiarius fieri libenter ſuſtinuerit.* Atque hujuſmodi furfuris homunciones etiamnùm ut plurimùm ſunt qui hanc cauſam agunt, *literarum* æquè ac *legis* hoſtes infenſiſſimi, in quibus proterendis minor forſan erit *gloria*, at non minor interim *veritatis* tuendæ debet eſſe *cura*, præſertim cum nobilis ſit quæſtio, atque explicatu ſatis difficilis. Prout enim *Auguſtino* arduum videbatur *liberum arbitrium* aſtruere, atque interim *gratiam* non deſtruere, ità in hâc controverſiâ res periculi plena eſt, ne dum Antinomis circa legis *oblationem* infenſiores ſimus, in re *juſtificationis* gratuitæ plus nimis faveamus *Pontificiis*. Quem utrinque ſcopulum ut tutiùs prætervehamur, in Theſeos explicatione

1mò. De legis obligatione.

2dò. De perſonis quæ obligantur.

3tiò. De ipſâ obligatione quædam, & quàm fieri poteſt breviſſimè, prælibanda cenſeo.

Deut. 6. 1. 4. 13. 14. *Levit.* 26. 14. 15. 46.

Primum verò quod attinet, cum lex illa quæ antiqua dicitur in מִשְׁפָּטִים & חֻקִּים & מִצְוֹת id eſt in *moralem*, *ceremonialem*, & *forenſem* dividitur Qarum prima Iſraëlitas, quà *homines*, ſecunda, quà *Eccleſiæ illius membra*, tertia, quà *Reipub. illius cives* ſpectavit.

Lex judicialis.

Ex forenſibus quædam licèt ſint, quæ de rebus immutabilibus & omnium gentium communibus præcipiunt, & moralem æquitatem in ſe habent, adeòque perpetui juris ſunt, ac proinde *vi materiæ* (ut aliquibus viſum eſt) vel *iſtius legis authoritate* (ut *Piſcatori* placuit) Chriſtianos obligant; cum verò earum plurimæ de rebus mutabilibus, atque populo Iſraelitico pro illo tempore, cum eorum adhuc *Politia* ſtaret, propriis agunt, nil dubii eſt, quin ceſſante illâ *Politiâ* ſimul etiam ceſſaverint. *Ablatum eſt jam Sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus*, adeò ut *Chriſtiani* nequaquam tali aſtringantur regimini: ſed, prout Apoſtolus loquitur, πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει liberi ſint in obſequium: cumque *intergerini parietis* ſeptum Chriſti morte ſolutum ſit, cujus pars aliqua *Lex* etiam *Judicialis* fuit, quatenus populum Iſraeliticum tanquam Deo ſacrum à reliquis ſejunxit, eatenus etiam ejus obligationem nobis ſolutam eſſe neceſſe eſt. *Non eſt enim Judæus, neque Græcus, non ſervus, neque liber, ſed omnes unus ſumus in Chriſto Jeſu.*

In appendice ad Exodum. *Gen.* 49. 10. 1 *Pet.* 2. 13. *Gal.* 3. 28.

Lex Ceremonialis.

At verò *maceria* illa *intermedia* (ut & *velum Templi in morte Chriſti ſciſſum*)

ſum) Legem Ceremonialem præcipuè ſpectavit, de quâ minor controverſia eſt. Quamvis enim officia Evangelica ſub Novo Fœdere peragenda aliquoties apud Prophetas per ritus iſtos ceremoniales enunciantur, (ut videre eſt Iſai. 66. 21. Zech. 14. 16. 17. 18. novem ultimis *Ezechielis* capitibus & ferè omnibus reliquarum Prophetiarum clauſulis) id vero ex idiomate illius ævi factum eſt, ut Gratia Evangelii Ceremoniis typicis quæ tum obtinebant exprimerentur ad exprimendam typorum illorum ſignificationem, non ad continuationem eorum poſt adventum & mortem Chriſti aſtruendam. De temporis articulo quo ceſſaverint non anxius diſputo, quod ab aliis operoſius factum agnoſco. Illud noſtro inſtituto ſufficit, *jugum hoc grave* cervicibus noſtris excuſſum eſſe Act. 15. 20. *Umbras* haſce ab adventu *corporis* avolâſſe Col. 2. 17. priùs quidem *mortuas*, at tandem *mortiferas*. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis profuturus eſt*, Gal. 5. 2.

Suarez de legibus l. 9. c.
Heb. 8. 5. 10. 1.
Cant. 2. 17. 4. 6.

Cum enim ritus illi ac ſacrificia duo in ſe præcipuè continebant.

1. Reatûs proprii confeſſionem.
2. Typicam Meſſiæ præfigurationem.

Poſt ejus adventum poſterius hoc prorſùs evanuit. Ac proinde ſi Ceremoniæ illæ etiamnùm obtinerent, prius illud tantùm obtineret, ut nos Chriſti, ejuſque adventûs abnegati reos agerent, atque ità demùm Lex Ceremonialis *Chriſtianis* multò magis quàm *Judæis* olim ἔχθρα, τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, ἡμῖν ὑπεναντίον meritò audiret. Ceſſavit itaque penitus & quatenus tempore ei præfinito jam elapſo ex ſeſe exſpiravit.

Ephes. 2. 14. *Col.* 2. 14. *Gal.* 5. 2.

Et quatenus pluribus Novi Fœderis teſtimoniis abrogata eſt.

Reprobata irrita facta.

Idque non ſolùm *quoad opinionem juſtitiæ* (quâ ablatâ *Lutherus* eam continuari poſſe minùs rectè autumavit) ſed & quoad *uſum*: licèt quoad *effectum* (ut rectiſſimè Calvinus) nunquam abrogetur. *Effectum* enim ejus in Chriſto læti ſentimus, in noſtrâ verò liberatione ab ejus *onere* & *uſu* magnam *Chriſtianæ Libertatis* partem ſitam eſſe grati agnoſcimus. Neque verò hâc ratione ejus vel ſanctitati vel dignitati aliquid detrahitur, ſed utriuſque ſplendor clariùs illuſtratur, dum flos in fructum matureſcit, umbraque adveniente corpore non tam aboletur quàm perficitur.

Heb. 7. 18.

De Lege tantùm *morali* igitur inſtituitur quæſtio, de cujus nominis ratione, licet vox iſta *Moralis* in re ferè omni, cui applicari ſolet, lites generaverit (uti in doctrinâ *Sabbati, Sacramentorum, Converſionis*, & *Legis* ſatis conſtat) cum tamen ità dicta ſit quod præcepta *de moribus* det, non eſt quòd de nomine multùm ſimus anxii. Cum verò generali hâc ſignificatione Leges etiam Ceremoniales & forenſes *morales* dici poſſint, de formali rei ipſius ratione acrior inter Theologos agitatur controverſia.

Lex moralis.

Dum aliqui Legis *moralitatem* in eo ſitam eſſe putant quòd omnes homines omni loco & tempore obligat, quod verè quidem, ſed generaliùs forſan dictum eſt, duoque adjuncta ejus inſeparabilia (*perpetuitatem* ſcilicet & *univerſalitatem*) proponit, ipſam verò formalitatem eſſentialem non exprimit. 1.

Alii igitur illud *morale præceptum* eſſe ſtatuunt, quod ex *Lumine naturali* conſtat. 2.

Alii quod *rectæ rationi* conſentaneum eſt, cui homines (vel in ſtatu corrupto) ex Lege naturæ conſentiunt, vel ſaltem de cujus æquitate citra Scripturas convinci poterint. At verò 3.

1. Cum morale duplex ſit, naturale & poſitivum, *Lex Naturæ* totam *moralem Legem* non exhauriret.

2. Cumque ratio humana poſt lapſum in pleriſque Divinæ legis apicibus internum hominem legiſque ſpiritualitatem ſpectantibus (fatente ipſo oculatiſſimo *Paulo* ad Rom. 7.) planè cœcutiat, verendum eſt, ne dum humana ratio plus quàm par eſt amplietur (de quo ſeriò conqueſtus eſt Melanchthon) lex moralis interim plus nimis coarctetur.

4. Alii illud *moraliter bonum* eſſe volunt, quod eſt bonum *antecedenter ad mandatum*, quod quia bonum eſt, jubetur, non tantùm quia jubetur, ideò conſequenter bonum eſt, adeò ut primò ex *voluntate Decreti* fit *fundamentaliter bonum*, atque ità demùm ex *voluntate mandati* fit *moraliter bonum*.

At hîc etiam videndum eſt,

1mò Utrum hâc ratione Ceremoniale non evadet morale. Circa quodlibet enim Ceremoniale præceptum fuit priùs *voluntas Decreti*, quâ Deus in ſeipſo voluit ut hoc fiat, atque in hoc puncto rationis bonum eſt quatenus à Deo volitum; cui deinde ſuccedebat *voluntas mandati* ut hoc faciamus. Et quid tum ſecundùm hanc rationem deerit quin *morale* ſit?

2dò Illud etiam recti negari poteſt *omne morale bonum* in ſe primario bonum eſſe & *antecedenter* ad *mandatum* Divinum. De *morali naturali* quidem extra controverſiam eſt, non itidem de *morali*, quod *poſitivum* vel *diſciplinæ* dicitur. Atque hinc fit ut qui hanc ſententiam tuentur, ad illam *Scoti* diſtinctionem confugere cogantur, *Moralitatis* ſcilicet quæ eſt de *Lege naturæ* vel *ſtrictè* vel *latè ſumptâ*. Quantum verò *Lex* iſta *naturalis latè ſumpta* diſtet *à Lege poſitivâ*, atque utrùm bonum illud *morale naturale latè ſumptum* bonum aliquod ſibi primitùs innatum atque *mandato antecedaneum* magis in ſe contineat quàm *bonum morale poſitivum*, non adeò ipſis proclivè erat oſtendere.

5. Sunt qui illud in Lege morale eſſe exiſtimant quod in Evangelio confirmatur. At illud magis extrinſecum eſt, & quod in Lege verè *morale* fuit, ità ſe habuit ante ſcriptum *Evangelium*.

6. Sunt denique qui *bonitatem moralem* in *convenientiâ naturæ humanæ* collocant, idque humanæ naturæ conveniens eſſe ſtatuunt.

1. Quod *fluit* ex *naturali relatione* vel inter *Deum* & *hominem*, ut *Deum honorare*, Mal. 1. 6. vel inter *hominem* & *hominem*, ut *uxorem diligere*. Eph. 6. 28. 29.

2. Quod *imitabilia Dei attributa* vel *opera imitando exprimit*. Conveniens enim eſt homini *ad Dei imaginem* tanquam ad exemplar *facto*, atque ad *Deum* ut ad *finem* ſuum *proprium* & *ultimum* condito, ei in quantum poteſt *aſſimilari*. Atque ità præceptum illud 1 Pet. 1. 15. *Sitis ſancti, ſicut is qui vos vocavit ſanctus eſt* inter *præcepta moralia* meritò reponendum eſt.

3. Quod *ratio naturalis*, luce vel innatâ vel extrinſecùs oblatâ *bonum eſſe judicat*. Cum enim homo *animal rationale* ſit, illud *humanæ naturæ conveniens* reputatur, quod *rationi* naturali rectum videtur.

Ne verò *ratio naturalis* prout nunc *corrupta* eſt, pro *regulâ* habeatur.

4. Id *humanæ naturæ conveniens* dicitur, quod hominis cordi in *primævo innocentiæ ſtatu* inſcriptum fuiſſe reperitur. Ad hoc Salvator Matth. 19. 8. in re conjugali provocat: *Non ſic erat ab initio*. Atque ita in re ſimili viam

nobis

nobis monſtrat; Primum ſcilicet in unoquoque genere eſſe menſuram reliquorum.

Hiſce terminis *bonum morale* circumſcribitur, atque ideo *Lex* quæ talia præcipit *lex moralis* rectè & propriè dicitur. Atque ut apertiſſimè dicam, illa eſt, quæ in *Decalogo* quaſi in compendio comprehenditur.

Atque hæc hactenus de ſubjecto Propoſitionis, de *Lege* ſcilicet *morali* obligante, dicta ſunto.

Secundum eſt ut de *perſonis* aliquid dicamus, quas Theſis noſtra *Fideles ſub Evangelio* nominat. non quòd reliquos eximat. 2.

1. Primò enim affirmo omnes in univerſum homines hâc lege teneri. Quamvis enim quoad *circumſtantias* aliquas *Judæis* propria fuit, quos idcircò ſacra pagina ἰȣ̃ν ὑπὸ νόμον 1 Cor. 9. 20. vel ἰȣ̃ν ἐν τῷ νόμῳ Rom. 3. 19. ſignanter nominat, quoad *rei* verò *ſubſtantiam* etiam *Gentes*, *omnesque* omninò *homines* ſuo ambitu continet, *ut omne os obturetur*, *& obnoxius ſiat totus mundus condemnationi Dei*, ut eodem in loco loquitur Apoſtolus. De *modo* quidem *obligationis* eſt acris ſatis inter Theologos controverſia, utrùm ſcilicèt omnes homines hâc lege obligentur, vel quâtenus eſt *de lege Naturæ*, vel etiam *ut à Moſe tradita fuit*. Priorem ſententiam *Suarez* aliique plures fortiter defendunt, dum *Vaſquez* ſecundam acriter propugnat, ità tamen ut in primâ illâ omnes unanimiter conſentiant, Legem Moralem à Moſe traditam quatenus de Lege Naturæ erat omnes naturæ participes obligare, cumque à Deo lata ſit ut authore naturæ rationalis (ut *Vaſques* rectè ſupponit) qui ſe huic ſubtraxetit unà & naturam ſuam & rationem exuat neceſſe eſt.

2dò. Dico, ut omnes in genere, ſic *impios* ac *infideles* (præſertim ſi vel ſub *Lege* vel *Evangelio* vixerint) quàm maximè omnique modo huic legi, ejuſque tam *maledictioni* quàm *obedientiæ* obnoxios eſſe, ut qui *Evangelium* ſpernunt *lege pereant*, ſecundùm illud Salvatoris: *Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Joan. 3. ult.

3. At verò *fidelium* præcipuè ſub *Evangelio viventium* Adverſariis noſtris longè alia videtur eſſe ratio, contra quos *Theſis* hæc noſtra militat; & in oppoſitum vel fideles ſub *Evangelio* obligari contendit.

Fideles ſub Evangelio dico.

1. De Sanctis *Angelis* itaque hîc nihil affirmo, quos tamen legi huic obſequentes aſſerit Sanctus *Baſilius*, atque ex noſtris [a] *Gerhardus*, [b] *Perkinſius*, alii.

2. Neque de *Sanctis* jam in cœlo *beatis* inſtituitur quæſtio, quamvis in ipſo *Sancto Sanctorum Arcam* iſtam *Fœderis* collocant ex noſtris * plures, cœleſteſque illos cives huic legi ſubeſſe putant, ut & † *Suarez* hanc legem *moralem* (non ut *ceremonialem ſecundùm quid* tantùm, ſed) *abſolutè* perpetuam eſſe probat. Eſt quidem quod ex Pſalmo huc afferunt: *In æternum Domine, Verbum Tuum permanet in cœlo* Pſal. 119. 89. quod forſan minùs cogit; iſtud potiùs ſuadet, quòd cum cœleſtes hi incolæ *creaturæ* ſint. *Creatori morem gerant*, ideoque legem iſtam ſervent, quæ *creaturas* omnes *rationales* (prout *Melanchthoni* viſum eſt) obligat, quoad ſummariam nimirum totius legis in *dilectione Dei & proximi* ἀναϰεφαλαίωσιν, quam ad amuſſim exolvunt.

Plures quidem iſtius legis apices ſunt, qui ſtatui illi parùm conveniunt,

Vide Tayleſ. rum pag. 226.

[a] *Loc. com. Tom. 3. pag. 157.*

[b] *ad Gal. 4. 5.*

* *Perkinſius ibid. Piſcator noſter in Decalogum p. 37. Bucanus. Non aboletur in hâc vitâ nec futurâ Bucanus.*

† *De Leg. l. 9. c. 10. §. 17. 18.*

ut *Sanctificatio diei ſeptimi*, ubi æternum ſabbatum perpetim celebrant, neque de *homicidio*, *adulterio*, *furto*, reliquisque ſimilibus evitandis iis laborandum eſt cum ſint immortales, ἰσάγγελοι, neque horum externorum bonorum indigi. Illud verò non impedit quò minùs *legi ſubſint*, prout *Adamus in ſtatu innocentiæ legi ſuberat*, plura licèt ſint, ad quæ nos in præſenti hoc *ſtatu noſtro* vi legis obligamur, quæ ab eo in *illo ſtatu* præſtari non poterant, ut *miſericordia in miſeros*, *ultio in maleficos* qui tum nulli erant; at verò hoc non erat ex *defectu legis*, ſed ex *incompoſſibilitate ſtatus*.

3tiò. Itaque de Lege jam agimus, prout *lucerna* eſt in mundi hujus tenebris, & quaſi *columna illa ignea in eremo* iſtâ, facem præferente fidelibus omnibus adhuc *viatoribus*, atque ad *cœleſtem illam Canaanem* iter molientibus, nullis (ne *libertinorum Macaris*) exceptis. Error quidem erat *Beguardorum* & *Beguinarum*, qui *perfectos* ſuos *legibus humanis* exemerunt: at verò de lege *naturali* & *Divinâ* ne illi quidem hoc aſſerere auſi ſunt. At hoc audent hujus & prioris ſæculi *Antinomi*, cum *David* inter perfectiſſimos & proprii nominis μακαρίτας numerandus, *Rex* licèt erat, huic tamen *Legi* ſe *ſubditum* eſſe non magis frequenter quàm humiliter agnoſcit.

Vaſquez diſp. 166. c. 1.

4tò. Ne verò *Antinomi* (uti ſolent) oggerant nil mirum, ſi David & reliqui qui ſub lege vixerunt ſe ei ſubdiderint: *Prius enim quàm fides veneret, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, & lex Pædagogus noſter erat ad Chriſtum. At ubi venit fides, non jam ſumus ſub Pædagogo. Ubi enim vênit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum ex muliere factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret*, prout clarè teſtatur Apoſtolus ad Galat. 3. 23. 24. 25. & cap. 4. 4. 5. Ad locum Apoſtoli quod attinet, poſtea magis aptus erit dicendi locus: hîc in ſententiæ noſtræ explicatione dixiſſe ſufficiat, non ſolùm fideles, verùm & fideles *ſub Evangelio*, ſano ſenſu *ſub lege*, hoc eſt (ſub ejus obligatione) etiamnum & in æternum ſemper manere. Sicut enim *fides obligationem* ad *legis obſequium* non *ſolvit*, ſed ſtringit magis, ità *Evangelium fidei* legem non tollit, ſed ſtabilit & perficit, adeò ut *fidelis* quiſque *ſub Evangelio* cum *Paulo* celeberrimo tum *Evangelii* tum *fidei* præcone non ſit ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ 1 Cor. 9. 21. Atque hactenus de perſonis obligatis.

3. Reſtat ultimò ut de *obligatione* dicamus. Et quidem de re ipſâ ſatis conſtat. Cum enim Lex (ut plerique exiſtimant) *à ligando* dicitur, ſi *Lex* ſit *obligare* præſumitur. Atque ità Legem *totam* obligatoriam eſſe intelligo, contra *Pontificios*, quorum aliqui magnam ejus *partem* non *mandatoriam*, ſed *commonitoriam* eſſe volunt, aſſerente etiam *Suareſio* in Lege morali aliqua comprehendi, quæ non cadunt ſub *præcepto*, ſed ſub *conſilio*.

Burges. p. 18.

Sed de *modo obligandi* præcipua eſt quæſtio, eàque vexatiſſima, in quo ſtatuendo orthodoxi non ſolùm ab hæreticis, ſed ipſi inter ſe diſſident. Ad cujus explicationem triplex adhibenda eſt diſtinctio.

Primò igitur lex conſiderari poteſt vel ut *Fœdus*, vel ut *Regula*. Ut *Regula*, licèt ipſa vox non ità facilè occurrat, at res ipſa paſſim obvia eſt, Pſal. 119. 1. 2. 3. 9. 11. 15. &c. ut *Fœdus* verò dupliciter attendi poteſt, vel ut *fœdus operum* cum Adamo initum, vel ut *fœdus gratiæ* legali modo populo Iſraelitico adminiſtratum. Illam verò adminiſtrationem ſacra pagina *fœdus* vocat Heb. 8. 7. 9. atque ſub eâ *fœdus gratiæ* delituiſſe mox conſtabit. Dico igitur Legem moralem obligare fideles ſub Evangelio, neque ut *fœdus operum*, neque

neque ut *fœdus gratiæ antiquo modo adminiſtratum*, ſed tantùm ut eſt *regula morum*.

1mò. Non ut *fœdus operum*, atque hoc quatenus *fideles* ſunt. Quamvis enim *infideles*, qui fœdus gratiæ rejiciunt ſub *fœdere operum maneant*, atque quò magis funes hoſce diſrumpere conantur, eò ſtringuntur arctiùs, *fideles* tamen *fœderis gratiæ* per Chriſtum participes facti à *fœdere operum* ità *liberantur*, ut ex eo neque *juſtificationem* expectent, neque *condemnationem* metuant Rom. 7. ult. & 8. 1. Lubens quidem fateor nos *Legis* ipſius *juſtitiâ juſtificari*, utpote a *fide juſſore* noſtro perfectè adimpletâ, *nos* verò *noſtrasque perſonas* quod attinet, quò in nobismet ipſis maximè omnium rei ſumus, ſolo unico *gratiæ fœdere* coràm Deo *juſti* ſiſtimur. Non igitur *obligantur*, ſed *liberantur* fideles à fœdere legis, hoc eſt

1. A rigoroſâ Legis exactione, quatenus perſonalem, plenariam, perpetuam obedientiam exigit.

2. Ab ejusdem condemnatione, quæ minimas ejus violationes pœnis æternis plectit.

3. Ab ejusdem item (ut ità dicam) *ſterilitate*, quâ jubet, non juvat, obſequium exigit, at vires non ſubminiſtrat.

4. Nec non ab *irritatione* ad malum, quâ quò magis aliquid vetat eò (*ex accidente* quidem, *quoad eventum* tamen) ejus deſiderium accendit magis.

5. Denique à *coactione* ejus, quâ invitos cogit, cum fideles *ſibimet ipſi ſint Lex*; ut quod Lex jubet, ipſi ſponte faciant.

Hæc & hujusmodi alia ſunt vulgo ſatis trita, quæ (nobis ſaltem lapſis) ad Legem prout *operum fœdus* eſt ſpectant; ad quæ, omnia quæ ab adverſariis contra Theſin noſtram ex Scripturis adduci ſolent, referri poſſunt, à quibus *fideles* (quà tales) liberantur, ideoque lex moralis eos *non obligat*, *quatenus fœdus operum* eſt, in quantum *fideles* ſunt.

2dò. Neque ut *fœdus gratiæ* erat, *legali & antiquo illo modo adminiſtratum*, in quantum fideles ſunt *ſub Evangelio*. Quicquid enim Gratiæ Legali illi adminiſtrationi inerat, ejus participes ſunt quà *fideles*; à *Pædagogiâ* verò illâ, quæ Legi prout tunc adminiſtrabatur, adhæſit, atque minorenni illi Eccleſiæ ſtatui conveniebat, *liberantur*, quatenus *adulti* ſunt *ſub Evangelio*. Qui ſcopus & ſummus & ſolus erat Apoſtoli in accuratiſſimâ ejus & planè Divina illâ de hâc re diſſertatione in Epiſtolâ ad *Galatas*. Sed de his plura, cum ad *Diſtinctionem tertiam* deventum erit.

Ut hanc *primam* abſolvam, cum ex iſta fideles ſub Evangelio non obligat ut fœdus vel gratiæ vel operum.

3tiùm. Solùm reſtat, ſcilicet ut *Regula morum*, quæ omnes ubique ſemper obligat, & imprimis *Fideles ſub Evangelio*.

Ut lex *fœdus* ſit, *accidens*, idque *ſeparabile* eſt, (quamvis *Camero* in eo ipſo, cui hâc in re minùs faveo, ipſiſſimam legis *rationem* ponit) ut verò lex *Regula* non ſit impoſſibile eſt.

Fœdus inſuper nobiſcum init Deus ex voluntate ſuâ liberâ, & mero amore, quo præmium obſequentibus pollicetur, quod per peccata noſtra (ſi modò *fœdus conditionale* fuerit, quale *fœdus operum* erat) evacuari poteſt. Lex verò iſta à Deo tanquam à Creatore & Moderatore ſummo à creaturâ obſequium omni jure exigente lata eſt: quæ relatio cum in æternum maneat,

neceſſe

neceſſe eſt, ut lex iſta, licèt ut *fœdus operum* quoad *fideles*, propter peccatum irritum fiat, ut verò *regula morum* eſt, ſemper eos *obliget*, atque eò magis quò fortiori tum *motivo* tum *auxilio* gratiæ per Evangelium ipſis ſuppeditato inſtructi ſunt.

2. Secunda Diſtinctio hæc ſit. Obligatio legis moralis æſtimanda eſt vel tantùm *ex vi materiæ*, vel etiam ex ipſius *legis* atque *legiſlatoris authoritate*. Nos utroque modo legem fideles obligare aſſerimus. Doctiſſimus quidem *Rivetus*, ſi prior modus concedatur ſat eſſe putat, atque ultrà contendere λογομαχίαν eſſe dicit. Quâ de re (pace tanti viri) ἐπέχω, vel potiùs contrarium ſentio. Licèt enim *Antinomorum* ſaltem aliqui modum illum priorem non ægrè concedant, de poſteriori tamen ambigunt, imò ex iis aliqui non ſine blaſphemâ in Deum audaciâ pernegant. Ità ſcilicet Iſlebius: „Lex non „ exigit activè, ſed lex præſtatur à juſto paſſivè. Juſtus in legem activè ſe ha„ bet, non lex in juſtum. Hoc eſt; res fit, ſed non vi legis. Imò eorum quidam „ non veriti ſunt aſſerere„ Hominem aliquid agere quia Deus jubet, vel ab ali„ quo abſtinere, quia Deus vetat, ſignum eſſe hominis (ut loquantur) mora„ lis, mortui, vel (quod leviſſimum eſt) malè ſani Chriſtiani. φεῦ τῆς βλασ„ φημίας. Dico.

1. Non eſt quòd pro conceſſione illâ ſuâ de *vi materiæ* eis gratias agamus, cum res ipſa clamet: Deum colere, parentes honorare, proximum diligere, & pleraque alia à lege mandata adeò neceſſariò bona ſint, ut qui eorum curam, ſimul & humanitatem exuerint.

2. Quin & exuerunt tamen, cum neque vis illa materiæ cui cedere videntur, hos dæmoniacos conſtrictos teneat, dum non ſolùm authoritati legis obluctantur, ſed & in ipſa bona opera debacchantur impiè. Hoc teſtantur infanda illa, quibus undique ſcatent ſcripta eorum, impietatis portenta. V. G. „ Si ſemel cogitâſtis Eccleſiam ità inſtituendam eſſe, ut ſanctè, „ ſobriè, caſtè vobis vivendum ſit, ab Evangelio deviâſtis. Ita nobis viven„ dum eſt, ut neque Judæi, neque alii aliquod bonum opus in nobis videant: „ imò ne Phraſes illæ bonorum operum & converſationis Chriſtianæ ſemel au„ diendæ ſunt. Lex, bona opera, & nova obedientia non ad regnum Chriſti, „ ſed ad mundum pertinent. Imò Chriſtiani cum omnibus bonis ſuis operibus „ ad Diabolum pertinent.

Dominus te increpet, Satana.

3. Suâ illâ conceſſione ſeipſos confodiunt. Si enim lex *vi materiæ* obligat, tum ſi fideles contra irent, hoc nomine peccarent; Quod ipſi tamen negant.

4. *Vis* hæc *materiæ* tenet quidem in moralibus quæ ſunt *juris naturalis*, non itidem in iis quæ ſunt *juris poſitivi*; de quibus tamen lex moralis præcipit (ut in quarto præcepto) cujus *obligatio* non *vi materiæ*, ſed *legis*, *legislatorisque authoritate* nititur.

5. Apoſtolus *Jacobus* Chriſtianis non ſolùm legis moralis juſſa inculcat, ſed inprimis *legislatoris authoritatem* urget, quò magis obſequentes habeat *Si legem Regiam præſtatis ſecundùm Scripturam diliges proximum tuum ſicut teipſum, benè facitis, quiſquis autem totam legem ſervaverit, impegerit vero in uno, omnium reus eſt, nam qui dixit ne mœcheris, dixit ne occidas &c.* cap. 2. 8, 10, 11. Et rurſus: *Si damnas legem, non es obſervator legis, ſed judex. Unus verò eſt legislator, qui poteſt ſervare & perdere.* cap. 4. 11, 12.

6. Quin

6. Quin & ultimò dico, *Authoritas legislatoris* licèt *à vi materiæ legis* cogitatione præſcindi queat, at quoad *obligationem* (ſi talis materia à Deo nobis obſervanda proponatur, prout hîc ſe res habet) reverâ ſeparari nequit. Actualis enim hujuſmodi obligatio non ſolùm à *re propoſitâ*, ſed præcipuè & maximè formaliter ex *voluntate Dei proponentis* vim ſuam obtinet. Si enim vera ſit illa Theologorum ſententia (ex antecedente *voluntate decreti* aliquid *formaliter* bonum eſſe, at *moraliter* bonum tantùm ex *voluntate mandati*) materia illa legis *fundamentaliter* forſan ex *vi ſuâ* obligabit, at *formalem obligationem moralem* à voluntate legiſlatoris illam *proponentis* & *mandantis* ſortietur. Atque hæc ſecunda Diſtinctio fuit.

Tertia hæc eſt, Lex moralis ſpectari poteſt, vel quatenus *Legis naturalis declarativa* eſt, vel quatenus *Moſaica*, vel denique quatenus *per Chriſtum in Evangelio confirmata & ſtabilita.* 3.

1 Utrum primo modo (quatenus ſcilicet eſt *Legis naturalis declarativa*) eam fideles ſub Evangelio obligare largientur *Antinomi*, equidem neſcio. Quòd reliqui omnes hoc concedant, ſat ſcio. Miſſum itaque facio.

2 At verò, ad ſecundum modum quatenus *Lex Moſaica* eſt, vel *prout in manu Moſis fuit* (uti loqui amant aliqui) apud plures hæret aqua. Eam enim hoc modo fideles obligare

Pernegant *Antinomi.* „ Quid nobis cum Moſe? Moſes non eſt in eorum „ conſcientiis. Imò qui jam aliquid cum Moſe habent, rectà ad Diabolum „ ruunt. Hic ſcilicet eorum candor, hæc Elogia, ut nimirùm *Manichæis* ſuccinant, qui (referente *Auguſtino*) *ſe non Legis ſed Judaiſmi inimicos* fuiſſe venditabant. *Contra Fauſtum lib. 21.*

Verùm longè inſigniores alii plures idem ferè ſentiunt, Legem ſcilicet moralem ut Legis naturalis declarativam, vel præcipuè ut à Chriſto in Evangelio confirmatam nos obligare, ut verò à Moſe traditam, (quicquid demum *Judæis* erat, at) *Chriſtianis* nullius obligationis novæ eſſe conſtitutam ex Pontificiis a Aquinas, b Soto, c Medina, d Toletus, e Suarez, alii. Quin & ex noſtris etiam *Zanchius*, *Pareus*, *Rivetus*, quorum nominibus ſemper aſſurgo: atque malè equidem me habeo, quòd hâc ſaltem in re f *Bellarmini*, g *Vaſqueſii*, h *Lorini* potiùs quàm eorum amplectar ſententiam. Ità enim me per *Chriſtum* credo eſſe *liberatum*, ut *Lege Moſis* interim, ſano ſenſu, me profitear *obſtrictum.* *Lege* inquam *Moſis*,

Sed non Lege Moſis *quatenus Lege Moſis*, ſi vox *quatenus* ſumatur reduplicativè, (ita enim quælibet Lex Moſis, *forenſis*, imò vel etiam *ceremonialis* nos obligaret, prout *falſis* illis quidem *Doctoribus* viſum fuit Act. 15. 24. At longè aliter imò contrarium planè *Apoſtolorum Synodo.* v. 28.) At Lege morali quatenus à Moſe traditâ (quatenus ſumpto ſpecificativè)

Hoc tantùm velim non *Quatenus*, ſed *Quamvis* Lex Moſis eſt, obligat.

Quod ut apertiùs conſtet, cum *Luthero* diſtinguendum eſt (& ſi placet, cum *Luthero* loquamur etiam) inter *Moſen Moſiſſimum*, & *Moſen Aaronicum.*

1. Primò igitur ſi *lex in manu Moſis* pro *fœdere operum* ſumatur, ſecundùm illud Apoſtoli, *Moſes deſcribit juſtitiam, quæ eſt ex lege, quòd qui præſtiterit ea, vivet per illa* Rom. 10. 5. *Moſen* hunc *Moſiſſimum* (ut vocat) nos ſepultum imus, ipſo Moſis ſepulchro, nobis (ſaltem in hâc vitâ, niſi in Chriſto ſolo) ſeriùs inveniendum.

a 12æ. q. 9. a. 5.
b 1. 2. q. 5. a. 4.
c 12æ. q. 103. a. 3.
d in Rom. 3.
e de leg. l. 9.
f de juſtific. l. 4. c. 6.
g Diſp. 108. c. 3.
h in Act. 15.

2dò. Si per legem in manu Moſis intelligamus fœdus gratiæ ſecundùm Moſaicam illam ejuſdem adminiſtrationem, hactenus unà cum Moſe ſuo *Moſiſſimo* etiam & *Moſis Aaronici* funera ſine lachrymis læti agimus. Ultrò enim fatendum eſt, *fideles ſub Evangelio* à *Lege Moſis* liberatos eſſe ultra quàm *Judæi* erant, qui *ante Chriſtum vixerant*. Hic genius, hæc ipſiſſima mens Apoſtoli 2 Cor. 3. ubi loquitur de *myſterio mortis*, de *velamine Moſis* ſub Evangelio *auferendis*: nec non in diſſertatione illâ ſatis longâ in Epiſtolâ ad *Galatas*, ubi multis agit de infantili illâ ſub lege Pædagogiâ in adultiori Evangelii ætate prorſus abolendâ. Neque enim iis in locis tantùm de lege *Judiciali* vel *Ceremoniali* agit. Loquitur enim in loco illo ad *Corinthios* de lege ἐν λίθοις ἐντετυπωμένη, & in Epiſtolâ ad *Galatas* de lege, quæ *tranſgreſſionum gratiâ adjecta erat*, & quæ *omnes ſub peccato concluſit*: quorum primum Decalogo proprium erat, reliqua ei cum reliquis communia. *Fideles* itaque *ſub Evangelio* non ſolùm à legis *rigore*, *maledictione*, *coactione*, reliquiſque priùs nominatis jam *liberi* ſunt, à quibus *fideles ſub lege* etiam *olim liberati* erant, verùm & ab *aliis legis moralis*, quæ *Judeos* olim premebant, *circumſtantiis*.

C. 3. *v.* 7. *C.* 3. *v.* 19. 21.

1. Quoad *ceremoniarum concomitantiam*, quatenus Lex tunc in Arcâ ſervabatur, preces cum holocauſtis, gratiarum actiones cum ſuffitu offerebantur. &c.

2. Quoad *rationem diſpenſationis*.

1mò. In quâ Evangelii gratia quaſi *per tranſennam* atque ex clathris *obſcuriùs* emicuit, quæ nunc *retectâ facie* ſe prodit 2 Cor. 3.

2dò. Illic majore (quæ tenebris adeſſe ſolet) cum *timore & horrore*, hîc majore παῤῥησίᾳ, atque ingenuâ *confidentiâ* Rom. 8. 15. 2 Cor. 3. Gal. 4. 4, 5, 6.

3tiò. Tota denique illa pædagogia Chriſtum tanquam venturum proſpexit, quem nos (poſtquam jam venerit) coràm ſuſpicimus atque veneramur.

Ab hâc ergo *Moſaicâ* legis moralis ἐπονομίᾳ (Deo gratias) jam liberati ſumus, neque *fidelibus ſub Evangelio* hoc ſenſu cum *Moſe* aliquid reſtat commercii.

Vide Bellarm. de juſtificat. l. 4. c. 6. Lorin. in Act. 15. Vaſquez diſp. 180. cap. 3.

Non deſunt tamen rationes, quibus *Lex* iſta *moralis quamvis*, imò *prout* à *Moſe* tradita fuit, *fideles* etiam ſub *Evangelio* ſpectet.

* *Deut.* 18. 15, 18.

† *Ejſ. l.* 90. 1.

In quantum ipſe (quod de *Noacho* dicitur) *Præco juſtitiæ* fuit; Spiritûs ſancti nimirum Amanuenſis in ſacrâ Paginâ exarandâ, quæ noſtrâ etiam intereſt, nec non * *Propheta*, & † *Vir Dei*, per quem legis naturalis notitias hominum mentibus penè obliteratas reſtitueret, atque ſecundâ hâc voluntatis ſuæ indicatione novam obligationem induceret.

Obj. Si verò *Antinomi* (uti ſolent) illud Deut. 33. 4, 5. objiciant, Moſen *Jeſurunis Regem* tantùm fuiſſe, & *Legem* quidem *præcepiſſe*, ſed *Jacobo hæreditariam*, quæ *Iſraelitas* ſolos ſpectavit (prout Decalogi præfatio, & promiſſio quinto præcepto annexa ſatis indicant) neque *Gentes* magis obligavit, quàm *Hiſpaniarum* Regis edicta nos *Anglos*. De Gentibus enim illud Apoſtoli habetur Rom. 2. 12. *Quicunque ſine Lege peccaverunt, ſine Lege quoque peribunt*.

Reſp. Ei ut reſpondeatur, diſtinguendum eſt.

1. De Lege promulgatâ & non promulgatâ. Lex Moſis ad quos notitia

ejus

ejus non pervenerat, non obligavit, (quæ mens erat Apoſtoli) quibus verò innotuit, eos obnoxios habuit, atque hoc nomine etiam & nos Chriſtianos.

2. De legibus populo Iſraelitico propriis (quales erant *ceremoniales* & *forenſes*) & aliis res omnium communes præcipientibus, qualis *lex moralis* fuit.

Concedatur igitur licèt *priores illas leges Gentes* non obligâſſe (quamvis vel quoad iſtas erant ex *Gentibus Proſelytæ*, atque diſputari poterit utrùm לֹוּ צְוָּרק ultra præceptum ſupererogaverit) at *legis moralis* (cujus materia *Gentes* æquè ac *Judæos* ſpectabat) non eadem eſt ratio, quin ſi ad earum aliquas notitia ejus vel ab ipſo *Moſe* tanquam è longinquo veniſſet, (ſive *Proſelytæ* fuiſſent ſive non) eos obligâſſet.

3. Quoad magis adhuc conſtabit ex diſtinctione tertiâ quæ de Moſe inſtitui poteſt. Vel enim conſideratur ut in ſe erat, *Iſraelita* ſcilicet atque ità proximè *Iſraelitis* ut *Legiſlator* deſtinatus, vel etiam ut *ſummi omnium populorum* Domini *ſervus* erat, per quem *ſecundam Legis* (ut ità dicam) *naturalis editionem* in lege ſuâ *morali* adornaret, atque ità non ut *Hiſpaniarum Rex*, *Anglos*, ſed ut *ſummus Imperator*, *omnes* totius ditionis ſuæ *populos* ubi libet conſtitutos edictis ſuis obſtringeret. Atque hæc prima ratio eſt, quâ *Moſis* ipſius lex *Chriſtianos* etiam pertingit.

Secunda hæc eſt quatenus Moſes in lege iſtâ ferendâ non ſolùm Legis, ſed & Evangelii Præco fuit, atque eatenùs vel in *fideles ſub Evangelio* jus habuit. Enimverò prout Lex iſta *Moſis* vel *fœdus operum* in memoriam revocavit, vel etiam *antiquam illam fœderis gratiæ adminiſtrationem* exhibuit, ſic Moſen Chriſto, ſic legem hanc per Moſen traditam *promiſſioni Abrahæ factæ* in ſacrâ paginâ opponi agnoſcimus. At hîc totus Moſes non eſt. Alibi enim *Moſem* invenimus *de Chriſto locutum* Johan. 5. 46. *cum Chriſto* in *transfiguratione* amicè *collocutum* Matth. 17. imò in ipſâ *lege tradendâ Mediatoris* vices ſuſtinuiſſe; atque ità *Mediatoris unici* Jeſu Chriſti *typum* fuiſſe Gal. 3. 19. acſi Chriſtus ipſe בְּיַד מֹשֶׁה Moſis ſcilicet miniſterio legem illam tradidiſſet.

2dà.

Johan. 1. 17. *Gal.* 3. *v.* 17.

Huc facit.

1. Quòd *Charitas*, quæ legis hujus Moſaicæ compendium eſt, *Lex Chriſti* dicitur Gal. 6. 2.

2. Quòd Lex iſta, ſi fœdus gratiæ non eſſet, ad *fines* tamen *Evangelicos* propoſita erat, ut *nos* ſcilicet *inſtar Pædagogi ad Chriſtum perduceret* Gal. 3. 24.

3. Quòd *modo* item *Evangelico* proponatur. Verbi gratiâ

1. *Iſraelitas* tanquam *fœderatos* alloquitur, *Ego ſum Jehova Deus tuus*, prout occurrit in præfatione Decalogi.
2. *Promiſſiones* indulget non *ipſis* ſolùm, verùm etiam ad *milleſimam generationem* poſteris, ſicut in ſecundo præcepto legimus.
3. Ex his promiſſiones quædam vel imprimis *Evangelicæ* ſunt, qualis illa Deut. 30. 6. *Et circumcidet Jehova Deus tuus cor tuum & cor ſeminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ ut vivas.*
4. Obſequium eo nomine exigit quòd ipſe *eorum Deus*, id eſt fœdere gratuito eis devinctus fuerit. Atque ideò clauſula illa (*Ego ſum Jehova Deus tuus*) prout toti Decalogo præfigitur Exod.

20. ità ſingulis penè ejus præceptis ſubjungitur Levit. 18. & 19. *Motivum* ſanè vel maximè *Evangelicum*, quod *fideles ſub Evangelio* præ cæteris movere, legemque ipſam, quæ hoc nomine nobis commendata venit, commendatiſſimam reddere poterit.

Atque hæc de ſecundo Diſtinctionis tertiæ membro dicta ſunt, de lege nimirum morali in quantum *Moſaicâ* vel à *Moſe traditâ*.

3. Tertium ejus membrum *legem moralem* ut à *Chriſto in Evangelio confirmatam* reſpicit. Atque hîc omnes ſpecie-tenus conſentiunt. Ipſi *Antinomi* legem, prout *in Chriſti manu* eſt, *fideles obligare* libenter agnoſcunt. Sed verendum eſt, ne quid monſtri alant ſub verborum ſuorum offuciis. Si enim Chriſtus legem *confirmat*, tum non *abrogat*, quod unicè contendunt. Si *legem moralem* in manu *nobis protenſâ habeat*, quid impedit quò minùs nobis *vitæ*, morumque *regula* eſſe poterit? Quod inprimis negat. Quod res eſt dicam. Per *legem in manu Chriſti* non *legem Dei ſacrâ paginâ ſcriptam* intelligunt, quam nihil æſtimant, ſed *legem ſpiritûs & charitatis cordibus inſculptam*, quâ ſolâ *fideles* dirigi & *obligari* volunt.

Quibus hæc quæ opponam habeo.

1. Hâc ratione homicidia, adulteria & cætera id genus facinora à fidelibus (illorum ſcilicet) patrata (cum lex nihil ſit) ἀνομίαι vel peccata non eſſent. Quod illi quidem (quâ ſunt impudentiâ) palàm profiteri non verentur, at pii omnes horrent, atque deteſtantur.

Si verò objiciant, licèt non ſint contra *legem moralem*, at contra *legem Spiritûs* ſunt, atque hoc nomine *peccata* ſunt:

Reſpondeo. At quid demùm fiet ſi Spiritus non agat, qui in ſeipſo liber eſt, quemque omnia in nobis immediatè operari eorum aliqui volunt: hoc in caſu, Spiritu non *illuminante*, nihil ex *ignorantia*; non in *contrarium movente*, nihil ne vel ex *malitiâ* quidem peccari poteſt.

2. *Quæ Deus conjunxit, homo non ſejungat. Subordinata* item *non opponenda, ſed componenda* ſunt. Ut quid igitur Lex à Spiritu ſejungi, eive opponi debeat?

Cum

1. Ei *conjunctiſſima* ſit. Ante Chriſtum pii olim qui Legem ſervabant, Spritu (ut opinor) vacui non erant. Si igitur in illis ſuaviter conſpirârunt, quidni in fidelibus ſub Evangelio? Præſertim cum Iſa. 59. (uti legimus) *hoc erit fœdus meum* (fœdus verò illud *Evangelicum* erat & *fidelibus ſub Evangelio*) promiſſum prout ex contextu patet) *Spiritus meus & verba mea non recedent ex ore tuo, &c.* Eodem utique gratiæ fœdere, Deus *cordibus ſuorum legem inſcripturum* Jer. 31. 33. quo *Spiritum ſuum ipſis inditurum* promiſit Ezech. 36. 27. idque ut in *ſtatutis ſuis ambulent*, & *jura ejus obſervent*. Qui igitur legem cordi inſcribit, is neque ſacrâ paginâ, neque corde expungit, quin amicè cohabitare poterint. Apoſtolus ſanè cum *verbum Dei in*
Col. 3. 16. *fidelibus copiosè inhabitare* voluit, ſpiritum excluſum eſſe noluit, cum & ipſe Spiritu plenus Rom. 7. 16. quoad *animi* ſui *ſententiam* σύμφημι τῷ νόμῳ & v. 22. quoad *cordis affectum* συνήδομαι τῷ νόμῳ apertè dixerit.

2. Lex, ut Spiritui *conjuncta*, ità & *ſubordinata* eſt. Spiritus enim in lege loquitur; lege etiam tanquam organo ad opus ſuum tam inchoandum quàm perficiendum utitur. Unde *lex* (ex parte ſaltem) *ſpiritualis* dicitur. Eadem denique

denique opera *legis* opera ſunt ratione *objecti* & *regulæ*, quæ *opera ſpiritûs* ſunt ratione *principii*. Quæ duo *Antinomi* nunquam inter ſe committere auſi fuiſſent, niſi quod cum *Lege* Dei, *rationis* etiam, atque Philoſophiæ *leges* unà violâſſent.

Quòd verò 3tiò in loco hæc duo, vir. Ex amore Dei, & ex vi mandati agere ſimiliter opponunt, pari in ſaniâ ineptiunt. 3.

Lex enim ipſa *amorem* jubet, imò omnia ex amore fieri imperat.

Chriſtus etiam in *præceptorum* ſuorum *obſervatione amorem* ſui poſuit. *Joh.* 14. 15.

Neque Deus cum in 2dô præcepto *eum diligentibus & mandata ejus ſervantibus miſericordiam* promiſerit, ἀσύστατα dixiſſe cenſendus eſt.

Ut enim Deus *amorem* ſuum erga *nos* non minùs *jubendo* quàm *promittendo* demonſtrat, ità & nos invicem amorem noſtrum erga eum maximè oſtendimus, quando ei per omnia placere ſtudemus. Id verò fit, cum *mandata ejus ſervamus*. Extra mandatum enim (ni cultu ſaltem religioſo) aliquid agere, eſt ἐθελοθρησκείας Deo obtrudere, quæ inprimis ei diſciplicent.

Annon *Adamus*, annon ipſe *Chriſtus* ex *amore* egit?

At ex *vi mandati* tamen, prout ipſe apertè teſtatur Joh. 14. 31.

Nos quod attinet, *ſervi* æquè ſumus ac *filii*, atque exinde Deo Domino noſtro obedientiam *ſervorum* debemus, licèt minimè *ſervilem*.

Imò ex *vi mandati* agere maximè *ingenuum* eſt, præcipuè in rebus magis arduis, ubi, reclamante appetitu naturali, obintente mundo, fremente Satanâ, ſi res libera eſſet, planè diſiſteremus; at accedente Divino mandato ſponte ac alacriter juſſa capeſſere (quod de ipſo Dei Filio legimus) hoc demum *liberalis ingenii*, hoc *amoris* verè *filialis* illuſtre indicium.

Quod verò ultimo in loco *legem cordi inſculptam* ità crepant, ut Legem ſacræ paginæ inſcriptam (quidni & *Evangelium* quoque quatenus *ſcriptum* eſt) nihili faciant. 4.

1mò. Mortalium omnium qui tam vixerunt ingratiſſimi ſunt, qui tam inæſtimabile Scripturarum donum tam vili æſtimant.

2dò. Ipſo Chriſto magis ſapiunt. Lex enim ut ejus viſceribus repoſita erat, ipſe ad volumen Scripturarum provocat Pſal. 40. 8. prout etiam Apoſtolus Rom. 12. 19. *Pſal.* 40. 7, 8.

Ignita Diaboli ſpicula ſcripturarum clypeo retûdit, Matth. 4.

Auditores ſuos in officio peragendo authoritate *Legis & Prophetarum* premit Matth. 7. 12.

Denique à mortuis jam reſuſcitatus, atque ità (quod illi de ſeipſis adeò jactitant) magis *ſpiritualis* factus, *Moſen* tamen & *Prophetas* diſcipulis ſuis expoſuit. Lucæ 24. 27.

3. Nil igitur mirum eſt, ſi Paulum (quem eorum aliqui *vas fractum* nominant) calcibus obterant. Ipſe enim *Timotheum lectioni attentum* eſſe vult 1 Tim. 4. 13. atque πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον, atque ità *ad omnia utilem* aſſeruit, ut inde *homo Dei perfectus eſſe poterit, & ad omne opus bonum perfectè inſtructus*. 2 Tim. 3. 16, 17.

4. Quin & reliquos etiam *Apoſtolos* ſtultitiæ arguunt, qui delapſo jam *Spiritu* (idque *modo extraordinario*) à *prædicando, ſcribendo*, & *Canonem ſcripturarum conficiendo* non ceſſârunt tamen. *Johannes* ipſe, qui *Aquila* audit, adeòque hiſce omnibus qui tam *altè ſapiunt* longè *ſublimior* fuit, *Scriptura-*

rum tamen *canonem* non tam finiendo quàm *confirmando* obſignavit. *Evangelium, Epiſtolas, Apocalypſin* ſcripſit, quibus omnibus *Canoni* huic teſtimonium præbuit. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis & ut credentes vitam habeatis*, Evangelii ſui cap. 20. v. 31. *Hæc ſcripſi ut ſciatis vos vitam æternam habere, & ut credatis in nomen Filii Dei.* Epiſt. primâ cap. 5. v. 13. In *Apocalypſi* autem, ut *quæ viderat ſcriberet*, duodecies ad minimum in mandatis habuit.

Confirmatio. Sed diutiùs multò quàm par erat, dum Adverſariorum dumetis hæſimus, in Theſeos noſtræ *explicatione* immorati ſumus. *Confirmationem* quàm pauciſſimis expediam.

Teſtimonia Scripturarum. Quod ad Scripturarum Teſtimonia attinet

Prophetarum. 1. *Prophetæ*, cum maximè *Evangeliſtas* agunt, deque *Gratiâ Evangelii* diſertiſſimè verba faciunt, legis tamen tum *honori*, tum *authoritati* conſulunt. *Jeremias novum Evangelii fœdus* proponit, at ſub eo *legem Dei fidelium cordibus inſcribendam* prædicit cap. 31. 33. *Ezekiel* ſub eodem fœdere *Spiritum* Dei ſanctis *indendum* promittit, ſed ut *finem* vel *effectum* ſtatim addit, *ut in ſtatutis ejus ambulent*, & *jura ejus obſervent* cap. 36. 27. *Malachias* denique, cum jam Veteris Teſtamenti Canonem obſignaturus eſſet, & *Solem juſtitiæ* jam proximè ſub Evangelio *exoriturum* prædicit, *legis Moſis* eos vel tum etiam *memores* eſſe voluit. cap. ult. v. 2, 4.

Chriſti. 2. *Chriſtum* ipſum quod attinet, quid eo clarius Matth. 5. 17, 18. *Ne exiſtimate me veniſſe ut diſſolvam Legem; non veni ut eam diſſolvam, ſed ut impleam. Amen quippe dico vobis, uſque dum præterierit cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præterierit ex lege* &c. Teſtimonium tam evidens & illuſtre, ut *Manichæi* cum vim ejus eludere nequiverint, eò redacti ſunt, ut Chriſtum hoc unquam dixiſſe negarent, atque ideò *Matthæi Evangelium* ſuppoſititium eſſe aſſererent. Pulchrè quidem factum, cum *nodum ſolvere* non potuerunt, immani auſu totum Evangelium *enſe reſecârunt.*

At loci ἐνσάρκῳ (ſi placet) attendamus.

1. Τὸ μὴ νομίζετε nos ex ingenio noſtro Antinomorũ ſententiæ procliviores eſſe ſubindicat, atque ideò vel primæ hujuſmodi cogitationi viam obſtruit.

2. Μὴ νομίζετε &c. οὐκ ἦλθον &c. Ut *ſemel* tandem *credamus*, *bis* repetitam *negationem* adhibet.

3. Ἀμὴν λέγω dum *aſſeverantiùs* dicit, rei tam *certitudinem* quàm *evidentiam* demonſtrat, ut ſi non *affirmanti*, at *aſſeveranti*, & (ut aliqui volunt) *juranti* Chriſto fidem habeamus.

4. ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ æternam ſtabilitatem indicat.

5. Ἰῶτα ἕν, ἢ μία κεραία. En ut *minutias ſectatur* dum accuratius cavet, ne vel minimum aliquod *legi detraheretur.*

Quid verò eſt quod tanto apparatu profert? hoc ſcilicet unicum, *ſe non ad diſſolvendam*, ſed ad *implendam legem veniſſe. Legem* intelligit non *ceremonialem.* Illam enim *implendo diſſolvit*, ſed *moralem* præſertim, quam ſequente capite expoſuit, atque à Phariſæorum corruptelis vindicavit.

Hanc non *ſolutum*, ſed *impletum* vênit,

1. Quoad *activam obedientiam* longè perfectiùs quàm unquam ipſe *Adam* potuit, debita officia præſtando.

Hominum. 2. Quoad *paſſivam*, multò ſatiùs quam ſi mille hominum mundi idem perpeſſi eſſent, pœnas violationi ejus debitas luendo.

3. Quoad

3. Quoad Spiritûs ſui in cordibus fidelium operationem, per quam hoc & vult & præſtat, ut legi obedientiam exhibeant.

4. Denique quoad *doctrinam* ſuam, quâ legis authoritatem aſtruit, *Antinomos* Doctores acriùs pungit, v. 19. ſeque non *novum Legislatorem* eſſe, qui lege abolitâ nova ac perfectiora (quod ad mores attinet) hominum officia indiceret, prout *Sociniani*, *Antinomi*, & ex parte etiam *Pontificii* ſomniant: ſed verum potiùs *legis veteris interpretem* exhibuit. Quod verò Chriſtus legem hanc accuratiùs expoluit, hoc ad *Chriſtianos* illam pertinere apertè demonſtrat. Ut quid enim lex à Chriſto *interpretanda*, ſi ab eo *abroganda* fuerat? Veſtem ſiquidem detritam, quam abjicere cogitamus, reſarcire (ut opinor) negligimus.

At licèt *ſententia* hæc *Suareſio* aliquatenus placeat, *locus* tamen iſte (uti loquitur) apud eum *nihil probat*. *De legib. l. 9. c. 11. § 14, 15.*

At quid ita verò? ſcilicèt quia de totâ lege indefinitè dicitur, *non veni ut diſſolvam legem*, at verò quoad obligationem, legem ceremonialem ſolvebat.

Atque ideò *ſolvere* hoc in loco (ut ait) non eſt *abrogare*, ſed tranſgredi, de quo Judæi eum criminabantur.

Reſpondeo,

1. Quamvis de lege indefinitè loquitur, legem tamen *moralem* præcipuè intelligit, prout ex ſequenti ejus in eodem capite & explicatione & vindicatione conſtat.

2. Intelligatur de totâ lege licèt, at uno tamen modo de *ceremoniali*, de *morali* verò altero. *Ceremonialem* hoc ſenſu non *ſolvebat*, ac ſi quamdiu obtinuit, nihil in ſe veri contineret, ſed rem eâ ſignificatam exhibendo, ejuſque veritati hoc modo teſtimonium præbendo implevit? Hâc verò impletione (tempore ejus jam elapſo) *abrogando ſolvit*. At *legem moralem*, ut *æqui*, *boniique Regulam* nullo modo ſolvit, ſed eam tam præſtando quàm docendo omni modo *implevit*, quod imprimis huic noſtro propoſito inſervit.

3. Judæi Chriſtum non tantùm legem *tranſgrediendi*, ſed & *abrogandi* reum agebant. Atque ideò teſtimonium iſtud Salvatoris (quicquid in contrarium *Suarez* attulit) pro cauſâ noſtrâ aſſerendâ vires (quas habet maximas) adhuc retinet.

Apoſtolos verò, eorumque teſtimonia quod ſpectat, duo iſta notatu digna ſunt. *Apoſtolorum.*

Primò quod in pleriſque *Pauli* Epiſtolis, cum in *prioribus* earum *capitibus* doctrinam Evangelii explicuiſſet, eamque à Pſeudo-apoſtolorum aliorumque corruptelis vindicâſſet, in *poſterioribus* vitæ ſanctitatem, & cum *lege Divinâ* conformitatem proſequitur, quò palàm oſtenderet *obedientiam legi non opponi Gratiæ Evangelii*, ſed cum eâ amiciſſimè conſpirare, inprimis illuſtrare. 1.

Secundò & illud animadvertendum eſt, ſi Apoſtoli *legem abrogatum* iviſſent, tum hoc eis objicientibus Adverſariis ſuis ultrò taſſi fuiſſent, atque quod facilè reſponderent cum *Antinomus* in promptu habuiſſent, *Legem* ſcilicèt *moralem ipſis abrogatam eſſe*, ſeque *lege* tantùm *ſpiritûs* & *amoris* (quò minùs flagitioſe agant) *obſtrictos* teneri. At nil tale unquam illis *vigilantibus* excidit, quale (ut cum *Judâ* loquar) ἐνύπνια ſóμενοι hi noſtri *ſomniant*, & palàm venditant. 2.

Imò

Imò è contrario

1mò Impium hoc commentum horrent & deteſtantur. Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; Μὴ γένοιτο. *Abſit.* Rom. 3. 31. Quamvis enim de lege *ceremoniali* vox illa καταργήσας occurrit Epheſ. 2. 15. de lege etiam *morali*, quoad *veterem* ſcilicet illam ejus *adminiſtrationem* τὸ καταργούμενον legimus 2 Cor. 3. 11. imò de lege ipſâ quatenus eſt *fœdus operum*, vel quatenus *juſtificatio inde expectari poſſit* Rom. 7. 6. (prout ſaltem aliqui locum illum exponunt, alia verò & potior eſt aliorum expoſitio, qui *legem* à quâ ibi *nos liberari* dicit Apoſtolus *legem* non *Dei*, ſed *peccati* eſſe ſtatuunt) dicitur κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου: Ut verò (quatenus *vitæ morumque Regula* eſt) per *Doctrinam* fidei vel *Gratiam Evangelii* caſſa & *irrita* fieret, cogitationem hujuſmodi vel primo-primam ἀποσυλλογίζει repellit Chriſtus μὴ νομίζετε. ἀφοσιοῦται abominatur Apoſtolus, μὴ γένοιτο.

vide Bezam in locum.

2dò. E contrà *legis authoritatem* exertim prædicant & propugnant, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. *Legis* enim *juſtitia* ſecundùm *fidei doctrinam* quoad *juſtificationem* noſtram *Fide-juſſoris* noſtri cum *activâ* tum *paſſivâ obedientiâ* per omnia *adimpleta* eſt. Quoad verò internam nobis inhærentem *Sanctimoniam*, *hîc* quidem in nobis *inchoata eſt*, *in cœlo* tandem *perficienda.*

3tiò. Ad debitam obedientiam præſtandam hortantur, idque *vi legis*, & *authoritate legislatoris. Nemini quicquam debere, niſi hoc, ut alii alios diligatis. Nam qui diligit alterum, legem implevit* Rom. 13. 8. *Ex charitate ſervite alii aliis, nam tota lex uno dicto completur* (*iſto videlicet*) *diliges proximum tuum ut teipſum* Gal. 5. 13, 14. *Liberi, auſcultate in Domino parentibus veſtris, id enim eſt juſtum. Honora patrem tuum, & matrem, quod eſt præceptum primum cum promiſſione.* Epheſ. 6. 1, 2. Et ſi quæ alia ejuſmodi ſint, quæ quidem ita cogunt, & invicta ſunt, ut ipſe *Suarez*, qui alia teſtimonia eludere conatur, his lubens victoriam cedat, ſeque victum fateatur.

De leg. l. 9. c. 15. § 18.

Atque hactenus de *Sacrarum Scripturarum* hoc aſſerentium *teſtimoniis.*

Argumenta idem probantia

Argumenta

Primò ex *ipſâ lege* peti poſſunt

1 Ex ipſâ lege.

1. Atque primo in loco hoc ſuadere videtur ipſa *Legis* hujus *moralis tradendæ ratio.* Cum leges reliquæ mediante *Moſe* traditæ ſint, Decalogus *Dei* ipſius *ore* clarè prolatus, *ipſius digito* bis exaratus, *tabulis lapideis inciſus* (quò non magis populi *Iſraëlitici* cordium *duritiem*, quàm *perpetuam legis iſtius diuturnitatem* ſignificari voluit, quâ ratione *Plinius Conſtitutiones publicas tabulis æreis ad perpetuitatem monumentorum incidi* dicit, & *Plato* legis tabulis *cupreſſinis* utpote æreis diuturnioribus inſcribi juſſit) *in arcâ denique fœderis repoſitus*, non ſolùm ob majorem reverentiam, ſed in *perpetuam rei memoriam.* At hæc forſan inter πλανὰ reponi debent, quæ tantùm *ſuadent:* quæ verò ſequuntur vel invitos *cogunt* in aſſenſum.

Lib. 34. c. 11.

2. *Lex Moralis*, radius à Sole æterno, *ipſius Divinæ Sapientiæ* ἔκτυπον eſt, neque ſolùm *voluntatem* (ut cum P. Martyre loquar) ſed & *Naturam* & ingenium, ipſiſſimamque Dei *imaginem* ad vivum repræſentat. Hanc enim Dei imaginem in *ſanctitate & juſtitiâ* ſitam eſſe, Apoſtolus dicit Epheſ. 4. 24. quæ duæ ſunt ipſiſſima duarum Legis tabularum capita Lucæ 1. 75. in quibus ſub *Evangelio* nobis Deo aſſimilari etiamnum incumbit. Matth. 5. ult. 1 Petr. 1. 15. adeò ut qui nos ſanctos & juſtos ex lege eſſe debere inficias

cias ibunt, iidem vel Deum ipſum ſanctum & juſtum eſſe negaverint. Caveant itaque Adverſarii, ne dum *Antinomi* eſſe volunt, *Athei* tandem evadant; *Deus* enim *ſeipſum negare non poteſt*; ideoque impoſſibile eſt, ut *legem iſtam* quæ *ſanctitatis & juſtitiæ ſuæ exemplar eſt, abroget.* Non ignoro quæ *Scholaſtici* petulantiores de hâc re diſputare ſolent, quodque *Ockamus* Deum vel *ſuiipſius odium mandare poſſe* concedit. Nobis interim Deus ſummè bonus, ſanctus, juſtus, in æternum colendus eſt, ideoque ſanctiſſima ejus lex, quæ hæc jubet, nunquam vel per ἐπιείκειαν, vel per *interpretationem*, vel *diſpenſationem* hactenus *laxanda* eſt, nedum *abroganda*, næ per *Deum* quidem, nedum Θεομάχον *Antinomum.*

Lex moralis ut *Divinæ naturæ* (ut ita dicam) ἔκτυπον, ita & *primordialis* illius *humanæ naturæ legis* ἀπόγραφον eſt. Exceptâ enim tantum illâ *ſeptimi diei* in *quarto præcepto* aſſignatione, quæ *juris poſitivi* eſt, tota reliqua *de lege naturæ* eſt, atque ex principiis *juris naturalis* per juſtam conſequentiam deduci poteſt, quod *Philippus* in *Locis* per ſingula ejus præcepta proſequitur, ut & *Vaſquez* diſp. 179. cap. 2. 3. *Vox Tertullianica.*

Socinus quidem *Legem hanc Adamo datam* eſſe, eumque in *illo ſtatu peccare potuiſſe* negat, more ſuo ſcilicet, per quem τὰ ἄνω κάτω omnia, quique ut fundatiſſima alia auſu nefario revellit, ita hâc in re ſancto Apoſtolo Rom. 5. communi omnium experientiæ, quidni & propriæ conſcientiæ refragatur impiè. Nos ex Scripturis Sacris *Adamum in imagine Dei conditum eſſe*, hanc imaginem in *ſanctitate & juſtitiâ* (quæ duo *legis moralis* capita ſunt) conſiſtere, adeoque *legem hanc* (quam *Cicero non ſcriptam, ſed natam* vocat) *cordi ejus primitùs inditam fuiſſe* credimus: imo exinde irrefragabiliter evincimus juſtiſſimum Deum ejus obedientiam à nobis lapſis exigere, quod juſtè fieri non potuit, ſi unquam eam præſtandi vires dediſſet, at ſi non in Adamo, nunquam. Lex itaque iſta ejus cordi in naturâ integrâ inſcripta fuit, ne è nobis, ne è Gentibus à Deo maximè alienis penitùs abraſa, in quibus τὸ γραπτὸν ἐν νόμῳ agnoſcit Apoſtolus Rom. 2. 15. Debiles quidem & exiles illi characteres erant, miſerrimo illo lapſu, & pravâ inſuper vitæ conſuetudine penè obliterati. unde ſumma Dei nobis perditis indulgentia de novo quaſi in *Sinai* excuſa, &, ut loquitur Apoſtolus Gal. 3. 19. τῶν παραβάσεων χάριν *propter tranſgreſſiones adjecta*, atque tandem per Dominum in Evangelio confirmata eſt, qui *novum* & tamen *non novum mandatum nobis dat* 1 Johan. 2. 7, 8. quoad *ſanctiones*, *exemplum*, *motiva*, aliaſque *circumſtantias*, *novum*: quoad *ſubſtantiam non novum*, ſed ſatis *antiquum*, vel ipſis Creationis primordiis coævum, ipſi *naturæ inſitum.* At *Gratia non deſtruit naturam*, quam perficit; atque aſſerere legem naturalem ceſſare ſub gratiâ, apud ſaniores omnes ſemper hæreticum fuit: atque ideò qui *legem Naturalem ſub Evangelio* abrogari contendit, non minùs *naturæ monſtrum* eſt, quàm *hæreſeos*, quàm *impietatis prodigium.*

Plura alia ſupererant argumenta partim à *Naturâ legis*, partim à *Gratiâ Evangelii* petita, quæ lubens prætereo.

Quin & tertium erat argumentorum genus ex horridis ſententiæ *Antinomorum conſequentiis*, & quoad *doctrinæ corruptelam*, & *peſſimum vitæ inſtitutum* deductum: ſed nolo *hanc Camarinam movere*, ne qui *longiori oratione* hactenus *moleſtiam* creaverim, *ſordibus* inſuper hiſce & *nauſeam* moverem.

Concludo itaque, & (prout hujus loci & officii ratio poſtulat) *definio Antinomorum* ſententiam (ut *Lutheri* verbis utar) *immundi cordis fœtum, immundæ vitæ matrem*, neque ſolùm *Legi*, ſed & ipſi Chriſto, ejuſque *Gratiæ* inimiciſſimam. Contrà verò, Theſin, quam propugnavimus *Legem* (ſcilicet) *moralem obligare fideles ſub Evangelio*, veriſſimam eſſe, & verbo Dei conſentaneam.

Quod reliquum eſt, Deum Optimum Maximum ſupplices veneramur, ut quæ pro veritate ſuâ aſſerendâ jam dicta ſunt, cedant inprimis in nominis ſui Gloriam, atque uberiorem noſtrum in fide ac pietate profectum, ut dum ſinceram legi ſuæ præſtiterimus obedientiam, ſalvi tandem facti ſimus per Evangelii Gratiam, idque per & propter Jeſum Chriſtum Dominum ac Salvatorem noſtrum, cui unà cum Patre & Spiritu Sancto ſit omnis laus, honor, & gratiarum actio & nunc & in ſecula. Amen.

CONCIO AD CLERUM

pro Doctoratûs gradu in Templo B. Mariæ habita Maji 8vo. 1650.

Oratio.

OMnipotens & Æterne Deus, Tu qui ſolus in ſublimi & ſancto habitas, atque interim Teipſum demittis, ut videas quæ in cœlis ſunt, quæque in terrâ omnia; Digneris, quæſumus, nos maximè omnium indignos benigniori vultûs tui lumine reſpicere, quos inprimis pudet peccatrices haſce noſtras manus ad ſummam Tuam, pariterque ſanctiſſimam Majeſtatem attollere. Minores nos equidem ſumus omnibus Tuis beneficiis, vel minimis indigni, qui quod *naturæ* recti habuimus, fœdè *deturpavimus*, quod *gratiæ*, penitùs *amiſimus*, quæcunque verò ad priſtinam illam noſtri denuò inſtaurandam beatitudinem humaniſſima Tua erga nos Philanthropia indulſerat auxilia non tam perditè prodegimus, quàm pertinaciter repulimus; non minori ſanctiſſimi Nominis Tui contumeliâ, quàm funeſtiſſimo (ſi modò accuratiùs nobiſcum rationes ſubduxeris) animarum noſtrarum diſpendio. *Deficit* utique *caro noſtra*, & *cor noſtrum*, quodque nos ſpectat, deplorata planè eſt ſalus omnium.

At ex tuâ miſericordiâ (Benigniſſime Pater) comparatum eſt, ut ubi *abundavit peccatum*, ibi *ſuperabundaret Gratia*. Hanc ſolam nos peccatorum omnium miſerrimi veneramur gratiam, imploramus miſericordiam; unius Chriſti ſanguinem languentes ſitimus, ſolius *Spiritûs* Tui ſalutarem *efficaciam*, quorum illo peccatorum noſtrorum omnium *reatus*, hâc verò eorundem *ſordes* tollantur penitùs atque diluantur. Indulgeat miſericors

Pater

Pater *delinquentibus pœnitentiam*, ut *pœnitentibus* indulgeat *veniam*. Concedas fidei robur & victoriam; ſpem verò malis omnibus (quæcunque hîc nobis obventura ſunt) majorem; Charitatis denique in hoc ſæculo fœlix augmentum, donec in futuro ſimul & Gratiæ Tuæ & fælicitatis noſtræ ſummum faſtigium aſſequamur, per Jeſum Chriſtum unicum noſtrum Salvatorem.

In cujus porrò nomine pietati atque clientelæ Tuæ commendamus Eccleſiam Tuam, utcunque Tibi chariſſimam miſerè tamen hodie ſchiſmatibus laceratam, hæreſibus non inquinatam modò ſed & infectam, malis omnibus denique obſeſſam, & extrema tandem metuentem. At quòuſque, Domine Deus exercituum, quòuſque tandem incaſſùm invocabit nomen Tuum populus Tuus. Quouſque nomen Tuum hoſtes impunè contumeliâ afficient? Exſurgas jam tandem, quæſumus, Populóque Tuo animum tantùm non deſpondenti maturè ſuccurras, obliga cruentata Eccleſiæ Tuæ vulnera, lachrymasque omnes, quæ ſponſæ Tuæ pulchritudinem adeò fædârunt citiùs abſterge, ut priſtinus ejus nitor tandem redeat, malevolorumque omnium oculos perſtringat, ad quem, invidi licèt, at infœlices ſemper obſtupeſcant.

Præ reliquis inprimis tibi curæ ſit quæ etiam in deliciis aliquando erat *Eccleſia* hæc noſtra *Britannica*, & *Hibernica*, ut quæ ſcilicet quod ad reliqua ſpectat ſemper clara fuit, quod verò ad ſinceriorem veritatis Tuæ profeſſionem longè omnium celeberrima, nunquam flagitiis noſtris apud exteros malè audiat, nunquam à Te nobis meritiſſimè irrogatis ſuppliciis poſteris riſui ſiet & ludibrio.

Erudias Senatores noſtros, atque Conſiliariis noſtris ſis ipſe à Conſiliis. *Reddas Præfectos noſtros pacem*, & *exactores noſtros judicium*, ut *vocemus* tandem *ſalutem muros noſtros*, & *portas noſtras laudem*.

Verbi Miniſtros Spiritu Tuo repleas, Dextrâ protegas, & quò magis ſæculo huic noſtro inviſi ſunt, eò ampliùs ſinum Tuum ipſis pandas, atque arctiores teneriores amplexus indulgeas.

Impenſiùs faveas Prophetarum Scholis, florentiſſimis inprimis Academiis, utriuſque Magiſtratibus, Honoratiſſimo noſtro *Cancellario*, Digniſſimo *Procancellario*, doctiſſimis *Profeſſoribus*, Dominis *Procuratoribus*, *Taxatoribus* reliquiſque munere aliquo publico apud nos fungentibus. Singulis *Collegiis*, nominatim *Emmanuelenſi*, Sociis, Scholaribus, cæteriſque cum pietatis, tum bonarum artium ibidem Studioſis.

Quod reliquum eſt, nobis ipſis nomine Tuo hîc coactis & adeſſe

& præeſſe digneris, ut qui ſine te nihil poſſumus, tuis demùm auſpiciis, & vera dicere, & recta facere, atque æterna illa tandem conſequi valeamus per Jeſum Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum. In cujus porro Nomine Te humillimè compellamus, prout ipſe nos docuit in Evangelio.

PAter noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen Tuum. Adveniat Regnum Tuum. Fiat Voluntas Tua, ſicut in cœlo, ità etiam in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia Tuum eſt Regnum, & Potentia & Gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

MATTH. V. 13.

ὑμεῖς ἔστε τὸ ἅλας τ γῆς.

UT verum fuerit quod Hugoni Grotio placuit, hæc ad Chriſti *Apoſtolos* non reſtringenda eſſe, cum ſint *fidelium* omnium communia: Ea verò *Doctores Eccleſiaſticos præcipuè* ſaltem ſpectare ſuadet recentiorum Theologorum ſententia, decernit antiquioris Eccleſiæ authoritas, clamat denique verborum ſeries, reique ipſius manifeſta veritas.

Hi ſiquidem (ringentibus licèt *Socinianis*, reliquiſque Miniſterii Evangelici hoſtibus) ſunt, & uſque ad adventum Chriſtum (credimus) erunt

Urbs illa ſupra montem poſita. v. 14.

Lucerna illa, nunc licèt aliquantiſper *ſubter modium poſita*, at tandem in *candelabrum* denuò *reponenda.* v. 15.

Ut paucis omnia, *lux mundi, ſal terræ.* ὑμεῖς ἔστε τὸ ἅλας τ γῆς.

ὑμεῖς] vos ſcilicet inprimis Apoſtoli, ſed & pro modulo ſuo λειτυργοὶ reliqui non minùs Chriſto quàm Eccleſiæ ſacri.

ἔστε] reâpſe plures, ex officio omnes.

τὸ ἅλας] Neque metuendum puto ne Miſſificator aliquis Pontificius, qui ex phraſi conſimili *panem* in *Chriſti corpus* tranſubſtantiare noverit, ex hâc demùm ſemetipſum (quod *Lothi uxori* factum legimus) in *ſtatuam ſalis* transformaret. Locutio enim eſt *Metaphorica*, quæ non vim eandem, ſed officia analoga & virtutem ſimilem exprimit. Quod *ſal carni*, id *vos terræ.*

Denique τὸ ἅλας τ γῆς quod ſequente commate τὸ φῶς τ κοσμυ dicitur, quod *totum terrarum orbem* complectitur. Illud quidem (annotante Sancto Chryſoſtomo) *Apoſtolorum* proprium ob Epiſcopatum *Oecumenicum* ipſis (Marci 16. 15.) demandatum, quum *Prophetæ* olim ut plurimùm anguſtioribus *Judææ* finibus incluſi erant, ut & Paſtores Evangelici propriis gregibus invigilant. Quod verò *majorum* illorum *Luminarium* ſigillatim erat, illud conjunctim minorum ſyderum conſtellationi, *toti* (dico) *Miniſtrorum cœtui* per univerſum orbem (ut *Levitæ* olim per totum *Iſraelem*) diſſeminato convenit.

venit. Neque illud quidem tam *perſonis* quam *officio*. *Quæ enim verbi propria ſunt, ad perſonas Miniſterii transferuntur* ut rectè *Chemnitius*. Illi ſiquidem hujusmodi gaudent elogio ob *Evangelium* ipſis concreditum; ipſum verò *Evangelium* propter *Chriſtum* eo incluſum, qui & *lux illa illuminans omnem hominem venientem in mundum*, Joh. 1. 9. & *ſal* iſte, æternitati condiens *carnem omnem*, quæ *ſeipſam corruperat ſuper terram*. Geneſ. 6. 12.

Textum verò quod ſpectat, is tria potiſſimùm nobis annotanda proponit. 1. Populi ſtatum. 2. Miniſterii dignitatem. 3. Miniſtrorum denique munus & officium.

Et primò, Populi ſtatum quod attinet, *humi repit*, neque *terrâ* altiùs aſſurgit. 1.

Non quòd eos quaſi *terræ filios*, ipſâque (prout *Jobus* loquitur) *terrâ viliores*, è ſuggeſto, tanquam *ex alto deſpicere* liceret, vel tanquam *lutum plateârum*, ſuperbiæ pede arrogantiùs conterere. Hoc ſcilicet *Phariſæorum*, eorumque ſequacium *Pontificiorum* faſtui convenit, quorum illi ὄχλον ἀπικατάρατον *turbam*, non ſecus ac *terram* olim *maledictam* vocitabant, hi *Laicos* omnes (ut res ipſa vocis Etymologiæ reſpondeat) quaſi lapides projectitios *conculcant*, pro *canibus* & *porcis* illis habent, quibus *margaritas* ſuas *projectas* nolunt; *jumenta* denique atque *aſinos* ſuos nuncupare ſolent, quibus inſolentius pro libitu inequitent. At non ſic, *aſino quidem vectus*, *Salvator* noſter *mitiſſimus*; non ſic *oves* ſuas pro quibus ſanguinem ſuum fudit, pro *rejiculis* habuit. Non ſic *Apoſtolorum Princeps* (cujus *ſucceſſores* potiùs quàm *imitatores* eſſe mallent) non ſic, inquam, Chriſti *agnos*, quos *paſcendos* accepit, malè tractandos voluit, cum vel Præfectis ipſis χειροτονεῖν τῶν κλήρων ſeriò interdixit quoſque illi contemptim *Laicos* vocant, hos ille honorificentiſſimo *Cleri* titulo (ut ipſo quidem *Bellarmino* multùm refragante) inſignivit. Plebs enim Chriſtiana hîc licèt *terra* audiat, ſi Eccleſiæ pomæriis ſemel incluſa, Sedulâque noſtrâ operâ probè exculta, âtque condita fuerit, quæ *Hedenis hortus*, quæ Sponſi *Paradiſus*, quæ Θεοῦ γεώργιον, quæ denique paſſim in Apocalypſi *cœlum* cluit, abſit ut *terræ* illius inſtar, *quæ ſpinas & tribulos profert, rejectanda foret, & maledictioni proxima: ſale* quidem iſto *condienda*, non ut *cænoſa illa & paluſtria* apud Ezekielem, *ſali tradenda*. *Pede irriganda* Deut. 11. 10. non *Gentibus calcanda*, Apoc. 11. 2.

Cap. 30. 8.
Pſal. 18. 42.
Johan. 7. 49.
Gen. 3. 17.
Matth. 7. 6.
1 *Pet.* 5. 3.
De Clericis. l. c. 1.
Heb. 6. 8.
Ezek. 47. 11.

At enim iſta *Terræ* appellatio nullam licèt nobis inſultandi anſam præbeat, populo tamen efficax ſatis ſubmiſſiſſimæ humilitatis ſuppeditat argumentum.

Primò enim *ſitum* notat, eumque *infimum*. Terra ſiquidem in imo ſubſidit, *humumque humilem* eſſe, vel ipſa *Conjugatorum* Lex ſatis ſuadere poterit, quæ ſi *in altum feratur*, contra naturam ageret. Si λοφώδῃ ὄγκῳ (in Agricolas præcipuè) *intumeſceret*, prout in *terræ-motu* fieri ſolet, atque in ἱερᾷ νήσῳ aliquando eveniſſe Philoſophus meminit (in noſtrâ ſane *inſulâ* planè ἀνιερᾷ jam tandem paſſim obtinuit) *portenta* narrat, atque *ruinam* minitatur. 1.

Secundò item *indolem* ac *ingenium* ſubindicat, ſolicitam nimirum rerum terrenarum curam, cum cœleſtium incuriâ, nam ὁ ἐκ γῆς χοϊκός 1 Cor. 15. 47. *qui ex terrâ eſt, terrenus eſt* τὰ τῆς γῆς λαλεῖ Johan. 3. 31. τὰ ἐπίγεια φρονεῖ Phil. 3. 19. *terrena loquitur, ſapit, curat, talpæ* inſtar *roſtrum* habet, 2.

quo *terram* fodiat, *oculos* non habet, quibus *cœlum* (niſi morte tantùm ingruente) aſpiciat.

3. Quin & ultimò, ſi *terra* iſta *ſalis* hujus condimento indigeat, agnoſcat lubens, ſeipſam in ſe prorſus *inſipidam* eſſe, & in quantum ſanctiori hâc aſpergine deſtituitur, *putrem* planè ac *rancidam*, miſerrimo illo *infanti* (Ezekielis 16.) *ſale non ſalito* perquam ſimillimam. Sit itaque (quod abſit tamen) ut nos *ſalem in nobis non habeamus*, id tantùm quo & ipſi æquè carent, perdidimus. *Paſtor* quidem *ſtultus ſal infatuatus* eſt. At (quod eorum pace dictum velim) *populus ſtultus* non minùs *inſipidus* eſt. Miſereantur itaque noſtrî, qui hâc ratione ipſis *peccato pares* ſumus, at ſi *Sal terræ* ſimus *revereantur* ſaltem ut *ſuperiores officio*.

Mar. 9. ult. *Zech. 11. 15.* *Deut. 32. 6.*

2. Quod ſecundum erat, *Miniſterii* ſcilicet *dignitas* & præſtantia. Cum enim Salvator noſter Apoſtolos ſuos *mundi lucem*, *terræ ſalem* appellaverit, quid magis non modò ad ſummam eorum *dignitatem* evehendam, ſed & omnimodam *utilitatem* amplificandam vel dici vel excogitari poterit? *Sale* enim & *Sole nihil utilius*, ſi Adagio: *ſine Sale vita humana nequit degere*, ſi *Plinio* fides adhibenda, ſine eo neque in pace familiam alere, neque in bello urbem licèt munitiſſimam diu tutari vel prudentiſſimus vel fortiſſimus quivis poterit. Tantæ inſuper apud omnes æſtimationis (penè venerationis dixeram) eſſe ſolet, ut hujus effuſionem nunc (ut & olim) ſuperſtitioſuli plurimi pro malo omine habeant; imò pro more antiquo (qui ſummæ utilitatis res Divinitate donavit) *Homerus* ἅλα θεῖον, *Plato* θεοφιλὲς σῶμα indigitavit. Si verò Sacerdotium (uti S. Ambroſio viſum eſt) Deificus ordo fuerit; in Presbyterio illud σῶμα θεοφιλέστατον, in Theologo (cujus vel nomen ipſum Divinitatem ſonat) ἅλα θεῖον ſi non cernamus, planè cœci ſumus, ſi non læti agnoſcamus, longè omnium ingratiſſimi.

l. 31. c. 7. *in Timæo.* *De dignit. Sacerd. cap. 6.*

Atque hîc gliſcit mihi animus cum Apoſtolo Rom. 11. 13. τὴν διακονίαν μου δοξάζειν, *Miniſterium* ſcilicet, quòd à *Domino accepimus*, illuſtrare ſanctiſſimique *Ordinis* noſtri (nullius licèt, proh dolor, hodiè vel loci vel ordinis fuerit) ſublimitatem altiùs evehere. Hoc ſanctis *Patribus* licuit, hoc *prioribus ſæculis* placuit. At iſte dies aliam vitam affert, novos mores poſtulat, atque eò tandem res rediit, ut qui Sacroſancti Miniſterii dignitatem aſſertum eunt, *Baalitici* audiant; qui verò eam quàm ſpurciſſimè conſpuerint, cum ἄθεοι planè ſint, ἐνθεώτατοι habeantur. Sed ἐξέστω κλασιμενίοις ἀχνυμονεῖν. Nos interim quod attinet fœteamus licet aliis, modo *Deo bonus odor ſimus*; ſimus hominum propudia, modò & *Chriſti gloria*; *mundi* ſimus *purgamentum*, & terræ odium, dummodo *lux mundi* & *ſal terræ* unà fuerimus. Hoc ſummum dignitatis noſtræ faſtigium, hinc populi, cujus commodo, noſtro diſpendio inſervimus (prout ſal, qui carnem dum condit, ſeipſum inſumit) quæſtuoſiſſimum *compendium*. Atque hâc ſaltem in re *ſalem terræ*, *ſcutis* illis *terræ* (de quibus Pſaltes loquitur) conferre, imò & præferre liceat. Illis *corpora* proteguntur, hoc *animæ* æternitati conſecrantur. Enimverò *Mons Dei mons ſalis eſt* (quod de *Oromeno* apud *Indos* narrant *Hiſtorici*) ex quo majus Regum vectigal eſt quàm ex auro atque margaritis. *Sine Sale* (teſte *Plinio*) *nequimus vivere homines*. Sine iſto (atteſtante *Auguſtino*) non poſſunt homines vel fieri vel vivere *Chriſtiani*. Hunc ergo quicunque è domo Dei projiceret, eâdem operâ *à menſâ ſalem, è cœlo Solem, à terrâ pluviam,*

Pſal. 47. 9. *Plinius l. 31. c. 7.*

à grege

è grege paſtorem, à meſſe operarium, ab ægrote medicum, ex caſtris currus & equitatum ſimul abriperet: Quibus ſcilicet demptis, quid reliqui erit præter *famem* & *fœtorem*, præter *tenebras* pluſquam *Ægyptiacas*, præter πανολεθρίαν funeſtiſſimam, vel *vitam* (ſi quæ ſupererit) *minimè vitalem*? Lautiſſimæ tum demum vel ditiſſimorum cupediæ æquè inſipidæ erunt ac *albumen vitelli*, vel pauperrimorum betæ; ampliſſima latifundia, atque Baſilicæ Auguſtiſſimæ inſtar *Jerichuntini agri* erunt, cujus *ſitus quidem ſatis amœnus* erat, at *terra abortiens*, & *aquæ peſſimæ*, donec *Elizæus ſalem injecerit*. Non eſt itaque quòd invideat nobis populus *duplicem* illum, quem Deus indulſit *honorem*, quibus acceptum ferre debent multiplicem Evangelii benedictionem. *Job.* 6. 6. 2 *Reg.* 2. 19, 20, 21, 22.

1. Non obſervantiæ honorarium: neque illud nobis tanquam indignis gratuitò indultum, ſed *ut Dei Angelis, at in Chriſto Patribus*, ſed ut ἡγουμένοις, & ἐν Κυρίῳ πεποιθόσιν optimâ omnique ratione debitum. Taceo nunc *Sacerdotum* olim vel à *Principibus* (ut cum *Ambroſio* loquar) *exoſculatas dextras*, taceo *Regum* ipſorum *colla* eorum *genibus* ſubmiſſa. Ea quidem prior ætas *Pontificum pedibus calcata* vidit, ubi ſemet *Tyrannis Antichriſtiana* ὑπὲρ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα ſe arrogantiùs extulerit; at noſtro tandem ſæculo eoque infœliciſſimo *Evangelii Miniſtros* (quorum *pedes* ipſos ſacra pagina *ſpecioſos* prædicat) vel infima *plebecula calcibus proterit*. Quod qui *lætis* oculis intuentur, omnem *Divinitatis* ſenſum, qui *ficcis*, *humanitatem* omnem exuit. *Hieremias* certè ſi denuò in vivis eſſet, dum *Nazaræos* ſuos *lacte* olim ac *nive candidiores*, nunc *carbone nigriores* aſpexerit, *Threnodiam* novam, prioreque longè triſtiorem inſtitueret, imoque pectore deductis ſuſpiriis ſingultim ingemiſceret: *Ego vir ſum videns afflictionem in virgâ indignationis ejus*. At nobis miſeris qui hæc omnia unà intuemur ac patimur Deus (ut idem Propheta loquitur) *ſilentium indixit*, dum *cicutæ ſucco potavit*, & *contemptos totique populo abjectos reddidit*. *Indamus* itaque *pulveri os noſtrum*, *acquieſcamus in pœna iniquitatis noſtræ*; indigniſſimas hominum contumelias forti animo, juſtiſſimas Dei caſtigationes humillimè perferamus, ſubmiſſiſſimo mentis obſequio illud Prophetarum ſubinde recitantes: *Portabo indignationem Jehovæ, quia peccavi in eum, uſque dum agat cauſam meam, & jus meum exerceat, in lucem me educat, ut videam juſtitiam ejus* Michæ 7. 9. *Inſulſum* interim ſe agnoſcat, cui *Sal* ipſe non *ſapit*, neque ſuperſtitioni illi deputabitur qui malum omen in illum conjiciat, qui *Salem iſtum effuderit*, qui verbi Miniſtros, (qui *ſal terræ* ſunt) quaſi *ſale empta mancipia* duxerit, *næ ille terræ filius* in æternum audiat. *Heb.* 13. 17. 1 *Theſſ.* 5. 12. *Rom.* 10. 15. *Thren.* 3. 1. *Jer.* 8. 14. *Mal.* 2. 9.

2. At paſtorale *pedum panis* etiam *baculum* ſibi adjunctum habeat. Sin minùs, Sacerdoti (ut & Chriſto) *genu flectere* dum *ſceptrum arundineum in manu geſtat*, reverâ eum ſeriò ludificare eſt. *Duplex* ille (quem diximus) *honor*, ut *reverentiæ* obſequium, ita & *alimoniæ* ſubſidium poſtulat, neque ſolùm *Patri obſervantiam*, ſed *Agricolæ annonam*, *operario mercedem*, *militi ſtipendium* efflagitat. Quòd ſi à *Sale ſalarium* nomen ſuum mutuaverit, quis niſi ſacrilegus illud huic *Sali terræ* negaverit? Quò minùs qui carnem *condierit*, eâdem *veſci* poterit? *Levitarum* tribum, ut omnium minimam, ita maximè omnium urbibus, prædiis, primitiis, decimis, ſacrificiis, oblationibus, iiſque in unoquoque genere optimis affatim *ditatam* legimus. *Mons Dei* *Plin. ubi prius.* *Pſal.* 68. 15.

tunc

tunc quidem *mons Baſhan* erat, quæ vox *pinguedinem* ſignificat. *Eccleſia* verò jam tandem gemens clamat: *Macies eſt mihi, mihi macies eſt, hei mihi! perfidi perfidè agunt, & perfidiâ quidem perfidiſſimâ* Iſa. 24. 16. Sacroſancti enim Evangelii Miniſterium conculcatum gregatim eunt, ſanctiſſimumque *altaris ignem Veſtali* illo perpetim magis fovendum tanquam ad commune incendium *extinguendum* confertim convolant: quod ut citiùs fiat, *fomitem* ſubtrahendum imprimis ſatagunt. Ne ex infimâ popelli fæce quis adeò ſtupidus & *ingenio Bœotico* eſt, quin ex Eccleſiæ dote aliquid intervertere *probè* dicam an potiùs improbè *noverit*, qui verò ſanctiores haberi volunt, pietatem ſacrilegio æſtimant, vel ut optimè nobis conſultum eant, concionatoribus ſuis, qui ipſis verbi *dimenſum* daturi ſunt, illi pro libitu (neque vereor prodigè nimis) σιτομέτριον aſſignabunt, ſcilicet ut *Paraſitos*, non *Paſtores* habeant. *Inter veſtibulum* itaque *& altare plorent ſacerdotes Domini noſtri, & dicant, Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem Tuam in opprobrium. Quis enim ſcit an convertetur & ignoſcet, & benedictionem, ſacrificium & libamen Domino Deo noſtro relinquet.* Quod tandem miſericors faxit precamur ſinguli, nt ocyùs fiat votis ardentiſſimis comprecemur univerſi.

Joel 2. 14, 17.

3. Ne verò per nos ſteterit, quò minùs hoc citiùs fieret; dignum eſt (aſſerente *Sancto Ambroſio*) ut *dignitas Sacerdotalis* priùs *noſcatur à nobis*, & ſic deinde *ſervetur à nobis, dignè noſcatur quod ſumus, & quod ſumus profeſſione & actione potiùs quàm nomine demonſtremus, ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini.* Caveamus itaque ne dum in *dignitate* iſtâ aſſerendâ *ſeduli* fuerimus, *ſegniores* interim ſimus in *peragendo officio.* Quod ultimum erat quodque appoſitiſſima iſta *Salis* Metaphora quid in nobiſmetipſis eſſe, quid aliis fieri convenit, luculenter indicat.

de dignit. Sacerdot. l. 2. Cap. 3.

4. 1. Et primò quidem, ſi nos *Sal* ſimus; quò *alios condire poſſimus*, omni rationi conſentaneum eſt, ut ipſi priùs *ſapiamus.* ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας Marci 9. 50. *In vobismet ipſis* dixit, quod non minùs *morum* quàm *doctrinæ* ἀφθαρσίαν nobis commendavit, ut non tantùm *canalis*, ſed & *concha ſis*, ut *intus* habeas quod *foras* proferas. Vult *oleum in vaſe*, ne extinguatur *flamma in lampade* Matth. 25. aquam in *fonte*, ut & in *fluento* Proverb. 5. 15, 16. Ipſe Chriſtus *facere* priùs cœpit, quàm *docere*, ut & Prærurſor ejus prius *vitâ* docuit quàm *ſermone.* Sacerdotes olim ipſi primò mari æneo abluti, poſtea demùm populi hoſtias *labro* æneo proluerunt. *Ezra* etiam primò ad *quærendum & præſtandum Legem*, atque ità tandem ad *docendum Iſraelem* animum appulit. *Polycletis* inſtar, qui cum librum ſatis elegantem de re ſtatuariâ ſcripſiſſet ſtatuam etiam ad ejus normam effinxit, quam *Canonem* vocavit. Hic *Nomo-Canon* perpetuus nobis eſto, hæc Clericorum verè *Canonica inſtitutio*, hæc optima *concionandi methodus & ratio.* Nec quicquam docui quod ipſe non feci, ut ſenex ille jam animum agens apud † Caſſianum. *Viventes ut loquuntur, loquentes ut audiunt*, prout apud * Auguſtinum legimus. Non ſolùm *ore Chryſoſtomum*, vel *Chryſologum*, ſed vitâ *Euſebium* & *Polycarpum*, eſſe, hoc demum reapſe eſt *Doctorem* agere. *Oportet* enim (ut Tertulliani verbis utar) *commendationem alicujus rei adortos, ipſos primò in adminiſtratione ejus rei deprehendi, & conſtantiam commonendi propriæ converſationis authoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcant.* Non confundant itaque Sermonem tuum opera tua, ne, cum in Eccleſiâ loquaris tacitè quis reſpon-

Act. 1. Brugenſ. in Matth. 4. 4. Cap. 7. 10.

† *Collat.* * *in Pſ. 101.*

De Patientiâ cap. 1.

reſpondeat *Medice cura teipſum. Cur quæ dicis, ipſe non facis? Præclara verba ſunt, ſed non pro Tiberio. Vox pro Repub. honeſta, ſed ipſi anceps, non enim ad hanc formam cætera erant*, ut de *Galbâ Tacitus. Delicatus magiſter eſt, qui pleno ore de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt*, ut ad *Nepotianum Hieronymus*. An verò idoneum eum patabo, qui *mihi* dat conſilium, qui non dat *ſibi*? μισῶ σοφιστὴν, ὅστις ἑαυτῷ σοφὸς. Odi homines qui cum ſibi ſemitam non ſapiant, aliis monſtrant viam; *caprifici* inſtar, quæ licèt ipſa fructus maturos nunquam edat, aliis tamen maturandis inſervit, vel potius *Johanni Cremenſi* ſimiles *Papæ* quondam apud nos *Legato*, *Sanctitati* ſuæ putà *ſimillimo*, qui cum interdiu *Londini* ad ravim & ſudorem uſque pro *Sacerdotum caſtitate* peroraverat, ſequente nocte in *meretricis* famoſiſſimæ *amplexibus* ἑπαυτοφώρῳ deprehenſus eſt. Antiqui מֶלַח לֹא זֹאת ut cum Prophetâ loquar, *hoc non eſt hoc*, τὸ ἅλας ἄναλον γίνεται *Sal* non *Sal*, ſed *inſulſus* fit ſi (primò) inſipidus fuerit, ſi verbi Miniſter *carnem* ſolam & mundum *ſapiat*, omni verò vel gratiæ ſpiritualis, vel prudentiæ, vel eruditionis guſtu careat. Agnoſco lubens *Spiridionem*, & *Alexandrum* Epiſcopum *Conſtantinopolitanum*, licèt non admodum doctos, Eccleſiæ tamen utiles fuiſſe; at nullam inde S. *Auguſtino* dicam impingamus quod *omnes, qui graves quæſtiones explicaturi eſſent, liberalibus diſciplinis probè inſtructos eſſe voluit*. Cum verò *Paſtori* ex officio incumdat *oves paſcere, lupos abigere*, animas ſibi commiſſas, à Diaboli inſidiis tutari, contra omnes inſultus, conſilia & præſidia eis ſuppeditare, in diſcrimine, ac in ipſo mortis agone præſtò eſſe τίς ἱκανὸς; hæc non *leviter* tinctum aliquem, neque ſalis hujus rariore aſpergine quaſi *irroratum*, ſed eodem *penitùs perfuſum* & *imbutum* poſtulant. Opus eſt ut *acetum* in pectore habeat, ut *ſal* ſit.

Ambros. de Offic. l. 2. c. 12.

Ezek. 21. 26.

De Ordine cap. 10.

2 Cor. 2. 16.

Non *Recens* ex *Academiâ*, non νεόφυτος in Eccleſiâ, quales tamen plurimos præcox hæc noſtra ætas peperit, quos miſerè pipientes & implumes licèt, Eccleſias circumvolitantes ubique videas. *Aaronis* quidem *virga* ex *amygdalo* erat, quæ arbor Hebræis שָׁקֵד dicitur, quòd *prima* omnium flores proferat, ut & ipſa *virga unâ nocte & gemmas & flores & fructus maturos edidit*. Hinc ſimiles habuit *Eccleſia Timotheum* Evangeliſtam, *Origenem* Doctorem, *Aurelium* Presbyterum *annis novellos, & in fidei laude profectos*, ut de horum ultimo *Cyprianus*, quin & ipſum *Cyprianum*, qui *præpoperâ velocitate pietatis penè antè perfectus eſſe quàm diſceret*, ut de eo *Pontius*. At quid hoc ad fungos iſtos *Jonæ Ricino, qui unâ nocte extitit & unâ periit*, perſimiles? Nempe ut in *Papatu infantulos Cardinales* ambitio, *puerorum Epiſcopos* ſuperſtitio excudit, ità nobis *Concionatorculos* (in quibus *ne mica ſalis* eſt) effrons προπέτεια non ſine ſummo & Eccleſiæ ſcandalo & veritatis diſpendio. *Ars Artium regimen animarum*. Hoc tandem diſcant Recentiores iſti, qui nondum *Artium Magiſtri*, *Doctores* prodeunt.

Epiſt. 5.

Quod & qui *caſtra ſequuntur* velim intelligant, qui non cum doctiſſimo juxta ac ſanctiſſimo *Ambroſio à militiâ ſæculari ad cæleſtem tranſeunt*, non *rude donati*, ſed *rudes* planè, nec minùs indocti quàm moribus Barbari in ſacroſanctum verbi Divini Miniſterium involant, atque *utrumque gladium ſimul geſtant*, in eo ſaltem *Pontifici Romano*, cui infenſiſſimi haberi vellent, ſimillimi. Deus quidem Prophetam *tanquam buccinam vocem ſuam attollere voluit;*

Iſa. 58. 1.

voluit: at quis tandem *Martia tibicinem Chriſti buccinatorem* ex officio inſtituit? Quis *belli fecialem* in *caduceatorem*, & *pacis legatum* transformavit? Si *Davidem* ipſum vel ſub *Lege* Deus ſibi *Templum ædificare noluit*, quod *bellator eſſet*, *multumque ſanguinem effuderat*, quis niſi ſanguinarius fuerit, militem humano *cruore madidum* atque adhuc calentem, *Evangelium pacis* annunciantem, & *ſanguinem Dominicum cruentatâ manu* populo *Chriſtiano* offerentem non exhorreſceret? Hos quidem, poſt ſtrages editas, terram (quò *ſterilis* fieret) *Sale conſerentes* in ſacrâ paginâ aliquoties legimus: At *Sal terræ* dictos, quò *fœcunda* magis foret, ne ſando unquam audivimus.

1 Chron. 22. 8. 28. 3.

Jud. 9. 45.

Non deſunt tamen vel iſtis ineptiores, at non minùs audaces, quia ſancto huic muneri arrogantiùs ſe ingerunt

Ambubajarum Collegia, Pharmacopolæ,
Mimi, mendici, balatrones, id genus omne.

ex tonſtrinis & ſutrinis opifices, viliſſimi nugivenduli, quales olim *Jeroboamus ex infimâ plebis fœce, ſacerdotes*, *Anabaptiſtæ & Sectarii* hodiè reliqui δημαγώγους ἱεροφάντας ſibi adſciſcunt, nempe (ſi placet) *reverendiſſimos*, animalia omnium inſulſiſſima, quibus *anima* ut ſuibus *tantùm pro ſale* eſt, quos omnes ſi juſto pretio coemeres, ὀδ' ἄλα δοίης. Minutiarii tamen iſti ſcruta ſua palàm venditantes ubique diſtrahunt, quos futile & demens vulgus (ut ſimiles nempe habeant labra lactucas) non minùs quàm *Epheſii* Διοπετὲς ἄγαλμα vel *Samaritani Simonem*, utpotè μεγάλην Θεοῦ δύναμιν attonitè ſuſpicit atque veneratur. Non invitus fateor *Amoſum* ex *bubulco* eoque *oneratæ linguæ* (quod nomen ejus annotante *Druſio* innuit) *Prophetam* factum, ut & *Petrum ex piſcatore Apoſtolum*; at illum à Deo, hunc à Chriſto ἀμέσως vocatum, utrumque ſpiritu plenum (qualem *Bezaleelem* legimus) donis ad obeunda munera abundè inſtructum meritò ſuſpicimus. At nunc demum *ex quovis ſtipite fit Mercurius*, prout *Salem* quendam (*nigrum* quidem & *inſipidum*) juxta *Rhenum* fluvium factum narrat *Varro* ex *combuſtis carbonibus*. Apagite ineptias. O! nos omnium miſerrimos, quibus, ut dici ſolet, ἄνθρακες ἠσαυρὸς πέφυκε. *Ex carbonibus ſalem inſipidum accepimus*, mox daturum *fidem* verè *carbonariam*. Quod ſupereſt, illud tandem ſordidi iſti velim intelligant, quanti nimirum ſacrilegii rei ſint, dum non ſolùm ſacerdotio dignitatem omnem, verùm & *huic* ipſius *Chriſti orationi*, *tropi elegantiſſimi* ornatum adimant. Simpliciſſimè enim τὸ ἄλας ἐμωράνθη, *Sal* propriè *infatuatus* eſt, dum *paſtor* verò *ſtultus* & *fatuus* eſt.

Varro de re ruſticâ. *Odyſſ.* 17.

Act. 19. 35. 8. 10.

Secundò. At quantò magis, ſi *vitiorum ſordibus coopertus* totus, omnique ſpurcitiei genere inquinatiſſimus? ſi qui ex officio *condire* debent, *crapulam oleant*, *Luxu diffluant*, & *Veneri militent*? Jam non *terræ Salem* dico, ſed *terræ* (quæ dici ſolent) *inteſtina*, *virus* ſcilicet merum & *ſaniem* (ſi in iis deſignandis qui rebus ſacris peſſimè abutuntur *catachreſi* duriori uti liceat) *ſaniem* inquam *puram putam putidiſſimam*. Cum verò *ulcera* hæc *Sale acriori perfricanda* ſunt, *hîc non parcam tibi ut Deus parcat* (ut *Bernardus Eugenio*) At caſtiſſimis tamen auribus veſtris parcendum eſt, quorum & nares obturatas, atque oculos pudore ſuffuſos intueor ad publica iſta vel ipſius humanitatis dedecora, turpiſſima ſanè ſanctioris Miniſterii propudia: qui ſpurciſſima ſimul & *Bacchi Orgia* & ſanctiſſima *Chriſti myſteria* peragunt, atque ademùm *Augiæ ſtabulum* in *Dei ſacrarium* exonerant. Si verò *ſterquilinii*

portam

portam quàm longiſſimè, *à Templo Hieroſolymitano diſſitam* legimus; quo demùm in loco reſpondendum cenſebimus *Salem* iſtum *inſipidum*, *ne ſterquilinio quidem utilem*? Lucæ 14. 35. At pudeat, hos inquam turpitudinis ſuæ pudeat, quam vel referre piget, ſtupratæ Religionis, impiati Sacerdotii ſeriò pœniteat. *Ecebolium* deſertorem ad Templi veſtibulum provolutum, atque illud *calcate me Salem inſipidum* ſubinde ingeminantem audiant: *Originem* minorum criminum reum, cum jam concionaturus erat, atque illud ex Pſalmo *Improbo autem dixit Deus*, & quæ ſequuntur prælegerat, librum denuò claudentem, ſedentem, flentem & ipſi flagitia ſua deflentes cogitent, atque tandem vel impiè agere, vel ſacra tractare deſinant. Sed iſta *Clericorum opprobria* ſilentio involvere convenit, quæ *Conſtantinus* Imperator ſanctiſſimus *paludamento ſuo obtegi* voluit. *Sal* eſſe vellem, ut *ſanem*, non ut *mordeam*.

Socrat. l. 1. c. 1. Ruffin. l. c. 2. Theodoret. l. 1. c. 11.

2. Illud unicum reſtat, quod ſecundum erat, ut qui *Sal terræ* fuerint, non ſolùm *ipſi ſapiant*, ſed & *alios* ex officio *condiant*, ὁ μόνον κακίας ἀμέτοχοι, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις μεταδοτικοὶ ἀγαθοῦ, ut optimè *Theophylactus*, ità quidem & *divites eſſe* & *alios ditari*, hoc verò *Apoſtolicum* eſt 1 Tim. 6. 18, 19. neque magis *bonos* quàm *beneficos* eſſe, hoc ipſi *Deo* ſimillimum Pſal. 119. 68. Chriſtus Patris & *Sapientia* & *Sermo* eſt, quò alios *erudiat*. Sancti *Angeli* & *prunæ* & *lampades* erant Ezekielis 1. 13. *Johannes Baptiſta lucerna* & *ardens* & *lucens*, ut non *ipſe* magis *ferveret*, quàm *aliis lucem prætulit*. Quod etiam *Miniſtris Evangelicis* omnibus ex æquo convenit. *Patres* enim ſunt, qui non ipſi tantùm Deo vivant, quin & ei *filios* ad Chriſti imaginem *gignant*. *Paſtores* ſunt, qui non ſolùm ex Chriſti ovili ſint, ſed qui præterea *gregem Dominicum paſcant*. Non ſolùm *vivi lapides* qui domum Dei conficiant, ſed & *ſtructores*, qui crudos lapides *cædant*, cæſos *Chriſto* fundamento *ſuperædificent*. *Conchæ* ſint, qui aquam vitæ *in ſe* capiant, ac porrò, *Canales*, qui & illam *aliis* differant, ut quæ *intus* eſt in *ciſternâ foras* profluat in *plateâ*, & *oleum* in *vaſe flammam* alat in *lampade*. Quod etiam Sanctus *Chryſoſtomus* annotavit *virtutes ſcilicet non privato alicui commodo*, *ſed bono publico inſervire*, quas Salvator in priori capitis hujus Perioche diſcipulis ſuis commendatiſſimas eſſe voluit. Hos *mundi lucem* vocat, quæ in *ſe* quidem *ſplendet*, itâ tamen ut *aliis facem præbeat*: *terræ ſalem* nominat, ut non magis *ipſi ſapiant* quàm *alios* tum *doctrinæ* puritate, tum vitæ *integritate*, atque rerum Divinarum *ſapore imbuerent*. Neque enim in iſtâ *ſalis* Metaphorâ enarrandâ ea omnia corradenda ſunt, quæ paſſim hâc de re occurrunt in *Philoſophorum diſputationibus*, vel *Medicorum* (quæ dici ſolent) *conſiliis*, vel *Poëtarum figmentis*, vel *Poſtillatorum* denique *alluſionibus* non magis innumeris quàm ineptis. Certò enim conſtat, Salvatorem hoc in loco non cum *Philoſophorum acumine*, ſed *piſcatorum ſimplicitate* rem habuiſſe, neque ſimilitudine iſtâ de medio ſumptâ illud voluiſſe, quod laſciva argutulorum ingenia excogitarent, ſed quod è vulgo quilibet, ſtatim ac loquentem audiverit, conjectari poterit.

Id verò quinque præſertim continet, quibus *Sal Miniſterii Evangelici indolem* non tam adumbrat quàm *exprimit*, in quantum ſcilicet *mordet*, *ſanat*, *purgat*, *condit* & à *putredine conſervat*.

Atque hæc præcipua erant, quibus (cum primum hoc quicquid eſt penſi aggreſſus eſſem) me diutius immoraturum ſperaveram. Cum verò è *carceri-*

bus vix egreſſum me *ultra metam* jam provectum ſentiam, ea omnia lubens prætereo. Non enim *dolichum*, ſed *ſtadium* emetiri cupio.

Illud tantùm (ut ſemel tandem finiam) quod â *Chriſto Apoſtolis* à *me Academiis* noſtris dictum vellem, *vos eſtis ſal terræ.* Illi *terræ* (prout diximus) *univerſæ*, hæ *Angli-terræ* (uti ab exteris nuncupari ſolet) Patriæ noſtræ dulciſſimæ. *Romæ* olim *viam quandam Salinariam* vocatam, & *Caſpias portas ſalis flumina* Antiquis dictas legimus. At *infatuato* jam diu *ſale Romano*, & *mari illi Caſpio* (ex quo *Turcæ portis illis* egreſſi ſunt) jam *inſulſiſſimo facto*; in fœliciſſimis hiſce noſtris *inſulis* (ex quo nos Deus puriori Evangelii doctrinâ beaverit) *viam* verè *ſalinariam*; in *Academiis* noſtris longè celeberribis genuini *ſalis flumina* reperire eſt, ex quibus non modò terram hanc noſtram probè conditam, verùm etiam ſalem iſtum ad ultimas terræ oras transvectum læti gratique agnoſcimus. Illud interim ut omnibus ſeriò dolendum, quòd nuperâ hâc eâque fædiſſimâ omnium corruptelâ plus nimis inſulſus fiat, ità nobis in primis (Academici) ſedulò cavendum eſt, ne cum *omnis locus in quo ſal reperitur* (authore *Plinio*) *ſterilis ſit, nihilque gignat*, idem nobis accidat. Abſit verò ut *Pia Mater* unquam *ſterileſcat*, *nunquam* (quod Auguſtiſſimus, idemque nobis indulgentiſſimus *Jacobus* aliquando in votis habuit) *inquam abortiat indefeſſa ejus fœcunditas. Sal* ſimus, & *ipſi ſapiamus*, & *alios* æternitati *condiamus*. Hoc *pactum ſalis* ſit *in perpetuum.* Hoc faxit miſericors Pater per Chriſtum Jeſum Salvatorem noſtrum unicum. Amen.

Plin. l. 31. c. 7.

ubi prius.

Num. 18. 19.

Cui porrò gratias, quas poſſumus maximas, quas debemus æternas agimus, quod nos primò rectos potenti manu condidit, lapſos tenerrimâ erexit, quod peccatorum noſtrorum omnium reatum ipſius Filii ſanguine, eorundem verò ſordes effuſiſſimâ Spiritûs ſui gratiâ diluerit, neque *panem quotidianum* ſolum nobis indulſerit, quo vitam hanc terrenam ſuaviter agamus, ſed & *terræ ſalem* iſtum ſaluberrimum, quo beati perennemus in æternum. Idem (humillimè oramus) nos omnes totos altius, penitus eo imbuat, condiat, atque *virtute Dei per fidem ad ſalutem cuſtodiat*, per Jeſum Chriſtum Dominum ac Salvatorem noſtrum, cui una cum Patre, & Spiritu Sancto ſit Laus, Honor, ac Gratiarum actio in æterna ſæcula. Amen.

Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt.

Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei, & Communicatio Spiritûs Sancti ſit vobiſcum omnibus, & nunc & in ſæcula. Amen.

DETER-

DETERMINATIO IN PUBLICIS COMITIIS

Julii 6to. 1652. quum Venerabilis Viri Dris Love Dominæ Margaretæ Profeſſoris tum ægrotantis vice fungeretur.

Chriſtus per mortem fuit ſacrificium propriè expiatorium peccatorum.

Obedientia Chriſti non tollit obedientiam Chriſtianam.

PRior Theſis duo dicit, primò *Chriſtum fuiſſe peccatorum noſtrorum Sacrificium propriè expiatorium*, idque 2. *per mortem*. Utrumque *Socinum* jugulat. Is enim

Primò quod ad *mortem Chriſti* attinet, cum *rem totam Sacerdotis in cœlo tantùm peractam* vult, *mortem* ejus *partem* hujus *nullam*, ſed *initium*, *inchoationem*, vel potiùs *præparationem* aliquam eſſe ſtatuit, cujus uſum & efficaciam omnem in his quatuor ferè collocat. 1.

Volkelius l. 3. c. 37. p. 151. Catechiſm. Racov.

1. Quod ſine mortis hujus interventu reſurgere & in cœlum ad ſacerdotale ejus munus ibi obeundum & Spiritum inde mittendum aſcendere ex decreto non potuit.

3. Quod doctrinam ſuam atque ſalutis viam ab eo patefactam quò ei tutius credere poſſimus, confirmet.

3. Quòd nobis etiam patientiæ exemplum ſit.

4. Quòd ex hâc mortis perpeſſione majorem nôſtri in afflictionibus noſtris & in morte ipſâ curam habeat. Atque hoc totum eſt quòd ipſe morti huic tribuit. Quòd ſi verò plura ei attribui videntur (ut quidem in ſacrâ paginâ, vel ipſis adverſariis fatentibus, morti Chriſti paſſim tribuuntur Redemptionis noſtræ plurima & ferò omnia) id *metonymicè* tantùm dici contendit: ut cum illud de cauſâ & antecedente dicitur, quod proprii effecto & conſequenti convenit.

Cum enim ſecundò nos mortem hanc Sacrificium *propriè expiatorium* dicimus, ille licèt & *Sacrificium* eſſe, idque ſenſu ſuo *expiatorium*, imò *pretium*, λύτρον, ἀντίλυτρον, adeoque in ſenſu aliquo *ſatisfactorium* eſſe agnoſcit; nil tamen horum *propriè* ſumi vult, ſed *metaphoricè* & *figuratè* omnia; In *genere* ſcilicet, & *per ſimilitudinem* ſicut oblato Sacrificio, & ſoluto pretio reus abſolvitur, & captivus redimitur, ità interveniente morte Chriſti peccator primò ab ipſo peccato (ut illi volunt) deinde à reatu & pœnâ liberatur, *morte* inquam *interveniente*, ſed non tanquam *pretio* aliquo, nomine noſtro ſoluto; per *liberam Dei remiſſionem*, non per Chriſti *ſatisfactionem*; vel ſi per ſatisfactionem *voluntati* Divinæ (quam *Crellius* admittit) at non *juſtitiæ*, vel ſi inſuper juſtitiæ (quam ponit in Naturæ Divinæ rectitudine) at nequaquam *juſtitiæ vindicativæ*. Hæc *Socini* mens, atque aſſeclarum ſuorum unanimis (quantum intelligo) ſententia. 2.

Cum nos verò è contra *Chriſtum per mortem fuiſſe Sacrificium propriè expiatorium* dicimus, per *mortem* intelligimus.

1. Non ſolum *mortem & dolores corporis*, ſed & *animi angores & cruciatus*, neque verò illos tantum ex animæ cum corpore συμπαθείᾳ, ſed ex *irâ* Dei immediatè *in eam immiſſâ*, *nobis debitâ*, adeoque & à *vade noſtro ſubeundâ*.

2. Neque ſecundò tantùm volumus ultimum triſtiſſimæ hujus Tragœdiæ actum in ipſâ *crucifixione & à comitibus doloribus* peractum, ſed omnes etiam ante actæ *vitæ ſuæ paſſiones*. Cum verò nobis jam lapſis illud ratum maneat χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, & ex quo Deus illud *morte moriêris* dixerit, Sponſor noſter non ſolum vitæ miſerias, ſed & dolores mortis, pati debuit, mortem præcipuè nominamus ut *ſubmiſſiſſimum obedientiæ ejus actum* Phil. 2. 8. & in quâ demum *perſolutum* erat *Redemptionis* noſtræ *pretium*, adèo ut in eâ ſubeundâ non ſolum ad *manus* ſuum *ſacerdotale præparationem* aliqualem habeamus, ſed potiùs *partem ejus primariam & præcipuam*, per quam ſcilicet ea omnia impetravit, quæ poſt aſcenſionem mortis ſuæ valore & merito nobis exhibet & applicat. Unde fit quòd ità crebrò (uti priùs diximus) omnia ferè *morti* huic tribui ſolent.

Heb. 9. 22.

Hoc quidem ità factum *illi* dicunt

1. Quòd non ſine morte ipſi ad cœlum pateret aditus, ubi omnia, quæ Sacerdotis ſunt peragit. At ſi nulla alia ratio ſubeſſet, quid impedit quò minùs *Chriſtus* quàm *Enochus* & *Elias* olim, non interveniente morte, cœlum aſcendere potuit? Quid quod res mira nobis videtur tot & tanta *morti* tribui, quæ ſecundùm eorum ſententiam *cauſa ſine quâ non* & *antecedens* tantùm quædam *præparatio* fuit, & non potiùs *exaltationi*, quas ſecundùm eos *propria & immediata cauſa eſt*, & totam rem conficit.

2. Dicunt etiam Sacram Scripturam adeò multa Chriſti *morti* aſcribere, quòd ea potiſſimùm nobis Dei & Chriſti *charitatem* oſtendat. At verò in quâ potiſſimùm invenimus *Dei*, *Chriſtique charitatem*, in eâdem etiam potiſſimùm inventuros nos ſperamus & *meritum & efficaciam*. Hæc verò hanc in rem de *morte* Chriſti dicta ſunto.

Hanc ultrà in Theſi *Sacrificium* eſſe dicimus, Legalibus ſcilicet illis ſacrificiis expiatoriis omnibus (neque eo ſolo quod die expiationis ſemel quolibet anno offerebatur, quod tamen *Adverſarii* in rem ſuam unicè urgent, ſed & reliquis) *typicè adumbratum*, quicquid ipſis aliter viſum eſt in contrarium.

Dicimus præterea eſſe ſacrificium *expiatorium*; in quantum *expiare* non tantùm *mundare*, ſed & *pacare* & *propitium reddere* ſignificat. *Socianini* multùm in priori ſenſu ſunt dum *expiationem* in *cordium mundatione* magnâ ex parte collocant.

Nos verò etſi ſanctificationem juſtificationi tanquam perpetuam comitem adjungimus, in *expiationis* tamen negotio *liberationem à reatu* præcipuè ſpectamus, idque ex more Scripturæ, ubi illud ſæpiùs *expiabit illum Sacerdos*, *& remittetur ei* Levit. 4. 20, 26, 31, 35. Quod etiam ipſe *Volkelius* ex voce illâ Hebræâ כִּפֶּר elicit, quod & *expiare* & *tegere* ſignificat. Eò quidem rectè, ſi *expiationem* in *reatûs ablatione* poſitam aſtrueret, at peſſimo conſilio, ſi inde eam in *ſimplici condonatione ſine ſatisfactione* omni ſitam vellet. Ut latebras igitur haſce plenius excutiamus,

Ultimò dicimus eſſe ſacrificium *propriè* expiatorium. *Propriè* itaque Chriſtus per mortem ſuam peccata noſtra expiat. *Propriè* inquam

1. Non

1. Non *typicè*, ut Sacrificia vetera.

2. Non *miniſterialiter* tantùm, ut Sacerdotes legales.

3. Non *declarativè tantùm*, ut Sacerdotes illi, & Miniſtri Evangelii. In morte ſiquidem Chriſti non *Indicativum* (qualem illi fingunt) ſed verè *effectivum* & quærimus & invenimus *Redemptorem*.

4. Non denique *Metaphoricè* tantùm à peccato & pœnâ utcunque & in genere liberando. Non enim rem tantùm, vel eventum & effectum quomodocunque productum quærimus, ſed & modum & medium producendi, verè & realiter ſcilicet, dum vices noſtras ut *ſponſor* obiit, *debitum noſtrum ſolvendo*, atque ità nos propriè *expiando*.

Ut breviter animi noſtri ſenſum, & controverſiæ ſtatum ſemel expediamus, hæc tria dicimus.

1. Chriſtus in hoc mortis & ſacrificii ſui negotio Vas, Præs, Sponſor noſter erat, viceſque noſtras benigniſſimè ſubiit.

2. Hinc 2dò peccatorum noſtrorum reatum omnem, & pœnas inde nobis debitas ad ſe tranſtulit, in ſe ſuſtulit, nobis abſtulit, atque ità nos verè & propriè expiavit.

3. Ut hoc integrè perficeret, Divinæ Juſtitiæ, eique vindicativæ in nos per peccatum armatæ, plenè ſatisfecit.

Plenè inquam, & *integrè* ſatisfecit.

1. Non *precariò* & *impetrativè*, ſed *meritoriè*, & *ex condigno* veniam nobis promerendo.

2. Non *per æquivalentiam*, ſed ipſum debitum propriè & in ſpecie ſolvendo.

3. Non denique *imperfectè* & *per gratioſam Dei acceptationem*, ſed quicquid à nobis reis juſtitia Divina exigere poterat perfectè & in ſolidum præſtando.

Hæc Orthodoxa de Chriſti morte fides; hæc aperta *Theſeos* hujus noſtræ ſententia, quam quidem *Racovienſes fallacem*, *erroneam*, *pernicioſam* clamitant; nos contrà *veriſimam* atque imprimis *ſalutarem* eſſe his probatum imus argumentis, iiſque ex variis Sacræ Scripturæ loquendi formulis petitis.

Quorum ea imprimis agmen ducunt Scripturæ loca, quæ Chriſtum *vices noſtras ſubiiſſe*, *pro nobis traditum*, *mortuum eſſe* aſſerunt ὑπὲρ ἀσεβῶν Rom. 5. 6. ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε v. 8. λύτρον ἀντὶ πολλῶν Matth. 20. 28. ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων 1 Tim. 2. 6. eodem planè modo, quo *piacularem victimam reus* olim coram Deo *ſiſtebat*, *capitique* ejus *impoſitis manibus peccata ſua confitebatur* Levit. 1. 4. 16. 21. ὡσανεὶ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον ἀποστρέφων ut rectiſſimè *Euſebius*, ut ejus vice, *loco*, *nomine* pœnas lueret. Quò reſpiciunt illa de Chriſto quod *dolores noſtros & iniquitates* נשא סבל *pertulit*, *bajulavit* Iſa. 53. 4, 11. quod ſit *Agnus ille Dei* ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου Joh. 1. 29. quod *peccata noſtra* ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον 1 Petr. 2. 24. vicariâ ſcilicet operâ *quod nos oportebat pati hoc ipſe pro nobis ſuſtinuit*, ut optimè *Theophylactus*. Hoc vult ἀνθύψυχον σῶμα, quod apud *Athanaſium*, & illud τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἀναδεξάμενον θάνατον εἰς ἑαυτὸν μεταθεὶς, ut apud *Euſebium* legimus. *Aſſumpſit*, *ſuſcepit*, *in ſe tranſtulit*, *commutationem dedit*. Hæc *Patrum* hâc de re olim *effata*, atque locorum iſtorum quæ Chriſtum *pro nobis mortuum* eſſe prædicant *interpretamenta*. Quod verò *Sociniani Pro nobis*, non

Arg. 1. Ut ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν *Rom. 9. 3. pro fratribus, id eſt eorum vice.*

non *vice noſtrâ*, ſed *bono noſtro* intelligi vellent, nunquam à *Grammaticis* obtinebunt, nunquam cum de perpeſſionibus agitur, nunquam quando pro ſcelerato aliquis pati dicitur, vel in totâ Scripturâ, vel communi loquendi more invenient.

Arg. 4. Secundò. Hoc idem probant loca ea, quæ Chriſtum peccata populi ſui ἱλάσκεσθαι vel *expiare* dicunt. Hebr. 2. 17. ipſumque ἱλασμόν 1 Joh. 2. 2. 4. 10. atque ἱλαστήριον Rom. 3. 25. hoc eſt, *Propitiationem* & *Propitiatorium* vocant; quo item nomine inſignitur *operculum illud Arcæ Fœderis ſuperimpoſitum* Heb. 9. 5. ſcilicet, ut *operculum* illud à nobis *fractas Legis illas Tabulas*, ſic & ille *peccata* noſtra à conſpectu Dei quaſi *obtexit*, atque ità *iram* ejus in *nos* meritiſſimè accenſam, dum eam ipſe *pertulit*, *pacavit*, adeòque *Sacrificium peccatorum verè & propriè expiatorium fuit.*

Deum neque Chriſto iraſci unquam potuiſſe, utpote Filio ſuo, ut unicè ſemper dilecto, ità præſertim cum ad mortem uſque obediens fuit, dilectiſſimo.

Neque verò nobis etiam in Chriſto ab æterno electis.

Quibus inſuper antecedaneum, illumque ſummum erga nos amorem eo oſtendiſſe ajunt, quod Filium ſuum dilectiſſimum ut tot & tanta pro nobis ageret & pateretur miſit.

Adeòque Chriſtum non *nobis Deum*, ſed *nos Deo* reconciliâſſe, Deumque non *propitium reddidiſſe*, ſed tantum *monſtrâſſe* volunt. En *cor Zenodoti*, en *jecur Cratetis*, en *Theologiam* puram putam putidam *Socinianam*. Cui quæ reponimus hæc ſunt

1. Ἱλάσκεσθαι non *propitium oſtendere*, ſed *reddere* ſignificat; ut in lege Moſaicâ, cum Sacerdos Sacrificio oblato aliquem ἱλάσκεσθαι dicitur, non *ſontem priùs à reatu liberatum* fuiſſe *oſtendebat*, ſed eo ritè peracto eum *liberavit*, qui *aliàs reus manſiſſet*. *Oſtendit* quidem *Deus ſuperabundantes divitias gratiæ ſuæ erga nos in Chriſto*, prout loquitur Apoſtolus Epheſ. 2. 7. At in hoc præcipuè quod dilectum Filium ſuum tanta pati voluit, ut ἱλαστικῷ illo *ſui Sacrificio Deum nobis propitium redderet.*

2. Φιλανθρωπία illa, quâ Jeſum Chriſtum ad nos ſalvandos miſit, *amor benevolentiæ* fuit, quæ cum *actuali irâ* ſimul conſiſtere poteſt, ut ipſe Deus Jobi 42. verſibus 7, 8, apertè indicat. Quod verò ad *amorem complacentiæ* attinet, eum *placabilem*, non *actu placatum* oſtendit.

3. Quod ad *Chriſtum* ſpectat, utrùm *Socino*, an *Paulo* potiùs fides habenda eſt? qui eum pro nobis κατάραν *maledictionem factum eſſe* Gal. 3. 13. clarè pronuntiat; at *maledictio iram* clamat. Agnoſcimus quidem Deum *nobis* propriiſſimè *iratum* fuiſſe quod ad iræ *affectum* attinet (ſi ità de Deo loqui liceat) at *effecta* iræ hujus in *Chriſtum Sponſorem* noſtrum Deum, ut *juſtum Judicem* impegiſſe, quod ex illo λυπεῖσθαι, ἀδημονεῖν, ἐκθαμβεῖσθαι, *ſudore ſanguineo*, *Angelo eum corroborante*, & mæſtiſſimâ illâ voce *Deus mi, Deus mi, ut quid me dereliquiſti* in cruce editâ plus ſatis conſtat. Id verò eſt quod certò credimus & ſeriò contendimus, quod in rem noſtram ſufficit, quodque nil impedit, quò minus *eo ipſo momento quo* hæc pertulit, imò *ideò quòd* ea ità *obedienter* pertulit, ut pater amantiſſimus, eum pro filio dilectiſſimo haberet.

4. Quod ad *nos*, *Electos* licet, *naturâ* tamen *filios iræ* fuiſſe Apoſtolus Eph. 2. 3. exertè dicit. Sunt (fateor) aliqui, qui illud *filios iræ* per Hebraiſmum

per

per *irâ dignos* exponi volunt. At ſic etiam jam *actu fideles*, ut aliquando filii ſub irâ ſunt, ità utpote, cum ſemper dum hîc vivunt, peccatores ſunt, ſemper *irâ digni* ſunt. At *filii iræ* ex ſenſu Apoſtoli ii ſunt, qui in *ſtatu iræ manent*; à quo ſtatu jam actu fideles tranſlatos eſſe eſt id quod Apoſtolus ibi ex propoſito aſtruit.

Neque verò quod *Electi* ſunt magis impedit quò minùs quamdiu irregeniti ſunt, *filii iræ* ſint, quàm quod Judæi, *quoad Evangelium propter nos inimici ſint, qui propter Patres quoad Electionem dilecti ſunt* Rom. 11. 28. vel quòd *Rex* aliquis ut *Pater Filium* rebellem quatenus *Filius* eſt amare poterit, quem tamen ut *juſtus Judex*, donec ei veniam indulſerit, quatenus *reus eſt*, *irâ proſequitur*.

Ad ultimum illud quod de *Reconciliatione* dictum eſt, *nos Deo*, non *Deum nobis* reconciliari, dicimus *Reconciliationem* hanc *mutuam eſſe*, neque minùs Deum *iram ſuam* quam *nos inimicitias noſtras* deponere, quod vel communi loquendi more conſtare poterit, in quo quum *Prodigum Patri*, *Abſolonum Davidi reconciliari* dicimus, *Patrem* etiam *Prodigo*, *Davidem*, *Abſolomo reconciliatum* intelligimus. Hac inprimis facit quod Apoſtolus *Reconciliationem* per *liberum ad Deum aditum* definit Epheſ. 2. 16, 17, 18. At hoc *Dei* magis *favorem* quàm *noſtrum* indicat. Quid quòd 2 Cor. 5. 19. *Deus* dicitur *mundum ſibi reconciliâſſe non imputando eis peccata eorum*, prout δικαιωθῆναι & καταλλαγῆναι Rom. 5. idem ſonant. At juſtificatio, & peccatorum remiſſio Dei propriè ſunt. Ipſe itaque reconciliatur, & *propitius redditur*, quod totum cum *per Chriſti mortem* ſit, neceſſe eſt ut ipſe ſit *peccatorum Sacrificium expiatorium*.

Argumentum tertium ex iis locis deſumptum eſt, quæ *Jeſum Chriſtum*, ejuſque *ſanguinem* τιμὴν *pretium* 1 Cor. 6, 20. 7. 23. λύτρον Matth. 20. 28. ἀντίλυτρον 1 Tim. 2. 6. vocant, nosque ἀγορασθῆναι 1 Cor. 6. 20. λυτρωθῆναι, 1 Pet. 1. 18. *emptos*, *redemptos* prædicant. Quibus illa gemina ſunt ὁ μέλλων λυτροῦσθαι Luc. 24. 21. ἐποίησε λύτρωσιν Luc 1. 68. εἰς ἀπολύτρωσιν περιποιήσεως Epheſ. 1. 14. & hujuſmodi alia. *Argum. 3.*

Quæ *Socinum* adeò urgent ut eò tandem confugiat, ut dicat vocem *Redemptionis* impropriè ſumi in hoc negotio. Euge bone vir, pie admodum! adeo ut ex hâc tuâ ſententiâ & *Redemptio impropria*, & *Chriſtus* impropriè *Redemptor* erit. Errâſti probè. At quid demùm per hanc *Redemptionem* impropriè *dictam* intelligis? *Liberationem* nempe *nullo intervenientc pretio* vel *ſatisfactione* nudam & ſimplicem, qualis Redemptio fuit *Abrahami* Iſa. 29. 22. *Davipis* Pſal. 31. 6. *Iſraelis ab Ægypto* Exod. 15. 13. *Fidelium à Diabolo* Heb. 2. 15. *ab iniquitate* Tit 2. 14. *à vanâ converſatione* 1 Pet. 1. 18. *à Legis maledictione* Gal. 3. 13. quibus tamen omnibus non *ſatisfit*, neque ſolutum aliquod *Redemptionis pretium*. Ὀρύδμος *Iſa. 59. 20. Rom. 11. 26.*

Reſpondeo

Non *Satanæ* quidem utpotè *Ergaſtulario*, ſed interim *Domino*. [a] *Luc. 21. 28.*

Non *iniquitati*, *vanæ converſationi*, *Legis maledictioni*; ſed tamen, ut ab his omnibus liberaremur, *Deo Judici*. *Rom 8. 23. Heb. 11. 23.* [b] *Exod 6. 6. Pſal. 25. 22. 26. 11. 44. 26. 49. 7. 15. 72. 14. 130. 8.*

Fatemur etiam *Redemptionem* apud *Latinos*, [a] ἀπολύτρωσιν apud *Græcos*, ut & נצל & פרה [b] apud *Hebræos* pro *ſimplici liberatione* ſæpiùs uſurpari, quo redemptionis genere *Iſraelem*, *Abrahamum*, *Jacobum*, *Davidem*, reliquos

quos cum ex anguſtiis liberati erant, *redemptos* agnoſcimus: cum verò *pretio* aliquo fieri dicitur, tum *Redemptionem propriè dictam* intelligi contendimus, v. g. etſi verbum פָּדָה abſolutè poſitum in veteri Inſtrumento ſæpiùs nil niſi ſimplicem liberationem denotet, ubi verò aliquid tale additur, ut Exod. 13. 13. תִּפְדֶּה בְשֶׂה *agno redimes*, ſemper ἀντίλυτρον & ἀντάλλαγμα aliquod connotat, & *proprii nominis Redemptionem* ſignificat. At verò hîc ità ſe res habet, cum de noſtrâ per *Chriſtum* Redemptione agitur ἠγοράσθητε τιμῆς 1 Cor. 6. 20. ἐλυτρώθητε τιμίῳ ἅιματι 1 Pet. 1. 18, 19. ἔχομεν ἀπολύτρωσιν διὰ ἅιματος αὐτοῦ Epheſ. 1. 7. ἐκκλησίαν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου ἅιματος Act. 20. 28. & ejusmodi alia plurima, quæ non ſimplicem liberationem, ſed *Redemptionem propriè dictam* exprimunt, *ſoluto* nimirum *pretio eoque vim pretii habente, eamque exerente.* Qui enim *per modum pretii* aliquem *liberat*, ille eum *propriè redimit.* Hoc ipſum fecit *Chriſtus per mortem*, atque ideò fuit *ſacrificium propriè expiatorium.*

Argum. 4. Ultimum argumentorum agmen claudunt loca illa quæ in Redemptione noſtrâ *per Chriſtum Divinæ juſtitiæ ſatisfactum* eſſe dicunt. Hic verò quæſtionis apex & cardo eſt, hoc πρῶτον ζητούμενον in iſthâc inter *Orthodoxos* & *Socinianos* infœliciſſimè & motâ & agitatâ controverſiâ. *Sacrificium* enim ità *ſuo ſenſu expiatorium* agnoſcunt, ut interim *Divinæ juſtitiæ* eo pro nobis *ſatisfactum eſſe* pernegent.

Hic verò duo monemus,

1. Vocem hanc *Satisfactionis*, cum *latina* ſit, in Sacrâ quidem paginâ αὐτολεξεὶ non occurrere, neque eſt quod hâc de re, uti ſolent, glorientur *Sociniani*, ſi quod ei æquivalet ibi appareat.

2. Neque me hîc litem movere velle de *Satisfactione* quæ *de rigore juſtitiæ dici ſolet*, quam quinque conditionibus circumſcribunt, deque eâ mirè litigant recentiores aliqui *Scholaſtici.* Satis ſit ſi duo illa τὸ ἱκανὸν πιεῖν Marci 15. 15. & τὸ ἱκανὸν λαβεῖν Act. 17. 9. hic conveniant. Si nempe *Deus ſatis accipiat*, & *Chriſtus ſatis dederit* ut *Deo verè, propriè, & perfectè ſatisfaciat*, vel ut *Vaſquez* habet, ſi *ſatisfactio hæc æqualis ſit, & perfectè condigna apud Deum tantâ Redemptione, neque ullâ indiguit ipſius Dei condonatione. Talem* verò in Juſtificatione & Redemptione noſtrâ *Satisfactionem per Chriſtum factam* certò & conſtanter ſemper credidit *Orthodoxa Eccleſia.* Hinc eſt quòd *Auguſtinus Chriſtum peccatorum noſtrorum pœnas ſubiiſſe & ſolviſſe* ſæpiùs dixerit. At *hoc* eſt quo *Juſtitiæ vindicativæ ſatisfit.*

In Thom. part. 3. q. 1. art. 2.

Lib. de Eſau. Quò etiam illud *Ambroſii* ſpectat, *Suſcepit mortem ut impleretur ſententia.*

Epiſt. 190. Apertiſſimè *Bernardus* cum inſurgit contra *Abailardum primum* ferè illum *Satisfactionis Chriſti impugnatorem, ut ſatisfactio unius omnibus imputetur*, piè admodum & orthodoxè, vocibus illis duabus *ſatisfactionis* & *imputationis* rem totam complexus; ex quâ tota noſtra pendet & ſalus & conſolatio. Sed nolo plura *Eccleſiæ teſtimonia*, cum illud unicum *Sacræ Scripturæ* ſufficiat Rom. 3. 25, 26. *Quem propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, ut ſit ipſe juſtus & juſtificans ipſum qui eſt ex fide Jeſu.* Ut cum vel ex Divinæ naturæ juſtitiâ, vel ex hypotheſi decreti pœna peccata noſtra neceſſariò maneret, quam tamen ſine æterno interitu non eramus ſolvendo, Deus ſaluberrimum iſtud *miſericordiæ*

& ju-

& juſtitiæ temperamentum invênit, quò *juſtitia & pax mutuò oſculentur* Pſal. 85. 12. & miſericordiæ ſuæ litaret, nec minùs juſtitiæ ſuæ plenè ſatisfaceret, dum *nobis* gratuitò *totum condonaret debitum*, *ſponſor* verò *noſter ultimum qnadrantem perſolveret*. Sapientiſſimas iſtas Divinorum conſiliorum methodos Socinus blaſphemo ore *ambages* vocare audet, *ſine quibus peccata noſtra ſemel remittere poterat*. Cui vellem ut *Paulus* aliquis *intentis in eum oculis*, ut olim in *Elymam reſponderet*: O! *plene omni dolo & fallaciâ, non ceſſas pervertere vias Domini rectas*? ut apud te *ambages* audiant, quæ ad *ſalutem noſtram*, atque ad *juſtitiæ* ſimul & *miſericordiæ Divinæ patefactionem rectâ* ducunt. Non adeò quidem mirum eſt, dum illi *Chriſtum* noſtrum *verum æternum Deum* eſſe negant, quòd utrùm *infinitæ Dei juſtitiæ plenè ſatisfacere* poſſit, ambigunt. At nobis, cum de fide ſit eum *æternum Deum eſſe*, quidni eâdem fide credamus eum *infinitam Dei iram infractum ſubiiſſe, ejuſque infinitæ juſtitiæ ſatisfeciſſe*, adeòque *peccata noſtra omnia expiâſſe*, *Chriſtum* ſcilicet *per mortem fuiſſe Sacrificium propriè expiatorium peccatorum*. Quæ *prima Theſis* fuit.

Secunda ſequitur,

Obedientia Chriſti non tollit obedientiam Chriſtianam.

ATque hoc admodum opportunè. Cum enim priorem illam de peccatorum noſtrorum per Chriſti mortem *expiatione Adverſarii* ut *aliàs fallacem* & *erroneam* clamitant, ità *hoc nomine perniciosam* mentiuntur, quòd (ut *Racovienſium* utar verbis) *hominibus feneſtram ad peccandi licentiam aperiat*, *aut certè ad ſocordiam in pietate colendâ eos invitet*, oppidò quàm prudenter *doctiſſimus Reſpondens* hanc *ſecundam Theſin* priori illi ſubnexuit, ut Orthodoxæ fidei noſtræ ſententiam pleniùs & clariùs expromeret. Hæc eſto. Obedientia & gratia Chriſti, quæ in primâ quæſtione *tollit reatum*, in ſecundâ *non tollit obedientiam*. Illa contra *Socinianos* dimicavit, hæc in *Antinomos*. Cumque hi duorum ferè generum ſint,

Vel *nudi Antinomi*, qui obedientiam *Chriſtianam* & *Evangelicam* (ſcriptis ſaltem ſuis) *efflagitant* & *veteritantùm Legi* (utpotè ſecundùm eos nunc abolitæ) *obedientiam abrogant*.

Vel alii *Epicuri de grege porci*, novi noſtri *Catagnoſti*, *Gnoſtici Libertini*, qui nil præter peccati conſcientiam peccatum eſſe exiſtimant, atque ideò *omnem omnino cuilibet Legi* (niſi Lex carnis fuerit) *obedientiam* tam *doctrinâ* quàm *praxi adimunt*.

Contra *utrosque* militat; dum *Chriſti obedientiam Chriſtianam obedientiam tollere pernegat*

Per *Chriſti obedientiam*, tum *paſſivam* quam dicunt, intelligit, quâ pœnas peccatis noſtris debitas pertulit, eâque nos ab inferno liberavit; tum *activam*, quâ plenam Legi obedientiam præſtitit, atque inde nobis ad cœleſtem hæreditatem jus plenarium acquiſivit.

Per *obedientiam Chriſtianam* totam illam Legi morali debitam, & Chriſto & Chriſtiano quolibet dignam.

Illa *Chriſti* hanc *Chriſtianam*

Tollit,

1. Quoad *conditionem formalem novi fœderis*, ut ex eâ juſtificemur.
2. Quoad *meritum æternæ vitæ*, ut inde ſalvemur.

Non tollit

1. *Ut debitum creaturæ* ob creationis donum.
2. Ut *gratitudinis Officium* ob redemptionem gratuitò indultam.

Quod ad *Antinomos* illos ſpectat nobilis ſanè & explicatu ſatis difficilis nos inter atque eos agitatur controverſia, *utrum*, ſcilicet *Lex moralis obliget fideles ſub Evangelio* an omninò, vel quouſque, quo jure, quo ſenſu obligat. Quoniam verò hâc de re in Scholis publicis fuſiùs aliquando egimus, non eſt quòd in præſentiarum actum agamus, ideòque hâc provinciâ conſultò cedimus.

Quod verò ad *Libertinos* hoſce *Maſtigias* attinet, indignos quidem eſſe cenſeo, quibuſcum, hîc ſaltem, manus conſererem. Vobis inprimis auribus, naribus veſtris indignum foret, ut in horum ſordibus & ſtercoribus proterendis tempus contererem. Hi ſiquidem ut ad meliorem frugem redeant, cum ἀυτοκατάκριτοι ſint, *fuſtibus* potiùs coercendi ſunt quàm *argumentis*, vel potiùs *pro concione ſale perfricandi*, quàm *refutandi* è *Cathedrâ*. Tantum reſtat, ut argumentorum capita proponam, & breviſſimè concludam omnia.

1. Sacra Scriptura hoc altiùs clamat. *Illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & juſtè & piè vivamus in præſenti ſæculo* Tit. 2. 11, 12.

2. Contrarium *Antinomorum* commentum horret & deteſtatur. Μὴ νομίζετε, Math. 5. 17. μὴ γένοιτο Rom. 6. 1, 2. ὧν τὸ κρῖμα ἔνδικόν ἐστι, Rom. 3. 8.

3. Chriſtum, ejuſque obedientiam nobis in exemplum proponit. Matth. 11. 29.

4. Hoc cum *Apoſtolicâ docendi methodo* omninò convenit, prout in pleriſque *Pauli Epiſtolis* videre eſt, in quibus poſtquam in prioribus earum capitibus obedientiam & gratiam Chriſti, ex eâque gratuitam Chriſtianorum juſtificationem ſtrenuè aſſeruiſſet, in poſterioribus vitæ ſanctitatem atque obedientiam noſtram, eo nomine vehementius efflagitat.

5. Hujus obedientiæ officia plurima de *lege naturæ* ſunt. At Gratia Naturam non deſtruit, *ſed perficit*, adeò ut qui obedientiæ huic derogant, non ſolùm *gratiæ Chriſti*, ſed & *ipſi naturæ* nuncium remiſerunt, quod horrendo ſupremi Numinis judicio iſtis vel hominum propudiis accidere quotidiè non ſine ſtupore & horrore cernimus, nimirum quòd unà cum *Chriſtianâ obedientiâ ipſam* etiam *humanitatem exuant*.

6. Conſtat hoc denique ex individuo fidei & bonorum operum nexu Jacobi 2. Fides ſiquidem, ſi *vera eſt, viva eſt, cor purificat, & per charitatem operatur. Fides Chriſti*, atque ideò *obedientia Chriſti* nunquam *tollit obedientiam Chriſtianam*.

Act. 15. 9. Gal. 5. 6.

Non tollit, imò *impenſius urget*.

1. Ut *Cauſa moralis* vehementer ſuadendo, & argumenta nova, & hanc in rem longè efficaciſſima ſubminiſtrando 2 Cor. 7. 1.

2. Ut *Cauſa exemplaris* ὑπόδειγμα omnium accuratiſſimum, quod imitemur, proponendo Heb. 12. 1, 2. 1 Pet. 2. 21.

3. Ut *Cauſa meritoria*, Spiritum Sanctum, impetrando.

4. Quo

4. Quo denique tanquam *Cauſâ Phyſicâ* & *velle & perficere operando* Phil. 2. 13. Per gratiam Chriſti ut Deo obediamus efficit, neque id invitò, ſed promptiſſimo voluntatis impetu & maximâ *animi complacentiâ* Rom. 7. 22.

In *omni* itaque *cauſarum genere provehit*, in *nullo tollit obedientiam Chriſtianam.*

Sed ludit operam, qui eam in re non neceſſariâ collocat: quod ille facit, qui id operoſius probat, quod nemo cordatus negaverit. Ne itaque & temporis ſimul & humaniſſimæ patientiæ veſtræ nimiam jacturam facerem, utramque quæſtionem unico *S. Auguſtini* teſtimonio complectar, & ultrà moleſtus eſſe deſinam. Sic ille verò *Serm.* 8. *de Tempore. Duplex principaliter cauſa eſt, ob quam Dei Filius factus ſit Filius hominis, prima eſt ut ſecundum hominem omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim Eſaias Propheta prædixerat, hic peccata noſtra portavit* (quæ *prima Theſis* fuit) *Altera verò cauſa eſt Dominicæ paſſionis ut nos, quos ſanguine ſuo redemit à vitiis atque criminibus non ſolùm doctrinæ auxilio & gratiæ, ſed etiam exemplo ſuo ad ſtudium ſanctitatis accenderet.* (quæ *ſecunda quæſtio* eſt.) Atque ità utramque ex *Sancti Auguſtini ſententiâ*, vel potiùs *ſanctiſſimarum Scripturarum authoritate* (ringantur licèt Sociniani & Antinomi) concludo veriſſimam eſſe, & Verbo Dei conſentaneam.

Quod reliquum eſt, Domino Deo noſtro gratias quas poſſumus maximas, quas debemus æternas agimus, quòd Jeſum Chriſtum in *victimam expiatoriam nobis* dederit, nos verò in *hoſtiam vivam ſibi* conſecrârit.

Faxit idem miſericors Pater, ut cum Filius ejus unicus ad *mortem uſque obediens* factus ſit in peccatorum noſtrorum expiationem, & nos, ſervi ejus omnes ad hoc itidem anhelemus in gratiſſimi animi teſtimonium.

Benedicat inſuper Eccleſiæ ſuæ Catholicæ, præſertim huic noſtræ Brittannicæ & Hibernicæ. *Senatores* noſtros erudiat. *Copias militares* terrâ marique protegat. *Evangelii Miniſtris*, quò magis ingratiſſimo huic ſæculo inviſi ſunt, eò ampliùs ſinum pandat, *Paſtores* foveat, *Lupos* abigat. *Academias privilegiis, reditibus*, utcunque *pietate* & *literis* augeat ornetque. Populum denique ità beet univerſum ut ſopitis tandem bellis, flagitiis verò atque hæreſibus (immane quantum hodie ubique graſſantibus) in æternum fugatis; apud nos, poſteroſque noſtros perrennet pax, vigeat pietas, obtineat veritas, regnet Chriſtus, qui ſolus & *pax noſtra*, & *veritas* & *vita* eſt, Cui unà cum Patre & Spiritu ſancto ſit omnis honor, laus, & gratiarum actio & nunc & in ſæcula. Amen.

CONCIO AD CLERUM

pro Gradu Baccalaureatûs in S. Theologiâ,
in Anno Domini MDCXXVII. *ſuſcepto.*
Habita in Templo B. Mariæ quod eſt Cantabrigiæ.

ORATIO.

OMnipotens & æterne Deus, tu qui ſolus in *Sublimi* & *Sancto habitas*, atque interim *teipſum demittis, ut videas quæ in cœlis ſunt, quæque in terrâ* omnia; Digneris, quæſumus, nos maximè omnium indignos benigniore vultûs tui lumine reſpicere, quos imprimis pudet peccatrices haſce noſtras manus ad ſummam tuam pariterque ſanctiſſimam Majeſtatem attollere. Minores nos equidem ſumus omnibus tuis beneficiis, vel minimis indigni, qui quod naturæ rectè habuimus fœdè deturpavimus, quod gratiæ penitùs amiſimus; quæcunque verò ad priſtinam illam noſtrî denuó inſtaurandam beatitudinem humaniſſima tua erga nos Philanthropia indulſerat auxilia, non tam perditè prodegimus quàm pertinaciter repulimus, non minori Sanctiſſimi nominis tui contumeliâ, quàm funeſtiſſimo (ſi modò accuratiùs nobiſcum rationes ſubduxeris) animarum noſtrarum diſpendio. *Deficit* utique *caro noſtra & cor noſtrum*, quodque nos ſpectat, deplorata planè eſt ſalus omnium. At ex tuâ demùm miſericordiâ (Benigniſſime Pater) comparatum eſt, ut *ubi abundavit peccatum, ibi ſuperabundaret gratia*: Hanc ſolam nos peccatorum omnium miſerrimi veneramur gratiam; illam unicè atque humillimè imploramus miſericordiam: unius Chriſti ſanguinem languentes ſitimus, ſolius Spiritûs tui ſalutarem efficaciam, quorum illo peccatorum noſtrorum omnium *reatus*, hoc verò eorundem *ſordes* tollantur penitùs atque diluantur. Indulgeat Benigniſſimus Pater delinquentibus pœnitentiam, ut pœnitentibus indulgeat veniam: Concedas fidei robur & victoriam; ſpem verò malis omnibus quæcunque nobis obventura ſunt majorem: charitatis denique in hoc ſæculo fœlix augmentum donec in futuro univerſæ gratiæ tuæ, adeoque ſempiternæ fœlicitatis noſtræ ſummum faſtigium aſſequamur per Jeſum Chriſtum unicum noſtrum Salvatorem.

In cujus porrò nomine pietati tuæ atque clientelæ commendamus *Eccleſiam* tuam, utcunque tibi chariſſimam; miſerè tamen hodiè ab Antichriſti Satellitibus vexatam & extrema quæque metuentem. *Quousque Domine Deus exercituum*, quouſque tandem incaſſum invocabit nomen tuum populus tuus? Quouſque *nomen tuum hoſtis* impunè *contumeliâ afficiet*? Exſurgas jam tandem

dem quæſumus, populoque tuo tantùm non animum deſponden ti maturè ſuccurras: obliga (miſericors Pater) cruentata Eccleſiæ tuæ vulnera; lachrymasque omnes, quæ Sponſæ tuæ pulchritudinem in tantum fœdârunt, citiùs abſterge, ut priſtinus tandem ejus ſplendor redeat, adeòque malevolorum omnium oculos perſtringat, ad quem invidi licèt at infœlices ſemper obſtupeſcant.

Præ reliquis imprimis tibi curæ ſit, quæ etiamnum in deliciis eſt Eccleſia hæc noſtra *Britannica* & *Hibernica*, ut quæ ſcilicet quod ad reliqua ſpectat ſemper clara fuit, quod verò ad ſinceriorem veritatis tuæ profeſſionem longè omnium celeberrima, nunquam peccatis noſtris apud exteros malè audiat, nedum pœnis à te irrogatis poſteris riſui ſiet & ludibrio.

Potiſſimum verò benedicas ſervo tuo *Regi* noſtro *Auguſtiſſimo Carolo Fidei Defenſori*, atque *in omnibus cauſis ſupra omnes perſonas intra Ditiones ſuas tibi proximo. Sereniſſimæ* item *Reginæ Mariæ*, nec non illuſtriſſimo *Frederico* Comiti *Palatino*, unà cum præcellentiſſimâ *Dominâ* noſtrâ *Elizabethâ*, totâque *proſapiâ Regiâ*. Honoratiſſimis inſuper *Regni Conſiliariis*, *Proceribus*, *Archiepiſcopis*, *Epiſcopis*, reliquiſque verbi Tui atque Sacramentorum *Miniſtris*. *Prophetarum* verò *Scholas* devotione quantum poſſumus maximâ tibi commendamus; Florentiſſimas imprimis *Academias*, *Cantabrigienſem* hanc noſtram, *Oxonienſem* alteram: Utriuſque Magiſtratus; Honoratiſſimum imprimis noſtrum *Cancellarium*, Digniſſimum *Procancellarium*, Doctiſſimos *Profeſſores*, Dominos *Procuratores*, *Taxatores*, reliquoſque Officiarios; ſingula item Collegia, nominatim prout officii mei ratio poſtulat, noſtrum *Emmanuelenſe*, Reverendum ejuſdem Præfectum, Socios, Scholares, reliquoſque omnes cum pietate tum bonarum literarum ibidem Studioſos. Quod reliquum eſt, nobis ipſis in Nomine Tuo huc coactis adeſſe atque præeſſe digneris, ut qui ſine Te nihil poſſumus, Tuis demùm auſpiciis & vera dicere & recta facere, adeòque æterna tandem conſequi valeamus per Jeſum Chriſtum Dominum & Salvatorem noſtrum.

PAter noſter, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen Tuum. Adveniat Regnum Tuum. Fiat Voluntas Tua, ſicut in cœlo, ità etiam in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia Tuum eſt Regnum, & Potentia, & Gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Venerandi

Venerandi Patres, Fratreſque in Chriſto chariſſimi,

Scribitur 1. *ad Corinthios Capite* 4. *verſu* 4.

In nullo enim mihi conſcius ſum, ſed non per hoc juſtificatus ſum: Dominus autem eſt qui me dijudicat.

Fœlices tum demum *artes* futuras dixit Philoſophus cum de iis *ſoli artifices judicium fecerint.* Quàm verò hoc ipſo nomine ſemper *infœlices* fuerint, celebre illud *Anacharſis* adagium ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνίται κρίνονται δ' οἱ μὴ τεχνίται plus ſatis teſtatum reddit. At hoc forſan *Græcorum* ingenium fuit: Apud *Chriſtianos* longè alia paſtorum & populorum ſuorum ſperanda eſt ratio; inter quos (ſiquæ *Chryſoſtomo* fides) ὅσον μεταξὺ τῶν ἀλόγων τῶν λογικῶν ἀνθρώπων &c. quanta ſcilicet aliàs tanta etiam in *ovili Chriſti*, non minùs *Paſtorum* eminentia & cura, quàm *ovium* humilima cum audiendi tum obtemperandi fœlicitas & obſervantia: atque utinam in Eccleſiâ ſemper obtinuiſſet viguiſſet pulcherrimum iſtud *ordinis* hujus *decus*, & *ſimplex morum innocentia.* Taceo enim hâc in re *noſtrorum*, maximè omnium, *proterviam. Priſcis* enim illis atque antiquæ *fidei* & *modeſtiæ* temporibus *Paulum* ipſum *magnum illum regendi artificem* (ut *Gregorius* eum vocat) hoc ipſo in Capite conquerentem accipimus ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ, ſe nimirum & Apoſtolos reliquos ad unum omnes ὡς ἐπιθανατίους ut loquitur, quaſi *piaculares* homines *in circa poſitos:* ubi illi quidem egregia adeòque planè Divina prudentiæ, fortitudinis, patientiæ ſpecimina præbuerunt [dum adverſus ἀπόπτους illos homines dicam an belluas potius immaniſſimas *arma militiæ ſuæ* ſtrenuè contorquent, atque ὀχυρώματα & ὑψώματα illa, *cogitationemque omnem ad obediendum Chriſto* quaſi *in captivitatem rediguntur.*] At plurimi interim non tam imperiti quàm faſtuoſi & malevoli, tanquam *ſpectatores* vel *Agonothetæ* potiùs *in theatro* ſedebant, ut quos ipſis ſcilicet viſum fuerit vel attollerent vel deprimerent, aliqui (ut hodiè *Pontificii*) à *Petro* ſtabant propter primariam (quæ videbatur) *autoritatem:* aliis verò *Apollo*, præpotens illa & verè *maſcula* arriſit magis *eloquentia*: aliquibus autem, licèt paucioribus forſan, iisque *parùm emunctæ naris* non omninò diſplicuit *Pauli* noſtri *rotunda* illa (ut aliqui eam vocare ſolent) quà inprimis præcellebat *docendi ſimplicitas. Sed turba hæc execrabilis eſt*, ut quondam *Phariſæi*; Si quid Ἀτθικῶτεροι illi de ipſo ſentiebant quæras, *Athenienſes* σπερμολόγον, *Feſtus* verò *prorſus inſanum* vocat. *Corinthii* denique qui non minus ſapientiæ quàm rerum externarum ſplendore gloriabantur, illud in ore jugiter habuerunt ἡ παρουσία τοῦ σώματος ἀσθενὴς καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος (2dâ ad Corinth. 10. 10.) *Grandiores* hi ſcilicet *Paulum* (quem *Nicephorus corpore parvo & incurvo* deſcripſerat, Chryſoſtomus quò *tricubitalem* vocaverat) quaſi ex alto deſpiciebant: neque parùm delicatulis illis nauſeam commovebat minùs quidem ornata, at ſincera magis docendi ſimplicitas. Hæc utique ſors noſtra eſt (Compresbyteri) ut quos Deus hîc *ſui Legatos*, atque in noviſſimo & tremendo illo die *mundi Judices* efficiet, hos perverſa hominem ingenia, aliquoties imprudentium ſæpiſſimè malevolorum examini, cenſuræ, tantum non condemnationi iniquiſſimæ

τὸ μὲν εἶναι σῶμα βραχὺ ἦν. *Chryſoſt. Tom.* 6. *orat.* 13. *p.* 153.

quiſſimæ ſubjiciant; adeò ut ſi minùs Ἀρχαιμένα in cœlis, in nobismet ipſis pacatius *conſcientiæ noſtræ teſtimonium* haberemus, actum planè eſſet ſimul & de *pace Sacerdotii* & de *ſalute Eccleſiæ*. Dum verò S. *Stephanus* illum *ad dextram Dei adſtantem* videret, *lapides* qui in eum conjiciebantur (ut *Jacob* prius) pro *cervicali* habuit, ſuper quòd placidè (ut dicitur) *obdormivit*. Dum *Paulus* etiam hanc ſibi atteſtantem habeat, *populus ſibilet* licèt ſeque ſuosque omnes tanquam mundi περικαθάρματα omniumque περίψημα foràs abjiciunt; at *ſibi ipſi domi plaudit*, dum gratulatur ſibi fœlicitatem propriam, eorumque ridet vel deflet potiùs inſcitiam: *Mihi enim pro minimo eſt quòd à vobis dijudicer, aut ab humano judicio* (verſ. 3.) *in nullo enim mihi conſcius ſum. Dominus autem eſt qui me dijudicat.*

Quæ quidem verba ſi modò *meretricis Babylonicæ* perſpicillis intueri velis, jurares planè quod priùs nè ſomniare poteras, *Paulum* ſcilicet, quem hactenus *Orthodoxæ* noſtræ *fidei* tanquam *Divum Tutelarem* habuimus totum jam evaſiſſe *Pontificium*. Prima enim illa verba, *Nullius mihi ſum conſcius*, ipſis ſaltem, nihil aliud ſonant, niſi *perfectam* illam de quâ adeò gloriari ſolent *juſtitiam*; cum verò ſtatim ſubjungit, *At in hoc non juſtificatus ſum*, hinc demùm citra omnem controverſiam ſtabiliri clamitant *inſtabilem* ſuam atque animi pendulam *de ſalute* ſententiam. At cautiùs velim *Sophiſtas* agant, neque putent *carnes crudas comedere*, qui *crudas emerint*. Nos enim ex poſteriori iſto fictam potiùs rerum ex *gratiâ inhærente juſtificationem* in fumum abire intelligimus; in priore verò *fideliter adminiſtrati officii conſcientiam*, non *omnimodam vitæ actionumque innocentiam* agnoſcimus.

Nunquid enim *Paule* adeò oblitus es priſtinæ, vel in tantum præſenti conditione elatus, ut *nullius* demùm *tibi ſis conſcius*? Nihilne Sancti *Stephani* indigna mors? nihil reliquis intentatæ ſtrages *conſcientiam* de quâ adeò gloriaris tranſverberant? *Minas & cædes adverſus diſcipulos Domini ſpirabas*, *Act. 9.* & tamen *nullius tibi conſcius es*? imò ἐμμαινόμενος *ipſos puniens ad* *Cap. 26.* *blaſphemandum coegiſti*, & *nullius tibi* interim *conſcius*? Enimverò tum Chriſti tuique neſcius, adeòque neque ſcelerum tuorum rectè tibi conſcius fuiſti. Quid eſt verò quod poſtquam *ſquamæ* illæ ab *oculis* tuis deciderint, teipſum ἁμαρτωλῶν πρῶτον τῶν Ἀποστόλων ἐλάχιστον imò πάντων τῶν ἁγίων ἐλαχιστότερον, *1 Tim. 1. 15.* *1 Cor. 15. 9.* ante converſionem ſcilicet *peccatorum maximum* poſt eam verò non ſolùm *Eph. 3. 8.* *Apoſtolorum*, verùm & *Sanctorum omnium minimorum minimum*, non magis *novo vocabulo* quàm *inauditâ* ferè *animi demiſſione* vocaveras. Imò, quod magis mirum, idem qui in poſteriore ad hos ipſos *Corinthios* Epiſtolâ οὐδέν *C. 12 v. 11.* εἰμι dixeras, hîc in priore οὐδὲν ἐμαυτῷ σύνοιδα confidenter aſſeris: qui *ſecundâ cogitatione*, eâque (ut videtur) *meliore nihil es*, eam nondum rationes ſubduxeras, hîc *nihil* tibi ipſi *conſcius*? *Chilonem* quidem *Lacedæmonium*, unum ex illo inclyto *Sapientum* numero, cum vicinâ morte laboraret, *unius* tantùm ſe *pœnituiſſe* refert *Gellius*; *Catonem* verò paulò quidem ſeveriorem, *trium*; & noſtrâ tandem memoriâ *Sapientum octavus*, tertius è cœlo cecidit *Cato, Bellarminum*, dico, qui (ſi modò *vera Legenda* illa fuerit) humanis tandem exceſſurus, cum *atrocioris* nihil *ſibi conſcius* fuiſſet, tantùm ſcilicet ut ſolennioris *abſolutionis* compos foret, *venialia* neſcio quæ & *nihili delicta*, non tam *confiteri*, quàm *excogitare* opus habuit. *Euge boni viri! curâſtis probè.* At quid demum de te, *Paule*, ſentiendum reſtat, qui quantum verâ ſancti-

tate, tantum etiam inſolentiore oſtentandi genere his omnibus anteire videris? Illi enim leviorum quidem, aliquorum tamen, ſeipſos *conſcios* non auſi fuerant diffiteri: Tu verò acſi ex te demùm *Adamum* peccâſſe (quod de *Bonaventurâ* dici ſolet) vel te potiùs *Adamo* prognatum fuiſſe minimè conſtaret, *nullius* penitus te *conſcium* eſſe auſus es aſſerere. *Alexandro* verò *Divinam* naturam jactitanti *humanam* prodidit *effuſus ſanguis*, atque impotens ad *Venerem* libidò: Quidni etiam *ſurculus carni* tuæ infixus, & præpotens illa nimis *membrorum lex* elatiores hoſce tibi *cothurnos* excutere, vel ſi minùs perfectionis tuæ opinionem minuere, cui penitus abrenuntiâſti (ad Philip. 3.] At ſaltem *Pontificiorum* ementitam hinc tui reliquorumque *perfectam juſtitiam* omninò profligare valeat: quæ quidem quàm inepta ſit, vel exinde conſtare poterit, quòd cum Apoſtolus noſter inſigne innocentiæ ſuæ teſtimonium ediderat, quaſique ex communi hominum ſorte ſeipſum eximeret in verbis prioribus *nullius* (ſcilicet mali) *mihi ſum conſcius*, acſi neque *boni* alicujus ſibi conſcius fuiſſet, ſtatim ad humilitatem & modeſtiam ſe componit in ſequentibus; *at in hoc non juſtificatus ſum; Dominus autem eſt qui me dijudicat*; acſi dixiſſet (*Baſilio* interprete) *multa pecco, quæ non intelligo*, vel ut optimè *Gregorius*, *Idcircò in eo quod nihil mihi conſcius ſum juſtificatum me abnego, quia ab eo qui me judicat examinari me ſubtiliùs ſcio: ſæpè enim* (ut idem ibidem loquitur) *ipſa juſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione judicis quòd in æſtimatione fulget operantis.* Adeò ut his ſaltem interpretibus Apoſtolus fateatur potiùs *delictorum* ſuorum *ignorantiam*, quàm *perfectionem juſtitiæ*, imò rectiſſimè in contrarium *Ambroſius*: *Delicti conſcius ſibi non erat, ſed quia homo erat peccatorum ſe fatebatur ſciens, unum eſſe Jeſum lumen verum, qui peccatum non fecit, & ipſum ſolum juſtificari, qui verè alienus fuit à lapſu.* Chriſtus utique Chriſtus inquam unicus ille fuit ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, nec *minùs*, imò *magis*, à *peccatis* quàm à *peccatoribus ſeparatus.* Ille unicus erat, in quo *cum Princeps mundi veniret, nihil prorſus habuit*: ille ſolus *aqua* illa illimis & verè *Chryſtallina*, quæ *conturbari* licèt at nunquam *inquinari* poterat, cujus etiam *imputata* nobis *juſtitia* licèt non minùs ſine *maculâ*, quàm *tunica* ipſius priùs ſine *futurâ* fuit, adeòque Sponſam ſuam hoc nomine *totam pulchram* atque *immaculatam* eſſe prædicat, *inhærentis* tamen *juſtitiæ byſſinâ* illâ *veſte* undiquaque purâ & ſplendidâ ipſam (nequaquam perfectè) indutam iri ſperamus, priusquam beatiſſimæ illæ *Agni nuptiæ* advenerint, quum demum Sponſam hanc ſuam (intemeratam virginem) *ſibi exhibiturus* eſt *glorioſam, non habentem maculam aut quicquam ejuſmodi.* *Mulier* itaque *ſcortatrix* eſt (*meretrix* ſcilicet *Babylonica*) quæ *comedit*, & *abſtergens os ſuum dicit*: *Non ſum operata iniquitatem*, ut habetur Prov. 30. Caſtiſſima enim *Chriſti Sponſa* ſe *nigram*, æquè ac *decoram* agnoſcit, quoad animi quidem integritatem immaculatam *in viâ*, quod verò ad Sanctitatis perfectionem attinet, non ſolùm *levioribus* illis (quas admittit *Suareſius*) *maculis*, aut *peccatorum venialium* tantùm pulvere aſperſam (ut *Coſterus* loqui amat) verùm aliquoties *majorem in modum* defædatam; ſemper verò in tantum ab eâ quæ *debitâ* eſt ſanctimoniâ deficientem, ut ſeipſam *immundam* atque univerſam ipſius *juſtitiam panno menſtruato* ſimilem eſſe, adeòque *peccatorum remiſſione*, potiùs quàm *perfectione virtutis conſiſtere* cum *Auguſtino* humilimè fateatur. *Videt enim unusquisque* (ut idem Auguſtinus) *vitam*

Moralium 5.

in Pſalmum 119.

Johan. 14.

Cantic. 4. 9.

Epheſ. 5. 27.

Pſal. 119. 1.

in Pſalmum 129.

propè

propè totam humanam circumlatrari peccatis ſuis, accuſari omnes conſcientias cogitationibus ſuis, vel ſi cui ex ſanctiori vitâ pacatior mens fuerit, ipſum tamen minimè lateat quòd idem ſibi in animâ, quod in domo ſuâ uſu venire ſoleat, quam licèt ſemel abſterſiſſe ſordeſque omnes expurgâſſe ſibi videatur, ſi tamen idem rurſus ſecundo, tertio, adeòque multoties effectum dederit *quæquiliarum* vel ſaltem *pulviſculi* aliquid ſemper erit reliqui quod uſque & uſque *corrodere*, atque expurgare poterit: *Ità quidem in veritate* (ut cum *Gennadio* loquar) *ſemper habet quod plangat, etſi non reprehenſione conſcientiæ, certè mobilitate & mutabilitate prævaricatricis naturæ, ſi inimicis ad ſui reliquorumque ſippientium hominum cenſuram, ſaltem ad tremendum omniſcientis Dei judicium.* Ut optimè ergo monet *Bernardus*, *Quod minus habet imperfectio converſationis, ſuppleat humilitas confeſſionis.* Quique noſtrûm omnium ſibi *optimè conſcius* fuerit, cum Apoſtolo noſtro lubens dicat: *Nullius mihi conſcius ſum, at in hoc non juſtificatus ſum, Dominus autem eſt qui me dijudicat.*

Atque in hunc modum profligatis adverſariorum offuciis apertiùs conſtat, quid ſibi velit Apoſtolus non *perfectam* (ut modò oſtendimus) vitæ atque obedientiæ univerſæ *juſtitiam* ſed in *officio fidem* & diligentiam, neque hanc forſân ita ad amuſſim omnia exequentem, ut nullâ prorſus *Dei* egeat indulgentiâ: at tantam interim, quæ neutiquam apud *homines* ritè inſimulari, nedum *humano*, minimè omnium *Corinthiorum* judicio (apud quos ἀκριβοτέρως ut loquitur poſterioris Epiſtolæ cap. primo v. 12. *accuratiſſimè* ſcilicet *vivendi rationem inſtituiſſet*) damnari poterat.

Ut verò certa quædam rerum *capita* ſectemur, cum Apoſtolus, *Nullius* dixerit, quod ad *docendi munus* attinet, 1. non *ignaviæ*, 2. neque affectatæ nimis *ſermonis eminentiæ*: Quod verò ad *vitam* ſpectat, nullius denique *turpioris notæ ſcandali* ſe *conſcium* fuiſſe humillimè gloriatur. Agamus itidem & nos (Fratres dilectiſſimi) ut ſanctiſſimi *Apoſtoli* per omnia quantum in nobis fuerit *prementes veſtigia* aſpiremus tandem ad dulciſſimum officii ritè adminiſtrati fructum, fœliciſſimam iſtam *bonæ conſcientiæ* παῤῥησίαν *Nullius enim mihi ſum conſcius.*

Et primò quod ad Apoſtoli noſtri in *Evangelio prædicando aſſiduitatem* 1.
& *induſtriam* attinet, qui aliis nominibus prout ſibi viſum fuit *Apoſtolorum minimus* erat, in hoc demùm *ſummus* evaſit; Διάκονοι Χριστοῦ εἰσι; παρὲξ ἐγώ. ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως 2 ad Corinth. cap. 11. Eleganter in hanc rem *Chryſoſtomus*, Πανταχοῦ μεπεπήδα συνεχῶς, ἕδραμε δηὶ τέτες, ἦλθεν ἐπ' ἐκείνες, μετέπη πρὸς τέλες, ἀπεπήδησε πρὸς ἕτερα non minore ſcilicet uſus in Eccleſiâ *ædificandâ* quàm *diruendâ* priùs induſtriâ. *Abi* igitur *ad formicam* O! *piger*, imò ad *Paulum* potiùs, *aſpice vias ejus, & ſape*: ipſe enim *per gloriam & dedecus*, per *convitia & laudes*, per ſaxa, per ignes præceps ruit, *neque ſibi vitam charam habet, ſi modò Curſum & Miniſterium ſuum cum gaudio conficiat.* Nos interim pudeat (Fratres chariſſimi) quibus *pinguiora otia* Deus indulſerit, *otio* demùm *indulgere*, & *gregis Dominici* curam abjicere. Pudeat te *Apoſtolum lubentiùs* Evangelium prædicâſſe in *nervo*, quàm *tu* in *Templo*, vel ut propiùs accedamus, Pudeat te *Calvinum* ἡμιεργίᾳ ferè ſemper laborantem (ut nihil dicam de ſcriptis ſuis non magis innumeris quàm eximiis, atque infinitis penè aliis occupationibus) *quotannis habuiſſe conciones ducentas octoginta ſex, & lectiones centum octoginta ſex*, at-

que hæc omnia elaborâſſe, præſertim ſi aliquos ſequi *velimus octoginta* tantùm *librarum annuali* ſtipendio; Te, inquam, pudeat, cui multò *largiora* forſan ſuppetunt *donaria*, vix ſingulis *anni quartis unicam* habuiſſe. Veriùs forſan dixerim cum Apoſtolo at ſenſu multùm diſſimili *nullius tibi fuiſſe conſcium*. Sed vapulet, imò in perpetuum exulet ab Eccleſiâ Chriſti hujuſmodi *oſcitantia*, ideòque ne committas obſecro, ut *oves* tibi à Domino concreditæ quæ *te paſcunt veſtiuntque* ex tuâ demùm *acediâ, fame & inediâ contabeſcant*: Ne detrectes, inquam, pro *tenellis* illis Chriſti *agnis*, pro quibus ipſe *ſanguinem effuderit*, *ſpiritum* tuum ipſamque *animam* effundere, adeòque teipſum nobiliſſimo iſto *martyrii* genere *coronare*. Optimè *Bernardus*, *Cogita de cibo & potu animalium tuorum, nam eſuriunt, & non petunt*. Imò quòd peſſimum eſt, inediâ langueſcunt, & tamen non eſuriunt: proinde *prudentis & fidelis ſervi* erit iis *alimentum dare in tempore præſtituto* (Matth. 24.) neque illud tantùm *vicariâ* alterius operâ, ne (quod *Chlichtovæus* dixerit) in futuro ſæculo te maneat *vicaria* quidem *ſalus*, at *perſonalis pernicies*.

2. Secundò ſequitur *affectata* illa & *cauponaria* prædicandi curioſitas, cujus Apoſtolus item ſe *nequaquam conſcium* fuiſſe teſtatur in hoc loco, eàmque egregiè perſtrinxit in totâ iſtâ Epiſtolâ hujus perioche. Neque illud quidem injuriâ: *humana* etenim *ſapientia non exſcindit vitia, ſed abſcondit*, ut veriſſimè *Lactantius*. *Humana* item *ſcripta animum* ſæpiùs *non faciunt*, quia *non habent*, ut de eorum aliquibus *Seneca*; *humana* denique *teſtimonia* licèt *ad pompam multùm* ad *fructum* verò *parùm* conducunt: *vel* ut *Paulus*, de reliquis Apoſtolis ad *Galatas* 2. 6. *licèt videntur eſſe aliquid, nil tamen præterea conferunt*. *Aquæ* ſiquidem *quæ terræ fructum, plantis vitam ingenerant, priùs ſcilicet cœlum ipſum ſcanderant* (ut eleganter *Plinius*) *animamque herbis vitalem inde deferunt*; neque minùs *aqua iſta* quàm *Panis* ille de *cœlo* deſcendit, *quæ dat vitam mundo* Johan. 6. 33. ut enim noctu *lucernæ ſplendor* in his quæ hîc infrà *ad manum* ſunt agendis ſatis luminis præbere queat, minimè verò *cœlum* tum tenebris obvolutum oſtendere (ſola quippe *lux* illa quæ priùs è *cœlo* deſcenderat, idipſum nodis videndum præſtat) ita quidem licèt *humana ſapientia* in inferioribus iſtis quibus continuè verſamur negotiis ſatis nos inſtruere, ſola tamen *lux illa cæleſtis* ad cœlum *viam* monſtrare, ſola *Scriptura Divinitùs inſpirata* poteſt *ſapientem reddere ad ſalutem*.

2 Tim. 3. 15, 16.

Neque verò hæc à me ita dicta velim, quaſi ipſe auſu temerario Barbariſmos concionibus inveherem, vel cum *Juliano* Rhetorum Scholis interdicerem, vel denique in ſimularem in hiſce præſertim quibus nunc verſamur exercitiis ornatiorem dicendi ſupellectilem. Imò fœliciter agas in Evangelio prædicando, omnes quantum potes argumentorum nervos intendas, totamque ſi valeas Rhetorices ψυχαγωγίαν copioſè exhaurias: *Super Chriſtum Fundamentum aurum* ſi modo fuerit, utcunque *cœlatum* liberè ſuperſtruas, neque tuâ incuriâ evenire ſinas, ut, ſi modò *Clemens Alexandrinus* denuò in vivis eſſet, rurſus diceret οἱ περὶ τὰ Κάλλη τῶν λόγων ἀσχολούμενοι, οἱ παρ' Ἕλλησι φιλόσοφοι, τὰ πράγματα ἢ παρ' ἡμῖν τοῖς Βαρβάροις ἐσί. Quaſi *Chriſtiani* ſcilicèt *ſoli Barbari* eſſent: *Athenienſes* verò ἔπεα illa πτερόεντα ut *victoriam* priùs (cujus *alas* præſcidiſſe dicuntur) apud ipſos ſolos detinuiſſent; & *maſcula* illa demùm *eloquentia* ſimul cum *Romano* decidiſſet *Imperio*. At meliùs ſemper Chriſtus Eccleſiæ ſuæ proſpexerat, cui nunquam deſuêre ſui

Juſtini,

Juſtini, *Baſilii*, *Lactantii*, reliquique, quorum primus duplici titulo inſignis, & *Martyris* & *Philoſophi*; reliqui verò Chriſtianorum *Demoſthenes* & *Ciceroues* in Eccleſiâ meritiſſimè ſemper audiêre. Neque verò adhuc adeò *effœta* eſt Sanctiſſima Mater *Eccleſia*, quin continuò plurimos edat eoſque maſculos partus, qui *Philoſophorum* atque *Oratorum* antiquorum omnium cum diſputandi ſubtilitatem, tum dicendi peritiam non ſolùm exæquare, verùm & exſuperare poſſint. Illud tamen dum in Sacris verſamur ſedulò nobis curandum eſt, ut in iſto ornatiori dicendi genere inprimis *populi ſaluti* præſertim *Sacrarum literarum*, adeòque ipſius *Chriſti* honori maximoperè conſulamus, non *noſtri* dixeram, cujus dum in hiſce negotiis *cupidi* ſimus aliquoties *prodigi* evadimus, ut enim *Apelles* (referente *Clemente Alexandrino* in *Pædagogo*) cum vidiſſet quendam ex ſuis diſcipulis malè quidem pinxiſſe *Helenam* ſed multo auro ornatam, O! *adoleſcens*, inquit, μὴ δυνάμῃ γράψαι καλὴν, πλουσίαν πεποίηκας, *cum non poſſes eam nobis exhibere pulchram, feciſti divitem.* Ita ille quidem in *fœminis*, ego pòtiùs aliquoties in *concionibus* evenire exiſtimo, in quibus non (ut *Critici* de *Epiſtolis*) *negligentiam* eſſe *cultum*, at *cultum nimium incuriam eſſe* judico; Quid ſi dixiſſem *ubertatem* iſtam *inopiam* prodere, præſertim ſi illud *Senecæ* de *Nerone* verum fuerit, *Oſtendiſti te pauperem*, *nam ſi hoc amiſeris*, *tale non reparabis.* Scitum verò atque huic rei imprimis accommodum illud eſt quod de *Socrate* circumfertur, qui cum *capitali judicio* reus teneretur, & quidam ex ejus diſcipulis orationem *affabrè* factam ei obtuliſſet, quam *pro tribunali* habiturus eſſet, reſpondit *Calcem equidem inſignem eſſe*, *ſed laxiorem*, *quàm ut pedi ſuo conveniret. Neque enim decere ætatem*, *gravitatem & ſinceritatem Socratis ut juvenili ſeſe orationis luxurie tueretur*: quod quanto accommodatiùs in rebus *Divinis* (infra quas longiſſimè *ſubſidet* omnis *eloquentia*) dici poſſit, penes vos erit judicium. Diviniſſimè Apoſtolus *ſi quis loquitur*, *loquatur ut eloquia Dei*: ex ipſis nimirum *Scripturis* non ſolùm *quid* demùm loquendum ſit hauriendum eſt, verùm etiam ipſa *loquendi* addiſcenda *ratio*. *Magnes* enim non niſi *ſuâ ſcobe* poliri, neque *Sacra Scriptura* meliùs quàm ex *ſuis* præſertim *veſtiariis* & *myrotheciis* ornari, *expoliri* poterit. *Si qua conſolatio in Chriſto*, *ſi quod ſolatium charitatis*, *ſi qua communio ſpiritûs*, *ſi quæ viſcera & miſerationes*; ad Philip. 2. 1. *Obſecro vos fratres per miſerationes Dei*; ad Rom. 12. 1. Imò, quod ſtupendum eſt, *pro Chriſto legatione fungimur*, *& velut Deo vos precante per nos*, *rogamus*, *Chriſti nomine reconciliamini Deo* 2 ad Corinth. 5. 20.

Hæc, hæc (Fratres dilectiſſimi) hæc inquam ſola, præ quibus reliqua ſordent, flexanima eloquia, hæc efficaciſſima, præ quibus ipſa Demoſthenis δεινότης omninò plumbea eſt, Sanctarum *animarum philtra* & incantamenta; hæc vera denique illa *Suadæ medulla*, quæ non tam verborum concinnitate aures demulcere & *circa præcordia ludere*, verùm & *cor ipſum renovare* ipſique (*mortuo* licèt) *vitalem*, imò Sacroſanctum *Spiritum* ingenerare poteſt. Hâc tantùm *Paulus* in ipſâ *prædicationis* ſuæ *ſtultitiâ* effecit, ut *Chryſoſtomus* auſus ſit aſſerere ἀρκεῖ Παῦλον φθέγξεσθαι, ἵνα τὰς ἀφρενὰς σπειρᾶν καὶ ἀφανίσθαι. Hâc ſolâ etiam fretus *Lactantius* (non ſuis, licèt iis quidem variis & diſertiſſimis, ſed) *pauciſſimis Dei verbis iracundum*, *maledicum*, *efrænatum* ad frugem reducere, vel (ut ipſius verbis utar) *tam placidum quàm*

ovem reddere potuiſſe gloriatur. Atque ita ad primum illud cui optimè in hiſce negotiis cenſulendum eſſe dixeram ſponte relabimur, *Salutem populi*, quæ non minùs *Imperatori* in *regendo* quàm *Presbytero* in *prædicando ſuprema lex* eſto. *Obvelanda* itaque tibi *facies* eſt, ut à *Moſe* factum legimus, ſi teneriores & infirmos oculos eruditionis tuæ ſplendor perſtrinxerit: neque dotes tuas, ut aliquando *Crates* quorundam *Divitias*, ἢ ἀπὸ τῶν χρημάτων συκαῖς aſſimilare liceat; quæ, *dulciſſimos* ut ferant fructus, omnium tamen *captum ſuperantes*. Orationis *flores* indulgemus, ſed quales *arborum* eſſe ſolent, quæ in *fructum* demùm concoquantur. Ἀπαναθήματα iſta tibi non invidemus, ſed caveas tamen nè conciones tuæ *arborum* inſtar ſimul & *flores* & *fructum* non ferant. Caveas imprimis ne tibi tuiſque conveniat quod *Cælius Pytho Celænarum* Regi eveniſſe perhibet, qui dum cives omnes ſuos in *aurifodinis eruendis* attereret, *agri* interim *colendi* ſtudium adeò neglectui habuit, ut ex *auro cibaria*, *obſonia*, ex *auro* denique omnia in *menſâ* habuit, quæ *elegantiâ* ſuâ *delectare*, *famem* verò nequaquam *ſolari* poterant; Caveas, inquam, ne dum *aurum* tuum *potabile* reddere conaris, *ſincerum* Evangelii *lac* (ut indomitæ juvencæ ſolent) calcitrando in terram effundas, vel cum ex te aliquis *panem popoſcerit*, *lapidem* (licèt, ut tibi ſaltem videtur, pretioſum) irroges: *prurienti auri* monile erit, ex quo *idolum* conficiet, *non reficiet animam famelicam*, atque unicum Chriſtum eſurientem.

Atque hactenus accepimus *Pauli* tam aſſiduam quàm fidelem in *Evangelio prædicando* diligentiam. Si verò (quòd proſtremum erat) de *vitæ* ſuæ inſtituendæ ratione ampliùs inquiramus, illud inprimis eam omnibus commendatiſſimam dare poterit ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ Θεὸς ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν 1 ad *Theſſalon.* 2. 10. Idem ſcilicet *Paulus* (ut de eo loquitur *Chryſoſtomus*) qui diviniore contemplatione ἐν θείοις ἀνθρώπῳ ſanctiſſimâ vivendi ratione καὶ ἀπ' ἄκρης γῆς ἀγγέλῳ, ad *Angelicam* ſiquidem perfectionem quam proximè acceſſerat non quidem ab omni *labeculâ* immunitate, at nullius *gravioris ſcandali conſcientiâ*, hanc equidem *Paulè* parum invidemus tibi, utinam verò æmularemur magis innocentiam, ut quem ſcilicet *Perfectionis ſtatum* Pontificii (arrogantiùs quidem) *Sacrificalis* ſuis, id eſt perditiſſimis (ut plurimmm) nebulonibus, adſcribere ſolent, ad hunc ſaltèm nobis, qui à bonis illis viris adeò in immenſum (ſi placet) à tergo relinquimur, ſaltem adſpirare liceat. In *Legis* enim *pædagogio*, quamvis in corpore *maculam* vel *pedis* vel *manûs fracturam*, alioqui digniſſimum, ad mauus tamen *Sacerdotale* obeundum inidoneum reddidiſſe novimus *Levit.* 21. Et quid demum in *Evangelio* adminiſtrando (ubi omnia auguſtiora eſſe convenit *cæcis* & *claudis podagrâ* vel *chiragrâ* laborantibus opus erit, quibus non ſolum ἁπτικοπεῖν verum & ὀρθοποδεῖν & ὀρθοτομεῖν officii ratione neceſſariò incumbit. *Præſul ad curam* (ut alicubi *Gregorius*) *quaſi ad ægrum medicus properat*, & *quâ tandem præſumtione* (ut ille loquitur) *percuſſum mederi properat*, *qui in facie vulnus portat*? Nunquam ſanè vel ipſi *Apoſtoli* doctrinam ſuam *miraculis* ſuis *confirmâſſent*, ſi eandem *deturpaſſent vitiis*. *Signa* enim *illa* (ut optimè annotavit *Iſidorus*) *pro præſtigiis haberi poterant*, at *vitæ Sanctitas*, vel ipſius *Satanæ* os, quò minùs calumniari poſſet, omninò præcluſerat: cui ſi nos etiam ſedulò magis incumberemus, exiſtimat ſanctus ille vir neque *hodiè nobis* defutura *miracula*, quæ in tantum

tum efflagitant *Pontificii*, vel ſi modò iſto parùm neceſſaria, cum Chriſti & Apoſtolorum ſuorum omnia noſtra fuerint, at non deeſſet nobis *mira* apud omnes *gratia*, ſumma, quam jam ſpreti deſideramus, à ſingulis exhibita *reverentia* maxima denique uſque ad *miraculum* ferè Chriſtiani populi *ædificatio*. Συνομοιοπαθεῖ γὰρ ἀεὶ ὁ ἀκούων τῷ παθητικῶς λέγοντι ut prudentiſſimè obſervant *Philoſophus* in *Rhetoricis*. Neque minûs præclarè *Iſidorus* in loco prædicto (quem totum vix mihi imperare poteram quin exſcriberem) συμπεφύτευται τοῖς γινομένοις καὶ λεγομένοις καὶ ὁ τῶν κηρυττόντων βίος μηδεμίαν λαθὴν διδούς. Sanctiore etenim vitâ τὸ κήρυγμα νοθεύομεν elegantiſſimè dixerat, quaſi ſcilicet quod in *corpore nervi*, idem in *Miniſterio* fungendo eſſet *ſanctitas Presbyteri*: ſine quâ in Chriſti corpore *diſſoluta* omnia, *nil ſani* aut *ſolidi* habentia. Si verò illud tibi indulgeamus, te nimirum (ut in *cudendis nummis* fieri ſolet) dum adhuc *ferrum* es, poſſe quidem *auro Cæſaris*, adeòque *Dei* imaginem imprimere; at quàm incongruum fuerit reputes, quòd cum *omnia* aliis *perſuaſeris*, *tibi* ipſi interim *nihil*, quàmque indignum fuerit eorum *veſtigiis inhærere*, de quibus in hunc modum *Nazianzenus* πρὶν καθαρθῆναι καθαίρεσι, qui (ut ille *avaros* aſſimilare ſolitus fuerat) ὥσπερ κεράμενοι σωλῆνες *aquam* illam *vivam* & cœleſtem ad aliorum refrigerium transmittant cum ipſis olim in *inferno* arſuris, neque minimæ *guttulæ* copia erit, quâ vel *linguam* ſolam vel tantillum quidem *refrigerari* poterint. Cum *Valerianus* Cenſor eligendus erat, illud ex omnium ore audiebatur: *Is de nobis omnibus judicet, qui omnibus melior.* Quidni igitur & ipſe ſolus *alios* doceat, qui *ſeipſum* prius? Optimè *Bernardus*, *Committe animam tuam diligentibus ſuam.* Quibus utriſque tum demùm nos optimè conſulemus, cum nosmetipſos *puros* ſupervenientis *Spiritûs* operationi præbeamus: Quod *Juſtinus Martyr* de Prophetis dixerat ὡς τὸ τὸ θεῖον ἐξ ἀρχῆς κατιὸν ὡς ἤκτεον &c. *Divinum* ſcilicet *Plectrum* è cælo deſcendens nos tanquam *citharam* vel lyram priùs ab ipſo *Spiritu* probè modulatam tangat, atque cum nihil inter doctrinam & vitam diſſonum fuerit, cœleſti illâ harmoniâ *feſſas animas* ſopire, imò *mortuas* planè *excitare* poterit.

Atque ita tandem (ut cum *Gregorio* in fine *Paſtoralis* loquar) *pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, alioſque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor.* Illud unicum jam tandem reſtat (Fratres dilectiſſimi) ut magni hujus *Doctoris* noſtri veſtigia prementes ſummum iſtud fœlicitatis ejus faſtigium aſcendere ſtudeamus, atque aliquando tandem ſigillatim dicere poſſimus *Nullim enim mihi conſcius ſum*, quod quidem tantum eſt, ut quemadmodum *Philoſophus* in *Problematis* veteres nulla præmia certaminibus de Sapientiâ ſtatuiſſe dixerat, quia nimirum ipſâ *prudentiâ nullum bravium optatiùs* eſſe poterit, ita neque præſtantius aliquod *præmium* vel excogitari queat, quod animos veſtros magis ad *bonam conſcientiam* acquirendam accendat, quàm eximium ipſius *bonæ conſcientiæ beneficium.* Præ hoc ſordeſcunt planè reliqua omnia vaniſſima illa malè ſanarum animarum oblectamenta, de quibus omnibus idem dici poteſt, quod Propheta *Jeremias* de *Moabitis* cap. 48. 33. הִירַד לֹא הִירָד *Celeuſma non Celeuſma*; *argentum* iſtud *ſcoriâ*, *vinum aquâ* ut plurimùm adulteratur, ipſa ſumma *lætitia* ab *amentiâ* parùm diſtat. Si verò *conſcientia cauteriata* priùs ſemel *recruduerit*,

cruduerit, Deus bone! quàm diros miſerrimo homini terrores quàm *infernales* animo *cruciatus* incutiet? Ponite enim pauliſper ante oculos *Paſtorem* illum *nihili* dum rebus magis ſecundis atque pacatiori conſcientiâ fruebatur, dormitantem quidem atque genio indulgentem (prout *mutos* iſtos *canes Iſaias* deſcripſerat) at verò eundem tandem ſupremum Spiritum ducentem aſpicite, atque in *noviſſimo die* coràm *juſtiſſimo Judice* comparentem quum *libri* illi *reſignandi* fuerint, in quibus invitus licèt, at leget tamen hinc *officii peſſimè adminiſtrati* incuriam, illinc *vitæ pejus tranſactæ* ſceſera, cum ſecum reputaverit ſeriò quot demùm *animarum* ex ſuâ ignaviâ unà ſecum pereuntium *reatum* contraxerit, quàm *nullius* verò ritè habitæ *concionis* nedum alicujus ex eâ lucrifactæ *ſalutis* ſibi *conſcius* fuerit: quos pugiones nudum iſtud pectus transfixuros, quas *furiarum* tædas miſerum iſtum *Magor miſſabib* exagitaturas opinamini?

Zachar. 11. 17.

Cap. 56. 10.

Animula vagula, blandula,
Qua nunc abibis in loca?
Pallida, rigidula. nudula,
Nec, ut ſoles, dabis jocos.

Optimè equidem tum demùm ageretur, ſi prout in viâ *Paſtor nihili* fueris, ità in termino (quod de *Theudâ* dicitur *Actorum* 5.) *in nihilum* tandem *abires*. At *non ſic abibunt odia*. Quod miſeriarum caput eſt *Paſtor nequam*, cujus *brachium* priùs *exaruit*, tremendo illo die ad Chriſti *ſiniſtram* ſiſtendus erit, quique *ſummi Paſtoris oves* neglexerat, inter *hædos* tandem tinniente aure, conſternato animo horrificum illud excipiet, *Abito maledicte in ignem æternum, paratum Diabolo & Angelis ejus*, ubi qui nullius prius *boni* ſibi *conſcius* fuerat *pœnas* omnes, quas vel ultrix *Dei juſtitia* exiget, vel funeſtiſſima *Diabolorum odia* irrogare poterint in æternum, *luet*. At ô Fœlicem purioris *conſcientiæ* παῤῥησίαν! quàm *ſereno* ſemper *cœlo* fruitur! Quæ (ut rectè *Hieronymus*) *cum de pœnâ metuat, de innocentiâ gloriatur*. Imò (quod Divinè planè *Algerius* martyr dixerat) *omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura comes eſt conſcientia*. Quàm generoſè mundanas voluptates omnes faſtidire, quam ſecurè intentata ſibi crimina, imò omnifaria, in quibus continuò verſatur, pericula aſpernari poterit! *Nil conſcire ſibi, hic murus aheneus eſto*. ἐν τῷ μηδὲν γνῶναι ἡδὺς & βίος hic utique veriſſimum. Quiſque enim ſibi *benè conſcius* perpetuum *vinum* gerit *in pectore* quoad vixerit, quum verò *ſupremum diem* tandem *obierit* τῷ μηδὲν ἄδικον ἑαυτῷ ξυνειδότι γλυκεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι ἀγαθὴ γηροτρόφος ut ex divino *Platone* divinior *Juſtinus Martyr* exſcripſerat. Imò ut ſemel concludam omnia, *Noviſſimus* ille atque omnium maximè *tremendus* dies, qui (ut cum *Tertulliano* loquar) *confuſio nationum, votum erit Chriſtianorum, exultatio verò Angelorum*, cum reliquorum tum horum inprimis, qui dum *ſanctiore vitâ* atque ſedulâ magis in munere fungendo *diligentiâ* plures ad Chriſtum adduxerunt *coràm Chriſto* tum demùm cum fiduciâ *comparebunt*, cumque eo *fœlices regnabunt* in perpetuum.

Quam gratiam nobis concedat idem δεχπόμιλω Chriſtus, cui unà cum *Patre* & *Spiritu Sancto* ſit omnis *honos, laus* & *gratiarum actio* & *nunc* & in æterna *ſæcula*. *Amen*.

Beati qui audiunt Verbum Dei, illudque cuſtodiunt.
Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & communicatio Spiritûs Sancti ſit vobiscum omnibus & nunc & in ſæcula. Amen.

QUÆST.

AUTORIS
PRÆFATIO,
Prò
Determinatione Quæst.
Magistratum gerere non repugnat Christi institutis, & al. cujusdam.
Ad D. Respondentem.

Inserenda ante Pag. 65. Tomi primi.

THeses hæ tuæ (Doctissime Vir) orthodoxæ, piæ sunt & (quod summum est) te dignæ, in quarum expolitione ingenii tui acumen, earundem verò propugnatione judicii tui vires & experiri possis & ostendere. At illud ἀνὰ πρωτιμίων, quod in *Areopago* olim obtinuit, me saltem judice, *Theologicam* hanc palæstram inprimis decet; minùs enim congruum mihi semper visum est *pugnam* simul inire & *palpum* obtrudere, unà *adulatorem* agere & *Theologum*. Ne igitur iniquè feras (obsecro) (quod & à reliquis in posterum oratum velim) si à laudatricibus hujusmodi Præfationibus prorsus abstinuero, quæ vobis aliquoties offensæ, mihi fraudi esse poterint. Tuum interim *ebur cerussâ* meâ non indiget, neque Tu præconio æquè opus habes, ac ipse ego *Apologiâ* quòd nimirum in *Provinciam hanc* (quam invitò satis & tantum non coactus susceperam) ἀπροφασίστως planè & sine omni *Præfationum* vel apparatu vel ambitu ità præceps irruam. Quid à prioribus illis τοῖς μακαρίταις (qui *Cathedram* hanc pariter & *Academiam* beârunt) cum primùm hac ascenderunt, hâc in re factum fuerit, mihi equidem parùm liquet. Quid Novissimus ὁ πάνυ ille præstitit, novimus, suspicimus jam omnes, & sera recolet posteritas. Tanta illi scilicet suppetit cum suavissimo morum candore, mira admodùm ingenii fœlicitas, & flexanima orationis elegantia, ut quamvis ego aliquantum eo grandævior sim, lubentissimè tamen nostram agnoscam infantiam, meque diutinæ licèt dulcissimæque tum consuetudinis tum amicitiæ nexibus cum eo conjunctissimum, quod ad *dicendi suadam*, copiamque attinet, adeò procul

Dr. Whitakero, Overallo, Richardsono, Collinsio. Dr. Arrowsmith.

ab

ab eo remotum, ut quem nullatenùs assequi possim, ne vel sequi ausim.

Amplus quidem hîc dicendi esset Campus, in quo vegetiores & qui vividi magis ingenii sunt, expatiari facilè possent. At si tarda nostra senectus & infirmi poplites aliquantum hîc lascivire vellent, idem esset ac (quod de anu subsultante dici solet) *morti ludos facere*. Esset forsan quod in benevolentiâ captandâ multus essem; quod ut in *candorem vestrum* (de quo nullus dubito) injuriosum foret, ità & *ambitum* aliquantùm saperet, à quo me profiteor alieniſſimum. Esset etiam quod in *infirmitatem* meam declamarem fortiter. At quid opus est hanc vel ipsâ narratione prodere, quæ vobis jam satis nota est, quin & vereor nè magis innotescat in posterum? dum miseri isti interim *ploratus* & *querelæ* lugubres *puerorum* & *mulierc ularum* essent *viro*, imò vel sene (nisi *bis puer* evaserit) indigniſſimæ.

Esset denique quod de *muneris* hujus tam *dignitate* quàm *difficultate* multis differerem. Idque haud immeritò. Quod enim in *Ezekielis* visione scriptum habemus; *Rotis altitudinem* fuisse & *horribilem aspectum*, idem dictum esto de summo Cathedræ hujus fastigio, de quo simul ac vel semel cogito, totus equidem *cohorresco*, & (quod *editiora* loca ascendentibus accidere solet) vertigine correptus penè concido.

Ezek. 1. 18.

Si quis tamen id quod Angelus olim Prophetæ, mihi jam in aurem dixerit, *Quid tibi hîc Eliah?* Quid *Uzzæ* instar, *Arcæ Domini* minimè hîc *nutanti manum temerè admoveris?* Quid, *tantillus* cum sis, *tanta* aggredi atsus fueris? hoc unicum habeo, quod fide optimâ respondeam, me tenuitatis meæ satis conscium nullis malis artibus, nullo ambitu, nullo gloriolæ aucupio huc evectum fuisse, cui volupe magis esset vel *infima* discentium *subsellia* capessere, vel saltèm in *Doctorum caveâ* delitescere. Hebescit jam animus, surdescunt aures, heu quantum caligant oculi? quibus dignitatis hujus splendor & honorum tituli æquè in deliciis esse possint, ac decrepito olim *Bazzillæ pompa* & *Symphonia* Aulica.

1 *Reg.* 19. 9.
2 *Sam.* 6. 6.
2 *Sam.* 19. 35.

Non mihi animus est viris illis doctioribus *dicam* jam *impingere*, quod cum munus hoc meliùs, & pro dignitate ejus exequi potuissent, nè vel impensius rogati voluerint ut cum *nemini obtrudi posset, ad me* demùm *iretur* longè omnium ineptiſſimum. Hoc tamen ex animo atque audacter dicam, quòd nisi *Academiæ* probro futurum esset nostrum neminem fuisse qui Provinciam hanc (duram satis fateor ac difficilem) susciperè vel posset, vel saltèm vellet; atque exinde invitis vobis aliunde aliquis sufficiendus foret,

meliùs

meliùs certè famæ meæ, otio, ætati etiam jam provectæ consuluissem, quàm ut de eâ capessendâ vel semel deliberâssem, nedum ut eam suscepissem unquam.

Atqui charior mihi semper fuit atque in æternum erit *Almæ Matris* honor, quàm ut (vel incommodo & dedecore proprio) pro virili nostrâ ei non consulerem.

Atque hinc tandem fit ut ne chasma fieret, ipse cum *Curtio* in *voraginem* hanc me proruam, utpote satius duxerim, ut qui *nihili* sit hoc munus obeat, quàm *nullus*. *Livius Dec. 1. lib. 7.*

In quo defungendo, si vel dignitati loci vel expectationi vestræ minùs respondero, veniam saltèm expeto imò & efflagito: siquidem in eo obeundo (ut cum *S. Augustino* loquar) si non *sufficienter, tamen obedienter vobis deservio.* *De peccat. merit. lib. 1. cap. 1.*

De me ipso nihil polliceri ausim, at de vobis omnia.

Quò rectiùs verò ac fœliciùs procedant singula, longioris *Præfationis* loco, *Disputationum* istarum *Leges* aliquas jam (si placet) condamus, atque ut non tam à me latæ quàm suffragiis vestris sancitæ viderentur, descendat hâc saltem vice *Senatus* vester *in Scholas* hasce *Theologicas*, atque *Professor* vester *Procuratorum* & *Scrutatorum* vestrorum munus obeat.

Placeat itaque *vobis*,

Quod ad *Respondentes* attinet,

1. Ut post finitam priorem quamque Disputationem Quæstiones suas *Professori* quamprimùm deferant, nè cum mihi aliàs *res angusta domi* sit, in *temporis* insuper redigar angustias.

2. Ut Quæstiones ipsæ solidæ, sobriæ, orthodoxæ sint.

Nil *vetus fermentum* sapiant, nil etiam quod *Novatorum* pruriginem scalpat in se habeant, ne dum *nova dogmata* deperimus, omittamus *antiquam fidem*, & *Prophetandi libertas* in *errorum* tandem vergat *licentiam*.

Facessant hinc *Arminii* argutiæ, *Socini* blasphemiæ, *Anabaptistarum* furores, *Enthusiastarum* deliria, *Antinomorum*, *Libertinorum* sordes. Hæ *Bestiæ sylvæ* sunt, exorto jam sole in lustris suis recubent, dum ab his Scholis in æternum exulent. Illud interim seriò monendum est, nè dum in *Novitiis* hisce vel exterminandis vel etiam refutandis toti simus, antiqui illi hostes (*Papismum*, *Atheismum* dico) si modò de his Scholæ istæ nimis sileant, tanquam per posticam irrepant denuò.

3. Etiam orandi sunt *Respondentes*, cum jam Disputationum dies advenerint, ut ad *horam* statutis præfinitam hîc adsint, *Thesium* etiam suarum *explicationes* abbreviare velint, nè cogar orationum

num filum (quod minimè vellem) abscindere, vel (quod minùs ferendum est) *Opponentibus* disputandi tempus; *Moderatori*, quò calculum suum adjiceret, lucis usuram præriperent: at neque oculi mei, nec loci hujus dignitas patientur, ut hæc peragantur *in tenebris*.

Quod *Opponentes* verò spectat,

Placeat itidem vobis

1. Ut vices suas per se vel per alios expleant, quò meliùs quàm plerumque fieri solet *officio* suo, *honori Academiæ*, *Auditorum emolumento consulant*.

2. Ut inter disputandum *Syllogismis* agant, iisque *legitimis*, ne Disputationes nostræ in *Colloquia* vel *altercationes* potiùs abeant, vel uno saltèm vel altero Syllogismo proposito acierum conflictibus similes sint, quæ primò instructis ordinibus procedere solent, at verò simul ac ad pugnam deventum fuerit, ità incompositè se proruunt, ut non *turmas* sed *turbas* videas, non *justum prælium*, sed *tumultum*. At pacatiora hæc nostra sunt certamina, quæ *bilem* non movent, sed *ingenium* acuunt, nec *sanguinem* eliciunt, sed *veritatem*: quæ tum demùm maximè elucere solet, dum servamus *ordinem*: quod nè vobis molestum sit (oro) si accuratiùs exigam.

Neque verò hæc (Viri ornatissimi) ità à me dicta sunt; quasi aliquid vel de *præterito* vobis *exprobrare*, vel in posterum *pro imperio imponere* vellem. Si verò pro eo, quo estis, candore in hisce exequendis mihi suffragari, atque insuper primo hoc Termino, in quo vix dum operi accinctus, plurimisque aliis negotiis distentus fuero, negligentiam aliquantum nostram condonare velitis, animum mihi plus nimis animum agenti addetis, ut cum provinciam hanc ornando non sim, in eâ saltèm obeundâ si non debitam, at quam potero maximam præstem diligentiam.

Tu interim (Doctissime Vir) pensum tuum jam fœliciter absolvas, à quo diutiùs quàm par erat hâc nostrâ oratione detentus fueris.

Quæst. I.

Magiſtratum gerere non repugnat Chriſti inſtitutis.

ID ſemper egit juratus Eccleſiæ hoſtis, atque etiamnum agit ſedulò, ut ea quæ ad hanc vel *ædificandam* vel *muniendam* imprimis faciunt, præ cæteris *labefactare* & (quantum in eo fuerit) penitùs diruere conetur. In eorum numero primas tenet *Miniſterium Eccleſiaſticum*, & *Magiſtratus Politicus*. Utriſque hiſce ruinam molitur non magis ſceleratorum arietibus quàm Hæreticorum (*Socinianorum* dico atque *Anabaptiſtarum*) cuniculis. Qui ut Evangelicorum Miniſttorum *miſſionem*, adeòque *Miniſterium ipſum* Evangelicum peſſumdare ſatagunt: ita *Magiſtratûs Politici* functionem rebus *malis* & per ſe illicitis aliquando annumerant, atque utut ſub *legis* Pædagogiâ (ubi *Hæres infans regi* opus habuit) permiſſam eſſe concedant, *Evangelicæ* tamen *perfectionis* & *Chriſti inſtitutis* minùs accommodam, vel potiùs contrariam eſſe contendunt. Cujus in contrarium Theſis iſta à Doctiſſimo Reſpondente propoſita diſertè negat *Magiſtratum gerere Chriſti inſtitutis repugnare.*

Quamvis enim ſummum & abſolutum in Creaturas Imperium penes ſolum Deum ſit: At quin Magiſtratui civili, qui teſte Paulo Rom. 13. 4. *Dei Miniſter* eſt, ſive Monarchicus, Ariſtocraticus, Democraticus, ſive Togatus, ſive Paludatus fuerit, *ſubordinatum*, *conditionatum*, *limitatum Imperium* ex Dei *indulgentiâ*, *donatione*, *inſtitutione* jure convenire poſſit, quo ipſe ſub Deo & ſecundùm Deum (Legis ſcilicet Divinæ & rectæ rationis præſcriptum) ſubditos gubernare, hi verò ſub eo *quietam* & *tranquillam vitam agere* cum *omni pietate* & *caſtitate* poſſint; nil omninò prohibent *Chriſti inſtituta*, nil ejuſdem *Regimen* in Eccleſiâ *ſpirituale*, nil *Perfectio Evangelica*, nil *Libertas Chriſtiana*. Hæc genuina hujus Theſeôs mens eſt, hic ſtatus Controverſiæ adeò apertus, ut ulteriori nil opus ſit explicatione; neque equidem (niſi homines ad lucem ſponte cœcutirent) probatione vel confirmatione aliquâ. Quædam tamen pro more loci dicenda ſunt; ea verò (quum à Doctiſſimo Reſpondente adeò egregiè pertractata ſint omnia) pauciſſima erunt.

Huc inprimis ſpectant clariſſima Sacræ Scripturæ Teſtimonia; ex plurimis quæ à Theologis adduci ſolent tria illa tantùm propono.

Primum illud ſit Prov. 8. 15. „ *Per me Reges regnant & Legum conditores juſta decernunt.* Ubi duo quæ huc faciunt præcipuè notanda. 1. *Per me* Sapientiam ſcilicet illam Patris æternam & eſſentialem, ipſiſſimum nempe *Jeſum Chriſtum.* 2. *Per me* non ſolùm permittentem, verùm & *inſtituentem*, *conſervantem*, *approbantem.* Nam ut Reges non tantùm regnent, ſed & juſtitiam decernant non ſolùm permittit Chriſtus, ſed imprimis approbat; Id verò quod approbat, imò & inſtituit, inſtitutis ejus repugnare nequit. Si verò hîc reponunt Adverſarii, hoc ſub *Legis imperfectione* dictum & factum, minimè verò *perfectioni Evangelicæ* accommodatum: Eſt quod regeram. 1. *Perfectionem* illam, quam illi adeò crepant Evangelicam, *nullam* eſſe. 2. *Magiſtratum* ex eorum ſententiâ vel ſub *Veteri Teſtamento non approbatum* fuiſſe. 3. Ex omnium ætatum experientiâ vel ſub *Novo Teſtamen-*

to à Deo *permiſſum* eſſe; ergo nullum quoad hoc inter V. & N. Teſtamentum diſcrimen. Sed ut omnem tergiverſandi anſam eis præripiam,

Secundum illud apponam Iſaiæ 49. 23. „ Et erunt Reges nutricii tui, „ & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terrâ demiſſo adorabunt te &c. Ubi duo itidem in rem noſtram obſervanda: primum quod licèt per Prophetam ſub Veteri Teſtamento prædictum fuerat, at ſub *Novo implendum* fuit, idque tum quum Eccleſia futura erat Chriſtianiſſima. Secundum eſt quòd non tam prædictio nuda ſit rei ſub Evangelio tandem futuræ (quod tamen ſatis eſſet, quàm gratuita *promiſſio benedictionis* quâ *Eccleſia*, vel maximè *Evangelica* olim beanda erat: unde ſic arguere in proclivi erit: Quod & prædicitur, & pro inſigni Divini amoris pignore Eccleſiæ Chriſtianæ *promittitur*, id *Chriſti inſtitutis repugnare* neutiquam poteſt: Chriſti ſiquidem Sponſæ ſuæ dilectiſſimæ δῶρα quæ donat non ſunt ἄδωρα. At verò ibi promittitur, quòd non ſolùm *Nutritii Eccleſiæ* futuri ſint, ſed & ut hoc munere efficacius & majore cum authoritate & potentiâ fungerentur, ut etiam *Reges* ſint.

Tertium & ultimum inſignis eſt ille Novi Teſtamenti locus ad Romanos cap. 13 in quo plura occurrunt, quæ rem hanc totam invictè conficiunt. „ Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto; non enim eſt „ poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt, & quæ ſequuntur reliqua. Ubi ἐξουσία non tam potentiam, quàm *poteſtatem*, *jus*, *authoritatem* denotat: hanc totam *à Deo* eſſe dicit, idque *univerſaliter* ut *omnis poteſtas* à Deo ſit, *excluſivè*, ut *nulla* à Deo *non ſit*, idque à Deo non tantùm *permittente* (prout *mala* omnia, eaque peſſima ſunt) ſed & *ordinante*; at quæ *moraliter mala* ſunt, *à Deo* permittantur licèt, at nunquam *ordinantur:* vel ſi Theologi aliqui etiam *peccata à Deo ordinari* dicant, quatenus nimirum eis tempus, modum, menſuram præſtituit, eaque ſanctè & ſapienter ad potiores fines dirigat; at non (prout hîc de Poteſtatibus hiſce dicitur) ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσι. vel ſi vocem illam ad *Dei decreta* etiam de re malâ aliquando trahi poſſe contendant aliqui, at nunquam τοῦ Θεοῦ διαταγὴ erunt, quod tamen verſu 2. de *poteſtatibus* hiſce ῥητῶς Apoſtolus dicit: ac proinde ex vi vocis illius eas pro *Dei conſtitutione*, *inſtitutione* haberi vult. Unde etiam Magiſtratum civilem *Dei miniſtrum* ter ibi nominat. Bis διάκονον commate quarto; ſemel λειτουργὸν commate ſexto; quæ vox majus aliquid ſonat, & *publicum ex officio Miniſtrum* denotat. At qui fiet unquam ut talis *Miniſter* eo ipſo quo *munus ſuum* ex *Dei Dominique* ſui *præſcripto* obeat, *Chriſti Domini inſtitutis repugnet*? imò verò hoc ipſo voluntati Dei verbo ſuo patefactæ inſervit, ejuſque vices ita ſupplet, ut „ qui ei obſiſtit Dei ordinationi „ obſiſtat, atque inde condemnationem ſibi accerſat verſu 2. adeò ut ipſi „ ſubjici non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, neceſſe „ ſit verſu 5. conſcientiam vult *officii ordinationi Divinæ* debiti: ex quo clariſſimè patet non magis ſumma *parendi neceſſitas*, quàm *legitimum* hujus *poteſtatis exercitium*: quæ omnia cum ab Apoſtolo, exorto jam Evangelii ſole, ſub Imperatoribus, Magiſtratibuſque reliquis *Ethnicis*, Eccleſiæ *Evangeliique hoſtibus* inſenſiſſimis, dicta & ſancita ſint; nullam in Magiſtratu gerendo *Chriſti inſtitutis repugnantiam*, ſed *convenientiam* potiùs ſummam liquidò demonſtrant.

De Scripturæ Teſtimoniis hæc hactenus. Probationes reliquas his tribus

bus expediam. Magiſtratum gerere Chriſti inſtitutis non repugnat; quia

1. Lumini legique Naturæ vel integræ conſonum eſt.
2. In Naturæ jam lapſæ Remedium à Deo inſtitutum eſt.
3. Nil à Chriſto vel Chriſtiano alienum in ſe continet.

Primò, quod de Lege Naturæ vel integræ eſt, illud *Chriſti inſtitutis* non *repugnat:* Lex ſiquidem illa Dei æterna & immutabilis eſt. *Gratia naturam* non *deſtruit*, ſed *perficit:* neque Evangelii jubar naturæ lumen extinguit, ſed illuſtrat. Sed Magiſtratus, vel Civile Regimen de *Lege Naturæ* eſt, imò vel *integræ*. Cum civile Regimen dico non *ſpecies* ejus aliquas (putà μοναρχίαν, ἀριστοκρατίαν vel δημοκρατίαν) intelligo, quæ ἀνθρώπιναι κτίσεις ſunt, *jure poſitivo*, eoque *humano* inſtitutæ. At *Regimen in genere*, in quo alii præſint, ſubſint alii, ipſi *naturæ*, præſertim *humanæ* convenit: Cum enim homo naturâ *animal ſociabile* ſit, Societas *ordinem*, ordo *Regimen* aliquod neceſſariò poſtulat: nam τὸ ἄναρχον ἄτακτόν ἐστι, ut rectè *Nazianzenus:* Neque etiam poſſibile eſt ut Societates aliquæ totæ in unum coeant; adeòque vel ipſius naturæ lumine aliqui diligendi ſunt, qui communitati conſulant, atque hâc in re reliquis præſint.

Argum. 1.

1 *Pet.* 2. 13.

Lib. 3. *de Th. el.*

A quâ neque Natura integra abhorruit. In quâ teſte *Thomâ* fuiſſet *prælatio conſulendi & dirigendi*, non *Dominium ſervituti oppoſitum.* Quicquid enim vel *Auguſtinus* (de Civit. l. 19. c. 15.) vel ex Patribus alii in contrarium aſſerere videntur ac ſi in ſtatu illo non *homo homini dominaturus* fuiſſet, ſed *homo pecori* ſecundùm illud Geneſ. 1. 28. „Dominamini in piſces maris & volucres cœli &c. hoc totum de dominio δεσποτικῷ cum repugnantiâ voluntatis & moleſtiâ conjunctio, non πατρικῷ intelligendum eſt. *Servi* quidem *nomen culpa meruit non natura*, ut rectè *Auguſtinus*: at ſubjectionem *ingenuam* non dedignata eſt natura vel expers culpæ: dominium *Mariti in uxorem* ei quidem in pœnam peccati indicitur Gen. 3. 16. durius ſcilicet illud Mariti in uxorem imperium, & magis impotens uxoris in Maritum appetitus: at verò ex primævæ creationis Lege, & conjugii in ſtatu integro inſtitutione uxor viro data eſt עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ Gen. 2. 18. auxilium quod eſſet coram ipſo: utrâque voce in uxore *miniſterium* (ingenuum quidem illud, at miniſterium aliquod) connotante, ac proinde in marito *dominium:* quale etiam *parentum* in *liberos*: *Seniorum* in *juniores: Superiorum* in quoquo modo *inferiores* futurum eſſet, quamvis integritate ſuâ omnes perſtitiſſent: ſervatâ ſcilicet ætatis, ſexûs, loci, ordinis, naturalis, œconomici, Politici differentiâ.

Armin. diſp. Theol. 23. *Theſ.* 8. 1. *q.* 96. *a.* 4. *Biel.* 4. *Sent. diſtinct.* 15. *q.* 5.

ibid.

Gnezer Konegdo.

Huc facit quòd quintum præceptum de *honorando parente* (eoque civili æquè ac naturali) apud omnes Theologos non juris *poſitivi*, ſed *naturalis* ſit, quod omnes in omni ſtatu vel primævo (dummodo nulla ſtatus incompoſſibilitas ſit, quæ hîc nulla eſt) ex æquo obligat: atque hinc in ſtatu etiam lapſo, ipſo *naturæ lumine* conſcientia perditiſſimos quosque perduellionis reos agit, ſugillat, verberat: quod quid ex æternâ Dei naturæque Lege fieri debuit clarè indicat, cui *Lex gratiæ* neutiquam contradicit: Chriſtus enim (vel ſeipſo teſte Matth. 5. 17.) venit non ut *Legem ſolveret*, ſed ut eam *impleret:* Nunquam itaque *repugnabunt* ejus *inſtituta primævæ Naturæ, Divinæque Legis inſtitutioni.*

Atque hoc primum argumentum fuit: *Magiſtratum gerere* Lumini legique naturæ, vel integræ, conſonum eſt.

Argum. 2. Secundò *lapſos* jam *naturæ* ex ſummâ Dei miſericordiâ in *medelam* induſtum eſt, atque ideò niſi omnium ingratiſſimi fuerimus, à nemine vel Chriſtianiſſimo, & maximè *Evangelico* temerè vel proteruè amandandum. ὅιόν τι φάρμακον ἀλεξίκακον τοῖς τῆς ἀνομίας ἕλκεσιν ἡ τῶν ἀρχόντων οἰκονομία θπτέθεικεν ὁ Θεός, ita pulchrè *Theodoretus*. In ſacrâ paginâ Magiſtratus חֹבֵשׁ *medicus* eſt Iſaiæ 3. 7. inſaniſſimè igitur æger eſt, qui Medicum abigit, pharmacum exſpuit.

Orat. 7. de Provident.

פִּנָּה γωνία Reipub. *Lapis angularis* eſt Judicum 20. 2. quo ſubruto corruant omnia neceſſe eſt. מַכְלִים יוֹרֵשׁ עֶצֶר Judicum 18. 7. *pudore afficiens, & interdicti hæres*: ſine quo nihil vel *pudoris* vel *timoris* apud pleroſque reliqui eſſet, quò minùs in profligatiſſima quæque ἀναισχύντως præcipites ruerent, adeò ut μισάνθρωποι planè ſint qui Magiſtratum ſublatum eunt; vel *Lupi* potiùs qui (ut in Apologo habetur) *canes* abigi volunt, ut *ipſi* in ovile *impunè graſſari* poſſint, quod perditiſſimè factitare ſolent, qui *Magiſtratum* maximè dejerare amant, ſimul ac ipſi habenas arripuerint. Hoc miſerrimè ſuperiori ſeculo experta eſt *Germania*, cujus ſemper neſcia (precor) ſit noſtra *Britannia*. *Ardelionibus* hujuſmodi æquè neceſſarius eſt *Magiſtratus* ac *aqua incendio* extinguendo.

Sine quo ἄνω κάτω omnia; ut nos miſera tandem edocuit experientia, ut & olim populum Iſraeliticum Jud. 17. 6. בְּאֵין תַּחְבֻּלוֹת יִפֹּל־עָם ut benè vulgatus „ Ubi non eſt gubernator, corruit populus Prov. 11. 14. „Sine „ imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum „ genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus (durare) poteſt.

Cicero lib. 3. de Legibus.

At quid hoc ad verè fideles? inquiunt.

1. *Spirituales* ſunt, ſpirituali Chriſti in Eccleſiâ regimini ſubditi. Quid ergo cum *Imperio mundano* (quod ipſe *reſpuit*) illi commune habere debent?

2. *Liberi* ſunt „ in libertate igitur quâ Chriſtus nos liberavit perſtate, & ne rurſus ſervitutis jugo implicemini monente Apoſtolo Gal. 5. 1.

3. Denique *perfecti* ſunt, atque ideò cum *Lex juſto non poſita ſit*, quid opus habent *Magiſtratu* civili, vel *Legum* humanarum repagulo?

Argum. 3. His omnibus occurrit Argumentum tertium quo probatur in Magiſtratu civili quâ tali nihil contineri vel à Chriſto vel Chriſtiano alienum.

1. *Spirituale* quidem eſt *Chriſti Regimen* in *Eccleſiâ*; at nil officit *civili* in *Republicâ*. Idem Chriſtus, qui dixit „ Reddite quæ Dei ſunt Deo, dixit etiam „ & quæ Cæſaris ſunt Cæſari Matth. 22. 21. *Non eripit terreſtria, qui regna dat cæleſtia. Subordinata non pugnant.* Neque opus eſt ut *claves* cum *gladio* pugnam ineant. Idem Chriſtus, qui temporale dominium *immediatè* exercere noluit Lucæ 12. 14. *mediante Magiſtratu* omnia Imperia adminiſtrare optimè novit Prov. 8. 15. Quamvis etiam verè fideles *ſpirituales* ſint, id tamen hîc *ex parte* eſt, non ſine *carnis* mixturâ aliquâ, ad quam retundendam ut interno S. Spiritûs auxilio, ità & externo Magiſtratûs adminiculo indigent. Præterea *omnes* qui nomen Chriſto dant & externâ Eccleſiæ communione gaudent, non inde protinus *ſpirituales* fiunt, imò *quæ carnis ſunt ſapiunt* & operantur; ad quos coercendos (vel in Eccleſiâ) Magiſtratus ex Dei inſtituto apprimè utilis eſt.

2. Chri-

2. Chriſtianos & verè fideles quod attinet, *liberi* quidem ſunt

A *maledictione* Legis ſcilicet Gal. 3. 13. at non ab *obedientiâ*; cujus pars una eſt *poteſtatibus ſupereminentibus ſubjectio.*

Liberi etiam ſunt, ut ne *ſervi hominum* ſint 1 Cor. 7. 23. dum eorum vel *dictatis* in re *fidei* vel *præceptis* in re *cultûs præter verbum*, in *reliquis contra verbum* Dei, obtemperent. At cum ità *liberi* ſint, non eſt quòd *libertatem* hanc quaſi *velamen malitiæ* habeant, quin *ut Dei ſervi* & *eum timere* & *Regem* ſimul *honorare* poſſint; ut appoſitè ad hanc rem Apoſtolus *Petrus* Epiſtolâ 1. cap. 2. commate 16. & 17.

Præterea; quamvis hoc modo *liberi* ſint, non tamen à malorum inſultibus & injuriis *liberati*, imò his ſemper obnoxii, ut vel hoc ſaltem nomine Magiſtratûs patrocinio & tutelâ opus habeant, ut *vitam quietam & tranquillam tranſigere* poſſint.

3. Sint denique *perfecti*, eâ ſcilicet *perfectione*, quam *Sacra pagina* agnoſcit, quæ vel *comparativè* tantum eſt, vel in *ſinceritate cordis*, vel *partium integritate* conſiſtit: at non eâ quam Anabaptiſtæ ſomniant: fideles enim ut ſint, *homines* tamen ſunt, & nil *humani à ſe alienum putant*: ex *parte* tantum *renati* ſunt, & carnem Spiritui rebellem ſecum perpetim circumgeſtant: ad quam reprimendam non ſolùm interno gratiæ retinaculo, ſed & externis Legum humanarum & poteſtatis civilis repagulis opus habent. Rom. 13. 4.

Nihil ergò quod vel *Chriſtum* vel *Chriſtianum* ſpectat, *Magiſtratui civili* derogat: qui cum à bono Deo in bonum humanum vel in ipſo *Integritatis* ſtatu benigniſſimè inſtitutus, & vel in *ſtatu lapsûs* mirabiliter *conſervatus* fuerit, cum *pro eo preces fundi* vult, cum nil reclamante vel Scripturâ vel conſcientiâ pientiſſimos quosque vel ſub Novo Teſtamento eum geſſiſſe, eidemque morem geſſiſſe conſtat: læſæ & veritatis & Charitatis reus erit, qui eum quoquo modo *Chriſti inſtitutis repugnare* dixerit: imò contrà ex eo probè expenſo, ut *Fredericus Saxoniæ Dux*, perlecto aliquando hâc de re *Lutheri* libello, ſublatis in cœlum manibus, gratias agere poteſt, quod ex Sacris literis, & Evangelii etiam doctrinâ jam cognitum atque exploratum teneat, ſe in ejuſmodi ordine conſtitutum eſſe, qui Deum authorem habeat, & in quo bonâ conſcientiâ verſari, Deoque placere poſſit.

Quæst. II.

Humana Chriſti natura ex virtute unionis Hypoſtaticæ non eſt Divinarum proprietatum particeps.

PRior Theſis contra *Trinitarios*, *Socinianos*, *Anabaptiſtas* militavit: Hæc contra *Lutherano-ubiquitarios*. Quorum cùm πρῶτον ψεῦδος ſit *Conſubſtantiatio*, atque *corporalis* Chriſti in *Cœnâ Præſentia*, ut hanc quoquomodo ſtatuminare poſſint, *Chriſti corpus*, vel Chriſtum quoad corpus & humanam ejus naturam *ubique eſſe* acerrimè contendunt. Cum verò *ubiquitas* ex *Dei immenſitate* atque incomprehenſibilitate immediatè fluat, adeòque *Divinarum proprietatum* una ſit, eò tandem delapſi ſunt, ut *humanam Chriſti naturam Divinarum proprietatum*, omnipotentiæ, omniſcientiæ, & (quæ maximè omnium hypotheſi eorum inſervit) *omnipræſentiæ participem*

faciant. Quod cum nos meritiſſimè negamus, ex eorum calumniâ ſtatim ex parte *Neſtorii* ſumus, qui in Chriſto *perſonas diſtinxit*, cum ipſi potiùs in caſtra *Eutychetis* tranſeant, qui *naturas confudit*, quin & *Neſtorianiſmo*, (cujus nos inſimulant) ipſi etiam propiùs accedunt. Cum enim

Primò proprietates Divinas humanæ Chriſti naturæ communicari dicunt, non per ſe quidem ut ſint naturales humanitatis ejus proprietates, ita tamen ut *humana* illa *natura* per communicationem hanc verè ſit omnipotens, omnipræſens, omniſcia, adeòque *Divina*, licèt *factitia*, eo planè modo quo *Sociniani Chriſtum Deum factum*, at *verum* interim *Deum* agnoſcunt: hoc *Eutychetem* nimis ſapit, hoc interim diſcrimine, quòd, cum *Eutyches naturam Divinam* in *carnem converſam* eſſe ſomniavit, hi è contra *naturam humanam* in *ſortem Divinæ tranſire* malint dum eam proprietatum Divinarum participem eſſe volunt.

Secundò dum *Chriſti Deitatem* in *humanitate* ejus ita *inhabitare* & *operari* ſtatuant, ut eum à cæteris hominibus (quod ad hoc attinet) ἐνεργείᾳ tantùm differre vellent, ita ut *aliis hominibus quædam* tantùm communicet, *Chriſto* verò *omnia*, adeò ut unio Deitatis cum Chriſti humanitate, & *Petri*, non *ſpecie*, ſed *gradu* ſolùm differat; hoc malè *Neſtorium* olet. *Deus* enim & *Petrus* ſuo modo *uniantur* licèt, *duæ* tamen *perſonæ* ſunt. Quòd ſi *non alia ſpecie unionis* in *Chriſto* coeant Divinitas & Humanitas ex eorum ſententiâ, quidni *Neſtoriani* audiant? ita ſcilicèt naturam humanam cum Divinâ (cum *Eutychete*) confundunt, ut miro ſanè artificio *Eutychetem* cum *Neſtorio* (hoc eſt ἀσύγχυτα) conjungant concinnatores admodùm inconcinni, dum ita nôrint κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα.

Nos contra, ſecundùm fidem verè Catholicam ſentimus, & certò credimus per Hypoſtaticam unionem duas *Naturas* ita in unâ *Perſonâ* ἀδιαιρέτως, *Act. 5.* ἀσυγχύτως *indivisè* & *inconfusè* unitas, ut *conjunctiſſimæ* licèt ſint, at in æternum *diſtinctæ*. & cum *Patribus Chalcedonenſibus* ſalvâ utriuſque Naturæ proprietate & in unam perſonam ac ſubſiſtentiam concurrente, *unigenitum Filium* & *Deum Verbum* agnoſcimus. Ob hanc unionem Hypoſtaticam talem *Idiomatum* vel proprietatum *communicationem* lubenter concedimus, imò ultrò profitemur, ut quæ *propria ſunt uni naturæ, toti perſonæ tribuamus*, ut quando *Chriſtum mortuum, crucifixum* credimus, imò quæ *uni naturæ propria ſunt, de alterâ in concreto dicimus*, ut cum *Deus proprio ſanguine Eccleſiam acquiſiviſſe* dicitur Act. 20. 28. quippe quòd *Natura in concreto* ſuppoſitum & *totam perſonam* denotat. At attributa *uni naturæ propria* de *alterâ* in *abſtracto* dici, eſt, contradictoria dicere, ex propriis non propria facere. *Chriſtum omniſcium, omnipræſentem* credimus; hoc primum illud erat. Imò *Chriſtum hominem omniſcium* & *omnipræſentem* etiam profitemur, quia Chriſtus homo *perſonaliter Deus* eſt, atque eo nomine omniſcius & omnipræſens. At Chriſti *humanitatem* itidem *omniſciam* & *omnipræſentem* eſſe pernegamus, neque omninò fieri poſſe aſſerimus, niſi humanitas ſeipſum exuat, & Deitatem induat. Hoc ſenſu Theſis quæ in manibus eſt negat *Humanam Chriſti naturam ex vi unionis Hypoſtaticæ fieri Divinarum proprietatum participem.*

Nobilis ſanè Quæſtio, at pro fervido quo *Ubiquitarii* ſunt ingenio vitilitigationibus ſuis facta vexatiſſima. Ad cujus plenariam explicationem præſtaret

ſtaret forſan vel *plura* vel *nihil* dicere. *Plura* non patitur tempus, vel hujus officii ratio. Penitùs intactum relinquere, quamvis aliquoties forſan in poſterum hoc fiet; at hâc primâ ſaltèm vice expectationi veſtræ non adeò ſatisfaceret. Cum ergo neque *nihil*, neque *plura* auſim, habetote (ſi placet) *pauciſſima. Humana Chriſti natura ex vi unionis Hypoſtaticæ non eſt Divinarum proprietatum particeps.* Duo dicit. 1. *Non eſt.* 2. *Ne* quidem *ex vi unionis Hypoſtaticæ.*

1. *Non eſt.* Quod conſtat

1. Quod in Sacrâ Paginâ plura de Chriſto quà homine vel de ejus humanitate dicuntur, quæ omnipotentiam, omniſcientiam, omnipræſentiam ei derogant.

2. Si *aliquarum* proprietatum Divinarum particeps ſit, quare non & *omnium.* Si *omnipræſentiâ*, quidni & *æternitatis* etiam? Quicquid hîc cauſantur *Ubiquitarii*, procul dubio tamen certiſſimum eſt quod quicquid omnipræſens eſt *immenſum* eſt, & quod immenſum idem & *æternum*: quod de *humanitate Chriſti*, ſaltem *à parte antè*, reclamante ſcilicet Scripturâ, reique manifeſtâ veritate, neutiquam affirmare auſint.

3. Hoc non ſolùm Chriſti tum *Deitati* tum *Humanitati* detraheret, ſed utramque prorſus *deſtruet.*

Neque enim vera illa *Deitas* eſt, cujus *proprietates* in *creatam naturam* competere poſſunt.

Neque *vera humanitas*, quæ eorum capax eſt, quæ *omnem humanitatem ſuperant.*

Adeò verum illud *Caſſiani* eſt, Quod de Incarnatione non ita dicitur ut eſt, etiamſi honor videatur, contumelia eſt.

De Fidelibus verè dictum agnoſcimus quòd *Divinæ naturæ participes* ſint 2. Pet. 1. 4. At hoc tantum quoad *creatarum* atque *infuſarum qualitatum ſimilitudinem*, idque earum tantùm quas ſuo modo aliqualiter participare poſſunt, *Sapientiam* putà vel *Sanctitatem*, vel *Juſtitiam*: quæ verò ex ſuâ naturâ *infinitatem* ſonant, qualis *Omnipotentia*, *Omniſcientia*, *Omnipræſentia*, & ejuſmodi reliquæ, earum ut minimè unquam *capaces* ſunt, ità nunquam omninò *participes.*

Longè alia (fateor) *humanitati Chriſti* convenit Deitatis participatio: ex *Hypoſtaticâ* ſcilicet harum in eo *unione.*

2. At illud ſecundum èrat, quòd *ne ex hâc unione* quidem *Divinarum proprietatum particeps eſt Chriſti Humanitas.* Hypoſtatica enim hæc unio in *ſubſiſtentiæ Divinæ communicatione* conſiſtit, ut rectè ſtatuunt *Orthodoxi*, non *proprietatum Divinarum*, quæ Ubiquitariorum ſententia eſt.

Primo dico unionem hanc Hypoſtaticam in *ſubſiſtentiæ Divinæ communicatione* conſiſtere: quod tamen cautè intelligendum eſt; non ità quidem *ſubſiſtentia* vel perſonalitas τοῦ λόγου *intima humanæ Chriſti naturæ proprietas fieret.* Per *illam* enim *Perſonalitatem Filius* à *Patre* & *Spiritu Sancto* & *omnibus omninò rebus differt*, adeò ut ſi cui enti ſubſiſtentia illa eo modo communicaretur, id Perſona, & ipſe æternus Dei Filius evaderet. At humana Chriſti natura quamvis *in perſonâ* Filii ſit, *perſona* tamen non eſt.

Alioquin *duplex perſona* æquè ac duplex natura Chriſto ineſſet, ut *Neſtorio* placuit. *Caro* enim *Filii Dei æterni* rectè dici poteſt; at nunquam vel *Deus*, vel

vel *æternus Dei Filius*; niſi plures Deos, Deique Filios æternos eſſe volumus.

Hoc tantum eſt. Verbum, cui ſua perſonalitas propriè, & neceſſariò competit, Humanitatem illam voluntariè aſſumpſit, in ſe geſtat, in eâ inhabitat, eamque ità modificat, ut *humana* illa *natura* neque *perſona* ſit, neque in *nihilum* abeat, in perſonâ intimè ſit, neque ut *accidens*, vel *pars* ejus, ſed ut *organum inſeparabiliter* & *inconfusè* copulatum. In tali ſubſiſtentiæ Divinæ Chriſti naturæ humanæ communicatione *hypoſtaticam unionem* ponimus. Quòd primum erat.

Secundò, Non in eâ quam fingunt *Divinarum Proprietatum communicatione*, quod duplici conſtat Argumento

Cap. 1. Primùm *Concilii Toletani* eſt: Proprietates Divinæ *toti* Sacroſanctæ *Trinitati communes* ſunt, unde ſequetur, ſi hypoſtatica hæc unio in harum communicatione conſiſteret, quòd *tota Trinitas hypoſtaticè* humanitati Chriſti *unita* atque ità *incarnata* eſſet; at *ſolus Filius incarnatus* eſt, ex communicatione nimirum *ſubſiſtentiæ* ſibi propriæ, non ergo communicatione *Divinarum proprietatum omnibus Trinitatis Perſonis communium.*

Secundum *Bellarmini* eſt. *Divinarum Proprietatum communicatio* datur ubi nulla eſt *hypoſtatica unio.* Pater enim Filio communicat totam Deitatem, omniaque Deitatis attributa eſſentialia. At inter *Patrem* & *Filium nulla hypoſtatica unio* eſt, cum *diſtinctæ perſonæ* ſint. Ergò in tali *proprietatum* hujuſmodi *communicatione* non conſiſtit *unio hypoſtatica*, adeòque neque ex tali unione fluit aliqua hujuſmodi *proprietatum* harum communicatio.

QUÆST. III.

Religio Chriſtiana non eſt vi & armis propaganda.

Vide Calvinum & Bezam in Johan. 18. 36. AD hanc quæſtionem quod attinet, cum egregiè à Doctiſſimo Reſpondente explicata & confirmata fuerit, plura addere fruſtraneum planè eſſet atque *actum agere*, præſertim cum ab eo ità explicatam habuimus, ut vix ſolidi aliquid ſit quod in contrarium afferri poſſit, adeòque confirmatione ulteriori nil opus habeat. Summa igitur tantùm rerum capita perſtringamus, idque breviſſimè.

1. Primum ergò in anteceſſum hoc dictum ſit, *Bellum* in ſe *non* omninò *illicitum* eſt, ſecundùm illud *Ambroſii* „ Non militare delictum eſt, ſed prop-
Serm. 7. „ter prædam militare peccatum eſt.

2. Secundò ne *Chriſtianis* illicitum; quippe nullibi in N. T. (dummodò rectè perpendantur & explicentur ſingula) interdictum. Non Lucæ 3. non Actorum decimo, ubi *militibus de officio ſuo ſciſcitantibus*, *Cornelio* etiam *Centurioni*, ex Chriſti ipſius mandato quid *& opporteret eum facere*, & *quo ipſe cum totâ domo ſuâ ſalvus fieret* à Petro audituro, nil tale innuitur. Chriſtianus cum *Chriſtum* induit, *hominem* non exuit.
cap. 10. 6.
cap. 11. 14.

3. Ne *Religionis ergò* illicitum eſt. Hoc approbante Deo meditabantur *Iſraelitæ* contra *Reubenitas* de Idololatriâ ſuſpectos Ioſhuæ 22. 12. Hoc ſecundante, benedicente Deo factitârunt Imperatores & Principes Chriſtiani.

Ut

Ut verò propiùs ad rem ipſam accedamus. 1. De temporibus. 2. De perſonis. 3. De re ipſâ diſtinguendum eſt. 4.

1. Quod ad *tempus* attinet, illud duplex eſt, vel ſub *Lege* vel ſub *Evangelio*.

Sub *veteri Teſtamento*: ubi falſa & idololatrica dogmata ſpargentes interficiebantur, Gentes Cananææ excindebantur, & plurima alia perpetrabantur his ſimilia, minùs dubitant *Religionem illius temporis* (ſcilicet *Judaicam*) vi *externâ* & *propagatam* & *propagandam* fuiſſe, vel illi ipſi qui à Religione Chriſtianâ jam propagandâ talem vim omnem quàm longiſſimè amoliri ſatagunt; dum *grave* illud *Legis jugum* nobis jam ſublatum iri, omnia verò ſub *Chriſti Regno pacifica* futura fore Prophetæ paſſim prædixerint: & Chriſtus ipſe, qui *Samaritanos* igne cœlitùs delapſo ad *Eliæ* exemplum exuri vellent objurgavit, diſcrimenque inter V. & N. T. clarè propoſuerit, „ Neſcitis cujus Spiritus ſitis: „ Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare Lucæ 9. 54. 55. Et verò ut ſub Principe pacis Regeque noſtro mitiſſimo omnia jam pacatiora & mitoria eſſe debeant, nemo, qui veram Evangelii indolem, *ſuaviſſimumque Chriſti jugum* noverit, inficiari poteſt. Ut verò quod ſentio, dicam

Ut ex unâ parte, ne vel ſub Lege Religio Judaica vi externâ exteris imponenda vel Gentes injuſſu Dei ob Idololatriam, & cultus ſuos impios internecioni dandæ erant:

Ità ex alterâ, ne vel ſub Evangelio pacis ità à vi & armis penitùs abhorrendum eſt, ut *Religionem Chriſtianam* vel *malè defenſam*, vel prorſus *multam* eſſe ſinamus torpidi, quod meliùs conſtabit ex ſequentibus.

2. Quod ad *perſonas* attinet, eæ duplices ſunt, vel quæ *vim inferunt*, vel *quibus infertur*: de utriſque hâc in re alia atque alia eſt Ratio,

1. Quod ad perſonas quæ vim inferunt, vel *Eccleſiaſticæ* ſunt vel *Politicæ*.

Per Eccleſiaſticas, Apoſtolos, Paſtores, Doctores & hujuſmodi verbi *Miniſtros* reliquos intelligo: atque ut horum *militia* tota *ſpiritualis* eſt, ità *arma* ejus *non* ſunt *carnalia*: ſed *Divinitus valida*; non ad *urbes* ſed *Ratiocinationes omnes evertendas, quæ ſe attollunt adverſus cognitionem Dei* 2 Cor. 10. 4. 5. Decertent illi, at tantùm *præclarum* illud *certamen fidei* 1 Tim. 6. 12. מלחמת יהוה gerant, at *calamis* non *gladiis*, vel ſaltem *gladio verbi Dei* „ per Sermonem veritatis, per virtutem Dei, per arma juſtitiæ (non ut aliàs fieri ſolet injuſtiſſimæ violentiæ) „ à dextris ac ſiniſtris 2 Cor. 6. 7. cum *Regimen* eorum totum *miniſteriale* non δεσποτικὸν ſit, τὸ κατακυριεύειν illud ſibi vetitum ſciant: orando, monendo, hortando, præeundo ad fidem *trahant*, non vi *& armis adigant*.

At hoc non impedit tamen quò minùs Imperatores, Reges, Principes, & Magiſtratus reliqui gladium temporalem geſtent, *Deique miniſtri* ſint, *vindices ad iram eis qui quod malum eſt fecerint*.

2. At quinam illi demùm ſint quibus vim iſtam inferre licet adhuc quæritur: an *exteri* ſcilicet, vel *ſubditi*?

Quod ad *exteros*, idem de gladio vindice in Republicâ dici poteſt, quod Apoſtolus de excommunicationis fulmine in Eccleſiâ „ Quid meâ intereſt „ etiam de extraneis judicare? Nonne de iis qui intùs ſunt vos judicatis? „ de extraneis verò Deus judicat 1 Cor. 5. 12, 13. Tu quis es qui judicas

„ alienum ſervum ? Rom. 14. 4. Hoc malè olim vel ipſi *Joſiæ* ceſſit, 2 Chron. 35. pejùs tandem (uti certò ſperamus) *Pontifici Romano* ceſſurum, qui eos, in quos nullum Imperium à Deo ſibi delegatum habet, ſi minùs Idololatriis ac ſuperſtitionibus ſuis obſequentes fuerint, Tyrannide planè Antichriſtianâ, flammâ ferrôque proſequitur.

At in *ſubditos* longè major, eaque legitima eſt ſummi Magiſtratus poteſtas, cui cum *utriuſque Tabulæ cuſtos* ſit, ac proinde curare debeat ut ſubditi non ſolùm „ tranquillam & quietam vitam, verùm etiam cum omni pietate
1 Tim. 2. 2. „ conjunctam degant, vel ex officio incumbit, ut veram Chriſti Religionem *Legibus ſanciat*, in eam *immorigeros pœnis coerceat*, & ſi magis *contumace* & rebelles fuerint, *armatâ manu*, & *brachio ſæculari* in ordinem cogat. Ità „ *Aſa* cum populns fœdus de requirendo Domino iniit, ut qui aliàs fecerit „ morte afficiendus eſſet 2 Chron. 15. 12, 13. Ita „ *Joſias* omnes Iſraelitas יעמד coegit Domino ſervire 2 Chron. 34. 32. ne & *Artaxerxes* poſtea piè admodum (quo etiam nomine *Ezra Deo benedixit*) „ in mandatis dedit ut quicumqe Legem Dei & Regis non fecerit, vel morti, vel exilio, vel mulctæ, „ vel vinculis (pro majore ſcilicet vel minore contumaciæ atrocitate) adjudicaretur Ezræ 7. 26. Quamvis enim ipſa fides & Religio cogi nequeat, ut verò externa utriuſque media & exercitia religiosè obſerventur, ſaltem ut non blaſphementur, conculcentur, id inprimis prout olim Deo rationem reddituri ſunt, ipſis curandum eſt.

3. Quod ad ultimam *de re ipſâ* diſtinctionem rectà nos ducit, eaque in *Religione Chriſtianâ* vel *defendendâ* vel *propagandâ* conſiderari poteſt.

Sentiunt nihil eſſe ii rebus humanis Religione præſtantius, eamque ſummâ vi oportere defendi &c. ſed defendenda eſt, non occidendo ſed moviendo, non ſævitiâ ſed patientiâ, non ſcelere, ſed fide &c. Lactantius. l. 5. cap. 20.

An *vi & armis defendenda* ſit minor aqud Theologos vel nulla potiùs controverſia eſt. Nempe, ſi qui vi publicâ exercitium ejus vel turbare vel adimire tentent, nec alia honeſta ac juſta ſuperſit tuendæ libertatis ratio, certè qui vim omnem à ſubditis ſuis depellere debent, vel hanc maximè. Eccleſiæ ſiquidem *cuſtodes* ſunt Canticorum 5. 7. At *Proditores*, ſi non *Defenſores*, audiant. *Nutritii* item ſunt Iſaiæ 49. 23. at ſpe vanâ infantulnm lactat, qui *proprio ſanguine* potari ſinit. *Paſtores* denique ſunt Ezechielis 34. 34. at *Mercenarius* eſt qui *oves relinquit, lupos non abigit*. Huc inprimis facit illud *Leonis Epiſcopi* ad *Leonem Auguſtum* „ Debes incunctanter advertere, „ Regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam.

Religionem igitur Chriſtianam vi & armis aliquando defendendam eſſe conſtat.

Sed an eiſdem *propaganda* ſit, quæritur, atque à doctiſſimo Reſpondenter negatur, idque haud immeritò. *Repugnat* enim

1. *Regno Chriſti*, quod ſi *ex hoc mundo eſſet*, *pugnarent utique ſervi ejus*. Atqui (vel ipſo aſſerente) *non eſt hinc* Johan. 18. 36. Nulla igitur (ſaltem *talis*) pugna illis ineunda eſt.

2. Repugnat etiam *primævæ* illi, eique *optimæ*, quam in Eccleſiâ, Fide, *Religione Chriſtianâ* per ſeipſum, Apoſtolos, reliquoſque primarios hujus militiæ duces *fundandâ*, *propagandâ* adhibuit *Rationi*.

Ipſe quidem *arcum* in manu tenebat, & *prodiit vincens & ut vinceret*, at *albo equo vectus* tamen, quod non magis *triumphi* quàm *candoris* inſigne erat Apocalypſeos 6. 2. ibi *arcum*; Pſalmo 45. *ſagittas* etiam habemus, eaſque *acu-*

tas

tas admodùm ut *populi ſub eo procidant*, imò ex animo *procidant inimici Regis*, *doceatque eum terribilia dextra ejus*; at totum hoc fit dum *equitat* עַל־דְּבַר־אֱמֶת וְעַנְוָה־צֶדֶק *ſuper verbum* ſcilicet *veritatis & manſuetæ juſtitiæ*, adeò ut ſi aliquando *veſtes* ejus *ſanguine tinctas* videamus, (prout videre eſt Iſa. 63.) ſanguinem *Dæmonum*, aut *vitiorum* intelligamus, vel ſi & hominum & renitentium, non tam à *ſervis ſuis* quàm ab *aliis* fuſum, quorum operâ abuti voluit in contumaciæ eorum vindictam.

Apoſtolos etiam eligit non *Bellonæ Tubicines*, ſed *pacis Legatos*, non milites, ſed *piſcatores* imbelles, pauciſſimos, qui non vi & armis homines ad fidem adigerent, ſed qui „ nomine Chriſti, acſi Deus ipſe per eos rogâſſet, orârunt ut reconciliarentur Deo 2 Cor. 5, 20. Atque ità *fractis hydriis*, *manu dextrâ buccinam*, *ſiniſtrâ facem tenentes*, Evangelium prædicando, vitæ integritate prælucendo, mortem ipſam in teſtimonium veritatis obeundo *Gideonitæ* iſti *Midianitas* fuderunt, Eccleſiamque proprio potiùs quàm alieno ſanguine rigârunt, ubique ſemper *triumphârunt* 2 Cor. 2. 14. atque ità credentium numerum, Eccleſiæque pomœria ampliârunt. His artibus ὁ λόγος τ̃ Θεῦ ηὔξανε, κ̀ ἐπληθύνετο ὁ ἀριθμὸς τῶν μαθητῶν σφόδρα, πολύς τε ὄχλ@ ὑπήκουον τῇ πίστ, prout Act. 6. 7. *Jud. 7.*

3. Huic contrarium *pugnat* etiam ſi non cum *libertate humanâ*, ipſâque adeò *humanitate*, at ſaltem cum *ingenuâ fidelium indole*, qui *duci* amant Rom. 8. 14. quin & ſuaviter *trahi* opus habent Johan. 6. 44. at ut mancipia, ut jumenta *invitò protrudi* neſciunt. Quò imprimis ſpectat illud Pſalmi 110. commate 3, &c. עַמְּךָ נְדָבוֹת Populus tuus erit ſummè voluntarius (vel ingenuus) die potentiæ tuæ, in ornatibus ſanctitatis, ex utero auroræ erit ros natorum tuorum. Quæ ultima fœcundiſſimam Eccleſiæ progeniem, & miram admodùm *fidei propagationem* denotant. Dies illa ſummæ Chriſti potentiæ erat, quo plurimos ſibi lucrifecit, ſed hoc in *ornatibis Sanctitatis*, in *Sanctuario*, non in *Campo Martio* obvenit, ubi non *coactæ* ſed *conſcriptæ* erant *copiæ voluntariæ*.

Fruſtrà dicis relinquar libero arbitrio: cur enim non in homicidiis & ſtupris à libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia juſtis legibus comprimi utiliſſimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam eſſe voluit impunitam. Auguſt. contra Creſcon. l. 3. c. 51.

4. Ipſi *fidei*, veræque *Religioni* repugnat, quæ *ſuaderi* amat, *cogi* non poteſt, & ſi non hactenus libera ſit, nulla eſt. „ Nil eſt tam voluntarium quàm Religio. Lactant. l. 5. c. 20. Ut ſubditi, immorigeri, Hæretici, Blaſphemi vel in Religionis negotio debitè coerceantur concedimus, volumus, flagitamus; ut verò vel ſubditi, inprimis *extranei*, præſertim ſi nil *blaſphemè* vel *contumeliosè* contra Religionem Chriſtianam loquantur, agant; ad eam *vi & armis impellantur*, nil *Chriſti*, vel verè *Chriſtianorum manſuetudinem* ſapit, nil *ingenuam* vel *fidei* vel *fidelium indolem*. Hoc potius *Nabuchadonoſoris* eſt, qui tres *Danielis* Socios, quòd auream ejus imaginem adorare recuſaverint, *in fornacem ignis* projiciendos curavit Dan. 3,

Hoc *Antiochi*, qui in Judæos nefanda omnia patravit, ut eos à Lege patriâ ad cultum Gentilium pertraheret.

Hoc *Judæorum* μισανθρώπων qui גּוֹיִם Gentes Legum ſuarum jugum ſuſcipere nolentes è medio ſublatas vellent. *Goiim.*

Hoc perfidi nebulonis *Mahumetis*, qui cum Imperium ſuum *ſanguine fundaverit*, *cruento gladio* conſervari, *ampliari* voluit; quod Succeſſores ejus hodiè ex profeſſo factitant, quorum *Luna creſcens* in *Sanguinem vertitur*, *aliter* olim *vertenda*.

Hoc denique *Antichriſti Romani* eſt, qui omnes qui vel minimùm Tyrannidem ſuam detrectare auſint, Anathemate ferit, gladio percutit, omnia flammis, cædibus, lanienis implet. Talem *Dominici* mater peperit, *titionem ardentem*, non hominem. Talem & *Ignatium*, prior ætas vidit, ab *igne* (ut *Haſenmullero* viſum eſt) denominatum, quòd ordo ille innocentes *ad ignem* condemnet, dum *Jeſuitæ* tanquam *Incendiarii* ardentes faces à Papis acceptas ubique circumferunt, Eccleſiam incendunt, neque deſiſtent unquam (niſi Deus Eccleſiæ meliùs proſpexerit) donec omni *Ignatianis flammis* ſubjiciant. At mitior *Sancti Spiritûs* innocentiâ: longè aliter *Agni* mitiſſimi *ſequaces* agunt, ſentiunt, dum vel ipſam *Chriſtianam Religionem vi & armis propagandam* eſſe negant.

Vide meum Symm. de ſuicidio (Anglicè) cap. 11. §. 27.

QUÆST. IV.

Infallibilitas nulli competit Creaturæ.

IN ſecundâ hâc quæſtione penè nullus ero. Punctim, pauciſſimis omnia. Dico

Primò cum *Infallibilitas* aliquando *activè*, ſæpiùs *paſſivè* ſumatur, in *poſteriore ſenſu* hîc præcipuè intelligitur. Quamvis enim *Impoſtores* illud πλανῶντες ἢ πλανώμενοι cum *ſeducentes* tum *ſeducti* 2 Tim. 3. 13. audiant, *reliqui* tamen omnes & *fallere* & *falli* poſſunt.

Secundò *Poſſunt* dico. Nam infallibilitas non *actum*, ſed *potentiam* ſpectat: non *ſemper falli* ait, ſed ut in *aliquibus aliquando fallantur poſſibilitatem* aſſerit.

Tertiò cum Theſis infallibilitatem *nulli Creaturæ* competere dicit, *creaturas* (ſi modò *meræ creaturæ* ſint) in univerſum *omnes* excludit.

Quartò de Infallibilitate *omnimodâ* & *abſolutâ* intelligi debet, nam ut creaturæ aliquæ aliquando in aliquibus, κατὰ τὶ, & ex hypotheſi nec fallantur, nec falli poſſint nil impedit, prout mox conſtabit.

Quintò enim conſiderari poſſunt vel *quatenus in ſe* ſunt, vel quatenus *influxui Divino* atque illuminationi & Regimini infallibili *ſubjacent* & obtemperant. Senſu priore, ut electos & verè ſanctificatos quod ad *ipſos* ſpectat, à *gratiâ excidere poſſe* ultrò fatemur, at non ex *hypotheſi Divini propoſiti, Fœderis*, & *Sancti Spiritûs aſſiſtentiæ*. Ita in aliis (quatenus ſcilicet in *ſeipſis* conſiderantur) multò faciliùs *falli poſſe* nil dubitamus: quatenus verò cum *veritati infallibili* arctiùs *uniuntur*, ab eâque infallibiliter reguntur, diriguntur, eatenus ſaltem neque fallere neque falli poſſe concedimus, imò contendimus.

Humana Chriſti natura Creatura eſt; at ob *unionem cum divinâ Hypoſtaticam*, eam in aliquo *falli poſſe* credere vel cogitare unquam *nefas* eſſe ducimus.

Matth. 18. 10. *Angeli Sancti* & *animæ* in cœlis *beatæ*, dum *Patris noſtri faciem ſemper intuentur*, atque aliter jam ac olim in veritate confirmentur, plura licèt neſciant, *falli* tamen vel unquam jam *falli poſſe*, non dicit Scriptura, non admittit pietas Chriſtiana.

Sancti

Sancti Prophetæ & *Apoſtoli* creaturæ etiam erant, atque exinde cum vel extra influxum Spiritûs eſſent, aliqua ſcitu digna neſciebant, prout Prophetæ *Eliſæo* accidit 2 Reg. 4. 27. vel ubi ſuopte ingenio (vel, ut Scriptura loqui amat, *ex corde ſuo*) locuti ſunt, hallucinati ſunt, quod ex Prophetæ *Nathanis* exemplo conſtat 2 Samuelis 7. 3. in munere verò ſuo juxta mandatum Domini obeundo, dum βεβαιότερον τὸ προφητικὸν λόγον *prædicârunt*, & *Scripturam Sacram* fidei Regulam infallibilem *exarârunt*, prorſus *infallibiles* fuiſſe, non ſolùm piè, ſed indubitatè credimus, actum aliter eſſet de fidei noſtræ & fundamento & firmitudine: falli & errare licèt poſſint plures, qui vòcabulo Ignatiano Θεόφοροι dici ſolent, at non qui à Sancto Petro ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι audiunt.

Nehem. 6. 8.

2 *Pet.* 1. 19.

2 *Pet.* 1. 21.

Fideles denique ad unum omnes, creaturæ ut ſint, adeòque in plurimis aliis, erroribus obnoxii, in *articulis* tamen *fidei fundamentalibus ad ſalutem* ſcitu & creditu *neceſſariis* ſi decipi poſſint, nec *fideles*, nec *ſalvandi*, adeòque nec *ipſimet* eſſent. Ut *Electi à Chriſto ſeducantur*, Ipſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſſe ſtatuit Matth. 24. 24.

Quæſtionis igitur hujus ſumma ad duo hæc revocari poteſt,

1. An Creatura aliqua, prout in *ſe* eſt, à ſeipſo ita *abſolutè* & ſimpliciter *infallibilis* ſit, ut neutiquam falli poſſit.

2. Utrùm vel ex *influxu Divino* (ubi non de *Chriſto homine*, vel *comprehenſoribus* in cœlo beatis loquimur, neque de *articulis fidei ad ſalutem neceſſariis*) utrùm, inquam, *alii* in *aliis* vel ex *influxu Divino* ipſis ſemper aſſiſtente adeò *infallibiles* ſint ut *omninò errare nequeant*?

Utrumque negamus.

Primum, cum Deo ſoli proprium ſit; nam ut quis ita in ſe à ſe *abſolutè infallibilis* ſit, neceſſe omninò eſt ut *omnipræſens* ſit Pſal. 139. quin & *omniſcius*, cui omne cor patet, omnis cogitatio loquitur, qui omnia futura, contingentia, maxima, minima, occultiſſima novit. At hic ſolus Deus eſt.

Creatura verò quælibet, quà talis, cum plurium *neſcia* ſit, in eiſdem *falli* ſaltem *poteſt*, ut qui viam non novit, errare facilè poteſt: quòd ſi non erraverit, non ſibi, ſed meliori duci gratus acceptum ferat.

Præ reliquis creaturis Angeli & homines (utpote ſoli intelligentiâ prædiți) vel falli vel infallibiles eſſe propriè dici poſſunt: at de utriſque ſimul ita Sacra Scriptura pronuntiat „ Eccè ſervis ſuis non credit, & in Angelis ſuis „ reperit ſtoliditatem: quantò minùs fidit inhabitantibus domos luteas qui„ bus in pulvere fundamentum eſt? Jobi 4. 18, 19. ut verbo expediam: Cum *Lucifer* in *veritate non perſtitit* Johan. 8. 44. Cum *Eva ſeducta in prævaricatione fuit* 1 Tim. 2. 14. Cum *omnis homo* (præſertim jam lapſus) *mendax* ſit Rom. 3. 4. nullam creaturam in ſe abſolutè infallibilem eſſe neceſſe eſt.

Si verò quæratur (quod ſecundum erat) An ex influxu ſaltem Divino & S. Spiritûs aſſiſtentiâ aliqui ita infallibiliter ſemper dirigantur, ut in rebus fidei & morum ad ſalutem non neceſſariis nunquam errare poſſint? Reſpondemus firmiter negando, cum nulla infallibilis hujuſmodi aſſiſtentiæ in hiſce rebus extet *promiſſio*, & contrarium planè per omnes Eccleſiarum ſucceſſiones clamet experientia. *Pontificii* quidem hoc *Eccleſiæ*, *Concilio Generali*, *Papæ* imprimis arrogare ſolent, quin & *Enthuſiaſtæ Fanatici* nunc ut olim

hoc inſaniſſimè crepant, venditant, quæ omnia cum à noſtris ſuſè admodùm pertractata, atque refutata fuerint, nil opus eſt ut hic ultra perſequar.

QUÆST. V.

Electio eſt prorſus gratuita.

ADverſarii, quos in hâc palæſtrâ habemus, plures ſunt, *Pelagiani*, *Pontificii*, *Sociniani*, præ reliquis verò *Arminiani*. Horum omnium alii Electionem *bonis operibus prævisis* niti, alii *obedientiæ*, ut loquuntur; at hi ultimi *fidem in eâque perſeverantiam prævisam* Electionis (ſi non cauſam propriam at) *cauſam ſine quâ* non, & *conditionem prærequiſitam* eſſe ſtatuunt. Quamvis enim dicant voluntatem Dei de ſervandis credituris & in fide perſeveraturis eſſe totum & integrum Electionis decretum (mira ſanè *Electio*, ubi *nullus eligi potuit*!) magis tamen liberaliter nobiſcum agunt, & Electionem aliquam *quarundam perſonarum* tandem concedunt, eamque vel *incompletam* & *revocabilem*, vel *completam* & *peremptoriam*, *incompletam* ex prævisione in *fide perſeverantiæ*, tanquam *conditionis* in eligendo *prærequiſitæ*. Quorum ſententiæ ex adverſo opponitur Theſis iſta à Doctiſſimo Reſpondente propoſita, *Electio eſt prorſus gratuita*.

Cum verò *Electionis* vox *Selectionem* aliquorum ex aliis & præ aliis denotet, prout id ad quod eliguntur ſe habet, Electio Dei alia atque alia eſſe poteſt.

Sic Electio eſt ad *munus* aliquod vel *Politicum* 1 Sam. 10. 24. vel *Eccleſiaſticum* Num. 16. 5, 7. vel Populi in *externam Eccleſiam* Deut. 4. 37. Atque hujuſmodi *Electiones* omnes cum (quod ad *Deum* ſpectat) in *immerentes* cadant, jure optimo *gratuitæ* dici poſſunt.

Ar in hâc Controverſiâ de *Electione ad vitam æternam* agimus, quæ etiam duplex eſt.

Vel ab *æterno* in *decreto* ſecundùm illud Apoſtoli Epheſ. 1. 4. „ ſicut nos „ elegit in ipſo ante mundi conſtitutionem.

Vel in *tempore* in *Decreti illius executione*, quâ Electi è mundo actu evocantur & à reliquis ſegregantur, de quâ illud Servatoris Johan. 15. 16. exponere ſolent, „ Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & ſtatui vos ut „ abeuntes fructum feratis &c. ut & v. 19. „ Ex mundo non eſtis, ſed ego „ elegi vos ex mundo. Sic *Auguſtinus*, „ Electi ſumus ante mundi conſti- „ tutionem eâ prædeſtinatione, quâ Deus ſua futura facta prævidit, de „ mundo autem electi ſumus eâ vocatione, quâ Deus id quod prædeſtina- „ vit implevit.

De prædeſtin. Sanctorum. cap. 17.

Utraque hæc ad vitam Electio meritiſſimè *gratuita*, *prorsùs gratuita* dicitur: at *æterna* illa in Dei *decreto* hîc *præcipuè* intelligitur, & *maximè* omnium *prorsùs gratuita* eſt.

Cum enim illud *gratuitum* dicitur, quod à *gratiâ* eſt, quod à *ſolâ gratiâ* eſt, id *prorsùs gratuitum* eſt. Gratuita ſunt omnia Dei in nos collata beneficia, præſertim *ſalvifica*; at præ cæteris univerſis *Electio* hæc æterna eſt, ſenſu jam dicto, prorſus gratuita.

Quædam

Quædam enim eo nomine *gratuita* ſunt, quod *meritum noſtrum* excludant, atque hoc ſenſu omnia Dei dona vel minima gratuita ſunt.

Quædam tamen ita gratuita ſunt, ut licèt excludant *meritum noſtrum*, non *excludant* tamen meritum *alienum*, *Chriſti* ſcilicèt, neque etiam *conditionem* aliquam *à nobis* (licèt *non ex nobis*) præſtandam.

Sic *juſtificatio gratuita* eſt, Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, juſtificati gratis per ejus gratiam Rom. 3. 24. At nec *excludit Chriſti meritum*, cui ſoli nititur, ut verba ibi proximè ſequentia oſtendunt, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, ex cujus ſcilicèt merito ut nobis gratioſè indultum eſt, ita & juſtitiæ Dei litatum eſt ſatis, „ ut ipſe ſimul & juſtus ſit & juſtificans eum qui „ eſt ex fide Jeſu verſu 26. *Ex fide Jeſu.* Quamvis ergò *maximè* & (quod ad *nos* ſpectat) *prorsùs gratuita* eſt, nec *Chriſtum* tamen, ejuſve *meritum*, neque etiam *fidem* in Chriſtum *gratis* etiam nobis *donatam* Epheſ. 2. 8. at *à nobis* ad juſtificationis ἀπαίτημα *requiſitam* excludit, ſecundùm illud quod loco priùs laudato mox additur, „ Quem propoſuit Deus placamentum per fi- „ dem in ſanguine ſuo.

Quædam tamen adeò *prorsùs gratuita* ſunt, ut ad eorum *adeptionem* nulla requiratur præcedanea *conditio* nôſtri *diſpoſitiva*: in hoc cenſu venit *Electio* illa *in tempore*, *prima* ſcilicet *ad gratiam vocatio*, quæ licèt Chriſti meritum præſupponat, cum tamen *creatio* ſit, *nil* in nobis ad eam *diſpoſitivum* requirit, quin ut vel hoc ſenſu *prorſus gratuita* ſit, „ qui ſervavit nos, & vocavit „ vocatione ſanctâ, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo præſtituto, & gratiâ, „ quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæculorum. 2 Tim. 1. 9.

At *Electio* illa *æterna*, de quâ jam agimus, maximè omnium κατ' ἐξοχὴν *prorsùs gratuita* dicenda eſt.

Primò quòd non ſolùm merita noſtra penitùs excludat, quin & *merita Chriſti* non ita *prævisa* habeat, ut ſint Electionis noſtræ *cauſa meritoria* vel in Dei decreto *antecedanea*. *In Chriſto* quidem *eligimur* Epheſ. 1. 4. ità ut Chriſtus electionis *fundamentum* à Theologis nonnullis dicatur; & rectè ſatis, ſi modo ſenſu recto hoc intelligatur; nimirùm ſi ad *omnia beneficia* ad quæ eligimur, non ad ipſum *electionis actum* referatur. *Driedo* & cum eo *Scholaſtici* aliqui negant gratiam electionis, & fidem, & diſpoſitiones ſupernaturales quæ gratiam juſtificantem præcedunt conferri ex meritis Chriſti, ſed ex merâ & gratuitâ Dei benevolentiâ: ſed meliùs edocti ſumus ab Apoſtolo dicente, „ Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœle- „ ſtibus in Chriſto Jeſu Epheſ. 1. 3. Inter *media* enim *electionis executiva*, quibus electi in gloriam provehuntur, *Chriſtus primas tenet*, & fons eſt reliquorum omnium.

At verò quoad *electionem* ipſam, vel quatenus ſpectatur *actus abſolutus* eligentis, vel *reſpectivus*, prout terminatur in *his perſonis*, vel comparativè in *his potiùs quàm in aliis*, ut *Deus eligat*, „ & *hi* in *ſe*, vel *hi potiùs quàm alii eligantur*; Hoc ità *prorſus gratuitum* eſt, ut totum ad *liberrimam Dei voluntatem* referri debeat, qui aliquos eligere, atque hos præ aliis, liberrimè voluit; non ad *Chriſti meritum*, cujus officium *Mediatorium* erat à Deo (quoad ſignum rationis) priùs electos & ipſi à Patre donatos *Redimere*, & ad gloriam, ad quam electi erant, perducere.

Secundò ſi ità gratuita ſit electio, ut non ſit ex præviſis Chriſti meritis,

multò

multò minùs ex *prævisis in nobis* cujuscunque generis *conditionibus* prærequisitis, ex dignitate suâ ad hoc aliquatenus motivis.

Qui Electionem ex *massâ corruptâ* factam esse volunt, in personis eligendis *peccatum & miseriam* præsupponunt. At hæ conditiones tales quales jam volumus non sunt. *Peccatum* enim *Rejectionem* potiùs quàm *Electionem* efflagitat: & si miseria misericordiam eliciat, hoc non *eligendi dignitatem*, sed *eligentis pietatem* clamat. Quin & hâc ratione cum *omnes* ex æquo *miseri* erant, *omnes* æquè *eligendi* essent: At hoc idem est ac *nulli*; Electio enim semper *aliquorum selectio* est cum *aliorum præteritione* vel rejectione conjuncta: ubi ἐκλεκτοὶ ibi semper & οἱ λοιποὶ, secundùm illud Apostoli Rom. 11. 7. „ Electi adepti sunt, reliqui verò excœcati sunt.

Nemo eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur. August. ad Simplicianum l. 1 q. 2.

At potiores aliquæ conditiones æternæ hujus Electionis magis elicitivæ assignandæ sunt. At quænam (si placet) hæ sunt?

Num *bona opera* prævisa? Sic olim *Pelagianis* visum fuit, ut hodiè *Pontificiis*. At non sic Apostolo „ Cum nondum nati fuissent, aut aliquod boni „ egissent aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non „ ex operibus, sed ex vocante Rom. 9. 11. Et quidem si nec *vocotio* nec *justificatio ex operibus* sint, multò minùs his utrisque superior *electio*, at non *vocatio* „ qui liberavit nos & vocavit vocatione sanctâ non secundùm opera „ nostra, sed secundùm propositum suum &c. 2 Tim. 1. 9.

Non *justificatio* „ Colligimus igitur fide justificari hominem absque ope„ ribus Legis Rom. 3. 28.

At licèt non operibus, at *fide* tamen *justificamur*: quidni & ex eâdem prævisâ, in eâque perseverantiâ ad vitam etiam *eligamur*? Ità scilicet *Remonstrantibus* placuit. At non sic misericordi *Deo* quoad *æternum electionis suæ Decretum* in nobis complacuit. Longè aliter nos Sacra Pagina docuit.

1. Primò enim quod ad *causam efficientem* attinet electionem ad *Deum solum*, ejusque *voluntatem liberrimam* in solidum refert: ad *Propositum* ejus τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς Rom. 8. 28. ad *beneplacitum* ὅτι εὐδόκησεν ὁ Πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν Luc. 12. 32. κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ Eph. 1. 5. ad *Gratiam* unde ἐκλογὴ χάριτος *Electio Gratiæ* dicitur Rom. 11. 5. ad τὸ πλοῦτος τῆς χάριτος ad *Divitias Gratiæ* Ephes. 1. 6, 7. si verò ad πρόγνωσιν vel *præscientiam*, ut aliquoties fit Rom. 8. 29. 1 Pet. 1. 2. non talem tamen qualem fingunt Adversarii, sed *approbativam*, quæ cum amore & *benevolentiâ gratuitâ* coincidit; in benevolentissimum hunc Dei amorem Electionem totam refundit Sacra Scriptura. At in quid demùm Adversarii? in *voluntatis* scilicèt non *Dei* sed *suæ* (quæ eorum *Helena* est *libertatem*. Cum enim Electionem ex *fide prævisâ* esse statuant, fidem verò hanc licèt quoad *posse credere* à *gratiâ præveniente* esse concedant, at quoad *actum credendi* in *arbitrii libertate* ponunt: ut quis *actu credat*, atque ita *convertatur*, utque ex *ejus prævisione* (uti volunt) *eligatur*, non in liberrimam Dei gratiam, sed in *liberum hominis arbitrium* ultimò resolvatur necesse est. *En cor Zenodoti! En jecur Cratetis!* Dum voluntatem ita *liberam* esse volunt, *sacrilegam* faciunt: ut homini arrogent Deo detrahunt.

2. Secundò quod ad Electionis *causam finalem* spectat, ea planè eadem Electionis est quæ totius *Novi Fœderis*, scilicet ut *gratiam vehat*, adeòque tota *prorsùs gratuita* est. Ita Apostolus idem de Electione agens, ubi priùs de

efficiente

effieiente ejus dixiſſet κατὰ τὴν εὐδοκίαν τ̃ θελήματ@ αὐτ̃, continuò *finem* etiam *efficienti congruum* adjungit εἰς ἔπαινον δόξης τ̃ς χάριτ@ αὐτ̃ Epheſ. 1. 5,6. „ ut oſtenderet Divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præpa-„ ravit ad gloriam Rom. 9. 23. At non ità ſe res habet ex hypotheſi Adverſariorum. Si enim Electio ex *prævisione fidei & perſeverantiæ* ſit, nil eſſet niſi *aſſignatio præmii* ex *conditionibus requiſitis impletis* vel prævisis, qui quidem actus eſſet *juſtitiæ remunerativæ*, vel ſaltèm *fidelitatis & veritatis*, non *gratuiti amoris & benevolentiæ.*

Tertiò à ſummâ *Dei* αὐταρκείᾳ & *perfectione* ſumi poteſt argumentum. 3.
Cum enim אֵל שַׁדַּי *Deus ſibi ſufficiens* ſit, cum *Jehovah*, qui, à ſeipſo & eſt & operatur, à cujus Decreto dependent omnia, huic minùs convenit ut *ab extrà mediis* vel *motivis* opus habeat, quibus ad agendum vel ad volendum moveretur; hoc enim patibilitatem, mutabilitatem, imperfectionem, non agens ſimpliciter primum, ſed minùs principale, atque ab alio dependens argueret. At in Deo ſummo, primo, immutabili, perfectiſſimo contraria omnia. τὶς προέδωκεν αὐτῷ; Rom. 11. 35. Agentia quidem *finita* requirunt *ſubjectum*, quod *terminet* & *foveat actionem*, ac *motivum ad extra*, quod *excitet* appetitum, at Deus infinitus neutrum. Voluntas noſtra (ut rectè Aquinas) *præſupponit bonitatem* in rebus quas diligit & eligit, ut volitionem eliciat; at voluntas Divina *bonitatem* iſtam diligendo & eligendo *efficit*; ut *cauſam impulſivam* ab *extrà* non habeat; adeò ut ſi verbo-tenus aliquid in Scripturâ contrarium appareat ut Jer. 3. 8. עַל כָּל־אֹרוֹת & alibi ſæpiùs, illud vel per ἀνθρωποπαθείαν intelligendum eſt, vel *objectum* volitionis Divinæ, non ipſam *in ſe* volitionem reſpicit: in rebus quidem à Deo volitis eſt ordo cauſarum & effectuum, finis & mediorum; at neque finis, neque cognitio finis, neque volitio finis excitat in Deo volitionem mediorum, quia non eget mediis: vult quidem media eſſe propter finem, ſed non propter finem vult media: à ſe non exit ut quicquam vel agat vel velit, minimè omnium in hoc Electionis negotio, quæ ideò ſignanter εἰς αὐτὸν, ἐν αὐτῷ in ſe, in ſeipſo fuiſſe dicitur Epheſ. 1. 6. idque duplici inprimis nomine, 1. *Parte q.* 23. *art.* 4. *Gnal. Col-Odoth.*

1. Quòd Electio inter operationes Dei vel extrinſecas vel intrinſecas primum ordinem, locum occupet, ideòque hîc præcipuè aliquid Divinæ voluntati in anteceſſum dari maximè incongruum eſſet.

2. Quòd ſummnm in Deo amorem; ſummum erga creaturam beneficium dicat: quæ utraque tantò commendatiora ſunt, quanto magis ſponte fluunt & minus ab extrinſeco elicita ſunt. At Deus in nos eligendo amorem ſuum commendatiſſimum eſſe voluit. Nil ergo extrinſecum, dum elegerit, reſpexit: unde *Electio prorſus gratuita* eſt.

Quod exinde quarto in loco conſtat, quòd Apoſtolus in Prædeſtinationis negotio, dum eam explicare & confirmare ſatagit, Adverſariorum (Deum injuſtitiæ inſimulantium) blaſphemam audaciam retundit Rom. 9. atque ad altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ad incomprehenſibilem profunditatem judiciorum ejus provocat Rom. 11. At quid his opus eſt? Si enim ex præſcientiâ fidei & perſeverantiæ (ex ejus ſententiâ) electio fuiſſet, nulla Deum injuſtitiæ inſimulandi anſa vel occaſio fuiſſet: vel ſaltèm non ſic Apoſtolus Deum ab injuſtitiæ ſuſpicione purgâſſet *volo miſereri cu-* 4.

jus volo misereri: facilis enim fuisset Responsio, Prævidi Jacobum creditu-rum, Esavum minimè, quæ vel maledicentissimo calumniatori os penitùs obturaret, ne in supremum Dei dominium vel summam potiùs justitiam blasphemias ampliùs expueret.

Plura alia restant, quæ huc adduci poterant. Sed hæc de hâc quæstione dicta sufficiunt.

Quam concludo veram esse & verbo Dei consentaneam.

QUÆST. VI.

Omne peccatum est suâ naturâ mortale.

HÆc Thesis contra *Pontificios* instituta est, quibus hoc solenne est, ut quantum possint, *Dei gratiæ detrahant*, nosque vel in *bonis* nostris *operibus remunerandis*, vel etiam *condonandis peccatis*, ei *minùs debitores* reddant: illinc nos operibus nostris vitam æternam *ex condigno* mereri asserunt, hinc peccatorum nostrorum plurima mortem æternam mereri prorsùs negant. Cum enim ex eorum censu plura *venialia* sint, non omnia *mortalia* erunt. Cui in oppositum Thesis ista *omne peccatum suâ naturâ mortale* esse asserit.

Cum *omne* dicit, *nullum* ne *minimum* quidem *excipit*. Cum verò *omnia peccata mortalia* esse dicimus, non inde eorum omnium *æqualitatem* cum Stoicis & Joviniano * (prout *Campianus* & *Duræus* Jesuitæ nos calumniantur) introducimus. Cum (ut rectè *Calvinus* †) inter ipsa peccata, quæ Pontificii mortalia fatentur aliud alio minus vel ipsi agnoscant. Non igitur protinùs sequitur *paria* esse *peccata*, quæ simul *mortalia* sunt. Ut neque *principes & plebeii*, *quoad cætera pares*, quia utrique *mortales*. Triplicem enim *peccatorum mortalium* vel quoad *genus*, vel quoad *gradum*, differentiam statuunt Theologi nostri: quorum primum locum obtinet *peccatum illud in Spiritum Sanctum*, quod ἀντινομαχικῶς vocatur ἁμαρτία πρὸς θάνατον 1 Joh. 5. 16. quod secum trahit meritum æternæ mortis absolutum, certum & irremissibile. Secundo loco peccata ea sunt, quæ à *Pontificiis* vulgò *mortalia* dicuntur, quæ licèt priore illo minora sunt, at *in se atrocia* sunt, & *voluntariè patrantur*: quorum reatus non sine majore fidei & pœnitentiæ exercitio expiatur. Tertii generis sunt peccata illa, quæ illi *venialia* vocare solent, qualia sunt Rebelles concupiscentiæ motus, defectus item & nævi, qui (dolentibus ipsis) vel optimis renatorum operibus adhæresunt, & alia his similia, quæ omnia *ex se* & *suâ naturâ mortalia* esse dicimus:

De his solis (cum duo priora genera mortalia esse fateantur Adversarii) nos inter & illos agitatur hodierna Controversia.

Atque hæc (ut reliqua omnia) *suâ naturâ mortalia* esse dicimus. *Mortalia* in oppositione ad *venialia* dicuntur. Talem enim peccatorum distinctionem satis incommodam admiserunt *Antiqui*, corruperunt planè *Pontificii*, non prorsùs rejiciendam duxerunt *Nostri*: quod non factum vellem, non magis enim *bonos mores corrumpunt alloquia prava*, quàm *sanam doctrinam suspectæ fidei Nomenclaturæ*. Hoc in voce *Meriti*, ut & *Peccati venialis*

* *Ita Joviniamus docebat, vide Rainold. prælect. 164.*

† *Instit. l. 3. c. 4. § 28.*

Davenant. de justit. habit. & actuali. cap. 35.

lis accidit non ſine veritatis diſpendio. Quod ut clariùs pateat, atque eluceſcat magis quæſtionis propoſitæ veritas; diſtinctiones quædam hîc in anteceſſum ponenda ſunt. Peccatum enim *mortale* dici poteſt

1. Vel quoad *demeritum*, vel quoad *eventum*. Illud propriè *mortale*, hoc magis propriè *mortiferum* dici debet.

2. Quod omnem poſſibilitatem veniæ tollit, vel quod locum relinquit pœnitentiæ ita ut remitti poſſit, vel ſaltèm potuerit. Quo in ſenſu dicit Apoſtolus *eſſe peccatum ad mortem*, & *eſſe peccatum non ad mortem* 1 Joh. 5. 16.

3. *Mortale* dici poteſt ex *naturâ ſuâ* & *per ſe*, vel *per accidens*.

4. *In ſe ſimpliciter*, vel *reſpectu aliorum comparatè*.

5. Ex *rigore legis*, vel etiam ratione habitâ ad *indulgentiam Evangelii*.

6. Vel reſpectu mortis *æternæ*, vel *temporalis*.

7. Quoad perſonas eſt vel *Reproborum*, vel *Electorum*.

His adhibitis diſtinctionibus videamus quæ *Pontificiorum*, quæ *noſtrorum* ſit de peccato mortali vel veniali ſententia.

Reprobos quod attinet: cum eorum peccata, ſecundùm priùs nominatam peccatorum diſtributionem, ſint vel *peccatum in Spiritum Sanctum*, vel *peccata* eo quidem minora, at in ſe tamen *atrocia*, qualia ſunt *homicidium*, *adulterium* & ſimilis notæ alia, vel denique *leviora* illa, ut *verbum otioſum*, *riſus nimius*, & hujuſmodi reliqua: fatentur *Pontificii* duo *priora genera* eſſe per omnia *lethalia*, & quoad *mortem temporalem* & *æternam*, non ſolùm *eventu* ſed & *demerito*, non ex accidente, ſed *ſuâ naturâ*, & *ſimpliciter* & *comparatè*, ex rigore *Legis* & ſine indulgentiâ *Evangelii*: cum peccatum in Spiritum S. tollat omnem veniæ poſſibilitatem, reliqua veniam omnem actualem. Quod verò ad *leviora* illa attinet, licèt ex accidente, nimirum ob *concomitantiam* ſolam peccatorum mortalium, quoad *eventum* morte æternâ puniantur, non tamen *ex naturâ ſuâ* & demerito proprio, ne vel *ex Legis rigore* (ex eorum ſententiâ) ita ſunt punienda, in *Reprobis* & impiis.

Multò minùs in *Electis* & *Renatis*. Concedunt quidem *atrociora* illa & magis *voluntaria* vel *in ipſis mortalia* eſſe. At *minutiora* illa quæ *venialia* vocant: vel in *genere ſuo*, quo in numero *verbum otioſum* ponunt *Aquinas*, *Bellarminus*, alii: vel ex *imperfectione operis*, ubi res per ſe mala eſt, at verò vel ex ſurreptione fit, ut in ſubitis concupiſcentiæ motibus non perfectè voluntariis, vel ob *exiguitatem materiæ*, ut in furto unius oboli: hæc, & his ſimilia, non ſolùm *quoad eventum*, & *per accidens*, *ex Evangelii indulgentiâ*, & comparatè ad atrociora facinora ita venalia eſſe ſtatuunt, ut quicquid (quod ad pœnas *temporales* attinet) vel hîc vel in ſuo (quod ſomniant) *Purgatorio* vel mereantur vel ſubeant; præfractè tamen negant vel ex naturâ ſuâ, vel merito, vel etiam Legis rigore eſſe *æternæ mortis* meritoria, adeò ut ſi moreremur illis nondum expiatis non damnaremur. Sic *Biel*, *Panigarollus*: imò Deus injuſtus eſſet ſi nos ob ea damnaret, quum propter exiguitatem materiæ, quod ad meritum eorum attinet, non tam morte quàm veniâ digna ſunt Sonnio & Cajetano in Summulâ [licèt alibi aliter ſentiat in 1 2æ. q. 8. a. 5. ubi aſſerit nullam culpam ſibi vendicare poſſe remiſſionem ſeu veniam ut & Altenſtajus & Azorius] neque mors æterna proportionata ſit culpis his leviſſimis Bellarmino judice de Amiſſ. gratiæ l. 1. c. 14. Hinc de peccatis his hæc & hujuſmodi eorum effata ſunt.

1. Puſtulæ, ſtipulæ, *Feſtucæ*, *culices*, *ultimi quadrantes* ipſis ſunt.

2. Adeò *venialia* ſunt ut *mortalia* non fiant per *multiplicationem* actuum. Ex *diſpoſitione peccantis* poſſe fieri *mortalia* aſſerit quidem *Bellarminus* eodem Libro Cap. 3. at non ipſorum peccatorum *multitudine* Cap. 13. adeò leves ſcilicet hæ ſtipulæ ſunt, ut in infinitum licèt multiplicentur, plauſtrum illis quamvis impleant, non opprimant tamen.

3. Adeò levia ſunt ut abſque gravis offenſæ reatu contemni poſſint, non *contemptu univerſali peccati* in genere, ſed tamen contemptu peccati *venialis* quà *talis*. Sic *Curiel* in 12. q. 88. art. 4. Et quidni cum

4. Non ſit *propriè* & *perfectè* peccatum, *ſecundum quid*, ut vult *Bellarminus*. Cum

Non facit quod lex prohibet, ſi prætermittit id ad quod lex obligat, ſed facit præter Legem. Aquinas 12æ. q. 88. a. 1. in reſp. ad 1mum.

5. Sit tantum *præter* Legem, non *contra*. Sic *Alenſis*, *Aquinas*, *Bellarminus*.

6. Contra *Conſilium*, non contra *Præceptum*. Sic *Scotus*.

7. Vel ſaltem non contra præceptum *præcipuum*, hoc eſt neceſſarium ad ſalutem. Sic *Vaſquez*.

8. Adeò ut Lex quæ hæc prohibet non eſt *perfectè* & in rigore *Lex*. Ità *Bellarminus* Cap. 11.

9. *Bonaventura* negat per hæc peccata *Deum offendi*: in rem ſuam ſcilicet, in quo Adamum peccâſſe non apparebat. Hâc enim ratione *venialia* ſua *peccata* veniam habent, & ut *plurima* fuerint *nulla* erunt: & quid offenderetur Deus?

12æ. q. 89. art. 1.

10. Cum venialis peccati ne *macula* quidem ſit: ſi fidem habeamus *Aquinatis*, *Bellarmini* oculis lib. 1. c. 6. & 14.

11. Imò eodem judice *Bellarmino* quædam adeò venialia ſunt ut *non conſtet* utrum *mereantur pœnam* aliquam nedum *æternam*. Ità enim ille interpretatur peccatum illud, cujus qui reus eſt *judicii reus* dicitur Matth. 5.

12. Ultimò *Bellarminus* dicit *facili negotio expiari*, at *Biel* adeò de facili remitti, poſſe exiſtimat ut ad ejus remiſſionem nullam requiri *pœnitentiam* propriè acceptam vel habitualem, vel actualem vel Sacramentalem audacter aſſerat. Hæ *Pontificiorum* hâc in re partim *blaſphemiæ*, partim ἑτεροδοξίαι, in quibus nec cum veritate, nec inter ſe conveniunt. Quamvis enim *Bellarminus* communem hîc ſuorum *conſenſum* crepat, *Medina* tamen eorum opiniones de differentiâ peccatorum mortalium & venialium *in infinitum variare* aſſerit.

At *Noſtrorum* contrà unanimis hâc de re ſententia eſt.

1. Peccata in univerſum omnia ſuâ naturâ & merito proprio eſſe *mortalia*, hoc eſt, mortis æternæ meritoria.

2. Speciatim *Reproborum* peccata ſingula vel minutiſſima tam quoad *Eventum* quàm quoad *meritum* licèt gradu diverſo & *mortalia* & tandem *mortifera* eſſe: neque id tantùm propter ſubjectum in quo ſunt, & *concomitantiam* peccatorum, quorum rei ſunt, mortalium: ſed & ſuo *demerito proprio*. Nullum enim peccatum *mortale* eſſe poteſt quoad *eventum*, niſi tale ſit ex *merito*, neque æquum vel juſtum eſſe credimus, ut minutiora illa morte æternâ plectantur ob concomitantiam majorum niſi ex ſuâ naturâ & Legis ſaltem rigore eam mererentur. Cum Deus pro ſanctiſſima ἀπειχείᾳ & φιλανθρωπίᾳ citrà demeritum puniat, non patitur ejus ἀκεραιοδικαιωσύνη ut ultra pœnas irroget.

3. Circa

3. Circa *Renatorum* peccata hæc præcipuè verſatur Controverſia. Cum verò ea dupli is vel generis vel gradûs ſint.

Vel *atrociora*, ut *adulterium* & *homicidium Davidis* vel *minoris reatûs* & turpitudinis, ut *Abrahami* & *Iſaaci mendacia officioſa*, utraque *ex ſe mortalia* eſſe affirmamus.

Quod ad illa *atrociora* attinet: res magis in aperto eſt; quòd mortem æternam mereantur fatentur omnes; an verò eò quòd Spiritum ejuſque gratiam excutiant prout cum *Pontificiis Lutherani* & *Remonſtrantes* contendunt, vel quod actualem aptitudinem ad regnum cœlorum tollant, ut volunt *noſtri*: an effectus *ſpecie* diverſos habeant ab eis quæ leviora ſunt, ut *Baronius* noſter vult, an *gradu* tantùm jam non diſputo: *Graviora* hæc peccata eſſe ſignanter *mortalia* concedunt omnes. *Davenantius.* *Theologi noſtri in Synodo Dordracenâ.*

At de *levioribus* illis gravis *Pontificiorum* nobiſcum eſt controverſia: de his ſic ſtatuimus,

1. Non adeò mortalia ſunt, ut omnem veniæ *poſſibilitatem* adimant; in eis pœnitentiæ locus relinquitur.

2. *Simpliciter mortalia* ſunt, licèt *comparatè* ad *atrociora* illa abuſivè *venialia* dici poſſint.

3. *Quoad demeritum mortalia* ſunt, licèt quoad *eventum* non ſint actu *mortifera*.

4. *Per accidens ratione ſubjecti*, & ex *gratiâ Evangelii veniam actu conſequuntur*; at non inde *per ſe venialia*, ſed verè *mortalia* ſunt.

5. Idque non ſolùm quoad reatum pœnæ *temporalis*, vel in *hâc vitâ*, vel (ut illi fingunt) in *Purgatorio*, ſed *mortis æternæ* in *inferno*, quam, ſi Deus infligeret juſtus eſſet fatente *Azorio*, *Filiucio*, *Gerſone*, contra quam blaſphemat *Bellarminus*.

De his hæc noſtra unanimis eſt, omnium ſententia, in quâ vel ipſorum *Pontificiorum* cordatiores aliquos nobis aſtipulatores habemus: contra eorum reliquos, qui leviora hæc *ex ſe venialia* eſſe clamitant, concorditer *Proteſtantes* omnes inſurgunt & *ex ſuâ naturâ mortalia* eſſe contendunt, & invictè probant: Res tota hoc unico conficietur argumento, cujus Propoſitionem Theſis propoſita efficiet. *Omne peccatum ſuâ naturâ mortale eſt.* At leviuſcula hæc, quæ illi *venialia* vocant, proprii nominis *peccata* ſunt, Ergò non *venialia*, ſed *mortalia* ſunt. Utramque Propoſitionem *Pontificii* plerique negant: utraque igitur confirmanda eſt. *Almainum, Gerſonem, Roffenſem.* *Argumentum.*

Majorem apertè loquuntur notiſſima illa Sacræ Scripturæ Teſtimonia „ Stipendium peccati mors Rom. 6. 23. „ Aculeus mortis peccatum 1 Cor. 15. 56. „ Animo, quæ peccaverit, morietur Ezek. 18. 4.

De morte non temporali, ſed *æternâ* intelligi clamant loca ipſa, ipſi fatentur Adverſarii: Quid ergo quod opponant habent? Hoc ſcilicet, non de *omnibus* peccatis loqui, ſed *tantùm* de *mortalibus*. Nugæ! imò verò quia de *mortalibus*, ideò de *omnibus*, quia ex his locis *omnia* ſunt *mortalia*. *Apoſtolus enim* de iis peccatis loquitur, de quibus pii *erubeſcunt*, v. 21. An verò frons eorum meretricia adeò ænea facta eſt ut ad *venialia* hæc ſua prorſus *depuduerint*? At non ſic pii, non ſic Apoſtolus Capite ſequente. Præterea de iis peccatis loquitur, quæ „ in Baptiſmo unà cum Chriſto in mortem conſepulta ſunt. v. 4. At hæc, ut opinior, non ſola *mortalia* ſunt: „ Quæ etiam ad veterem hominem *Rom. 7. 23, 24.*

„ pertinent. v. 6. Nunquid demùm *venialia* de *novo homine* erunt? Deinque de eo peccato agit, quod „ per primum Adamum in mundum introiit „ & cum eo mors cap. 5. 12. per quod etiam „ mors regnavit vel in infantes ſolius peccati originalis reos, „ qui non peccaverunt ad ſimilitudinem trans„ greſſionis Adami v. 14. Annon verò *venialia* æquè ac *mortalia* ab *Adami* lapſu originem trahunt? Cum etiam peccatum originale *Infantum* ex eorum doctrinâ non *voluntarium* ſit, ſi modò ſecundùm *eos* peccatum ſit, an non *veniale* erit? quod tamen Apoſtolus *mortiferum* eſſe prædicat. Conſtat ideò ex ejus mente quòd & *peccatum originale* & quæcunque *actualia* ex eo fluunt vel *leviſſima* in eorum peccatorum cenſum veniant, de quibus in univerſum omnibus ſententiam illam pronunciat „ Stipendium peccati mors eſt, quod dicit *peccato mortem debere* perinde ut *ſtipendium militi.* Reliqua quæ de Teſtimoniis illis ex 18. Ezekielis & 15. 1. ad Corinthios dici poſſint, ne longior ſim, prudens omitto. Stat ergo firma Propoſitio, quæ & Quæſtio noſtra eſt, *Omne peccatum ſuâ naturâ mortale eſt.*

Aſſumptio erat, At omnia vel *leviſſima*, quæ illi venialia dicere ſolent, ſunt proprii nominis *peccata.* Ità ſæpius in Sacrâ Scripturâ nominantur & ſine addito vel Pontificiis, confitentibus aliquibus, „ Quòd ſi quis peccârit 1 Johan. 2. 2. „ Nam nemo eſt qui non peccet 1 Regum 8. 46. Imo „ non „ eſt homo juſtus in terrâ qui facit bonum ac non peccet Eccleſiaſtis 7. 20. At Reſpondet *Bellarminus*, Peccatum de *venialibus* tantùm *analogicè* dici. Imò *univocè.* Non ſolùm *nomen* peccati eis convenit, ſed & *definitio:* ea habetur 1 Johan. 3. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Hanc peccati definitionem eſſe negavit quidam ex *Pontificiis* noſtratibus, at agnoſcit *Bellarminus.* Unde argumentamur: Veniale peccatum eſt ἀνομία ergo ἁμαρτία. Vera *Legis transgreſſio*, ergò veri nominis *peccatum*, Quid ad hæc? Eſt tantùm *præter* Legem, non *contra* Legem: ſic *Alenſis*, *Aquinas*, *Bellarminus*, alii. Fruſtrâ! imò *contra Legem* fatentur *Durandus*, *Vaſquez*, *Azorius*, *Vega*, alii. Quid quòd in aliquibus quod *præter Legem* eſt, eſt & *contra*, prout in iis eſt, quæ *partes cultûs Divini* ſpectant. Quin & manifeſtè *contra Legem* ſunt; qui in his peccat (contra quàm *Aquinas* aſſerit) *facit quod Lex prohibet, prætermittit id ad quod Lex obligat. Papiſmus* in hoc ut in aliis plurimis purus *Phariſaiſmus* eſt. *Minora* peccata Phariſæi *nulla* eſſe dixerunt, quos refutat Chriſtus Matthæi 5. Pontificii vel venialia ſua non eſſe *contra Legem*, vel *Legem* quæ ea *prohibet* non *Legem eſſe* contendunt: ſcilicet ut qui priùs in *hæreſin* dilapſi ſunt, in *blaſphemiam* deſinant: & qui *venialia* hæc *contemni* volunt, & (quod neceſſariò ſequitur) Legem eorum prohibitoriam, unàque etiam & *Legiſlatorem contemnant*: at hoc ſaltem (vereor) mortale erit; nam „ qui ſpernit vias ſuas morietur Proverb. 19. 16. & „ contemptor verbi per„ detur. Proverb. 13. 13.

De Amiſſ. Grat. l. 1. c. 1.

Contra Legem utique hæc ſua venialia ſunt, cum Lex „ *Spiritualis* ſit Rom. 7. quæ *primo primos* Spiritûs ad peccatum *motus* damnat.

„ *Lata valde* eſt Pſal. 119. 96. quæ *minutiſſima* omnia ambitu ſuo continet.

„ Deum amare toto corde, totâ animâ, mente, totis viribus jubet Lucæ 10. 27. de quo venialia ſua multum, aliquantum ſaltèm minuunt. Ergò *contra charitatem* ſunt.

Quibus

Quibus ſi veniam indulgeat Deus, hoc totum ex *gratiâ* facit; *potuit* ergò *ſalvâ juſtitiâ non feciſſe.*

Imò *propter Chriſti meritum* hoc facit: quo nomine inprimis *mortalia* ſunt, utpote *tantæ mortis rea*: „ Chriſtus immolatus eſt ut exolverit parva „ & magna peccata. Sic rectè *Procopius. Pontificii* pro parvis habeant; cum verò Chriſto tanto conſtabant, precium hoc infinitum pœnæ infinitæ, hoc eſt mortis æternæ meritum ſatis arguit.

Quin & vel vox ipſa *veniale* idem innuit, nimirum quod *veniâ opus habeat*, quam ſi non habeat *morti æternæ* obnoxium erit, prout in *reprobis*. At in *Electis* dicent, ſemper habet. Fateor, ſed ſemper à *gratiâ*. Illi contrà *veniâ dignum* eſſe ſtatuunt: Ergò ex *merito*. *Veniam meretur* dicit *Cajetanus* in Summulâ. negat *Altenſtajus*. Imò ipſe *Cajetanus* alibi meliùs doctus dicit quòd nil in ſe habet *veniam impetraret*. Sanè quod ex ſe *pœnam* meretur, non *veniam* merebitur. At ſic κλώθειν ἀσύγκλωστα nôrunt Θαυματῦργοι Pontificii, apud quos & *bona opera* ſua ex *condigno merentur præmium*, imò vel ipſa *peccata* ſua *veniam*. Ità ſibi benè olet &c. A page verò iſtas inſulſas dicam? an blaſphemas ineptias.

Illud ſolùm adjicere liceat, quòd cum triplex veniale peccatum ponat *Bellarminus*, vel in *ſuo genere*, ut *verbum otioſum*, vel, ſi res in ſe mortalis ſit, ex *imperfectione operis* in *venialem* tranſeat, ut vel ex *ſubreptione*, vel *exiguitate materiæ*.

Ad primum quod attinet: *nullum peccatum ſuo genere veniale* eſſe priùs oſtendimus, ſaltem *verbum otioſum* (quod pro exemplo ponere ſolent) non eſt. Imò (dicit *Bellarminus*) Chriſtùs dicit „ homines de eo tantùm reddituros rationem in die judicii, quod longè meliùs quàm mortem æternam ſonat. Hem acumen! vah impudentiam! in proximè ſequente commate per *ex ſermonibus tuis condemnaberis* exponitur, atque 1 Pet. 4. 5. blaſphemis atque omnium notarum peccatoribus adhibetur. *Matth.* 12. 36. *v.* 37.

Ad ſecundum, Peccatum *ex ſubreptione* iis *veniale* eſt, quia non *perfectè voluntarium*. At in tantum *voluntarium*, ut verè *mortale* ſit: aliter non ſolùm *peccatum originale*, verùm ne *Petri abnegatio Domini* pro peccato *mortali* cenſebitur.

Quod verò tertio in loco de *exiguitate materiæ*, ut in unius oboli furto, & quæ proportio inter tale minutulum, & mortem æternam? In oppoſitum dico

Hoc merum *Phariſaiſmum* ſapit, dum ex parvis nulla faciat:

Imò *Sataniſmum*, cum eodem argumento eſum *pomi vetiti* (non triobolaris forſan) ut Papa ille olim pro nihilo æquè habere poſſet.

Quantò rectiùs *Sixtus Papa* alius, „ Nolo tantùm conſideres quid præ„ ceptum ſit, ſed à quo præceptum ſit. Peccati enim magnitudo non ſolùm ex rei prohibitæ magnitudine, ſed ex *Legis prohibitione*, ex *Legiſlatoris authoritate* æſtimanda eſt. *Leviores* in *Principem offenſæ* ſæpiùs *capitales* ſunt: Eſus ovi in Quadrageſimâ ob *authoritatem Eccleſiæ Pontificiæ* peccatum *mortale* erit: at *veniale* tantùm per hos erit *oboli furtum* contra *ſummi Domini Legem*, contra & juſtitiam & charitatem ex lege illâ proximo debitam.

Imò quò *minor res*, in quâ peccatum fuerit, eò *major* aliquando, præſertim, ſi conſultò fiat, *peccantis contemptus*, adeòque & peccati reatus, cum inter-

interpretativè licèt at verè tamen rem tantillam Deo tanto præferat. *Exiguitas* itaque *materiæ* aliquando de peccato *minuit*; at tantùm abeſt ut id penitùs tollat, ut *aliquando adaugeat*: nullum ergo peccatum ex aliquo trium horum modorum veniale eſt. omne ergò ex ſuâ naturâ mortale eſt. vel, ſi placet, non verbis meis, ſed *Gerſonis Pontificii* concludam omnia. „ Ex his „ radicibus argumentorum videtur eſſe ſufficienter deductum, quod omnis „ offenſa Dei eſt mortifera ex ſui conditione & indignitate. Unde Coroll- „ larium primum, Nulla offenſa Dei eſt venialis de ſe, niſi tantummodò „ per reſpectum ad Divinam miſericordiam, quæ non vult de facto quam- „ libet offenſam imputare ad mortem, cum illud juſtiſſimè poſſit. Et ità „ concluditur, quod peccatum mortale & veniale in eſſe tali non diſtinguun- „ tur intrinſecè & eſſentialiter, ſed ſolùm per reſpectum ad Divinam gra- „ tiam, quæ peccatum iſtud imputat ad pœnam mortis, & aliud non.

De vitâ ſpirituali animæ lib. 1. lect. 1.

QUÆST. VII.

Ad Miniſterium Eccleſiæ ſuſcipiendum ordinariè requiritur legitima vocatio.

Eccleſiæ Anglicanæ Artic. 23.

O Tempora! O mores! ut loca mota ſint vel fundatiſſima! ut legitima *ad Miniſterium Eccleſiaſticum vocatio*, quæ ante exortos Anabaptiſtas, Socinianos, & noſtri ævi Fanaticos reliquos inter τὰ πεπληροφορημένα in Eccleſiâ Chriſti ſemper habita fuit, jam denuò diſputanda ſit, & ad examen revocanda. At dicet forſan aliquis, Quis neget hæc? Quis Miniſterio Eccleſiaſtico, vel ad id vocationi legitimæ, vel ordinariæ, imò vel extraordinariæ in contrarium iverit? cum

Ambubajarum Collegia, Pharmacopolæ,
Mimi, mendici, balatrones, id genus omne.

Qui abactis paſtoribus legitimis pulpita conſcendunt, & in vineam, in meſſem Domini ſe ingerunt, ad hoc tamen *vocationem legitimam*, imò *Divinam* audacter ſatis venditant. Termini igitur Quæſtionis â Doctiſſ. Reſpondente non ita forſan accuratè propoſitæ imprimis breviter explicandi ſunt, ut exinde conſtet, an quos oppugnet, adverſarios habeat.

Miniſterium Eccleſiæ non ſolùm *opus*, ſed & *officium* deſignat, non id quidem δεσποτικὸν, ſed λειτουργικὸν ὑπουργικὸν Miniſteriale, ita tamen ut verbi authoritativè prædicandi & Sacramentorum adminiſtrandorum poteſtatem, & in diſciplinâ Eccleſiaſticâ exercendâ ſub Chriſto, & ſecundùm Chriſtum Eccleſiæ Regimen non omnibus commune, ſed iis, qui ad id legitimè vocati ſunt, proprium. Unde *ſeparari* & *eligi* dicuntur 1 Chron. 23. 13. 2 Chron. 29. 11. Act. 1. 24.

At quænam hæc *legitima vocatio*? Legitima ea demum eſt, quæ ſecundùm *Leges* à *Chriſto* in verbo ſuo *latas* fit. *Vocatio* verò cum & *Dei* & *hominum* ſit, Dei inſuper vel *immediata*, (qualis *Prophetarum* & *Apoſtolorum*, quæ οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου Gal. 1. 1. (i. e.) *non ab hominibus*, vel *auctoribus*

auctoribus vel *miniſtris*) vel *mediata*, qualis *Paſtorum reliquorum*. Hos vocat Deus, dum eos (ut *Bezaleelem* olim) donis inſtruit: dum oſtium patens aperit 1 Cor. 16. 9. dum in vocatis τὸ προθυμον ingenerat Rom 1. 15. & ſi quæ alia his ſimilia, de quibus hîc minùs ſolicitus ſum, quia in hâc, quam jam tractamus Controverſiâ Adverſarii *Dei vocationem* quam non habent non negant tamen, imò crepant inſolentiùs. De *hominum vocatione* quæritur: quæ ideò hominum dicitur, non quòd ἀπ' ἀνθρώπων, ſed ὑπ' ἀνθρώπων, non quòd *prorsùs humana* ſit & ab hominibus tanquam ab auctoribus ſuo arbitratu facta, ſed *eorum* ſub Chriſto atque ſecundùm Leges à Chriſto ſancitas *miniſterio* & *ſuffragio* peracta. Hæc verò duplex eſt: vel *populi* ad quem qui vocatur mittitur: talis erat *viri* illius *Macedonis* Act. 16. 9. qui viſione nocturnâ *Paulum* precabatur, dicens, „ Tranſiens in Macedoniam ſuccurre „ nobis. Hæc in Sacrâ Paginâ licèt (opinor) infrequentiùs, vulgò tamen jam obtinuit ut *Vocatio* dici ſoleat, quæ quouſque ad Miniſtrorum vocationem legitimam neceſſaria ſit, ad Controverſiam, quam præ manibus habemus, non adeò ſpectat. *Exod.* 31. 3. *Deut.* 18. 6.

Hîc de eo præcipuè quæritur, quod ad *Rectorum Eccleſiæ* partes in hoc negotio attinet. Hoc in Sacrâ Scripturâ *Inſtitutionis* Act 6. 3. Tit. 1. 5. *ſeparationis*, *miſſionis* Act. 13. 2, 3. nomen habet, & jam vulgò *ordinatio* dicitur, quæ, facto priùs examine, 1 Tim. 3. 10. adhibitis precibus, jejunio, & manuum impoſitione peragitur Act. 13. 3; 14, 23. 1 Tim. 4. 14. 5, 22. 2 Tim. 1. 6. quâ etiam jus & poteſtas legitima ad tale munus in Eccleſiâ obeundum confertur. Num. 8. 10, 11. Act. 6. 3, 5, 6.

Miniſterium qualequale *Eccleſiaſticum* agnoſcunt *Sociniani*: quod verò ad *Ordinationem*, *Inſtitutionem*, *Miſſionem* hanc authoritativam ſpectat, duo concedunt. 1. ubi *nova doctrina* affertur, (ut in Evangelii primordiis) magis *neceſſariam* eſſe. 2. Nunc etiam admitti poſſe, & ſi Eccleſia rectè conſtituta & incorrupta eſſet, valdè *juſtam* eſſe, imò „ meritò apud omnes juſtam „ authoritatem invenire debere. Sic *Radeccius* contra *Smigleſium*. Sic etiam * *Smaltzius* contra *Frantzium*. Cum verô jam *corrupta* ſit *Eccleſia*, non *alligandum vocatis* hujuſmodi *Miniſterium Eccleſiaſticum*, præcipuè cum qui jam docent in Eccleſiâ nullam *novam*, nec antea inauditam *doctrinam* afferant, nullo modo opus habent ut ità mittantur, multò minus (cum Apoſto„ lus deſcribens diſertè omnia quæ ad conſtituendas perſonas ejuſmodi per„ tinent, nullam miſſionis faciat mentionem) miſſio hæc neceſſaria erit. Sic Catechiſmus *Racovienſis* de Eccleſiâ Chriſti. Cap. 2. Sic *Sociniani* reliqui *Miniſterium* volunt, in quod tamen ſine *miſſione* vel *ordinatione* Eccleſiaſticâ *quivis* qui pietate & donis inſtructus eſt (vel ſaltem ſe eis inſtrui putat) ſe ingerere poſſit, quod planè (quod ad *officium* quoad *perſonas* diſtinctum) *nullum* eſt: Hoc apertiùs & inſaniùs agebant prioris ſæculi *Anabaptiſtæ*, & hodierni noſtri aliique malè-ſani *Fanatici*, dum Eccleſias venum peſſum dari volunt, Miniſtros & πᾶν ἱερατικὸν πάγμα internecioni devovent, vocationem vel *ordinationem* hujuſmodi exſufflant, deſpuunt. Si quis interim doctrinam Evangelii intelligat, (præſertim ſi Spiritu eorum Fanatico unctus fuerit) ſive is ſit ſutor, vel ſartor, ſive ex plebis fæce quilibet, (*Jeroboamo* ſcilicet autore 1 Regum 12. 13.) eum docere & concionari debere ajunt: Unde *Pontificii* anſam *Evangelicos* omnes calumniandi arripuerunt, quòd

Sic Oſtorodus in Inſtitutionibus cap. 42. Sic Socinus in Tractatu de Eccleſiâ.

* *Parte 2dâ diſp. 4.*

nullâ parte magis laborant noſtri, quàm ut ſublato ordine Eccleſiaſtico rem Chriſtianam confundant ac pervertant. Ità eorum quidam. Cui gemellum illud alterius ſcomma, quòd ex cœmentariis, laniis, coquis, ſartoribus miniſtri Proteſtantium effecti ſint. At mendaciſſima hæc convicia Theologi noſtri ſatis amoliti ſunt, dum & *Miniſterium* legitimum, atque ad id *admiſſionem* juxta *Scripturas* verè *Canonicam*, quà *doctrinâ* quà *praxi* apud nos obtinere invictè probant: Si quis verò quod inter noſtrates in ſummâ hâc rerum Eccleſiaſticarum confuſione hodie agitur objiciat, pudet equidem *hæc opprobria nobis & dici potuiſſe & non potuiſſe refelli*: Deum veneramur ut maculam hanc eluat, atque *opprobrium* iſtud *Ægypti* à nobis *devolvat* ocyus. Hæc vota noſtra, hæc unanimis cordatorum apud nos omnium Sententia, *Ad Miniſterium Eccleſiæ ſuſcipiendum ordinariè requiritur legitima* (qualem priùs diſcripſimus) *vocatio*.

Joſh. 5. 9.

At quid illud *ordinariè* vult? nimirùm, ut exceptioni locus detur, ſiquid verè extraordinarii acciderit. *Verè extraordinarii* dico, non quale fingunt Adverſarii, putà ſi vel Eccleſiæ ſtatus per omnia ipſorum palatis (vitiatis ſcilicet) non arriſerit, vel ſi reverâ *aliquantùm corruptus* fuerit, ità tamen ut *vera Eccleſia* permanſerit. Hoc enim cum *ordinarium* fuit, ſit, erit, nihil hîc *extraordinarii* tentandum eſt. Cum enim Eccleſia nulla prorſus uſpiam jam ſit, vel ferè unquam fuit, quæ *nævis* ac *labeculis* ſuis omninò caruit, (Noviſſimo ſiquidem die illud expectandum eſt, ubi Chriſtus „ Eccleſiam ſuam „ ſibi glorioſam ſiſtet non habentem maculam aut rugam, aut quicquam e„ jusmodi Epheſ. 5. 27.) ſi ob *defectus* hujuſmodi *extraordinaria* ſemper adhibenda fuerint, nihil unquam reliqui erit vel *ordinarii* vel *ordinis*, ſed confuſè, imò & perverſè peragerentur omnia. Si verò vel *Apoſtaſiâ* manifeſtâ, vel per Superſtructionum additamenta ipſa *fundamenta* (prout denſiſſimis Papatûs tenebris accidit) *dicuta* fuerint; hîc veniæ locus aliquis eſſe potuit, ut Iſraelitis olim qui Paſcha comedebant ſecùs quàm „ præſcriptum fuit 2 Chronicorum 30. 18. quamvis non deſit *Eccleſiæ* noſtræ *Anglicanæ* & reliquis *Evangelicis*, quo quid in ipſis *Reformationis* primordiis hâc in re ab ipſis factum fuit tueri atque ordini à Chriſto inſtituto conſonum fuiſſe demonſtrare poterint, quod & reverâ Doctiſſimi viri ſatis demonſtrârunt. At licèt cum ad incitas res ità redactæ ſint, ut ex Perſecutorum tyrannide, exilio, naufragio, vel tali aliquo infortunio defuerint paſtores qui alios in paſtores ritè ordinare poſſint, *plebi* Chriſtianæ integrum erit *idoneos* aliquos ex ſuorum numero ſine *vocationis ordinariæ* ſolennitate Miniſterio huic pro tempore præficere: Cum verò *nulla* talis *urget neceſſitas*, citrà *legitimam vocationem* munus hoc temerè arripere, quî unquam poterit eſſe *legitimum*? Imò contrarium 1. aſſerit *Vetus Teſtamentum*, 2. confirmat *Novum*, 3. comprobat *Ratio*.

Argum. 1. ex V. T.

Et primò quod ad V. T. attinet ſi vel Dei *mandatum*, vel illius violati *pœnas* ſpectemus, res tota illicò confecta erit. Quid aliud voluit Sacerdotum & Levitarum ad munus ſuum ex Lege *ſeparatio* Num. 16. 9. *Conſecratio* Exod. 29. *vocatio*? „ Neque enim ſibi ipſi quiſquam hunc honorem ſumit, „ ſed qui vocatur à Deo ſicut & Aaron Heb. 5. 4. Quid Prophetarum ut & Sacerdotum *unctio*? 1 Regum 19. 16. *Miſſio*? Iſa. 6. 8. Jer. 1. 7. & alibi paſſim? Quid de Prophetis qui *Deo non mittente currebant* querelæ, &

objur-

objurgationes? Jer. 23. 21. Quid pœnæ denique, eæque graviſſimæ *Dathani, Abiramo, Uzzæ, Uzziæ*, reliquis ob Sacra ipſis vetita, ab ipſis tamen temerè imò & ſacrilegè attentata, inflictæ? De cœlo nimirùm clamant hæc omnia Sacri Miniſterii officia *illotis* eorum *manibus*, quibus ex Dei inſtituto & *vocatione ordinariâ* nil tale demandatum eſt, minimè temeranda.

Si verò ad *Novum Teſtamentum* ſecundò accedamus, ut nil de *Apoſtolis* dicamus, qui, ut *munere extraordinario* fungebantur, *vocatione* itidem gaudebant *extraordinariâ*, immediatâ ſcilicet Chriſti deſignatione, miſſione, de quâ adeò, idque ſæpiſſimè, gloriatur *Paulus* Apoſtolus: ut illud tamen interim moneam, cum jam Chriſtus in cœlum aſcenderat, in *Matthiæ* vel ad *Apoſtolatum* deſignatione quamvis (uti docuit) potiores partes Dei erant, quouſque tamen licuit vices etiam ſuas habuit *Eccleſia* Actorum 1. quin & Pauli ad id officii vocatio, quamvis antecedenter *homines nullos auctores*, at conſequenter Apoſtolos qui *dexteras Societatis ei dederunt*, *approbatores* habuit. Sed ut Apoſtolos (inquam) mittamus, ſi *Diaconos* ſpectemus, eos à plebe Chriſtianâ electos, ab *Apoſtolis* miniſterio illi *præfectos* habemus. Actor. 6. 1. *Argum. 2. ex N. T.* *Gal. 1. 1.* *Gal. 2. 9.*

Si *Evangeliſtas*, *Timotheum* huic muneri ſubvectum legimus per *impoſitionem manuum* non *Paulum* ſolùm 2 Tim. 6. 1. ſed & *Presbyterii*. 2 Tim. 4. 14.

Si *Paſtores, Doctores, Evangeliique præcones* ordinarios, *Timotheum Epheſi* relictum habemus, ut ipſe aliis *manus imponeret* 1 Tim. 5. 22. *Titum Cretæ*, ut *conſtitueret* κατὰ πόλιν *oppidatim Presbyteros* Tit. 1. 5. Ità *Paulus* & *Barnabas Lyſtræ, Iconii & Antiochiæ* κατ' ἐκκλησίαν *per ſingulas Eccleſias* Presbyteros per *ſuffragia creârunt* Act. 14. 23. qui & ipſi Capite præcedente v. 2, 3. ad hoc opus *ſeparati, vocati, jejunii, precum, manuum impoſitionis* viatico *emiſſi* ſunt. Quam quidem miſſionem ab omnibus qui pro authoritate & cum fructu munus illud obire volunt exigit Apoſtoli effatum illud Rom. 10. 15. „ Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint?

At quid ad hæc Adverſarii?

Num *Vetus Teſtamentum* rejicient? Hoc faciunt ex his aliqui. At blaſphemum hoc *Manichæorum* commentum non eſt quòd apud vos exagitem, utpote ab *Auguſtino*, (qui & ipſe aliquando *Manichæus* erat) ſatis exploſum in *Libris* contra *Adverſarium Legis & Prophetarum*. 1.

Num Sacerdotes Veteris Teſtamenti *Sacerdotis noſtri ſummi Typos* eſſe dicent? Id dicunt quidem, atque hoc verè dicunt. At quid inde elicient? Hoc ſcilicet, ideò eos ad munus ſuum ità ſolenniter vocandos atque conſecrandos fuiſſe quò *Chriſti* ad *Sacerdotium* ſuum præſignificaretur *Inauguratio*, cujus rei, adeòque & Conſecrationis hujuſmodi nil omninò conſortii habent *Miniſtri Evangelici*. At *citiùs aquam ex pumice*; quamvis enim conſecratio illa *Levitica* quoad conſecrandi *ritus, ceremonialis*, quod item *finem* iſtum ſpecificum *typica* fuit; quoad *rem* ipſam tamen *moralis*, imò de *jure naturæ* fuit, quatenus nimirum ad *officium* adeò auguſtum *dedicatio* fuit; quâ in re nihil ipſis cedunt Miniſtri Evangelii: quorum item inſtitutio æquè jam Chriſti inſtitutis (quæ de eâ in Evangelio habentur) convenire debet, ac illorum prior *in monte Prototypo*. 2.

Num tertiò cauſabuntur exempla & præcepta, quæ hâc de re in *Novo Teſtamento* occurrunt eſſe de *vocatione extraordinariâ*, eâque ad *officia extra-* 3.

ordinaria Apoſtolorum putà atque *Evangeliſtarum*? at & (ut jam probavimus) *Diaconorum*, & communis fortis *Presbyterorum*; ut ad *hanc cauſationem* quod attinet, meritò *emeriti*, & *milites* habeantur *cauſarii*.

4. An denique illud regerent (quod ſedulò admodùm *Sociniani* faciunt) ſi *falſa doceant prædicatores*, meritò iis (ut Pſeudoprophetis olim) vitio verti poſſe miſſionis defectum, cum ad hoc nunquam eos miſit Dominus; imò ſi *nova* & *priùs inaudita* (vera licèt ſint) afferant, prout in Evangelii primordiis ab Apoſtolis, & tum temporis viris Apoſtolicis aliis factum eſt, meritò etiam requiri vocationem & miſſionem hujuſmodi. At patefacto jam demùm Evangelio, ſi nil *falſi*, nil *novi* proferant, nil opus eſſe *miſſionis* hujus ſolennitate.

At quis non indignetur effrontem iſtorum hominum impudentiam?

1. Ut nil *novi* cudant veteratores iſti, qui errores ferè omnes olim damnatos ex inferis reſuſcitant, at ut nil *falſi* etiam, veſtram fidem obteſtor, Auditores, quibus eorum plus ſatis nota eſt *perfidia*, veſtras aures, quas eorum nimis obtundunt *hæreſes*, veſtros animos, quos eorum jam diu excruciârunt *blaſphemiæ*. „ Qui enim non miſſi ſunt (ut rectè annotavit Beza) autore „ carent & aut falſa docent, aut ſub aliquâ veri ſpecie fucant veritatem.

in Rom. 10. 15.

2. Ut *his malis* obvietur, eò magis (accurato prius habito examine) *inſtitutionem*, atque *miſſionem*, atque *neceſſariam* judico, his præſertim temporibus: tantum enim abeſt ut cum Eccleſiæ ſtatus *corruptus* fuerit, *minor* hujus rei *cura* (prout illi volunt) habenda, ut eo potiùs nomine adhibenda ſit *maxima*.

3. Quid falſi unquam docuerunt *Iſaias*, *Jeremias*, Prophetæ reliqui? qui tamen non ſine ſolenni legatione à Deo miſſi ſunt. Quid *Timotheus*? qui tamen non ſolùm *Pauli*, ſed & *Presbyterii manuum impoſitionem* non abnuit.

4. Ad id quod dicunt vocationem vel *Miſſionem* hanc eis neceſſariam eſſe, qui, *veram* licèt, at *novam*, neque priùs auditam, doctrinam (ut in Evangelii initio) afferunt; non iis qui priùs cognitam & receptam ultrà proſequi atque propagare ſtudent: duo, quæ reponam, habeo.

Primum illud eſt ſe ſui parùm memores eſſe, qui (falſò illud quidem, at) exertè dicunt „ Philippum, Apollo atque alios in Actis Apoſtolicis ſine re- „ vocatione peculiari Evangelium tum nuper exortum prædicâſſe. Secundum hoc eſt quòd licèt ad *novam*, atque extraordinariam *Legationem*, *novæque* doctrinæ promulgationem primam *magis* eo nomine *neceſſaria* ſit peculiaris miſſio: ad priùs *receptæ* tamen ex officio *prædicationem ſimpliciter neceſſaria* eſt *vocatio* & *miſſio ordinaria*. Quod adhuc magis probatum dabit Tertium à Ratione petitum argumentum.

Argum. 3. à Ratione. Ea verò Ratio multiplex eſt.

Prima à *Lumine Naturæ* petita, ut enim illud taceam, in corpore *naturali* organico „ non totum corpus oculus. 1 Cor. 12. 17. in *Oeconomico* diſtincta ſunt Oeconomorum officia; in re *militari* ducum, tribunorum; in corpore *Politico*, *Magiſtratuum* ſejuncta, quibus ſolenniter præficiuntur, munia. Quibus nominibus paſſim in Sacrâ Paginâ indigitatur Paſtorum officium in Eccleſiâ, quæ, cum ſicut *caſtrorum acies ordinata* eſſe ſoleat, quàm miſera foret ſi in turbam confuſaneam tandem abiret? (ut hæc, inquam, taceam)

Cant. 6. 4. 10.

taceam) ex ſolo Naturæ lumine *Ethnici*, qui in tenebris palpârunt, ad Sacra ſua peragenda *Pontifices*, *Sacerdotes*, *Magos*, *Dryadas*, *Bardos* ſuos ſacros ſacratos habuerunt: quòd cultibus Idololatricis addicti fuerint, id ignorantiæ eorum tenebris deputandum eſt, at quòd *Sacris dicati*, dedicati, id ipſius *naturæ lumini*, quin & *Divinæ inſtitutioni*, quam mutuò acceperunt ab *Eccleſiâ*.

2. In quâ (quæ ſecunda ratio eſt, eaque efficaciſſima) tam *Judaicâ* quàm *Chriſtianâ* hucuſque per omnia ſæcula obtinuit iſta Rectorum à plebe, Paſtorum à gregibus per ſolennem vocationem, miſſionem (quam jam vulgò *ordinationem* vocamus) ſegregatio: neque hoc ex Clericorum Typho, vel Laicorum contemptu, non techná aliquâ politicâ, vel ex ſolo arbitrio, ſed omninò ex neceſſitate.

Tum *præcepti*, cujus generis occurrunt plurima: Illud unicum in præſentiarum ſufficiat 1 Tim. 3. 10. Καὶ ἔστω δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτωσαν. De Diaconis ibi loquitur Apoſtolus, at cum ἤ ἔστω *& hi* dicit (ut rectè monet *Grotius*) oſtendit multò magis ad eam normam exigendos *Preſbyteros*.

Fruſtrà ergo ſunt *Sociniani* dum id oggerunt, Apoſtolum, cum omnia quæ ad conſtituendum Evangelii Miniſtrum diſertè deſcripſerat, nullam miſſionis hujus feciſſe mentionem, imò de ipſiſſimâ hâc re *Timotheum* hîc inſtruit, dum *quales* mittendi ſint pluribus docet, atque ut innoteſcat meliùs, eos accuratiori priùs ſubjici vult *examini*. Neceſſarium itaque eſt neceſſitate ſaltèm præcepti.

Quin & *medii*, ſcilicet

Ut in Eccleſiâ, quæ acies ordinata eſt, ſervetur ordo, vitetur confuſio. Illum ſeriò injungit Apoſtolus 1 Cor. 14. 40. Πάντα δὲ εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, hanc procul ab Eccleſiâ amolitur v. 33. οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ Θεὸς, ἀλλ' εἰρήνης, ὡς ἐν πάσαις ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων. At qualis δὲ τάξις, quæ pax expectanda eſt, cum ἀτάκτως gerantur omnia? At contrà, quas *turbas*, quas *confuſiones*, eaſque confuſiſſimas Eccleſiæ dederint vel ex viliſſimâ plebeculâ indoctiſſimi, ſceleratiſſimi, hæreticiſſimi, cum ruptis jam ordinis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ repagulis Sanctiſſimo huic muneri audaciſſimè, ſacrilegè ſe ingeſſerint, utinam non nos docuiſſet miſera experientia, ſera nimis pœnitentia. Hîc illud unicum *Nicoliadis Sociniani* adjicere liceat, „ Timothe-
„ um ſcilicet à Paulo & Preſbyterio per manuum impoſitionem ſacris initia-
„ tum fuiſſe, non quòd ad munus docendi neceſſarium erat, ſed quia tunc
„ ſic requirebat ordo & decorum Eccleſiæ. Regero ego: Si *tunc* hoc requiſivit *ordo & decorum Eccleſiæ*, cum hæc non ſolùm in *Eccleſiâ Corinthiacâ*, ſed in *Eccleſiâ univerſâ* perpetua eſſe voluit, ex eo ſequetur & nunc & in perpetuum neceſſarium eſſe ad *conſervandum* in Eccleſiâ *decorum* & *ordinem*.

Apprimè etiam neceſſarium eſt ad conciliandam debitam *Paſtori* ipſi *Reverentiam*, ut & *doctrinæ obſequium*, quò nimirum

Ἐν πάσῃ παῤῥησίᾳ Phil. 1. 20. cum *omni licendi libertate* doceat imò μετὰ πάσης ἐπιταγῆς Tit. 2. 15. *cum omni imperio* immorigeros arguat.

Ut cum majore fructu Evangelium annuntiet Jer. 23. 21, 22. „ Non e-
„ nim (ut rectè obſervat Lutherus) fortunare ſolet Deus labores eorum, *Iſai.* 51. 16.
„ qui meſſi ejus ſe ingerunt. Vel ſaltèm ſi (ut Propheta olim Iſaiæ 49. 4.)

fruſtrà laboraverit dum populus indocilis, indomitus permanſerit, hoc tamen quo ſe ſoletur habeat, quòd non *in nomine ſuo venerit*, non ἄλλῳ, non *Joh. 5. 43.* αὐτὸς ἄλλῳ operi huic acceſſerit, ſed Domino *vocanti, mittenti* (ut commate primo habemus) morem geſſerit, adeòque vel re infectâ *judicium* ejus (prout commate quarto ſequitur) *cum Domino, opus ejus* cum *Deo ſuo* ſit, à quo & operis mercedem, humiliter licèt, ac indubiè, at lætanter expectare poterit. *Iſa. 49.*

QUÆST. VIII.

Chriſtiano licet ex intuitu mercedis operari.

CONcilium *Tridentinum* Seſſione ſextâ cap. 11. decernit „ eos Orthodoxæ Religionis doctrinæ adverſari, qui ſtatuunt in omnibus operibus juſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, „ & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc ut imprimis glorifi„ cetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam. Unde in Seſſionis ejuſdem canone triceſimo primo tale fulmen vibrat, „ Siquis dixerit juſtifi„ catum peccare dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, Anathema ſit. At quinam illi fuerunt qui hoc dixerunt non dicit: An *Antigonus* ille Judæus, cujus in *Pirke Aboth* hoc extat præceptum „ Ne eſtote ſicut ſervi qui „ ſerviunt Domino propter mercedem, ut nempe accipiat præmium &c. Quod præceptoris commodè dictum à *Balthoſo* & *Tſadoko* diſcipulis ejus, & poſt eos à *Zadukeis* reliquis peſſimè detortum eſt in Reſurrectionis abnegationem. *Alphonſus à Caſtro* hujus erroris autorem primum facit Bugaurium neſcio quem; per *Sancium*, *Tarraconenſem Archiepiſcopum*, unâ cum errore ſuo damnatum. Idem *Alphonſus* poſtea hanc *Lutheri* ſententiam fuiſſe dicit (quam *Corn. Janſenius* ad Matth. 5. 12. Lutheranis omnibus impingit) quæ à *Concilio Tridentino* damnata eſt. At nil *Lutheri* profert, quo hoc probet; imò non poſſe ex eo veriſimile eſt quod mox addit „ Contra hanc hæ„ reſin neſciò aliquem ex profeſſo ſcripſiſſe, quanquam multos vidi, qui „ contra errores Lutheri & Sectatorum illius ſcripſerunt. At ſi quid tale *Luthero* excidiſſet, non adeò cæcutiebant Lynces Pontificii, quin id ſtatim animadvertiſſent, neque in eum ità benè animati erant, ut non ob id in eum intonarent horridè. At quamvis *Alphonſus* contra *Lutherum* non potuit, *Bellarminus* tamen contra *Calvinum* ſignatis tabulis agit. Librum, Capita, Sectiones notat. At quid in his quæſo invenit? Scilicet negare videtur operandum eſſe ex intuitu mercedis; ſaltem non eſſe ex tali exhortatione ducendum exordium, & in Antidot. Concilii Trident. Seſſ. 6. Can. 31. dicit Apoſtolum ad Epheſ. 1. longè aliam doctrinam tradere de intiuti mercedis, quam Concilium faciat. Hæc *Bellarminus*, *Fide ſcilicet Romanâ*, hoc eſt *Græcâ*. *Negare videtur* operandum eſſe intuitu mercedis. Candorem tuum *Bellarmine*! Hoc *negâſſe Calvinum* non auſus es dicere, cum contrarium ipſe probè nôſti, & mox conſtabit apertiſſimè. At *videtur* tamen. Quòd ſi eſſet, charitas (quam tamen tu *Calvino* nullam exhibes) rem dubiam in par-

lib. 11.

Bellarminus Bugantium vocat.

De Juſtif. l. 5. c. 8.

Inſtit. l. 3. c. 16. § 3. & c. 18. § 2.

tem

tem meliorem inrerpretari debuiſſet. At cui videtur tandem? Tibi nimirum, tuique ſimilibus, qui *Calvini* noſtrorumque omnium acribus, malignis oculis intueri ſoletis omnia. An verò alicui, quem nondum vel præjudicium vel odium occæcaverit, videbitur *Calvinus* negare operandum eſſe intuitu mercedis? qui in illud ad Hebræos 11. 26. *Intuebatur* (Moſes) *in præmii retributionem* hæc habet „ Fides remunerationis quæ promittitur re„ ſpectum habet, qui in Inſtitutionum Libri tertii Cap. 8. citato ubi ex nomine *mercedis meritum concludi* non poſſe at ex voce *hæreditatis* planè *everti* oſtendit, illud tantùm dicit „ Regnum cœlorum non ſervorum ſtipendium, „ ſed filiorum eſſe hæreditatem. Num verò is *mercedem* gratuitò promiſſam *intueri* aliquos *prohibet*, qui *Regnum cœlorum ſervorum* (ex merito) *ſtipendium* eſſe *negat*? Capite etiam (quod Bellarminus adducit) 16to tantùm contra „ ſervilia coactaque legis obſequia agit, quæ Pontificii ingerendis „ meritis extundunt; de quibus ſic loquitur, Quaſi verò talibus obſequiis „ valdè oblectetur Deus, qui profitetur ſe hilarem datorem diligere. Cui hoc addit: „ Neque id dico quod id vel reſpuam, vel negligam adhorta„ tionis genus, quod Scriptura ſæpenumerò uſurpat, ne ullam omittat nos „ undique animandi rationem. Commemorat enim mercedem, quam Deus „ redditurus eſt unicuique ſecundum opera ſua; ſed illud unicum, atque „ etiam in multis præcipuum eſſe nego. Deinde exordium inde ſumendum „ non concedo. Num tu, Bellarmine? num mercedis intuitum unicum vis eſſe bonorum operum motivum? num præcipuum? num primarium? num eo ſolo animo & fine bona opera facis? num id præcipuè & primariò ſpectas ut mercedem accipias? ſi tecum ità ſe res habeat, ſanè *mercenarius* es, ſi (quæ tua ſententia eſt) ut mercedem *ex condigno* merearis, & *blaſphemus* inſuper. Atqui נדיבים חסידים qui Dei filii ingenui & genuini ſunt, quamvis ad mercedem à Deo gratuitò propoſitam & promiſſam in viâ bonorum operum anhelent, atque ejus intuitu alacriùs ad bravium hoc currant, atque incitatiùs; aliud tamen & priùs & pleniùs in oculo, in corde habent; *Supremi* ſcilicet *Domini gloriam*, & *obſequii debiti conſcientiam*, ut Deo inprimis placeant, & debitam pro omnibus, in Chriſto præcipuè, beneficiis referant gratitudinem. Hoc ſolùm & vult & dicit illo in loco, ut in Sectione ſecundâ præcedente illis verbis „ Si enim hoc tantum agitur, ut homines „ mercedem ſpectent, quum Deo ſerviunt, & illi ſuas operas locent aut ven„ dant, parùm proficitur: gratis coli vult, gratis amari; hunc, inquam, „ cultorem probat, qui præciſâ omni ſpe recipiendæ mercedis, colere tamen „ eum non deſinat. Sic ibi. In *Antidoto* verò longè omnium clariſſimè, ubi eo ipſo in loco, quem adducit *Bellarminus* ſic habet „ Qui verè juſtificatus „ eſt, non negliget, fateor, mercedem ſibi repoſitam, ſed eâ tanquam opti„ mo ſtimulo ad benè agendi ſtudium incitabitur; attamen hunc ſolum re„ ſpectum non habebit, nam cum ingenuam à filiis ſuis obedientiam requirat „ Deus, ſervile ejuſmodi obſequium non repudiabit modò, ſed prcoul etiam „ rejiciet. Ideòque longè alium piè, ſanctéque vivendi Scopum Spiritus „ Sanctus cum in Scripturis paſſim, tum per os Pauli nobis præfigit primo ad „ Epheſios Capite. Hæc illic *Calvinus*. Et num adhuc *negare videbitur* operandum eſſe ex intuitu mercedis, ut calumniatur *Bellarminus*? *Ipſi* videatur, ſi placet: ſed non *mihi*, non *vobis*, ſpero, qui planè contrarium videmus.

Nedibim Chaſidim.

Hoc

Hoc fuſiùs proſecutus ſum, ut vobis innoteſcat meliùs quàm rectè *Calvinus* de hâc re ſentiat, quàm ſplendidè verò (quod ſæpiùs facit) de eo mentiatur *Bellarminus*. Hic *Calvinum* ſibi hâc in re Adverſarium fingit, quem Doctiſſimus Reſpondens fautorem habet, dum hoc aſtruit, Proteſtantes omnes pro certiſſimo habent. Nimirum „ Chriſtiano licere ex intuitu mercedis operari.

Verborum ſenſus atque adeò Controverſiæ ſtatus cuivis ſatis obvius.

Chriſtiano eique maximè ingenuo, qui ex puro puto Dei amore ei gratis debitum præſtat obſequium, Huic

Non ſine præmio diligitur Deus, & ſi abſque præmii intuitu diligendus ſit.

Licet. Cautè, rectè dictum; non quòd & liceat, præciſâ omni ſpe recipiendæ mercedis (ut priùs loquentem *Calvinum* habuimus) benè operari. quod magis in votis eſſe debet, utpote *heroicum* & planè *Divinum*. At ei, qui hunc apicem nondum attigit, præſertim, ſi hoc calcari indigeat, non ſolùm licet, ſed is etiam ex officio debet.

Sic Bernardus in Libro de deligendo Deo.

Ex intuitu mercedis operari. At hoc ſenſu, ordine, modo debitis.

1. Ex intuitu mercedis *gratuitò* à Deo & *promiſſæ* & indultæ, non *merito* operis *ex condigno* debitæ, quod aſſerunt *Pontificii*, deteſtantur noſtri: hoc præcipuum erat quod in locis prædictis agebat *Calvinus*, quod adeò ſtomachatus eſt *Bellarminus*.

Qui hoc deſiderat propter aliud, non hoc deſiderat, ſed aliud.

2. Non *ſolius* mercedis intuitu: vel ita reduplicativè, ut nollet ſine mercede omninò operari, vel fruſtrà operatum fuiſſe cenſeat, & Deo obmurmuret, ſi eo, quod expectaverat, præmio deſtitueretur, ut illi olim Iſaiæ 58. 3. Malachiæ 3. 17.

3. Non *præcipuè*, quod ad *modum* & *intentionem* attinet.

4. Et quod ad *locum* & *ordinem* ſpectat, non *primariò*, „ inde exordium non ſumendum eſt, ut rectè *Calvinus*. Neque præceptum illud Chriſti „ Primum quærite Regnum Dei, quod *Bellarminus* adducit, quicquam probat in contrarium; non enim vult Servator ut ſalutem noſtram quæramus ante Dei gloriam: ſed Regnum cœlorum ante *mundana* (de quibus ibi loquutus fuerat) omnia.

Et in his Bellarminum conſentientem habemus de Juſtif. l. 5. c. 9.

His limitibus circumſcribi debet ſenſus Quæſtionis, cum dicit Chriſtiano licere ex intuitu mercedis operari.

Non tanquam ex *merito* debitæ. Hoc ſuperbum nimis, imò & blaſphemum; & ſummo Deo indigniſſimum.

Non *præcipuè*, non *primariò*, minimè omnium *ſolius* mercedis intuitu: hoc enim ſervile admodùm, hoc mercenariorum eſt Johan. 10. 12, 13. qui φίλαυτοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι ſunt 2 Tim. 3. 4. At tota fidelium gens

Gnam nedaboth.

עַם נְדָבוֹת *Populus voluntarius*, ſpontaneus, ingenuus eſt Pſal. 110. 3. qui *ultimâ horâ* in vineam miſſi ſunt, quique Chriſto ipſo judice primas tenebant, ἀσύμφωνοι τῇ ἐργασίᾳ προσῆλθον ut Nazianzenus loquitur; „ non „ conditâ mercede ad laborem acceſſerunt: non adeò mercedem in operibus reſpiciunt, quibus vel ipſum *opus* pro *mercede* eſt, ſecundùm illud Hebræorum

Orat. 40. Pag. 651.

שְׂכַר מִצְוָה מִצְוָה *merces præcepti, præceptum.* Hic ordo ac modus in operibus noſtris, operumque finibus tenendus eſt.

Secar mitzvah mitzvah.

Primò & præcipuè ut *gloriæ Dei* (quæ finis omnium ultimus eſt) inſerviamus 1 Cor. 10. 31. quod & *Bellarminus* ex ſententiâ *Concilii Tridentini* aſſerit, operandum ſcilicet eſſe primùm quidem propter gloriam Dei, deinde etiam propter mercedem fœlicitatis æternæ. Secundò

Secundò ut Deo *placeamus* Col. 1. 10. 1 Theſſ. 4. 1. 2 Tim. 2. 4.
Tertiò ut *obſequium* Deo tanquam ſupremo *Domino* noſtro præſtemus.
Quartò ut ob innumera ejus in nos collata beneficia nos *gratos* exhibeamus.

Atque ita tandem ut τὴν ἀνταπόδοσιν τ̃ κληρονομίας ut Apoſtolus eam vocat ad Coloſſ. 3. 24. mercedem ſcilicet hæreditatis ex gratuitâ promiſſione nobis indultam recipiamus. *Mercedem*, inquam, non ex *merito* debitam, ſed *hæreditatem* ex *gratiâ conceſſam*, neque ſolùm ut nobis utilem, ſed pietatis æquè ac fœlicitatis plenam, atque ut Divini erga nos favoris indicium. Hoc ſenſu & ordine dum benè operamur *mercedem hanc intueri* & *licet* & *debemus*, „ noſtram ſocordiam excitando, & noſmet ad currendum in ſtadio „ cohortando, ut verbis *Concilii Tridentini* utar: quò ſcilicet alacriùs in pietatis curſu provehamur, atque (ut cum clariſſimo Spanhemio loquar) „ nos *Dub. Evang. parte 3. dub. 88.* „ in ærumnis erigamus & ſolemur ſpe gloriæ Dei aliquando in nobis reve- „ landæ. Hoc, inquam, ſenſu Theſis iſta intelligenda eſt, cujus veritas, in ſe ſatis evidens, comprobatur à communi noſtrorum & Pontificiorum conſenſu, atque ab utriſque allatis argumentis, quæ hujuſmodi ſunt.

Hoc à Deo in Sacrâ Scripturâ præcipitur. „ Currite ut comprehenda- 1.
„ tis 1 Cor. 9. 24. Ergo non ſolùm *licet*, ſed nobis ex *officio* incumbit, „ Hoc Deus mandavit ait *Auguſtinus* in Pſalmum 120. Non enim opus ſolùm & officium noſtrum, ſed omne illud, quo alacriùs eo defungi poſſumus, ſub præcepto eſt: at tale quid propoſitæ & promiſſæ mercedis conſideratio eſt. Quod ex ſecundo argumento magis conſtabit.

Plurima à Deo ſub hoc motivo præcipiuntur; vel, hoc ut *motivum* ad 2.
obedientiam à Deo ſæpiùs proponitur. „ Agite pœnitentiam, appropin- „ quat enim Regnum cœlorum Matth. 3. 2. „ Facite vobis amicos de „ Mammone iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna taberna- „ cula Lucæ 16. 9. „ Quicquid feceritis ex animo facite tanquam Domi- „ no, ſcientes vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis Col. 3. 24. At ſi his incentivis uti illicitum eſſet, ut *Alphonſus à Caſtro* rectè arguit, *Vide P. Martyrem in 1 Reg. 2. 3.* Deus per ſpem præmii ad obedientiam nos non alliceret. Non ergo φιλωνίας ſed *obedientiæ* eſt, cujus neglectu *nomen Dei in vanum aſſumeremus*, dum id inſuper habemus, quod ipſe ad diligentiam noſtram acuendam non ſolùm ut licitum permittit, ſed ut utile, atque aliquando ut neceſſarium imperat.

Hoc vel à Sanctiſſimis viris, approbante, imò laudante Deo factitatum 3.
eſt. In *Coloſſenſibus*, „ Gratias agimus Deo, auditâ fide veſtrâ in Chriſto „ Jeſu, & charitate in omnes Sanctos, propter ſpem ſepoſitam vobis in cœlis. Col. 1. 3, 4, 5. In *Paulo*, „ unum autem ago, ea quidem quæ à tergo ſunt „ obliviſcor, ad ea verò quæ à fronte ſunt contendens, ſcopum verſus feror „ ad præmium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu Philip. 3. 14. In *Moſe* ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαπόδοσιαν „ intuebatur enim in præmii retributionem. Heb. 11. 26. Atque hoc etiam ex *fide* factum eſſe? dicitur: *fidei* non eſt ſolum ut operemur, ſed ut *præmium* etiam promiſſum *expectemus*.

Concilium Tridentinum illud *Davidis* etiam primo loco ponit Pſal. 119. 112. „ Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum *propter retributionem*. Sic reddit *vulgatus* Interpres verba illa ultima לְעוֹלָם עֵקֶב *Legnolam gnekeb.*

ex LXX. ſcil. Interpretibus, qui ea per δι ἀνταπόδοσιν reddiderunt: quos
Gnekeb. etiam ſecutus eſt *Hieronymus*; ſed παραφρασικῶς eſt. Nam עֵקֶב illic non remunerationem vel *mercedem* ſignificat, ſed (ut ſæpius) *in finem uſque*, vel *ſemper* ſic v. 33. ejuſdem Pſ. ubi LXX. per εἰς τὸν αἰῶνα rectè reddunt; ut Chal-
Legnolam Gnad Suphæ. dæus Paraphraſtes in hoc Commate pro לְעוֹלָם עֵקֶב habet לעולם עד-סופא id eſt, in ſeculum ad finem uſque: neque dicitur עַל-עֵקֶב cui reſponderet *Propter retributionem*, ut vulgatus transtulit; ſed ſolùm לְעוֹלָם עֵקֶב ubi poſt
Gnad. לְעוֹלָם vox עֵקֶב additur, ut alibi ſæpè vox עַד ad uberiorem *perpetuitatis* indicationem. Hoc ergo loco (qui nihil ad præſens propoſitum facit) non opus eſt; cum alii, quos adduximus, abundè ſufficiant.

4. *Corn. à Lapid in Hebr. 11. 26.* Sunt qui hoc pro argumento adducunt: nimirum ſicut pium eſt bona operari ex inſtinctu charitatis ob Dei amorem, ità etiam ex inſtinctu ſpei, ut per illa gloriam adipiſcamur ſecundùm illud Apoſtoli 1 Cor. 9. 10. „ Sub ſpe debet is qui arat, arare, & qui triturat ſub ſpe, ſpei ſuæ particeps „ eſſe.

5. Adjungamus illud *Bellarmini*, *Finis* rei in negotio omni ſpectari debet. At æternæ gloriæ merces fidei noſtræ *finis* dicitur Rom. 6. 22. 1 Pet. 1. 9. Ergo eam ſpectare licet. In operibus *temporalibus* hoc licet; pharmacum ſumere ſanitatis gratiâ, arare ſpe fructûs percipiendi, currere & decertare in ſtadio ut bravium obtineamus. Cur ergo non in operibus *ſpiritualibus*? in quibus merces non eſt *opere vilior*, quod ſæpè uſu venit in operibus temporalibus: neque hujus mercedis amor Dei amorem impedit, ſed inflammat magis eò quod in Dei ipſius viſione & fruitione conſiſtat.

6. Ultimò à naturâ eâque non vitiatâ (quam gratia non exuit, ſed perficit) nobis inditum eſt, nobis ipſis benè velle, & beatitudinis noſtræ tangi deſiderio: præſertim quà vel *creaturæ* ſumus, inprimis quà *lapſæ*, ea naturæ noſtræ eſt infirmitas & indigentia, ut licèt Deum in ſe & *propter* ſe amemus *amore amicitiæ*, amemus tamen eum ut indigentiæ noſtræ ſuppletivum, *amore* (uti vocare ſolent) *concupiſcentiæ*. Cum verò Deus beatitudinem noſtram gloriæ ſuæ ſubordinatam atque ità conjunctam eſſe voluit, „ quæ ipſe „ conjunxit nemo ſeparet; atque ideò cum hâc fœlicitatis noſtræ Gloriæ Divinæ ſubordinatione vel Chriſtianiſſimo cuique *ex intuitu mercedis operari licet.*

QUÆST. IX.

Meritum Papiſticum ex Sacrâ Scripturâ non probatur.

Non probatur! Minus dicitur. duo ultrà dico. 1. Res ipſa (ut mox conſtabit) ex Sacrâ Scripturâ invictè refellitur. Secundò ne nomen ipſum in Sacrâ Scripturâ comparet uſpiam. Citiùs inveniet Sciolus ille *Cantium* in *Herodoto*, quàm *Pontificius* aliquis *Meritum* (ſi modò ad Deum, ad gratiam, ad gloriam referatur) in Sacro Codice. At eo demùm evoluto ſuum ἔργον canit *Bellarminus*, accinit *Coſterus*, concinunt

alii:

alii: Eccleſiaſtici Cap. 16. 13. illud legunt *ſecundùm meritum operum ſuorum ſuorum.* At libro *Apocrypho* fidem parùm habemus; minùs etiam *vulgato* (hîc ſaltem malè fido) Interpreti. Ille *Meritum* de ſuo invexit: in fonte enim Græco eſt tantum κ᾽ τὰ ἔργα ἀυτῦ. At *ſecundùm opera*, & *ſecundùm meritum operum Bellarmino* licèt eadem ſint, non nobis tamen, non ipſi *Gregorio Magno*, cujus major eſt authoritas & apud eos (cum *Papa* fuerit) infallibilitas. Numquid ergo in Libro aliquo *Canonico* extat, quod hoc probet melius? Imò præſtò eſt inquient. Nam Heb. 13. 16. ita legimus, Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Ita quidem illi iterum legunt in ſuo *vulgato* Interprete, qui poſt Sanctionem *Tridentinam* ipſis habendus eſt pro *Authentico*. At nos in *Græco* verè *authentico* & ἀρεσκεῖται legimus: quæ vox cùm ſignificat *Placatur Deus*, ut *Placetur Deo* (aut *Bellarmino* videtur) rectiſſimè vertitur in *Promeretur*. At ex *Bezæ* Sententiâ primùm barbarâ, dein etiam falſâ interpretatione. Ob utrumque (uti ſolet) *Grotio* vapulat: quòd *barbaram* dixerit, homo delicatus audit, cum *mereor* in ſenſu paſſivo apud *Plinium* occurrat. Quòd *falſam*, in eo vel ipſum egregiè falli dicit, „ cum o-„ blatio Chriſti in hoc facta eſt ut nos offeramus Deo pia facta ad ipſius ex-„ emplum. Honor ad auctorem redit. Sic ille. De tranſlationis barbarie aſſerendâ ego quidem cum eo non contendam. At cum *falſitatem* etiam amoliatur, ægrè equidem fero, quòd vir doctiſſimus tum hic tum alibi paſſim quâvis vel datâ vel arreptâ occaſione tam facilis vel potiùs induſtrius ſit ut *noſtris* Theologis caput *comminuat*, *Pontificiis*, *Socinianis demulceat*: cum *falſam* eſſe negat eo ſenſu quem ibi *Beza* expoſuit, & ſecundum quem *Pontificii* operum *merita* inde exſculpere ſolent, à noſtris abſcedit: cum Chriſtum hoſtiam obtuliſſe dicit ut nos offeramus, atque illud addit *Honor ad auctorem redit* Pontificiis συγκερπάζει, qui Chriſto honori eſſe contendunt ipſum ità meruiſſe ut nos ſub ipſo mereamur. Nos Chriſto jam inſitos Sacrificia εὐχαριστικὰ eàque Deo ἀνάρεσα offerre eo ipſo in loco agnoſcit *Bezæ*, fatemur omnes: at ἱλαστικὰ expiatoria, vitæ æternæ meritoria, quæ ex iſto vulgati Interpretis hoc in loco *Promerendi* vocabulo extundere ſatagunt Pontificii, prorſus abnegamus; adeòque verſionem iſtam ut malæ, vel ſaltèm dubiæ fidei abjicimus, quò minùs ex eâ ſaltèm conſtet, in Sacrâ Paginâ occurrere *Meriti* vocabulum.

de juſtif. l. 5. c. 2.
In Locum.
In Locum.

At ſi de *re* conſtaret, minùs ſoliciti eſſemus de *nomine*. Eam ergo aggrediamur. Cum verò Theſis de *Merito Papiſtico* loquatur, Epitheton illud *Papiſticum* cum diſtinctivum ſit, innuere videtur *Meritum* aliquod eſſe quod non ſit *Papiſticum*. Et eſt quidem, quod in Latinorum Patrum ſcriptis ſæpiùs occurrit, quod licèt audacius quid ſonat, & ſummo Deo indignum, præſertim cum nos miſellos inter & Supremum ejus Numen negotium eſt, à quo optandum eſſet ut prorſus abſtinuiſſent cum tandem nobis ipſique veritati fraudi futurum erat, atque *Pontificii* inde blaſphemandi anſam arripuerint, illi tamen dicam jam non impingimus. Patres enim Orthodoxi ex temporum ſuorum idiomate *Meriti* vocabulo uſi ſunt ſenſu ſatis Orthodoxo. Apud illos enim *Mereri* nil aliud eſt (ſaltèm ut plurimùm) quàm *beneficium* aliquod gratuitò promiſſum & per ſolum Chriſtum promeritum mediante opere bono *conſequi* neque illis aliud ſonat *Meritum* quàm *opus bonum ordinatum ad Remunerationem*; hoc irrefragabiliter à noſtris probatur,

vel potius res adeò in aperto eſt, ut probatione non indigeat. Hoc ſenſu Nos juſtificationem, peccatorum veniam, gratiam *mereri* aliquando ajunt *Patres*, quod ne *Pontificii* ſenſu eo, quem voci huic jam affingunt, dicere auſint. Neque apud Sacros tantùm Scriptores ſed & profanos occurrit vox *merendi* ſenſu illo innocuo. Sic *Plinius Secundus*, „ Sequi enim gloria, non
Epiſt. l. 1. Epiſt. 8. „ appeti debet. Nec ſi caſu aliquo non ſequatur, idcircò quod gloriam non „ meruit, minùs pulchrum eſt. Ad quem locum ſic *Caſaubonus*, „ meruit eſt „ ἔτυχε. Verbum *Mereri* non ſemper ἀξιοῦσθαι, ſed τὸ τυγχάνειν; & factum „ notare, non jus; notius eſt quàm ut probatione egeat. At longè aliud eſt Meritum *Papiſticum*.

Id duplex ſtatuunt, *ex congruo* unum, *ex condigno* alterum. Illo nos mereri volunt *juſtificationem* & *primam gratiam*. Hoc, licèt non gratiæ perſeverantiam (ſi qua fides *Aquinati* habenda ſit, qui eam ſub merito cadere negat 1. 2æ. qu. 114. art. 9.) at *gratiæ augmentum*, *vitam æternam*, & *gloriæ* etiam *augmentum*. Concil. Trident. Seſſ. 6. Can. 32.

de Juſtif. l. 8. c. 8. Meritum *de congruo* (definitore *Vegâ*) eſt *Actio libera*, *cui congruum eſt*, *ut par aliquod reſpondeat præmium*. Sic facienti quod in ſe eſt, congruum eſſe aſſerunt ut Deus præmii loco det gratiam. Sed an *ex condigno*? Hoc non affirmare audent, ne *Pelagiani* jure audiant: de hoc ſatis multa diſputari poſſent; at cum vel ex eorum ſententiâ hoc non ſimplex meritum ſit, ſed
* *Gropperus in 1. 2. diſp. 213. cap. 6.* *diminutum*, *improprium*, *catachreſticum*, * utpote tantùm impetratorium, & *verâ ratione meriti careat*, quæ ſecundùm *Vaſquem* in eo poſita eſt, ut *opus* ſuo *præmio dignum* ſit *ſecundùm æqualitatem condignitatis*, id in præſentiarum miſſum faciam, prout ipſe *Hoſius rejiciendum* putat.

Meritum verò ex *condigno* illud demùm eſt, in quo *vera* illa *meriti* ratio inveniri eſt. quod idcircò *Coſterus* definit eſſe *Actionem liberam*, *cui merces debetur ex juſtitiâ*, idque ex *verâ juſtitiâ*, & *quatenus Deus juſtus judex eſt*.
in 1. 2. diſp. 213. cap. 5. Sic *Tappero* viſum eſt. Imò ex *Rigore* juſtitiæ, ita rigidè *Suarez*: neque juſtitiæ ſolùm *diſtributivæ* (quam tamen *Coſterus* hîc magis elucere concedit) ſed & *commutativæ*. Sic *Bellarminus* de juſtificatione l. 5. c. 14. & Jeſuitæ Colonienſes docuerunt cœlum nobis proponi venale, eò quòd meritis *condignis* tanquam *pretio æquali* comparandum ſit, approbante *Vaſqueſio*, propugnante *Andradio*. Licitatores egregii! qui inde *Deum ſibi debitorem* reddunt: uti *Bellarminus* in loco modò citato: En quo audaciæ! ita ut ipſe *in-*
In 12æ. q. 114. Art. 3. *juſtus* ſit, ſi *præmium non reddat*; ita Cajetanus; En quò tandem prorumpunt blaſphemiæ! Non enim, cum hoc dicunt, ſummam Dei fidelitatem in promiſſis implendis ſpectant, uti Apoſtolus Heb. 6. 10. cum dicit, „ Non „ enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri: neque *ſecundùm modum aliquem* compenſationem fieri volunt, quod *Gregorius de Valentiâ* in ſuâ *meriti* definitione modeſtiùs poſuit, ſed abſolutam æqualitatem inter meritum & mercedem vult *Bellarminus*, accuratam ſcilicet commenſurationem & proportionem, eamque non *Geometricam*, ſed *Arithmeticam*. Sic enim calculos ſubducit.

Et quidem condignitatem hanc tuentur Pontificii (ut opinor) omnes. Si verò quæratur, *unde* hanc dignitatem habeant opera, hîc cautè ſatis tacuit *Concilium Tridentinum*. At quàm atrox hâc de re pugna eſt inter Scriptores Romanenſes, & diſcors omninò ſententia! non quatenus ex *libero* noſtro *arbitrio*

bitrio procedunt, hoc fatentur omnes. Quamvis enim *Liberum arbitrium* ad *meritum* requirunt, ab eo tamen ejus *condignitatem* non accerſunt.

Sunt etiam, qui eam neque ex operum (licèt optima ſint) prout in ſe conſiderantur vel naturâ, vel *valore intrinſeco* cenſendum exiſtimant, ut exinde Deus nobis debitor fiat, quòd *Coſterus* invictis probat argumentis (propoſitione ſuâ 1. & 3.) ex ſolo Dei pacto & promiſſo eam deducit *Scotus*, quod *meritum Pontificium penitùs evertit*: ob quod aliis, *Vaſqueſio* imprimis, ſeverè vapulat: alii *ex pacto* veram *condignitatem* operibus (quam ex *ſe non habent*) accedere volunt. Sic *Gregorius de Valentiâ*. At *Bellarmini* ſententia eſt bonum opus ex *ſuâ naturâ* dignum eſſe hoc præmio, at tantùm *ex pacto Deum ex juſtitiâ id acceptare* ac remunerari *teneri*, ut ſiquis ſponte & non conductus vineam alterius colat, opus ejus in ſe mercede digniſſimum eſt, eam verò (utpote non conductus) jure exigere non poteſt operarius.

Alii boni operis *meritum* & vitæ æternæ *condignitatem* ex eo deducunt, quòd *ex gratiâ* fit: quòd *Chriſti ſanguine tinctum* ſit, quòd à *Spiritu Dei* factum eſt, ut ſi Rex Ruſtici manum in ſcribendo teneat & dirigat, ſcriptura illa magnam dignitatem haberet (Coſteri ſimilitudo eſt) At (puto) *Ruſticus* ille *parùm* inde à Rege *merebitur*.

Quòd à *Dei amico*, *filio* fiat. At *Amicus* jure amicitiæ ab amico *meretur*; *filio parentibus obſequenti debetur hæreditas*. At *Vaſquez* meritorum acerrimus omnium propugnator, bonorum operum valorem non oriri à Dei pacto vel favore, non à Chriſti perſonâ vel meritis, ſed à *perſonâ operantis*, & ex *operum naturâ intrinſecâ* & *condignitate*. Animoſè ſatis! & quod ſuperet (ſi modò id fieri poſſit) audaciam *Jeſuiticam*, qui tamen hoc ſolo cæteris modeſtior videri vult, quòd cum illi vitam æternam bonis operibus debitam eſſe contendant ex debito *juſtitiæ*, ille tantûm ex debito *gratitudinis*, quæ ſententia quantò modeſtior eſſe videtur, eò audacior, & Deo ſummo indignior. Ut enim in piorum bonis operibus remunerandis *aliquo modo juſtus* ſit Deus nil de ſupremâ ejus *Majeſtate* minuit; at ut *gratitudinis* debito obnoxius ſit, hoc longè ſublimitate ejus indigniſſimum. Debitum juſtitiæ conſiderari poteſt, quatenus (ut *Aquinas* loquitur) *ſemet ſibi debitorem* facit: at debitum hoc *gratitudinis eum nobis* debitorem reddit.

Debitum *juſtitiæ debitorem ſuperiorem* admittit; poteſt enim reddi inferiori: at debitum *gratitudinis debitorem creditore inferiorem* conſtituit, & Deum nobis; quod quantum quæſo diſtat à blaſphemiâ?

Ex his tandem conſtat, quàm diſcrepantibus linguis, quàm diſcordibus inter ſe ſententiis hanc *meritorum* turrem ſuam *Babylonicam* extruant Pontificii, quam tamen quovis modo extructam, ſartam tectam volunt unanimiter omnes.

Neque ſolùm bona opera ipſis operantibus vitæ æternæ meritoria eſſe volunt, ſed & aliis pro relaxandâ pœnâ corporali Dei juſtitiæ debitâ ſatisfactoria, ut apparet ex eorum doctrinâ de Indulgentiis.

Primò (& quod forſan primarium eſt) ut *commodo ſuo*, id eſt, ut culinis & marſupiis *conſulant*. Qui enim *cœlum venale* exponunt, *terras*, *prædia*, & *opima quæque* inde *gratis emunt*.

Secundò ut dogmata ſua alia huic vel innixa, vel cum eo indivulſè concatenata magis ſtatuminent: verbi gratiâ

1. Primarium illud de *Libero arbitrio*: ſine quo nullus ad *meritum* patet aditus: nihil enim mereri poteſt homo niſi actione liberi arbitrii ſui, quod totum eſt quod perſequitur *Bellarminus* l. 5. de juſtif. cap. 10.

2. Illud alterum de Purgatorio, ex quo vel nullus vel non adeò facilis ſine ſanctorum meritis datur exitus.

3. Illud etiam de *juſtificatione ex operibus*, iis ſcilicet quæ *juſtificationem* mereantur ex *congruo*, *vitam æternam ex condigno*. Atque hinc eſt, quòd cum *Bellarminus* de *juſtificatione* Controverſias quinque libris exſolvat, ex his *quintum meritorum* doctrina ut valdè affinis & connexa totum occupet.

4. Et illud de *perfectâ Legis impletione*. Quod enim *deficit*, *meritorium* eſſe nequit; atque eo nomine *Latomus* opera Juſtificationem præcedentia mereri negat, quia perfectè bona non ſunt.

5. His adjungere licet dogma illud eorum de *operibus ſupererogatoriis*, quæ præ cæteris meritoria eſſe jactitant. „ Qui enim ea ſola agit ad quæ Lege & „ mandatis Dei obligatur, non eſt quòd magnoperè glorietur de præclaris „ erga Deum officiis. Ita *Coſterus*, dum de meritis agit in ſolutione quintæ objectionis. Hæc & his ſimilia alia ſibi agnata habet *Pontificium* de *merito* dogma; *malum etiam ob vicinum malum*; cum in ſe malum ſit, ob comitatum hunc (quem eo vix pejorem dicere poſſum) evadit tandem peſſimum.

1. *Audax* imprimis, & (prout eorum aliqui ſaltèm id tuentur) *blaſphemum*, & ſupremo Numine (ut priùs dixi) indigniſſimum: inter Deum & homines non poſſe exactam (qualis eſt inter homines) juſtitiam intercedere ipſi fatentur Adverſarii: ipſe vel ex ſolo naturæ lumine agnoſcit Ariſtoteles, οὐδὲ γὰρ ἐστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸς τοὺς θεοὺς πρακτὸν ἢ γονεῦσι. οὐδεὶς γὰρ τιμὴν κατ' ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη. Si nemo *Diis* ſuis *fictitius*, vel *parentibus* parem referre poſſit gratiam, quis, niſi miſerè amens, vel impiè blaſphemus, hoc ipſum *Deo vero Patri ſummo optimo maximo* fieri unquam poſſe dixerit?

Coſter. Enchirid c. 7. propoſ. 3. pag. 183. Ethic. l. 8. c. ult.

2. Sacræ Scripturæ & rationibus inde deductis ex adverſo oppoſitum. Quicquid enim à nobis *boni* præſtatur, licèt optimum fuerit

1. *Debitum* eſt, „ cum omnia quæ præcepta ſunt nobis fecerimus, quod „ debuimus facere fecimus Lucæ 17. 10. At quis ex *debiti ſolutione meretur* præmium?

2. Si de *integro* ſolvatur, *donum* eſt. „ Quid habes quod non recepiſti 1 Cor. 4. 7. Eo *cœlum emas* licèt (ut adverſatii volunt) *Dei* tamen (vel ipſis fatentibus) *pecunia* eſt. At nemo (opinor) unius doni receptione meretur alterum.

Coſter. Enchirid. c. 7.

3. *Non de integro*, imò *vix minimâ parte ſolvitur*. „ In multis offendimus omnes Jacobi 3. 2. at hoc pœnam meretur, non præmium.

4. Solvatur licèt, nil inde tamen *lucri Deo accreſcit* Job 35, 7. 8. „ Cum „ omnia feceritis dicite non minùs *veraciter* quàm *humiliter* (quod Adverſarii obtendunt) „ ſervi inutiles ſumus Lucæ 17. 10. Quis hîc *meritis* locus?

5. Vita æterna χάρισμα, donum, idque gratuitum eſt Rom. 6. 23. quicquid nos (vel ex gratiâ) facere poſſumus in immenſum ſuperat. „ Non „ condignæ ſunt paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabi„ tur in nobis. Rom. 8. 18. Hæc & plura alia à noſtris fuſius tractata, & ab adverſariorum ſtrophis abundè vindicata ſunt, quibus nil opus eſt ut plura adjiciam.

QUÆST. X.

Purgatorium Papiſticum eſt fictitium.

Eccleſ. Anglic. Artic. 22.

HOc eſt de lanâ Caprinâ, de *fœno & ſtipulâ* (ſic illud Pauli interpretantur Pontificii) Purgatorii ſui fomite. At *quantulus ignis quantam incendit materiam*? Quos ardores concitat pictus, fictus iſte ignis purgatorius? *Bellarminus* eum accendendo duos integros inſumit libros, non tam *Indice Expurgatorio*, quàm *igne* (ſi qui ſit) *Purgatorii* (nam *ſtipulæ* ſunt) digniſſimos. *Tavernerius* volumen admodùm ſpiſſum congerit, quò ſtruem augeat. Hîc denique ipſis *fervet opus*, & *materiam ſuperat*, illudque ſemel advertendum eſt, cum Concil. Trident. præcepiſſet Epiſcopis, ut hanc de *Purgatorio* doctrinam à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant, & eorum plures, eoſque fervidè & animoſè magis hîc quàm in pleriſque aliis Religionis ſuæ placitis tanquam ad *commune incendium* (non *extinguendum*, ut fieri ſolet, ſed) *accendendum* magis impendunt operam. At quid tanto hîc opus eſt fervore? quid *tantus in ſimpulo fluctibus*? *Cæſarus* ſcilicet *fortunas* vehit, hic *Eccleſiæ Romanæ fundus* eſt, hinc quæſtus eorum longè uberrimus. *Demetrio* itaque & ὁμοτεχνίταις ſuis venia detur vociferandi altiùs *Magna eſt Diana Epheſiorum*, utpote quibus priùs dixerat homo frugi, „ *viri, ſcitis, ex hoc quæſtu noſtras eſſe copias*. Purgatorii nimirum igne incaleſcunt plus ſatis Monachorum, Sacrificulorum, ipſius Papæ culinæ; unde nil mirum eſt, ſi pro eo tanquam *pro aris & focis* dimicent, quo ſemel extincto frigerent apud eos omnia, & ceſſarent prorſus *Indulgentiarum* nundinæ, quæ in ſe licèt peſſimæ fuerint, hoc ſaltèm boni Chriſti Eccleſiæ ex accidente attulerunt, ut *Luthernm* non ſolùm ad *Purgatorium* (cui priùs addictior fuit) ſed & univerſum tandem *Papiſmum* extinguendum primò expergefecerint. Hoc verò eos imprimis urit, & contra nitendo inflammatiores reddit, ut quod Propheta olim Jer. 51. 58. de Babyloniis veteribus dixerat, idem novitiis his noſtris obveniat, „ laborarunt populi pro inanitate, & nationes pro igne, & defagati ſunt, diſputando, debacchando, contrà ſentientes verò igne comburendo, *terram igne miſceri* potiùs quàm ſubterraneum & *fictitium* iſtum *ignem extingui malunt*; imò eum qui *Purgatorium* negaverit *Inferno* addicunt, dum ex Ethnicâ hâc fabulâ Fidei articulum cudunt, quod operoſè admodùm ſatagit *Bellarminus* lib. 1. cap. 15. ubi pro Tribunali immitem hanc ſententiam dicit, „ Qui non credit Purgatorium eſſe, ad illud nunquam eſt perventurus. Quàm nos beâſti, *Bellarmine*, dum ex infernali iſto carcere liberâſti? At, dum illud adjicis („ ſed in Gehennâ ſempiterno incendio cruciandus) quàm triſtem, quàm trucem te nobis exhibes *Rhadamanthum*? At ad hæc μορμολύκεια non ita exhorreſcunt noſtri, ut arenâ cedant, & quamvis fabulam ipſam in ſeriſu potiùs excipiendam quàm ſeriò refutandam eſſe meritò cenſeant: cum tamen ex conſequenti & *Dei miſericordiæ* injuria ſit, dum Sanctos & culpâ & pœnâ omni morte exolutos in ſinu ſuo fovet Deus, & à *laboribus ſuis* quieſcere

Seſſ. 25.

Act. 19. 28. v. 25.

1 Cor. 3.

Jacobi 3. 5.

ſcere aſſerit, hos ipſos infernali carceri ibi horribiliter *puniendos*, *cruciandos* mancipari volunt:

Quin & *juſtitiæ Divinæ*, cum pluribus, peccatis (ſaltèm ut illi volunt) *venialibus non remiſſis* hinc migrantibus poſt *pœnas* aliquandiu in *Purgatorio* exolutas ad *cœlum* tandem patere aditum contendunt:

Chriſti denique *Satisfactioni plenariæ*, cum (quod ad pœnas temporales attinet) *de ſuo* illic *ſatisfacere* ſacrilegè affirment. Cum, inquam, res licèt in ſe ludicra (ut aliàs aliquando fieri ſolet) tam longum impietatum Syrma poſt ſe trahat, noſtri pro eâ, quam Deo, Chriſto, veritati pietate debent, ei ſeriò atque fortiter obſiſtendum eſſe ſtatuunt; atque ita à *velitatione* leviori ad *prælium* tandem *acerrimum* deventum eſt, ut quod *Titus Livius* de *ſecundo bello Punico* id *maximè omnium memorabile* dixerat, idem doctiſſimus noſter *Rainoldus* de *noſtros* inter & *Pontificios* de *Purgatorio* digladiatione pronuntiare non dubitaverit. Huic militiæ nomen ſuum dedit Eruditus Reſpondens dum *Purgatorium Papiſticum fictitium* eſſe aſſerit.

De libris Apocryphis prælect. 158.

De Terminorum, vel Statûs Controverſiæ explicatione minimum eſt quod laboremus, nec multò quidem magis in Theſeos confirmatione: Omnia enim hic cuivis obvia & aperta ſunt, & quæ vel Adverſarios αὐτοκατακείτους reddere poſſint, ſi *Conſcientiæ* propriæ magis quàm *lucro* conſulere vellent.

1. *Purgatorium Papiſticum*, definitore *Bellarmino*, „ Locus quidam eſt, in „ quo tanquam in carcere poſt hanc vitam purgantur animæ, quæ in hâc „ non planè purgatæ fuerunt, ut nimirum ſic purgatæ in cœlum ingredi va„ leant, quò nihil intrabit coinquinatum. De Purgat. l. 1. c. 1.

2. Purgatio hæc (ex eorum ſententiâ) non peccatorum *maculam* eluit (animarum enim in Purgatorio nullum *meritum* eſt, nulla talis *emendatio*) ſed *reatum & pœnam* ſpectat, prout in *foro* is *purgari*, vel *compurgari* dicitur, qui à *reatu* & *pœnâ* liberatur.

3. Peccata, quæ Purgatorio expiari volunt, tantùm *actualia* ſunt, peccatum enim *originale* ipſis res adeò diluta eſt, ut *infantibus* (illi ſoli obnoxiis) ſine baptiſmo migrantibus *nulla pœna ſenſûs* ſit, quæ animabus in Purgatorio acerrima eſt, atque hactenus tenellis illis Infantulis *Patres* magis *benigni* ſunt, at in hoc *duri* admodum quòd *Limbo* ſuo ità includunt, ut omnis (qui ex *Purgatorio* tandem datur) his miſellis in æternum præcludatur exitus.

4. Peccata illa actualia, quorum pœnas in Purgatorio luunt vel *venialia*, vel *mortalia* ſunt. *Venalia non remiſſa in hâc vitâ*, *mortalia* verò hîc remiſſa, at pro *quibus hîc non plenè ab iis ſatisfactum* erat, adeòque nondum plenariè expiata.

5. Perſonæ enim ibi ſic purgandæ homines ſunt, non impii, qui in peccato mortali hîc non remiſſo diem obierunt, hi ſtatim à morte in Tartarum detrudendi ſunt. Sed *pii ſoli*, at *non omnes*; ſi qui enim fuerint, qui vel *nil actu peccaverint*, quales præter *Beatam Virginem*, *Jeremiam* & *Johannem Baptiſtam* eſſe volunt, vel *plenè* hîc tum pro venialibus tum mortalibus *peccatis ſuis ſatisfecerint*, quales præter *Martyres* plures alios annumerant, hos omnes ab obitu rectà *ad cœlum* avolare ſtatuunt: at *alii*, *pii* licèt, & certò ſalvandi, ſi vel ex morte repentinâ, vel cauſâ aliâ peccato aliquo veniali nondum remiſſo, vel mortali, pro quo non plenè ſatisfecerint, ad ſubterraneum illicò ergaſtu-

lum

lum amandandi ſunt, uſque dum *ultimum quadrantem perſolverint*: de illo enim Salvatoris dictum illud exponi volunt.

De cruciatûs hujus loco, genere, gradu, durationè, & circumſtantiis reliquis, qui aliàs concordiam crepant, variè philoſophantur, imò digladiantur apud eos varii, & quaſi recens ex animarum ſedibus in has terras deveniſſent, omnia confidenter, ſigillatim atque operoſè deſcribunt. His recenſendis & explicandis, aliorum ſententias refutando, ſuam firmando totum librum ſuum ſecundum impendit *Bellarminus*: in his diſcrepent licèt in eo tamen conveniunt omnes, *Purgatorium eſſe*: idque *Fidei dogma* eſſe vult *Bellarminus*: *Panigarolla* verò eò ineptiarum vel blaſphemiæ potiùs provectus eſt, ut polliceri auſit ſe probaturum vel *Purgatorium eſſe*, vel *Deum non eſſe Deum*: ità ſcilicet primario Religionis omnis Articulo componere ſuſtinent homines omnium audaciſſimi frivolam Purgatorii ſui fabulam, bellam quidem picturam, in quâ adornandâ ſuaviſſimè ſe jactat inanis eorum & ſuperſtitioſa curioſitas: quam tamen *Lutherus* rectiùs *meram impoſturam*, *Calvinus* acriùs *exitiale Satanæ commentum* vocat: hodiernus Reſpondens reliquis mollius *figmentum*, utpote omninò *fictitium*. Quod exinde patet

l. 1. c. 15.

Quòd non ſolum ἄγραφον ſed planè ἀνάγραφον ſit.

1.

Quòd ἄγραφον ſit, Pontificii (ſaltem plurimi) ſi modò ſibi conſtare vellent, nobis ultrò concederent. Purgatorium enim iis *Traditio* eſt. At *Traditio* (auctore *Andradio*, & conſentientibus reliquis) ea eſt, quæ *neque in Sacrâ Scripturâ* ἀνυπολεξεὶ *extat*, *neque ullo Scripturæ Teſtimonio probari poteſt.*

Quamvis Synodus Trident. dicit Eccleſiam Sancto Spiritu edoctam ex Sacris literis æquè ac antiquâ Patrum Traditione Purgatorium eſſe decreviſſe. Seſſ. 25.

At *Pontificii* ſui obliti, ac hujuſmodi Traditionum nullo Scripturarum fundamento nixarum infirmitatis probè conſcii, quas in genere *nullo Scripturarum teſtimonio probari* poſſe ajunt, cum ad *particulares Traditiones* aſſerendas ventum fuerit, eas inprimis ex *Scripturarum teſtimoniis* probatas dare operosè ſatagunt, quod ut in aliis infeliciter agunt, ità in hâc de *Purgatorio* infœliciſſimè. Cum enim magna hîc jactitant: hanc ſcilicet ſuam de Purgatorio fabulam non ex Scripturis argumentandi ſubtilitate erutam, ſed in ipſis æquè *diſertè* ac *expreſsè* aſſertam, ac *unum Deum eſſe*, vel *animam humanam eſſe immortalem*, vel *Filium Dei natum eſſe ex virgine*. Sic blaſphemè ſatis *Peltanus*. *Silveſter* etiam, teſte Deo, atque abſque ullâ hyperbole ſe quadraginta Scripturæ locos huc poſſe adducere affirmat. Cum *Bellarminus* etiam ſex integra Capita benè longa in argumentis plurimis ex Scripturâ huc adductis inſumit, advertere operæ pretium eſt vel ex *Libris Apocryphis* deſumpta eſſe: vel ex locis V. T. quæ (vel ipſo fatente l. 1. c. 3.) *ſolùm probabiliter ſuadent*, quæ verò ex N. T. adducit, vel *nullam habent conſequentiam* ſecundùm Regulas Dialecticorum, prout ipſe fatetur de primo loco allato ex Matth. 12. *de peccato non remittendo vel in hoc ſæculo vel futuro*, vel *interpretatu difficillima* ſunt, qualem illum cum *Auguſtino* agnoſcit quem ſecundo loco profert ex 1 Cor. 3. de eo qui *ſalvus erit*, ſic tamen *quaſi per ignem*, qui ipſis palmarius eſt: Quod idem de tertio illo dici poteſt, 1. Cor. 15. de iis *qui baptizantur pro mortuis*, qui crux fœliciſſimis ingeniis ſemper fuit: atque idem ferè de reliquis. At inquam (o! bone) nunquam nobis perſuaſeris id pro fidei dogmate habere, quod tantùm vel ex *Libris Apocryphis* deſumitur, vel etiam ex iis Canonicorum locis, quæ vel tantum *probabiliter ſuadent*, vel ita interpretatu difficilia ſunt, ut fideles *ſimpliciores* difficulter

Monſtrante forſan Diabolo, ex quo Jeſuita Cottonus quærebat quibus locis Scripturæ poſſit probari Purgatorium Thuanus. lib. 132. p. 1135.

intelligere, *facilè* decipi, *Seductores* verò *fucum facere* facilè poſſint, quod hîc *Pontificii* faciunt egregiè.

Purgatorium itaque ἄχεαφον eſt. Quin & ἀντίχεαφον, manifeſtò Sacris Scripturis ex adverſo oppoſitum. Nimius hîc eſſem ſi plura loca accumularem, quæ animarum poſt hanc vitam duo tantum receptacula exhibent Lucæ 16. quæ Sanctos in Domino morientes *à laboribus requieſcere* Apocalypſ. 14. 13. *pace frui* Iſa. 57. 2. *cum Chriſto in Cœlis eſſe* affirmant Philip. 1. 23. 2 Cor. 5. 1. & hujuſmodi alia plurima, quibus *Pontificii* (tonentur licèt) nunquam ſatisfacient: hoc ſummatim, idque audacter dicam, ſi nulla alia nobis ſuppetant argumenta, ea omnia, quæ *Bellarminus* lib. 2. cap. 2. profert, quò probet *animas in Purgatorio mereri non poſſe*, æquè invictè probare *Purgatorium* (quale illi fingunt) *omninò non eſſe*: imò teſtimoniis ibi ab eo allatis planè adverſari, ideòque non ſolùm ἄχεαφον, ſed & ἀντίχεαφον eſſe, non ergo fidei *Catholicæ*, ſed *Pontificiæ articulum*, eumque planè *fictitium*.

2. Quod proinde magis adhuc conſtat ex tibicinibus carioſis vel fundamentis malè-fidis, quibus invixa eſt tota & tam bella hæc Purgatorii contignatio. Ex his ſunt *Ethnicorum Philoſophorum*, præcipuè *Platonicorum*, ſomnia; ptout in *Platonis Phædone*, & *Gorgiâ* de animabus ſeparatis gemella prorſus legimus iis quæ *Pontificii* philoſophantur de ſuo *Purgatorio*.

Poëtarum etiam *Ethnicorum* fabulæ & gerræ germanæ. Et quidem *Ulyſſes* Odyſ. 11. & *Æneas* Æneid. 6. eadem ferè ex inferis retulerunt, quæ Romanenſes tanquam ex cœlo (ſi placet) delapſa, Oracula produnt de Purgatorio ſuo minimè *Eutopiano*: quæ tamen *Bellarmino* placuit adducere tanquam argumentum à *naturæ lumine* deſumptum; & quidni eodem medio & *Idololatriam Ethnicam* propugnare poterit tanquam eodem naturæ lumine dictatam, utpote majori tum *Philoſophorum* tum *Poëtarum* ſuffragio approbatam?

Acceſſerunt *Patrum antiquorum* (qui nil de *Purgatorio Papiſtico* ſomniârunt) de vivorum pro mortuis ſuffragiis, & de igne tandem luſtrandis omnibus, & hujuſmodi aliis ſententiæ exoticæ, *Auguſtini* præcipuè de re iſtâ hæſitato.

Donec à *Gregorio Magno* & *Turonenſi Beda* ac aliis, tandem ſtabilitum fuit ubi primùm graſſata fuerat non magis barbararum Gentium ſævitia, quàm fœdiſſima *literarum* apud Chriſtianos *incuria*, & quæ inde ſequi ſolet cæca prorſus *ignorantia*, & hujus pediſſequa *ſuperſtitio*, harum ineptiarum non minùs credula quàm avida; pabulum interim huic igni Purgatorio affatim præbentibus Spectris ac apparitionibus neſcio quibus, quæ vel Satanicæ prorſus illuſiones erant, vel delirorum ſomnia, vel ut plurimum nebulonum vafrorum impoſturæ, qui dum pingui admodum abundârunt otio, ut Athenienſes olim Actorum 17. 21. εἰς ἀδὲν ἕτερον εὐκαίρουν niſi ad hujuſmodi concinnandas fabulas, quarum plurimæ ridiculæ, quædam verò ſupra fidem omnem monſtroſæ, qualis præ reliquis illa Presbyteri cujuſdam fuit, qui vidiſſe ſe dixit animas in Purgatorio verubus affixas ad ignem fuiſſe aſſatas, & tortores adipem deſtillantem iterum in eas refudiſſe. *O! rem ridiculam, Cato, & jocoſam, Dignamque auribus & tuo cachinno* (ut ſeriò magis agamus) dolendam vel horrendam magis, in quâ obſtupeſcat quivis ad ἐνέργειαν τῆς πλάνης & ad τὸ ἀδόκιμον νοῦν.

In Speculo Exemplorum, diſt. 3. exempl. 3.

Sed

—— Sed populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi ſimul ac nummos contemplor in Arcâ.

Quantum enim illis *profuit hæc* (non de Chriſto) *fabula*? Illud ſcilicet *Græci Latinis* meritò objectare ſoliti erant eos *Purgatorium* propter *lucrum* invêniſſe: & quidni uberrimum hinc conficerent? cum *Tecelius* Indulgentiarum propola omnium ſordidiſſimus illud pro Concione hianti populo aſſeverantius aſtruat, animas in Purgatorio exiſtentes pro quibus Indulgentiæ redemptæ erant, ſtatim ubi conjectus in ciſtam nummus tinnierit ex Purgatorio in cœlum evolare. His ſcilicet initiis & artibus fundatus primò & exſtructus demùm eſt fornix iſte Purgatorius, cui expoliendo ingenia ſua exacuerunt Scholaſtici; ne verò inclinatus ſatis moletandem ſuâ corruat, ad eum ſuffulciendum dogmatibus quibuſdam, quà falſis quà impiis, quaſi tibicinibus uſi ſunt, qualia hæc ſunt

Aureolus in 4. d. a. 1.

Cum celeriorem abſolutionem contingere diviti quam pauperi ſcribat Lombardus lib. 4. diſt. 45.

Primum de *peccato veniali* (ſine quo vix Sanctiſſimus quisque diem obit) *ibi expiando*. At hoc prius exploſimus.

Secundum de manente adhuc poſt *culpam remiſſam pœnæ* ſaltem *temporalis reatu*. Cum verò culpam plenè remittere ſit à pœnâ abſolvere; remiſſâ culpâ pœnam depoſcere idem omninò eſt ac debitum ſimul & remittere & ex parte ſaltem exigere.

Tertium de Satisfactionibus humanis juſtitiæ Divinæ, quibus ſublatis *Bellarminus* Lib. 1. de Purg. cap. 2. fatetur neceſſe ſequi *nullum eſſe Purgatorium*. Nullum ergo in æternum erit, cum nullus ab æterno præter unicum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum à Deo conſtitutus fuit λυτρωτὴς, ἱλασμός. Et ſi in Purgatorio *ſatisfacere* poſſimus, quidni & *mereri*? Hoc poſterius negat Bellarminus. At debitor qui *creditori* ex *juſtitia ſatisfacit*, ex eâdem juſtitiâ *meretur* nexûs ſolutionem.

Sed harum tædet ineptiarum. Ad *Tartarum* deſcendat, unde primò ortum eſt, & cui ex eorum Sententiâ ſitu proximum eſt *Purgatorium Papiſticum*.

QUÆST. XI.

Pœnæ propter peccatum æternæ non ſunt iniquæ.

CUm Satanæ Majeſtatis ſemper æmulus fuerit (nil mirum ſi Deo *gloriam* ſuam quam ipſe omnium *finem* eſſe voluit) invideat. Summæ *bonitatis* ejus ac miſericordiæ laudi vel ipſorum Fidelium *incredulitate* ſæpiùs detractum it. Supremum ipſius in creaturas omnes *Dominium* (præſertim ſi de *ultimo* earum *ſtatu* pro δόξῃ ſuâ liberè ſtatuat) blaſphemo *Pontificiorum*, *Socinianorum*, *Remonſtrantium*, eorumque ſequacium ore, *crudelitatis*, *Tyrannidis* inſimulat. Cum verò ipſe contumaciæ ſuæ juſtiſſimas pœnas dederit: *Exactiſſimæ juſtitiæ* & δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ (ut eam meritò appellat Apoſtolus *injuſtitiæ* dicam impingere maximopere ſatagit: Hinc non magis antiqua quàm blaſphema illa de *viâ Domini* quaſi *non æquâ* querimonia Ezek. 18. 25. Sed (ut reliqua taceam) ſi peccatoribus ob patrata in eum ſcelera *æternas* (quòd clarè teſtatur Sacra Scriptura) *pœnas* irrogaverit,

Rom. 2. 5.

gaverit, non ampliùs mitis benignus, miſericors, ſed *trux, atrox*, vel (quod mitiſſimè & planè ἀνθρωποειδικῶς dictum putant) *injuſtus* audiet. Hinc *Origenes* Damnatos omnes atque etiam Diabolos ex inferno tandem liberandos dixit.

Auguſtin. de hæreſibus c. 43. * *Articul. 9.*

Hoc Patres paſſim ei tribuunt: atque ob hoc *Synodus Oeconomia quinta** eum Anathemate feriit: quamvis non deſunt qui hujuſmodi dogmata ſcriptis ejus ab hæreticis infarcita ex eo probare volunt, quòd contrariam planè his ſententiam ſcriptis ejus genuinis extare conſtat. Ut ur hoc fuerit, ex *Auguſtino* novimus „ *Miſericordes* quoſdam (ut vocat) Doctores nolle „ credere pœnam ſempiternam futuram Damnatorum omnium, vel ſaltèm „ aliquorum, quos poſt certi temporibus metas pro cujuſque peccati quan„ titate longioris ſive brevioris inde exiſtimârunt liberandos, ut teſtatur *de Civit Dei* lib. 21. cap. 17. Horum ſequaces ſunt *Anabaptiſtæ* & *Libertini* aliqui cum prioris tum præſentis ſæculi. His ſe adjungit *Leviathan* noſter,

Leviathan cap. 38. 44.

qui pœnas improbis paratas æternas quidem eſſe agnoſcit, quibus ſcilicet impii ultimo die reſurrecturi atque (ex ejus ſententiâ impiâ) per æternas ſucceſſiones alios progenituri, cruciandi ſunt. At eorum nullum in *æternum* puniri; ſed (cum animæ eorum *ex gratiâ immortales* factæ non ſint, prout fieri dicit fidelibus, ex *naturâ ſuâ mortales* ſint) tandem poſt exſolutas pœnas aliquas, *morte ſecundâ in æternum* omninò *extingui* hæreticè ſomniat. Cui nimirum durum videtur aſſerere Deum *miſericordiarum Patrem*, qui omnia quæcunque vult in cœlo & terrâ operatur ſine quo etiam nil boni vel velle vel agere, vel de malo pœnitentiam agere poſſumus, homines ob commiſſa peccata ſine fine, *ſupra modum* qui vel cogitari poſſit, cruciare velle.

His aliquantùm ſimilia habent *Sociniani*, qui licèt non cum *Sadducæis* omnem mortuorum *reſurrectionem negant*, cum *Judæis* tamen recentioribus, impiorum omnium ante noviſſimum *judicii ultimi* diem defunctorum omninò rejiciunt, quos à morte penitùs abſorptos omninò eſſe deſinere dicunt, ut in his nil pœnæ ſenſûs metuendum ſit: ſed ſoli improbi, qui die illo ultimo in vivis fuerint, ad Tribunal ſiſtendi ſunt: & quamvis *Smalcius* & alii (ut fucum facerent) eos *igne æternè cremandos* aſſerant, id tantùm volunt eos nunquam ex illo liberandos ut vivi & incolumes inde evadant, ſed planè *abſumantur*, atque in *inferno non exiſtentiæ in æternum maneant*; ſed illud *manere* propriè dici poſſet. Aliter enim exertè negant cruciatus iniquorum & Diabolorum duraturos in æternum, verùm omnes ſimul eſſe penitùs *abolendos*, & rationem addunt (quæ cauſam hanc noſtram magis tangit) quòd abſurdum ſit *Deum iraſci in æternum*, & peccata creaturarum *finita pœnis infinitis* mulctare. Compendioli ſui cap. 8. Hæc blaſphemant *Sociniani*.

De Divinitate J. C. cap. 22.

Nec omni ex parte refragantur *Pontificii*. Quamvis enim *animarum immortalitatem, corporum* item omnium *Reſurrectionem*, atque etiam peccatores omnes in *mortali peccato* morientes juſtiſſimè pœnis *æternis* mulctandos ultrò fateantur: at peccata quædam, (quæ *venialia* vocare ſolent) ita *levia* eſſe contendunt, ut *pœnis æternis minimè digna* eſſe cenſeant. *Bellarmino* enim intelligibile non eſt quomodo „ *verbum otioſum* ex naturâ ſuâ dignum ſit „ perpetuo Dei odio, & ſempiternis flammis. Sic apertè loquitur lib. 1. de Purgatorio cap. 11. & lib. 1. de Amiſſione Gratiæ cap. ultimo, verbis ultimis

mis concludit, „ perſpicuum eſſe peccatum veniale ex naturâ ſuâ non indu-
„ cere reatum pœnæ ſempiternæ; & capite 14. audacter & blaſphemè ſatis
negat „ poſſe Deum juſtè punire peccatum quodlibet etiam veniale pœnâ
„ omnium graviſſimâ, quæ eſt mors æterna. Imò hoc non ſolùm *injuſtitiæ*
ſed & *crudelitatis* priùs arguerat cap. 12.

Hi præcipui ſaltèm in cauſâ iſtâ Adverſarii noſtri ſunt, qui dum erga *peccatores* humaniores atque *benigni* haberi volunt, in *Deum blaſphemi* atque prorſùs *impii* evadunt, cum ſi vel ob atrociſſima peccata (ut aliqui) vel ſaltèm ob leviora & magis venialia (ut alii) pœnas æternas irroget, eum ſeveritatis, injuſtitiæ, crudelitatis, Tyrannidis inſimulant. Hujuſmodi ſupplicia creaturis ſuis *minari*, quò à peccatis terreantur, facilè ex gratiâ (ſi placet) concedunt, at eadem eis *inferre*, ipſi integrum eſſe (pro imperio ſcilicet) non ſinunt. At quantò piè magis Doctiſſimus Reſpondens Dei, Divinæque juſtitiæ vindicias agit! dum pœnas æternas (hoc eſt æviternas) propter peccatum (indefinitè quodlibet vel leviſſimum) minimè iniquas eſſe aſſerit, non *juſtitiæ*, non *æquitati*, imò ne vel *bonitati* Dei contrarias. Has ex condigno meretur peccatum quodlibet, cum „ ſtipendium peccati mors ſit, *peccati*
„ *cujuſlibet mors quælibet* Rom. 6. 23. Has ergo jure optimo iis infligere poteſt juſtiſſimus judex, quibus ob ſatisfactionem per Chriſtum factam gratuitam veniam non indulſerit. *Pœnæ propter peccatum æternæ non ſunt iniquæ.* Quod ſic probatur,

Quod à Deo de facto fit, id procul dubio jure fit, „ Nunquid enim via mea non eſt æqua? ita vel ad Accuſatores ejus provocat Dominus Ezek. 18. 25. & quò magis convincat, denuò repetit v. 29. Hoc interrogando aſſeverantiùs affirmat Abrahamus, „ An Judex totius terræ non exerceret jus? Geneſeos 18. 25. Hoc, cum ſemel ad ſemet rediiſſet, palàm profitetur vel Rex Ethnicus, „ quia omnia opera ejus vera, & omnes viæ ejus judicia. Danielis 4. 37. Cum enim Deus *eſſentialiter juſtus*, adeòque *ipſa juſtitia* ſit, ſimul *eſſe* & *juſtus eſſe* deſinet. *Argument. 1.*

At *pœnæ ob peccatum æternæ* à Deo juſtiſſimo jam *irrogantur*, in *æternum* etiam olim *irrogandæ.* Quid aliud ſonant quæ in Sacrâ Paginâ paſſim occurrunt plurima? ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται Marci 9. 44, 46, 48. & quod ſequitur πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, id eſt (ut rectè *Brugenſis*) „ igne quaſi ſalietur, ut *igne urantur*, at verò quaſi *ſale* perfrictæ in *æternum conſerventur* miſeræ illæ in inferno victimæ.

Quid πῦρ ἄσβεστον Matth. 3. 12. αἰώνιον Judæ 7. δεσμοὶ ἀΐδιοι v. 6. ζόφος τοῦ σκότους εἰς τὸν αἰῶνα τετήρηκα v. 13. κόλασις αἰώνιος *ſupplicium æternum* idque Beatorum vitæ æternæ coæternum Matth. 25. 46. & *Dæmonibus nunquam emerſuris paratum* v. 41?

Quid *opprobrium* illud *æternum* Danielis 12. 2. quid *ardores ſempiterni* Iſaiæ 33. 14. „ quos flatus Domini ſicut torrens ſulphuris in æternum ſuccendet Iſa. 30. 33? Jam in termino interminabili ſunt. χάσμα μέγα ἐστήρικται „ Chaos
„ magnum firmatum eſt ne tranſeant Lucæ 16. 26. „ Ianua jam clauſa eſt Lucæ 13. 25. ne daretur veniæ aditus, vel ex cruciatibus exitus Matth. 25. 10, 11. Neque hoc ſolùm ob *atrociora facinora*, quale *Judæ* proditoris erat, de quo Chriſtus Marci 14. 21. „ bonum ei fuiſſet, ſi natus non eſſet; (At hoc non verum fuiſſet, ſi poſt longiſſimos, eoſque duriſſimos cruciatus tan-

dem *miſer eſſe deſiiſſet*; non enim querimur quòd aliquando fuimus, ſed quòd *ſemper futuri* ſumus, & *tormentorum* præterlapſorum *diuturnitatem* ſatis compenſâſſet *gaudiorum* futurorum *æternitas*) ſed & *leviora*; Peccata (*omiſſionis* ſcilicet) manent æterna ſupplicia Matth. 25. 41, 42. & ſequentibus. Hæc verò omnia & hujuſmodi plura invictè probant non ſolùm *ignem* illum *æternum* eſſe, quod *Leviathan* fatetur, ſed (quod perfidè negat) impiorum in eo *cruciatus æternos* ὅπου σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ. Κόλασις αἰώνιος. At ubi demùm cruciatus erunt *æterni*, ſi *nulli* qui cruciarentur *extituri* ſint? *Infernus* utique, ex eorum ſententiâ, *Pythagoricum* erit κενοτάφιον; quod de *Limbo Patrum* ſomniant *Pontificii*, incolis vacuum.

Evaneſcit ergo commentum illud *Hobbianum*, prout *Socinianorum* de *inferno non-exiſtentiæ* delirium, neque *pœnam damni* ſolùm innuunt vermis non moriturus, ignis inextinguibilis, κόλασις αἰώνιος, ſed & *pœnam ſenſûs*, ejuſque acerrimi. At quid demùm *ſentient*, qui in æternum *eſſe deſierunt*?

At nil opus eſt infernalium pœnarum æternitatem ultrà proſequi, quam egregiè executus eſt *S. Auguſtinus de Civitate Dei* Libro toto vigeſimo primo. Hoc in primo iſto argumento pro fundamento & in genere dictum, probatum ſufficiat, *pœnas æternas* à *peccatoribus juſtiſſimus judex depoſcet*, atque idcircò, vel eo tantùm nomine nunquam *iniquæ* erunt.

Argum. 2. Ut verò ſecundò partiulatim magis agamus. Si pœnas æternas ob peccata irrogare iniquum fuerit, id demùm erit, vel quia Divinæ *juſtitiæ* contrarium, vel ſaltèm quòd *bonitati & miſericordiæ* Dei clementiſſimi, benigniſſimi minùs congruum ſit. At neutrum horum.

1. Quod ad *Dei bonitatem & clementiam* attinet, hanc quidem imprimis in oppoſitum obtendebant Doctores illi quos *miſericordes* appellat *Auguſtinus* de Civit. Dei lib. 21. cap. 17. Hanc valdè urgent hodierni hæretici, *Sociniani*, *Hobbius*, reliqui. Nos ſcilicet (quorum miſerationes præ Divinâ mera fera crudelitas ſunt) vel ſolâ humanitate ductos, vel ſceleratiſſimis (præſertim ſi graviſſimis ac diuturnioribus torqueantur cruciatibus) indoleſcere, atque (ſi jus faſque ſit) quantum in nobis fuerit, opem ferre paratiſſimos eſſe; adeòne igitur *mitiſſimus Deus* ſui oblitus erit, ut creaturarum ſuarum pœnis ultrà quod cogitari poteſt, graviſſimis, nunquam, nunquam in *æternum* finiendis delectaretur? Ita obgannit humana ratio Dei pariter & naturæ peccati inſcia. Et multi (ut piè *Auguſtinus*) „ cruciatus damnatorum hu-
Enchirid. cap. 112. „ mano affectu proſecuti ſunt, „ dura malè molliendo, & in leniorem, „ ſed falſam „ ſententiam flectendo. At (ut rectè monet) „ exterminan-
Ambroſius. Ansbert in Apocal. l. 6. c. 14 „ dus eſt affectus humanus, qui Divinæ repugnat veritati, vincat affectum „ & intellectum veritatis ac fidei vis. „ Quos ſemel pœna in Tartarum per-„ trahit, miſericordia ad veniam non reducit, rectè dixit aliquis. Neque ita vel violatur vel etiam minuitur, ſed magis potiùs illuſtratur miſericordia Divina, Nam

De Civit. Dei l. 21. cap. 17. 24. 1. Quod ad homines attinet ſolidè admodùm *Auguſtinus* ſic arguit, „ Si „ ſententia illa propterea bona & vera quia miſericors eſt, tantò erit verior „ & melior, quantò miſericordior erit. Ergo & profundatur fons hujus „ miſericordiæ uſque ad damnatos Angelos. At *Diabolos* non liberat, quid ergo neceſſum eſt ut *homines*?

2. Vel in inferno ſceleratiſſimis quibuſque indulta erit miſericordia, dum juſtiſſimus

juſtiſſimus Judex eos *citra condignum* puniat, ipſique *mitiùs* quàm *debent* ardeant, „ faciat eos non tantâ quantâ digni ſunt, pœnarum atrocitate cru- *De civit. Dei*
„ ciari, non ut eas pœnas vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiant, ſed *lib. 21. c. 24.*
„ ut eas mitiores quàm merita ſunt eorum levioreſque patiantur, ut ab ipſis „ inter æternas illas flammas extorqueatur illud, quod pii hîc in adverſis ultrò fatentur אַתָּה יְיָ אֱלֹהֵינוּ חָשַׂכְתָּ לְמַטָּה מֵעֲוֹנֵנוּ „ Tu Domine infra ini- „ quitates noſtras virgam cohibuiſti Ezræ 9. 13.

3. Taceo ſummam erga eos dum hîc in terris agebant patientiam, longanimitatem, & innumera illis indulta beneficia.

4. Objicio etiam ſummum benignitatis & miſericordiæ abuſum, ipſamque *gratiam* in *laſciviam* converſam, quidni ergò *læſa patientia furor* tandem fiat? læſus amor iraſci debet, & ſi zelus & *furor viri* „ non parcet in „ die vindictæ Prov. 6. 34. quanto minùs *Dei*? qui vix aliter lenitatis & miſericordiæ amorem ſuum magis demonſtrare poteſt, quàm *abuſum* & *contemptum* ejus graviſſimis, iiſque *æternis* pœnis vindicando.

5. Præſertim (quod quintum eſt) in mundo illo futuro jam elapſum eſt *miſericordiæ tempus*. „ Ecce nunc eſt tempus acceptabile, nunc dies ſalutis 2 Cor. 6. 2. At tum *fruſtrà pulſantibus* in æternum *clauſa* erit *janua* miſericordiæ Matth. 25. 10, 11, 12. cum ſemel ibi epotandum eſt *poculum* ξ ὄινυ ξ θυμῦ ξ θεῦ ξ κεκερασμένυ ἀκράτυ Apoc. 14. 10. tum demùm κρίσις „ ἀνίλεως damnatio abſque miſericordiâ erit ei, qui non præſtiterit miſeri- „ cordiam. Jacob. 2. 13.

6. Quid quod ultimo in loco *Dei benignitas* (teſte *Gregorio*) *erga Electos* *Dialog. l. 4.*
ex æternis damnatorum ſuppliciis magis commendabitur, quatenus tantò *c. 44.*
magis in æternum Gratiæ Divinæ debitores ſe eſſe cognoſcant, quantò magis in æternum malâ punire conſpiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt. Atque ut quarto illud prædicto (*miſericordiæ* ſcilicet *abuſu*) os obturavit Apoſtolus eorum qui contra decretum Dei de reprobis reſponſitârunt Rom. 9. 22. „ quid ſi verò Deus ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ aptata in interitum: Sic etiam hoc ultimo (illuſtriori ſcilicet *erga electos miſericordiæ* inde demonſtratione) v. 23. „ & ut notas faceret Divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſeri- „ cordiæ, quæ præparavit ad gloriam: Non obſtantibus ergò pœnis *his æternis* ſarta tecta manet, imo luculentius reſplendet *Divina miſericordia*.

Unde minor de *juſtitiâ* Dei inde metus eſt vel periculum. Ubi enim tri- 2.
umphat miſericordia, juſtitia, ſeveritatis, crudelitatis, tyrannidis rea minimè peragetur; imò omninò juſtificabitur, ſi peccati, ſi peccatoris, ſi Dei denique, in quem peccatur, juſta habeatur ratio.

Primò, *Peccatum* quod attinet, cum ejus *ſtipendium mors* ſit Rom. 6. 23. quid adverſus *Patremfamilias* obmurmurant *operarii*, dum *mercedem* ipſis reddit? Cum *Legis transgreſſio* ſit. 1 Joh. 3. 4. Deum Legiſlatorem ignominiâ afficit, quam mortaliter, æternaliter, juſtiſſimè punire poteſt, ut *Baſilius* ſatis oſtendit. Neque hîc (quod à *Socinianis* fit) objiciatur, *Lib. quæſt. comp. q. 4.*

1. Peccatum (cum *finitæ* creaturæ operatio ſit) *finitum* eſt, cui non proportionatur *pœna infinita*. Facilè enim reſpondetur 1. Quamvis *formaliter finitum* ſit, & quoad *efficientem*, at quoad *objectum* infinitum eſt, ad idcircò 2. cum *intenſivè* & de præſente pœna hæc *infinita* eſſe debeat, cujus Creatura finita in ſe incapax eſt, juſtitiâ id exigente, *duratione infinita* eſſe debet.

2. Neque

2. Neque ſecundò oggerat humana ratio, peccatum *temporale* eſſe, & *citò peractum*, cui malè convenit *pœna* in *æternum* duratura, ut temporale peccatum ſupplicio puniatur æterno. At hoc facilè diluit *Auguſtinus* Libri prædicti Capite 11. ubi oſtendit quod in foro humano „ peccata vindicantur „ longiſſimi temporis pœnis, quæ breviſſimo tempore perpetrantur. Nec „ quiſquam extitit qui cenſuerit *tam citò* nocentium facienda eſſe *tormenta*, „ quàm citò factum eſt *homicidium*, vel *adulterium*, vel *ſacrilegium*, vel quod„ libet aliud ſcelus, non *temporis longitudine*, ſed iniquitatis & *impietatis* „ *magnitudine* metiendum.

3. Neque tertiò nobis opponat *Bellarminus* leviora illa peccata, quæ *venialia* apud eos audiunt, utpote non pœnâ *æternâ*, imò ne *pœnâ* quidem, ſed (ex eorum ſententiâ) *veniâ* potiùs digna. Nam [1] ipſis fatentibus atrociorum ſaltem, quæ illi *mortalia* vocare ſolent) *juſta* eſt *pœna æterna*: ſine quibus vix eſt qui pro *venialibus ſolis* æternùm de facto luet, at *per concomitantiam mortalium* juſtè poſſe vel ipſi *Pontificii* fatentur. [2.] Cum in peccatis illis levioribus ſit vera *peccati* ratio, *macula*, *reatus*, imò quanto *materia levior*, *reatus* aliquando *gravior* fuerit: cum etiam in *damnatis* tam reatus quàm *macula maneat*, neque apud eos ſit quò eorum alterutrum diluere vel poſſint vel etiam vellent: Pro quibus juſto Dei judicio Redemptor noſter ſalvandorum loco pœnas (ſuo modo) infinitas pertulit, damnandi juſtiſſimè luituri ſunt æternas. Hoc primum ſit, Peccatum quid in ſe ſit, internamque ejus malitiam parùm attendunt, qui de æternâ ejus apud inferos pœnâ adverſus judicem juſtiſſimum litigant. Piè admodum *S. Auguſtinus* „ Pœna „ æterna dura & injuſta videtur ſenſibus humanis, quia in hâc infirmitate „ moribundorum ſenſuum deeſt ille ſenſus altiſſimæ, puriſſimæque Sapien„ tiæ, quo ſentire poſſit quantum nefas in illâ primâ prævaricatione com„ miſſum eſt. De Civit. Dei l. 21. cap. 12.

Secundò, ſi *peccatorem* ſpectemus, hæc ſunt, quæ omnem à Deo injuſtitiæ vel ſpeciem vel ſuſpicionem amoliri poſſint.

1. Quòd omnis peccator peccat in *ſuo æterno*, juſtum ergò eſt etiam *ſemper puniatur* in *Dei æterno*, ut ſcitè *Gregorius*: „ Ad magnam (ut ille loquitur) „ juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hâc vi„ tâ nunquam carere voluerunt peccato. Cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Quod in æternum hîc non peccârunt, vita hîc defuit, non animus. Juſtum ergò eſt ut ibi non deſint illis ſempiterni cruciatus.

Dialog. lib. 4. c. 44. Bernard. Epiſt.

2. Imò (quidni dicamus) ibi *in æternum peccant*; nam quamvis obtinuit illud *Scholaſticorum* atque aliorum *Meritum ſpectare ad ſtatum tantùm viatorum*, de quo jam non diſputo; At damnati in inferno blaſphemant, Deum odio habent, in eum dentibus frendent, quæ proprii nominis peccata ſunt, cum contra legem creaturæ ſint. *Damnati* enim licèt ſint, at adhuc *creaturæ* ſunt, quæ cum interminabiliter peccent, æquum eſt ut propterea interminabiliter puniantur, æternæ morti pabulum præbente obſtinatâ eorum in malo voluntate.

Bellarm. de Juſtif. l. 5. c. 14.

Albertus in Matth. 7.

3. Quod tertium eſt: *Salutarem* enim *pœnitentiam* ibi non agunt, quæ neceſſarium ad ſalutem remedium eſt: dolent quidem, at hoc de *dolore*, non de *peccato* eſt. Unde, ut rectè *Innocentius* „ Pœnitebunt ad pœnam, ſed non „ convertentur ad veniam.

De Cont. Mundi lib. 3. cap. 3.

Quod

Quod ultimò eo magis imò maximè æquum videbitur, ſi *Deum*, in quem peccant, ſpectemus, infinitum, æternum, ſummum, ſanctiſſimum, neque juſtum magis quàm miſericordem. Deum hunc parùm novit, qui ei ob æternas pœnas peccatoribus irrogatas litem intendit. 3.

Infinitus eſt. Ergo & in eum peccatum quodlibet (hoc ſaltèm nomine) *infinitum* eſt, adeòque *pœnæ duratione* ſaltèm *infinitæ* meritorium, & cum ipſe *æternus* ſit, *æternæ*.

Summus. At quàm duris & duraturis exiliis, vinculis, ſuppliciis capitalibus, unde nullus datur reditus, juſtitiâ exigente in foro *humano* plectuntur *læſæ Majeſtatis* rei? ut hoc nefas ſit *Regi Regum & Domino Dominantium*.

Sanctiſſimus idem & *juſtiſſimus* eſt. Non novit ergo quid infinita Dei Sanctitas ſit, quàmque infinito odio peccatum proſequatur, qui ob æternas ei irrogatas pœnas eum injuſtitiæ poſtulat.

Non denique vilipenſam ſummam Dei illis aliquando protenſam *bonitatem*, *patientiam*, *miſericordiam*, non immenſum *Chriſti* & Deo & illis oblatum, neque minùs ab illis ſpretum, repudiatum *Sacrificium*, ut merito à quodam dicatur „ Cum damnati æternam repudiaverint dulcedinem, juſtè ad „ æternam devolvunrur amaritudinem. Hîc ergo diſputent & blaſphement licèt, at non ſic olim, non ἐν ἡμέρᾳ ὀργῆς καὶ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας Θεοῦ. Ubi tum demùm *Taulero in Homil.* *Rom.* 2. 5.

Totus Salvandorum chorus *cantabit canticum Moſis ſervi Dei, & canticum Agni* dicentes „ Hallelujah, ſalus & gloria & honor & poteſtas Domino „ Deo noſtro, quia vera & juſta ſunt judicia ejus, vel cum inimici ejus & Eccleſiæ ſuæ „ vivi conjecti erunt in ſtagnum ignis ardentis ſulphure, & ſecundò „ dicent Hallelujah, cum „ fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum. *Apoc.* 15. 3. 19. 1, 2. v. 20. v. 3.

Impii verò, hîc licèt *opponant cœlis os ſuum* & quà diſputando, quà blaſphemando ad intemeratam Dei juſtitiam oblatrent, tum verò cum ſemel *aperti libri* fuerint, & *occluſa* miſericordiæ *janua*, os improbum in æternum obturabitur: Eos quidem ad dictam ſententiam, ſe minimè facti reos reſponſitantes legìmus Matth. 25. 44. cum verò de facto conſtiterit, nil de iniquâ in illos latâ ſententiâ queritantes audimus; ſed ut illi olim Johannis 8. 9. ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι agnitâ primùm & deprædicatâ (prout à maleficis extrema jam paſſuris apud nos fieri ſolet) Legis, Judicis ſententiæ damnatoriæ juſtitiâ, in æternum unà deſcendunt & ſupplicium & ſilentium. Ita ſcilicet Domine „ ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicas! *Pſal.* 73. 9. *Pſal.* 51. 6. *Rom.* 3. 4.

QUÆST. XII.

Ψυχοπαννυχία *nec ratione fundatur nec Scripturis.*

NOs miſeros! qui in ea tempora incidimus, in quibus pro concione ad populum, in Scholis etiam inter doctos, cum *Larvis* luctandum eſt: neque ſolùm hæreticorum aſtutiorum nervi nobis ex officio elidendi

dendi ſunt, ſed & *Fanaticorum* & nihili hominum difflanda deliria: Inter reliqua, de *animarum* poſt mortem *ſomno* inſomnia. Ut verò ἀνόητους illos *Epicuræos*, iiſque ſimiles miſſos faciam, qui eas in morte unà cum corporibus in æternum *perire* volunt; (quod *Albigenſibus* ex *Ciſtertienſi* ſuo affricare conatur *Prateolus*, ſed more ſuo, hoc eſt malitioſè & mendaciter) de animarum ſeparatarum ſtatu quadruplex ferè eſt ſententia. *Prima* eorum, quos *Calvinus* ψυχοκτόνους, *Damaſcenus Thnetopſychitas* vocat, qui animam poſt mortem ita ad Deum redire ſtatuunt, ut planè evaneſcat, & in nihilum abeat, die tamen ultimo redintegranda & corpori reunienda. Hîc *Photiniani* ambiguè loquuntur, at apertè nimis *Leviathan*, ut *Arabici* illi olim de quibus[a] *Euſebius*, [b] *Auguſtinus*, [c] *Nicephorus*. *Secunda* eorum, qui non ψυχοφθαρσίαν hanc aſtruebant, at ejus loco ψυχοπαννυχίαν invenerunt, eas interire nolunt, ſed *nihil agere*, *nil pati*, *nil ſentire*, ſed (quod Adagio dici ſolet) *ultra Epimenidis ſomnum dormire* ineptè fabulantur. Tales *Anabaptiſtæ* illi, contra quos *Calvinus* librum non minùs doctum quàm elegantem edidit, cujus Titulus ψυχοπαννυχία eſt, quem errorem refutârunt *Bullingerus*, *Wigandus*, alii: cui accedit *Vorſtius*, qui *mortuorum dormitiorum* non ſoli corpori, ſed *toti compoſito* aſſignat. *Tertia* eorum eſt, qui animas ſeparatas & exiſtere & ſentire, imò neſcio quibus *Fortunatorum Inſulis*, & *campis Elyſiis* frui, ut *Dormitantius Vigilantius* apud *Hieronymum*. Tale etiam pratum florentiſſimum præter *infernum* & *Purgatorium* non improbabile eſſe autumat *Bellarminus* lib. 2. de Purgatorio, cap. 7. ſaltèm ante finale judicium non cœlo, non clarâ Dei viſione frui, non tantùm *Armenorum*, non *Fratricellorum* ſolorum, ſed & antiquorum *Patrum* quamplurium ſententia fuit, ut ex ſcriptis eorum liquidiſſimè conſtat; utcunque *Bellarminus* lib. 1. de *Sanctorum Beatitudine* eorum dicta quovis modo emollire & fucare ſatagat. Imò non ſolùm *Fratricelli*, non *Patres* ſoli in hâc ſententiâ fuerunt, ſed ſummus omnium (ſi placet) Romanus *Pontifex Johannes* 22. hoc eſt privatim ſenſit & publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quin & cavit, ne quis in *Univerſitate Pariſienſi Theologiæ* gradum adipiſceretur, qui ſe errorem hunc defenſurum non promiſerit. Σοφὰ φάρμακα quædam comminiſcitur *Bellarminus*, quibus Eccleſiæ ſuæ *capiti* ita graviter laboranti medelam paret: operâ ſanè fruſtraneâ: at pro pietate ſcilicet *Patri* ſuo *Papæ* debitâ: utinam charitatem ſimilem præſtitiſſet *Calvino fratri*, quem contrarium licèt apertè affirmantem, ex voculis tamen perperàm expoſitis obtorto collo trahere conatur in hujus erroris conſortium: ſed hoc ab adverſario *Pontificio* fieri magis æquè ferimus, ſed ægerrimè à *Lutheranis* fratribus, qui quamvis *Calvinum* longè aliter ſentientem & quæ à *Bellarmino* ei objecta fuerint à noſtris facilè ſoluta eſſe probè noverint, vel hoc tamen nomine ei dicam impingunt. Ita ſcilicet ſe res habet apud eos: quos *præjudicium* ſemel in tranſverſum rapuit, quique *Calvinianis fratribus* quàm *Pontificiis adverſariis infenſiores* eſſe ſolent. *Quarta* denique eorum ſententia eſt, qui impiorum animas jam à corpore ſolutas (ut *Divitis* illius Lucæ 16. 23.) ad inferni tormenta ſtatim amandant, Sanctorum verò animas quod attinet, *Pontificii* aliquas, eorum ſcilicet qui ne *venialiter* hîc *peccaverant* (tales enim comminiſcuntur aliquos) vel ſaltèm qui pro eis, dum hîc agerent, *ſatisfecerint*) rectà in cœlum deducunt, alias verò, eorum nimirum qui *in venialibus*

mortui

Hermanum Riſvich.

[a] *Lib. 6. Hiſtor. c. 26.*
[b] *De Hæreſibus cap. 83.*
[c] *Hiſt. lib. 5. c. 23.*

Ut &c. à Lapide in Phil. 1. 23. vide Rivet dialys. ſect. De Beati. ſanct. l. 1. c. 1. Gerhard loc. com. Tom. 8. §. 305. pag. 422.

mortui erant, vel pro *mortalibus* in ſolidum *non perſolverant*, in *Purgatorium* detrudunt, pœnas ibi penè infernales aliquamdiu ſenſuras, quamvis cœlo tandem beandas. At *fictæ*, *pictæ* iſtæ non ita pridem à nobis extinctæ ſunt *flammæ*, & recto talo ſtat Orthodoxorum ſententia, quæ tenet beatas ſanctorum omnium animas, ut Lazari illam olim Lucæ 16. 22. à morte continuò „ ab Angelis in Abrahami ſinum aſportari, non ut ibi infantum more in ſinu paterno *dormiant*, ſed ut *conſolentur* v. 25. ut clarâ Dei viſione fruantur vivæ, vigiles, in æternum beatæ, quamvis die ultimo ex corporum reunione magis adhuc beandæ: ita omninò diſparem imò planè contrarium animarum hinc *damnatarum*, illinc *beatarum* ſtatum *iiſdem* tamen *verbis* (quæ *Pſychopannychitarum* veternum omninò excutiunt) depingit Sacra Pagina; idemque liber Apocalypticus. De *beatis* legimus Apoc. 4. 8. ἀνάπαυσιν οὐκ ἔχουσι ἡμέρας καὶ νυκτὸς, λέγοντα ἅγιος ἅγιος Κύριος ὁ Θεὸς παντοκράτωρ. De damnatis verò cap. 14. 11. legimus itidem καὶ οὐκ ἔχουσιν ἀνάπαυσιν ἡμέρας καὶ νυκτὸς dum „ fumus tormenti ipſarum aſcendet in ſæcula ſæculorum.

Rectiſſimè itaque Doctiſſimus Reſpondens ψυχοπαννυχία *nec ratione fundatur, nec Scripturis.*

Mihi equidem perplacet (quamvis cum à *Pontificiis* tum à *Lutheranis* ſuggilletur) hâc in re *Calvini* modeſtia „ De intermedio (inquit) animarum „ ſtatu curioſiùs inquirere neque fas eſt, neque expedit, imò ſtultum & te- „ merarium eſt de rebus incognitis altiùs inquirere, quàm Deus nobis ſcire permittit. Cum verò ὕπνοι ἐνυπνιαζόμενοι (ut Apoſtolus *Judas* Commata 8. eos vocat) *turpiſſimi* ſcilicet *ſomniatores* noſtri ipſi inprimis ebrii eas *ſomno ſepultas* eſſe clamitent, expergiſcimur tandem, & quamvis ſeparatum earum ſtatum (per omnia quæ Sacra Scriptura tacuit) non adeò penſiculatè deſcribere poſſumus, eas verò *Endymionis ſomnum* dormire, *nil ſentire*, *nil* vel boni vel mali *pati*; ſatis, meliùs è verbo Divino edocti pernegamus. *Juſtit. l. 3. c. 25. §. 6.*

Concedimus quidem

1. *Patres antiquores* plurimos animarum ſeparatarum commune quoddam receptaculum à cœlo diſtinctum ponere, quod *Irenæus locum inviſibilem* vocat, *Auguſtinus abdita receptacula*; *Chryſoſtomus* τὸ τῶν ἱερῶν πρόθυρον, *Bernardus Atrium*; *Origines locum eruditionis*; ipſi, alii *Paradiſum*, *ſinum Abrahæ*, *ſub altare*, & his ſimilia.

2. Concedimus & nos, animas beatas licet, plenario tamen nondum frui gaudio ex exoptatiſſimâ earundem cum corporibus in reſurrectione ultimâ denuò conjunctione ampliando, integrando, atque eo ſenſu *in diem Domini ſequeſtrari*, cum *Tertulliano*, atque interim *coronam expectare*, cum *aliis Patribus* facilè agnoſcimus. *Libro de animâ.*

3. Eſt etiam quòd fateamur, imò ultrò profitemur rectè apud profanos paſſim Authores, rectiſſimè in ſacrâ paſſim paginâ mortem *ſomnum* dici, mortuos *dormire*, *pios* præſertim in *Jeſu obdormire*, quatenus à vitæ hujus miſeriis & *laboribus ſuis requieſcunt*, vivi vegeti olim reſurrecturi. *Iſa. 57. 2. Act. 7. 60. Act. 13. 36. Job. 14. 12. 1 Theſſ. 4. 14. Apoc. 14. 13*

Atque ex his conceſſionibus noſtris concidunt planè pleraque *Pſychopannychitarum* argumenta.

At ità dormire, ut *nil patiantur*, *nil agant*, *nil ſentiant* inertes, talem utique animarum ſeparatarum *ſomnum* pro delirorum, maleferiatorum *inſomnio habemus*. ψυχοπαννυχίαν hujuſmodi Sibilis potiùs quàm argumentis ex-

cipiendam, *nec ratione* nec *Scripturis fundamentam* meritò execramur.

A *Scripturis* (quod meritò debemus) ordiamur. His enim in *rebus fidei primæ* jure deferendæ ſunt, neque iis (prout *Socinianis* paſſim in ſcriptis ſuis ſolenne eſt) anteponenda eſt *ratio*. An verò Scripturis hiſce Sacris fundetur (quæ fundamento omni caret) *Pſychopannychia* iſta Chimærica ex jam peracta Diſputatione conſtitit, in quâ opponentes (doctiſſimi licet) nil inde attulerint, quod ejus vel *volam*, *vel veſtigium* nobis exhibeat. Mihi potiùs reſtat eam non tam Scripturis *fundatam*, quàm à Scripturis funditùs *everſam* oſtendere.

Impiorum animas quod ſpectat: *Divitem proximè à ſepulturâ* apud inferos ἐν βασάνοις *in tormentis & flammis* crucitatum habemus Lucæ 16. 23, 24. „ Neque fabulam (quod objiciunt Adverſarii) nobis enarravit Dominus, „ ait *Irenæus* lib 4. cap. 4. „ Narratio eſt magis quàm fabula, ut recte *Ambroſius*. Neque quid demùm poſt judicium ultimum fiet hîc narrat; hoc enim fieri *ante mortuorum reſurrectionem* dum adhuc *Moſen & Prophetas habuerunt fratres*, clarè indicant Commata tria Capitis illius ultima. Imò nil hâc dilationis vel moræ eſt: adeò ſtatim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in ſupernis manerent, ut ritè obſervavit *Hilarius*. *In pſal.* 2. Huc adducunt noſtri illud *Petri* de *Spiritibus in carcere*. At in *carcere* (ajent) *dormivit Petrus* Act. 12. at licèt in *carcere*, non puto tamen in *flammâ*, in *inferno* aliquis. 1 *Pet.* 3. 19.

At *Beatarum animarum* nobis major habenda eſt ratio. Quidigitur de his potius affirmat Scriptura Sacra? nimirum à morte ἀπάρτι *à modò* jam ità „ à laboribus ſuis requieſcere, ut eos eorum ſequantur opera Apoc. 14. 13. *Spiritus juſtorum conſummatorum*, ejuſdem cum *Angelis cœleſtis civitatis* municipes, vocantur Hebr. 12. 23. & quid *conſummatio* cum *ſomno*? *Sub altare clamant*, at hoc non per *inſomnium* Apoc. 6. 9, 10. *Stolis candidis indutæ* ſunt v. 11. at hæ *lætitiæ* indicium. *Et dictum eſt eis* ut *requieſcerent adhuc paululum*: at hoc *vigilantium*, *audientium* eſt. *Cum Chriſto ſunt*, quod *omnium longè* optimum eſt. Philip. 1. 23. At hoc longè abeſt à *veterno* & inerti otio. „ Simul ac terreſtris hujus domûs tabernaculum diſſolutum fuerit, „ domicilium æternum in cælis habent 2 Cor. 5. 1. at *cælum* nunquam *domus ſomni*, vel glirium caverna erit, ubi perpes, pervigil *Hallelujah* ſonat, & æternæ gratiarum actio. Hinc eſt quòd adeò dum hîc in corpore diverſantur, mortem expetant v. 2. at hoc ſolùm *ut corpore exuti cælo ſuperinduantur*, ut *cum à corpore peregrè abfuerint Domino adſint*. At quid ad mortem adeò anhelant avidæ, cum potior earum conditio hîc foret, ubi Divini amoris πρόγευσιν eamque dulciſſimam habent, Si poſt mortem ità prorſùs inſenſatæ inertes torpeant? Longè aliter animatus Sanctus *Stephanus*, qui animam jam acturus flexis genibus Deum oravit ut *Spiritum ſuum reciperet* Act. 7. 59. Longiſſimè *Salvator noſter Chriſtus*, qui & *Latroni* pio *eodem quo paſſus eſt die* „ eum ſecum in Paradiſo futurum eſſe promiſit Lucæ 23. 43. & jam expiraturus ipſe *Spiritum ſuum in manus Patris depoſuit*; v. 46.

V. Eſtium in Locum.

Corporum Reſurrectionem in Symbolo Apoſtolico credimus, in Sacrâ Scripturâ legimus Rom. 8. 11. 1 Cor. 15. 44. Forſan etiam & *animarum* à morte peccati ad vitam gratiæ *Spiritualem metaphoricam*: at nuſquam (qualis corporum eſt) ex morte & ſomno propriam. *In Scripturis igitur nullibi fundatur* ficta iſta animarum ψυχοπαννυχία. Neque

Neque magis huic ſuffragatur, imò prorſus adverſatur *Ratio*. Ipſa enim dictat, & invictè probat *animas humanas*

1. *Immortales* eſſe. Quod Theſi huic noſtræ ſtabiliendæ multùm inſervit. Valde enim affines ſunt animarum *dormitio* & *interitus*, ut rectè obſervavit *Calvinus*, res ipſa loquitur: Plerique enim, qui eas dormire contendunt, eo modo dormire volunt, ut tamdiu ſaltèm *exiſtere* deſinant. Sic *Hobbius*, *Smaltzius*, *Sociniani* reliqui. At contrà *Chriſtus*, qui Matth. 10. 28. Tyrannos „ poſt occiſa corpora animas ſimul occidere poſſe negat, quod minimè negandum foret, ſi anima unà cum corpore interiret. At *reviviſcet tandem anima*, dicunt Adverſarii ſic & *Corpus*. *Par* itaque quoad hoc utriuſque eſt *ratio*, quam *Chriſtus* tamen omninò *diſparem* & longè diſſimilimam eſſe ſtatuit.

At aliqui forſan, qui animas in ſtatu ſeparato dormire aſſerunt, eas exiſtere, *vivere* concedent, omni licet actione, paſſione, *ſenſu deſtitutas*: ut homo dum *dormit*, quamvis *nil ſentiat*, *vivit*.

2. Secundò ergo dictat *Ratio*, Si animæ vivant & immortales maneant, ſibi ſimiles manere, hoc eſt, *vitâ* naturâ *ſpirituali*, *Angelicâ*, *Deo* (qui *purus actus* eſt) proximâ, hoc eſt *ſummè activâ* non glirium, non hirundinum in hyeme, vel urſorum νήδυμον vix ἐγέρσιμον ὕπνον dormientum. At *vita vigilia eſt*, dixit *Seneca*. *Anima animæ ſenſus eſt*. Sic rectè *Tertullianus* *. Optimè *Calvinus* †, „ Qui animam vivere fatentur, illamque ſimul omni „ ſenſu ſpoliant, prorſus animam fingunt, quæ nihil animæ habeat, aut „ animam ipſam à ſeipſâ avellunt, cum ejus natura, ſine quâ conſiſtere ullo „ modo nequit, ſit moveri, ſentire, vigere intelligere.

Homerus Theocrit. Idyl. 21.

* *De carne Chriſti.*

† *In Pſychopannych.*

Quin & illud addam, Sanctæ animæ vel in ſtatu ſeparato procul dubio *beatæ* ſunt, aſſerente Sacrâ Scripturâ Apoc. 14. 13. atteſtente *Gregorio* in Pſalmum 4. At *Beatitudo in actione* conſiſtit, non in *ſomno*, qualis ebriorum eſt, non in inerti otio.

Illud etiam adijciam ultimum. Ἀθεόλογον, ἄθεον, imò animæ humanæ naturæ contrarium *Pſychopannychitarum* de animarum dormitione inſomnium præſertim ſi adjungatur *Hobbianum* & *Socinianum* de animarum *interitu* à morte quidem *corporis temporario*, poſt exolutas verò in ultimo judicio pænos aliquas *æterno*, commentum, pietatem omnem hominibus excutit, ſcelere verò omni omnes effundit habenas. Sed verendum eſt, ne qui venenum hoc primò aliis propinârunt ſummo ſuo malo jam diu edocti ſint non adeò molles apud inferos in mediis flammis lecticas eſſe, quibus ſuaviter atque in utramque aurem indormiant: ſed potiùs cum *Divite* illo in Evangelio „ Fratres ſuos, qui adhuc in vivis ſunt monitos vellent ut ſibi caveant, „ ne & ipſi in eandem tormenti locum veniant. Quidquid enim dixerit ille olim „ Nobis cum occiderit una brevis vitæ lux, *non*, „ nox perpetua una dormienda eſt.

Lucæ 16. 27. 28.

QUÆST. XIII.

Peccata præterita & futura non ſimul remittuntur.

IN juſtificatione peccatoris peccata ejus omnia *futura* æquè ac *præterita ſimul & ſemel remitti* tenent aliqui magni nominis Theologi, *Perkinſius*, *Twiſſus*, *Ameſius* ★, *Maccovius* †, alii: quod & (quantum memini) *publicis* apud nos aliquando defenſum eſt *Comitiis*. At aliter doctiſſimo reſpondenti *hodie* viſum eſt, qui & ſibi συμψήφους habet, eosque doctiſſimos *Abbotium* dico, qui illud *nimiùm incommodè dictum* eſſe aſſerit.* *Rivetum* † etiam, qui (cum *Grotius* Proteſtantibus hanc Sententiam impegerat, *Peccata* ſcilicet *condonari antequam fiant*) hanc noſtram doctrinam eſſe diſtrictè negat; imò dictum illud pro abſurdiſſimo à nobis haberi, adeòque illius imputationem nobis factam iniquiſſimam eſſe pronuntiat. Præ reliquis *Arminiani* Sententiam illam acriùs exagitant, & inprimis *Thomſonus* in ſuâ *Diatribâ** utpote Helenæ ſuæ (*Gratiæ immirum interciſioni*) è regione (& nimis forſan) oppoſitam, contra quam idcircò hoc modo debacchatur vehementius „ Novum eſt hoc dogma, falſum eſt, hæreticum eſt, Ieſuiticum eſt, imò contra „ communem hominum ſenſum eſt, quo fides, pœnitentia, Sacramenta, „ & univerſa Evangelii paratura tollitur. At

—— —— *ne ſævi magne Sacerdos*:

Pacatiùs agamus, quò diſpiciamus melius, quæ mens, qui ſenſus doctorum utrinque virorum fuerit, atque ità tandem à quorum partibus ſtet veritas; ad quam certiùs indagandam diſtinctiones aliquæ præmuniendæ ſunt.

1. *Remiſſio* peccatorum ut ſæpiùs *propriè*, ita aliquando *methaphoricè* ſumitur: ut cum dicimus tot peccata *remiſſa* eſſe, quot, ut *ne fierent*, *præveniens* effecit Gratia. *Methaphoricâ* hâc Remiſſione *futura* condonanrur. At nos jam agimus de *propriâ*.

2. Ea verò vel quoad *actum & exhibitionem* conſiderari poteſt, vel quoad ejuſdem *ſenſum* atque *certiorationem*.

3. *Actus* iſte ſpectari poteſt vel prout *in Deo* eſt, atque æterno ejus *Decreto*, vel ut in *Chriſto* quoad ejus *impetrationem*, vel denique prout *terminativè in nobis* eſt per actualem ejus nobis *applicationem*.

4. Remiſſio attendi poteſt, vel quatenus *reatum ſimpliciter* & omninò tollit, vel ita ut non *redundet in perſonam*.

5. Ultimò Remiſſio reatum tollit vel quatenus reatus iſte peccatorem denuò in *ſtatum damnationis ponit*, eumque ita permanſurum ut *totaliter* & *finaliter à gratiâ* in condemnationem *excidat*, vel quatenus reatus iſte *ſtatum non in univerſum* mutat, ut à ſtatu gratiæ non *totaliter* excidat, ſaltèm non *finaliter*.

His præſtructis, ut de re iſtâ diſſidentium meus, & verus Controverſiæ Status melius innoteſcat, dicimus

I. Eos qui *peccata* tam *futura* quàm *praterita ſimul remitti* contendunt, hoc intelligere non de remiſſionis *ſenſu* vel certioratione, quàm gradatim & per temporis

* *Vindic. Gratiæ. p.* 82.
† *Medul. lib. c.* 1. 27. 5. 23. *&c.*
* *Loc com. p.* 691. 692. 693.
† *Contra Thomſonum c.* 24.
* *Dialys. ſect.* 13. *l.* 464. *Dialyſ. Sect.* 13. *p.* 467. 532. 533. *Cap.* 24.

temporis intervalla augeri concedunt, ſed de *ipſo Remiſſionis actu*, eoque individuo & unico.

Præterea illud notandum, eorum ſaltèm aliquos non adeò Remiſſionis ad nos *applicationem* hîc attendere, quam (parùm rectè quidem) in ejus *nobis manifeſtatione* totam ponunt, quamque non ſimul & ſemel perfici (ut jam dixi) fatentur. Sed *ipſam remiſſionem* vel juſtificationem ſpectant, quatenus *in Deo* eſt, quam *actum immanentem* (neque hoc forſan rectè dictum) eſſe putant, ideòque *æternum*, nullis temporis vel præteriti vel futuri differentiis obnoxium. Et quidem ſi

Vel in *Deo* æterno *decernente* conſideretur, ſic ei omnia (vel futura) præſentia ſunt, qui *fecit quæ futura ſunt*, ut *Auguſtinus* illud Iſaiæ cap. 44. 6. transfert; vel potiùs ut Apoſtolus, „ qui vocat ea, quæ non ſunt tanquam „ ſint Rom. 4. 17. Non pedetentim hîc procedit Deus, *neſcit tarda molimina Spiritûs ſancti Gratia*, ut *Ambroſius*. *Juſtificatio* ſecundùm *Aquinatem* 12. q. 113. art. 7. *in inſtanti* eſt; unico & individuo voluntatis actu hæc peragit omnia. *De corrept. & gratiâ cap. 9.*

Vel ſi Chriſti Remiſſionis hujus *impetrationem* ſpectemus, non πολυμερῶς & repetitis ſæpè Sacrificiis (ut Sacerdotes olim Levitici) hoc præſtitit, ſed „ unicâ oblatione conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur, ut apertè teſtatur & latè perſequitur Author Epiſtolæ ad Hebræos cap. 10. 1, 2. &c. 13. 14. *omnia in eum ſimul congeſta ſunt peccata noſtra* Iſa. 53. 6. *Simul* (quoad *hoc*) per eum *expiata* ſunt omnia.

Remiſſionem etiam hanc peccati *reatum* ita tollere volunt, non *ut omninò non* ſit, ſed ut in *perſonam* ita juſtificatam *non redundet*.

Neque hoc omninò & ſimpliciter: fatentur enim non obſtante Remiſſione vel juſtificatione iſtâ prævia peccata ſequentia reatum particularem contrahere in ſe iræ æternæ meritorium, eumque inſuper in hominem priùs juſtificatum ita redundantem, ut *paternam* Dei in eum iram cieat, eumque licèt non *filium iræ*, at *ſub irâ filium* conſtituat: imò ultrà progrediuntur ex his aliqui, & concedunt hominem iſtum, quamvis priùs juſtificatum, ex hoc novo reatu in *ſtatu damnabili* poni, adeòque ſi ſine pœnitentiâ de hoc actâ moreretur, damnatum iri: illud tamen interim monent, Dei ita ei ſemper invigilare amorem & providentiam ut nunquam ante actam pœnitentiam hinc excedat, atque inde nunquam ex *ſtatu gratiæ* & juſtificationis penitùs omninò vel *finaliter* vel *totaliter excidat*. Hoc Theologi noſtri *Dordraceni*, hoc alii. Hoc in loco illo, quem adducit *Thomſonus*, & alibi *Zanchius*, agnoſcit Sanctos peccatis ſuis ita Dei iram adverſus ſe provocare, & ſententiam mortis æternæ incurrere ut opus habeant reſipiſcentiâ & nouo fidei actu ad eum ſibi reconciliandum, & ad novam peccati veniam conſequendam, & proinde ad pœnæ etiam, quæ peccato debetur, condonationem impetrandam, ità tamen ut vel tum peccata ſua ipſis non ità imputentur ut ſtatum juſtificationis penitùs amittant: de quo ſic *Thomſonus* „ Ego profectò, „ qui meus ſtupor eſt, nullus intelligo. At illius *ſtupor* Sanctorum *fidei* haud ita fraudi erit, quin certò credant quòd licèt novo illo reatu ſe *iræ æternæ obnoxios* reddiderint, Deique in ſe iram ita provocaverint, ut pœnas æternas iis irrogare *jure* poterit: non tamen eos prorſùs *abdicaverit*, vel Fœdus cum iis priùs initum ita irritum fecerit, ut *eodem loco* & numero apud eum ſint,

quo-

quo *non-converſi impii*, minimè omnium cum eis in æternum perituri: Sic neque *præterita* ſemel *remiſſa redeunt*, neque *futura Dei propoſitum*, amorem, *fœdus* cum iis pactum *mutant*, abrogant. Quoad *hoc* in juſtificatione *peccata præterita futura ſemel ſimul remittuntur omnia*. Quod ſatis firmè ex eo probant.

Maccovius loco priùs citato.

1. Quòd Sacra Scriptura eum *cui remittuntur peccata beatum* prædicat Rom. 4. 6. At quamvis ex Adverſariorum ſententiâ quod ad præterita peccata beatus ſit, quod tamen ad *futura nondum remiſſa*, nunquam etiam forſan remittenda *miſerrimus* eſſe poterit, At Apoſtolus non ſolùm de remiſſione vel ejus *declaratione*, quæ in *morte* vel *die judicii* fiat loquitur, ſed de eâ etiam quæ vel *primâ juſtificatione* facta eſt.

Iſa. 26. 3.

2. Quòd *Fide juſtificati pacem habent* Rom. 5. 1. At non שלום שלום *pacem pacem*: non *pacem perfectam*, ut aliqui reddunt, non *continuam*, ut alii: non *duplicatam*, niſi ut de *præteritis*, ita etiam & de *futuris* (ſenſu ſcilicet priùs dicto) ſecuri ſint.

Ameſ. Medul. l. 1. c. 27. ſ. 23.

3. Quòd juſtificatio nullum Locum relinquit *condemnationi* Rom. 8. 1. „ Qui credit, habet vitam æternam & in condemnationem non veniet Joh. „ 5. 24. At relinqueretur ex *Remonſtrantium* ſententiâ.

4. Quòd *totam* quantam quantam *Chriſti juſtitiam ſimul imputat*, ut viſio Joſuæ *Sacerdotis ſordidis veſtibus penitus exuti* & ſimul *mutatis veſtibus induti* ſatis indicat Zech. 3. 4. Totam ſiquidem remiſſionem, quæ nobis in Chriſto parata fuit, noſtram actu facit; „ neque poſſunt præterita & præ„ ſentia peccata planè & plenè remitti, niſi etiam futura aliquo modo re-

Ameſius ibid. mittantur; ut rectè ille.

Atque hâc etiam ratione huic aptè ſatis quadrare poteſt, quod huc adducere ſolent, fidem eſſe τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασιν, noſque certiores reddere de *futuris* æquè ac *præſentibus*.

Heb. 11. 1.

Cum etiam Juſtificatio mutatio ſtatûs ſit non realis & *inhæſiva*, quæ gradus admittit & poſtulat, ſed χεπκὴ tantùm & *Relativa*, unico actu Reputationis Dei perfecta exiſtit.

Neque verò hinc fidem, pœnitentiam tolli; ſecuritati, impietati omni habenas laxari volunt, quod ipſis & ſententiæ huic impingit *Thomſonus*, & cum eo alii.

Nollem jam *Perkinſii* inter & *Thomſoni pietatem* collationem inſtitui, quorum ille hanc, alter contrariam tuebantur ſententiam. Illud ſolùm dixerim, illum *veræ & genuinæ fidei* ingenium parùm nôſſe, qui peccatorum vel præteritorum vel futurorum remiſſionis certitudinem in *ſecuritatis* vel *impietatis* traxerit *argumentum*: ut quod ad hoc attinet, nil impediat quò minùs in juſtificatione ſimul remitti poſſint peccata tam *futura* quàm *præterita*.

2. Si ergo qui à contrariâ parte ſtant,

1. Primò ideò hoc negent, quòd ſecuritati, atque impietati ſuâpte naturâ fræna laxet, parùm audiendi ſunt, cum idem contra præteritorum etiam peccatorum remiſſionis certitudinem (non quidem jure debet, at) à *Pontificiis* ſolet objici: at immeritò, & iniquè admodùm *Pœnitentia* enim (ut cum *Cyrillo* loquar) *inſtituta eſt ad abolenda peccata commiſſa, non ad futura perpetranda*: quo in ſenſu *Patres* aliquos remiſſionem peccatorum futuro-

In Rom. 2. 25. rum negâſſe ipſe non negaverim. Sic enim *Hyperius* eâ ratione *remiſſionem*

peccatorum

peccatorum proprie ſemper reſpicere ad *peccata antecedentia* dicit; Nimirum ut omnes intelligant conſolationem his proponi, qui dolent ob peccata præterita non autem illos confirmari, qui meditantur peccare in tempus poſterum. *Fides* enim *juſtificationis* non eſt *certa peccatorum præmeditatio.* *Abbot.*

2. Secundò ſi ideò negent peccata futura in Juſtificatione remitti, ut poſt Juſtificationem ex peccatis ſequentibus *totalem gratiæ interciſionem* (quod *Arminiani* faciunt) extruant, atque ita Sanctus ſic lapſus à *priori juſtificatione* prorſùs *excidiſſe* puterur, & *eodem* omninò *ſtatu* & *loco* denuò, quo *ante juſtificationem* fuerat, habeatur: Senſus hic adhuc minùs ferendus eſt, cum in juſtificatione ita *condonentur* omnia quoad *ſtatum*, ut ex ſecuturis lapſibus in *condemnationem* non veniat. Agnoſco quidem (quod adducunt Adverſarii) *Petrum Martyrem* dicere *lapſis poſt juſtificationem repetitâ denuò juſtificatione per fidem peccata condonari: neque fas eſſe putare meliorem eſſe conditionem qui à Chriſto averſi ſint per graves lapſus, quàm eorum qui ad eum nondum ſunt converſi.* Duriuſculè (ut mihi videtur) dictum, atque æquâ interpretatione emolliendum. Cum enim ex lapſibus hiſce non *penitùs* à Chriſto *averſi* ſunt, potior eorum quàm *nondum converſorum* eſt conditio, licèt quoad hoc diſſimiliter ſimilis ſit, quòd *utriſque* (non tamen eodem omninò modo) *infenſus ſit Deus*; ut *repetitâ denuò juſtificatione* (prout loquitur P. *Martyr*) opus ſit, *particulari* ſcilicet, *non reſciſſâ* interim priore *illâ generali.*

3. Tertiò, minimè omnium ferendi ſunt, qui futurorum peccatorum remiſſionem negant, vel ſenſu *Novatiano*, ac ſi peccata *ante Baptiſmum* tantùm remittantur, non ea, quæ *poſt* patrantur. Vel etiam ſenſu *Pontificio* ac ſi peccata *ante Baptiſmum ſolo Chriſti ſanguine* & merito expiarentur, at *reliqua pœnitentiâ*, & *ſatisfactionibus humanis.* Apage has blaſphemias!

Quarto ergo in loco ſi hoc tantùm vellent, quòd *ſalvo manente* juſtificationis *ſtatu*, ſalvâ etiam perſonæ acceptatione & *remiſſione generali*, delicta poſtera quoad *abſolutionem particularem* non *condonari* ante eorum *patrationem*, imò ante de iſtis actam vel particularem, vel generalem ſaltèm *pœnitentiam*, verum omninò dicunt, me unà affirmantem habent. Sic enim mihi ſemper viſum eſt Deum in juſtificatione propter Chriſti juſtitiam nobis univerſim imputatam, noſtramque in perpetuum factam, ita nos acceptare ad vitam, & peccata condonare omnia, ut nunquam ex *gratiâ excidamus penitùs*, ita tamen ut *peccata* quæ *ſequuntur non remittantur*, niſi cum *peracta* ſunt, *renovatâ etiam fide & pœnitentiâ*, idque non tantùm quoad *remiſſionis* hujus *ſenſum* atque *certiorationem*, ſed & quoad ipſam *condonationem veram*, *realem*, *actualem*: eodem prorſùs modo, quo Rex ſi cum ſubdito perduelle *propter* λύτρον *à Filio ei perſolutum* ita in gratiam rediret, ut patrata priùs ſcelera omnia gratis in æternum remittat, imò & *futura* etiam (quæ ei prævisa ſunt omnia) hactenus ſcilicet ut eapropter nunquam *extrema paſſurus* è favore ejus penitùs excidat, hâc tamen conditione ut ad unſuscujuſque eorum *actualem condonationem*, de eo humillimè *doleat*, & λύτρον *illud urgeat*: quorum *hoc fides* noſtra præſtat, *illud pœnitentia* atque hoc ſenſu peccata præterita & futura non ſimul remitti concedo, affirmo.

Quòd enim aliqui ex adverſâ parte dicunt, *Renatorum pœnitentiam unicam* eſſe, vel eſſe *actum continuum* & nunquam interrumpi, frivolum & ſibilis excipiendum exiſtimo.

De pœnitentiâ Evangelicâ p. 125.

Quod verò *Cornwellus* apud nos Schiſmaticus *Antinomus* quidam audacius effutiit, „ hominem juſtificatum cum peccatum eum maximè captivum ducit, atque cor ejus maximè induraverit, vel tum corde dilatato, unà cum gratiarum actione in Chriſto Jeſu gloriari poſſe, pro *Atheo* ferè habeo, vel ſaltem inter *Gnoſticorum Borboritarum* ſordes reputo, Pauli hâc ipſiſſimâ in re praxi ex Diametro oppoſitâ. Rom. 7. 14, 24.

In eorum pedibus eo ſententiam, qui tenent recidiva hæc Sanctorum poſt juſtificationem peccata quoad *actualem reatuum* horum *particularium remiſſionem*, non *condonari antequam patrentur*, de iiſque (ut priùs diximus) vel *particularis*, vel ſaltem *generalis* agatur *pœnitentia*. Hoc Scriptura Sacra paſſim clamat: Hoc teſtantur Theologi Antiquiores, Neoterici, hoc denique evincit Ratio.

Sacram Scripturam quod ſpectat, agnoſco lubens quædam loca ad hoc confirmandum adducta non adeò cogere. Qualia hæc ſunt

Pſalmo 51. 2. הַרְבֵּ כַבְּסֵנִי *multiplica ablue*, id eſt, *Ampliùs* (ut vulgatus) *multùm* (ut alii) *multoties lava me ab iniquitate meâ*. Hoc enim forſan non ad repetitam *futurorum* peccatorum expiationem trahendum eſt, ſed exponendum potiùs de *præteritorum* (quorum jam reus erat David) atrocitate & numero (quæ & plura & fœdioris maculæ erant) atque ideò (ut panni pluribus iiſque & majoribus & nigrioribus maculis conſpurcati) duriori perfrictione opus habuerunt, & crebriore lotione.

Junius. Muis.

Quod & de conſimili loco Iſa. 55. 7. dici poteſt, ubi de Deo dicitur כִּי יִרְבֶּה לִסְלוֹחַ quoniam *multiplicabit condonare* quod LXX. reddiderunt ὅτι πολὺ ἀφήσει τὰς ἁμαρτίας. *Qui plurimum condonat.* Sic alii vel *multus eſt ad ignoſcendum*, ut *vulgatus*. Quod de *futuris* licet verè *dici poteſt*, at de *præteritis* potiùs *ibi reverâ dictum* Loci contextus & circumſtantiæ ſuadere videntur.

Junius vel largiter Piſcator.

Addatur & Locus ille (ut videtur) magis apertus, & huic rei appoſitus, & à pluribus huc adductus Rom. 3. 25. διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, propter remiſſionem ante-commiſſorum peccatorum. Quæ ideò *committi* priuſquam *remitti* debent. At πάρεσις illa forſan non eſt propriè ἄφεσις. Neque ἁμαρτήματα προγεγονότα ibi dicuntur quaſi præcedentia peccatoris juſtificationem, ſed *adventum Chriſti*. Nam προγεγονότων ἁμαρτημάτων hoc in loco idem omninò eſt cum τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων Heb 9. 15. Sed nolumus coacta. Hæc cogentia mihi videntur.

Vide Bezam in locum.

Vide Paræum in locum.

Matth. 6. 12. „ Remitte nobis debita noſtra. *Debita* ſunt antequam *remitti* poſſunt. Hæc ex ipſius Chriſti mandato Deum ſibi remiſſurum orant omnes, qui eum *Patrem* ſuum *in cœlis* invocant; vel *priùs juſtificati*, vel eorum dum in terris degunt (refragante licèt *Caſtellione*) perfectiſſimi; dum verò debita, id eſt, peccata remitti orant, *ipſam condonationem* poſtulant, non ejus *tantùm* (ut aliqui volunt) *certiorationem*. Illo enim in ſenſu, ut *ab æterno eligantur* orare poterint (quod nunquam à quovis ſanæ mentis, nedum à pio aliquo fit) æquèac ut *remitterentur peccata*: utriuſque enim æquè peti poteſt certioratio.

Burgeſ. de juſtificat. Leſt. 28.

Prov. 28. 13. Ad peccatorum *remiſſionem* requiritur eorum *confeſſio* ſimul & *derelictio*; at utraque hæc *præteritorum* eſt, *futurorum* neutra.

Heb.

Heb. 8. 12. Remiſſio peccatorum eſt eorum *non-recordatio*. *Deletio* etiam Pſal. 51. 9. Iſai. 43. 25. At hæc *debiti jam contracti* diſpunctio eſt.

Quid quod Jer. 33. 8. Ezek. 18. 22. & pluries alibi, ubi hujuſmodi occurrunt „ Condonabo iniquitates eorum, quibus *peccaverunt* mihi, promittitur *futuræ remiſſio* (*condonabo*) ſed peccatorum tum *præteritorum* (*quibus peccaverunt*)? Plurimæ in Sacrâ Paginâ futuræ peccatorum remiſſionis extant promiſſiones; ſed nulla uſpiam peccatorum futurorum, ità (ſcilicet) ut remiſſa eſſent priusquàm patrata fuerint, ut non immeritò illud *Thomſoni* uſurpare liceat „ Legant Adverſarii & relegant omnem Scripturam, Patres quoque excutiant, nuſquam ſcio reperient peccatum ullum remitti ante„ quam perpetratum ſit. Indulgentia non futurorum ſed præteritorum cri„ minum datur. Sic *Origenes*, πολλάκις ἁμαρτάνοντες δῆλον ὅτι οὐ πολλάκις τῆς ἀφέσεως χρήσομαι. Sic *Juſtinus Martyr*: „ Profectò peccata cum remittun„ tur, neceſſarium eſt ut præceſſerint. Sic *Petrus Martyr* „ Propitiatio pro „ peccatis eſt poſt peccatum accommodanda, non ante peccatum præoccupanda. Sic *Abbotius* noſter.

Ad Rom. 3. *Tom.* 2. *pag. m.* 404. *Quæſt.* 97. *ad Rom.* 11. *Cap.* 24.

Neque deeſt Ratio. Quamdiu *non* eſt *peccatum*, *pœna* ei *non debetur*, dum *nondum debetur*, *nondum remittiiur*. Dum ergo non patratur, non remittitur.

Baxter Aphoriſm. 55.

Atque hoc tandem ſenſu concludo cum D. Reſpondente *peccata præterita & futura non ſimul remitti.*

Quæst. XIV.

Fraudes, quæ vocantur piæ, ſunt illicitæ.

Inter *fraudem* & *dolum* (ſecundum *Aquinatem* 22æ. q. 55. a. 3. atque ejus ſequaces *Scholaſticos*) hoc diſcriminis eſt quòd *dolus* in *dictis*, *fraus* in *factis* ſpectetur. At in re *Criticâ* non adeò fæliciter verſati ſunt *Scholaſtici*. *Juriſperitis* (quibus ſe magis debet *Latinitas*) aliter viſum eſt, qui tamen inter ſe ipſos hâc de re non conveniunt, dum alii *dolum* fraudis *ſpeciem* eſſe volunt, alii verò è contra fraudem in *dolo* tanquam in *genere* ſuo contineri exiſtimant. *Bartolus* denique & alii pro re eâdem habent. Et quidem ſi fraus ἀπὸ τοῦ φενάζειν dicatur (ut nonnullis Criticis videtur) *in dictis* fraus erit. Hoc certum eſt, illud, quod his vocibus ſignificatur, in *cogitatis*, *dictis*, *factis* inveniri. Sic מִרְמָה בְלֵב de *dolo in corde* legimus Prov. 12. 20. מִרְמָה דִּבֵּר *dolum loquitur* Jerem. 9. 8. etiam & מִרְמָה בְיָדוֹ *dolum in manu ejus*, vel *actionum ſuarum* habemus. Dan. 8. 25. Cordis, linguæ, manûs ſua eſt veritas: Fraus etiam: quæ quatenus *actu* fallit, vel ad *fallendum* vel deſtinata, vel *apta* nata eſt, *Fallacia* dicitur: quatenus ad hoc *dextrè* ſe habet, acumen tale ſenſu ſequiori *ſolertia* aliquando vocatur; at magis propriè *Calliditas*, *Aſtutia*, *vafrities*, *verſutia*, ῥαδιουργία, πανουργία. Cum *quod non eſt fingit*, *ſimulatio* eſt, cum *quod reticet*, cœlat, *Diſſimulatio*.

Martinius ad vocem Fraus.

Quæritur utrùm *Fraus* in *toto ſuo genere*, perque ambages haſce omnes & ſingulas *in vitio* ſit. Videtur Doctiſſimus Reſpondens id aſſerere, cum vel *pias fraudes illicitas* eſſe pronuntiat.

Non ergo jam quæritur de *perfidâ* & planè *Atheâ Politicorum* pejerando, pacta, fœdera, fas, juſque omne tam humanum quàm Divinum (quò votorum ſuorum impiiſſimorum compotes ſint) violando *verſutiâ*. Quam tamen *Machiavellus* (in *Principe* ſuo) admittit, ſuadet, imò urget ipſe inprimis impius. Hunc *Lipſius* in *Præfatoria* ad *Politicorum ſuorum* Libros *Epiſtolâ* accuſat quidem, quòd „ Principem ſuum non rectà duxiſſet ad Tem„ plum illud virtutis & honoris, ſed nimis ſepè deflexerit, & à Regiâ viâ ab„ erraverit. Cujus tamen veſtigiis ipſe Cap. 13. 14. plus ſatis inſiſtit, ob quod *Thompſono Scoto* ſeverè quidem, at meritò tamen vapulat. Cum enim Fraudem primò definiverat eſſe „ argutum conſilium à virtute aut legibus „ devium, Regis Regnique bono: eamque in *levem*, *mediam*, *magnam* diviſerat, ac in Levi *diffidentiam* & *diſſimulationem* poſuiſſet, in mediâ *conciliationem*, vel potiùs *corruptionem* & *deceptionem*, in magnâ *perfidiam* & *injuſtitiam*, de his ſtatim ſic calculum ſuum apponit: „ illam ſuadeo, hanc tolero, „ iſtam damno. Iſtam *damnat* quidem, ità tamen ut vel in iſtis „ Principem „ in rebus valde afflictis & adverſis non ſpecioſa dictu, ſed uſu neceſſaria ſe„ qui velit.

At priores duas quod attinet, ità eas tolerat, ſuadet, ut ſi hujuſmodi fraudis aliquid conſiliis & rebus gerendis immiſceatur, *vinum* erit tantùm *aquâ dilutum*, vel ſi quid *veneni admiſceatur*, erit tamen *Pharmacum minimè*
Job. 13. 4. θηλητήριον. Hoc nobis propinat רֹפְאֵי אֱלִיל hic *Medicus nihili* tremente manu & renitente omninò conſcientiâ. Quid enim aliud illa ſonant, quæ (hæc dum loquitur) interſerit „ Rectam tamen illam, Divinamque Legem „ ſi conſidero hæreo & ſudo. Poſtea, ſanè ægrè vos aut me hîc expedio & tandem „ Hoc ipſum timidè. Deus, Deus nonne paſſim reclamat? &c. Ipſum ergo ἀποκατάκριτον miſſum faciam unà cum totâ *Politicorum Hiſtrioniâ Atheâ*, quæ licet apud Principes hodiè principatum obtineat, & *dolus Regius*, *Ratio Statûs*, Sapientia, Prudentia politica audiat, at Nomen-clatore Spiritu Sancto σοφία ἐστὶ ἡ ἀιῶν ὁ τύτυ, ἢ τ ἀρχόντων ἡ αἰῶν ὁ τύτυ τῶν καταργυμένων 1 Cor. 2. 6. σοφία σαρκικὴ 2 Cor. 1. 12. σοφία ἀπίγειος, ψυχικὴ, δαιμονιώδης Jacob. 3. 15. Sapientia, quæ *ſerpentis antiqui verſutiam* & venenum ſapiat, non *columbinam* vel *Sancti Spiritûs* vel *Sanctorum ſimplicitatem* & candorem.

Digeſt. l. 4. Tit. 3. At ultra quæritur utrùm *fraus omnis* in hoc cenſu ſit? Non hoc videntur exiſtimâſſe vel ex *Ethnicis*, vel etiam ex *Chriſtianis* veteres, apud quos *dolus bonus*, *fraus honeſta*, & *pia* etiam benè audiit. Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀπατεῖ Θεὸς. Sic *Æſchylus*, qui ἀπάτην aliquam δικαίαν ponit, *à quâ ne Deum abhorrere* exiſtimat. *Thucydides* de ἀπάτῃ ἐπιεικεῖ de *fraude decente* alicubi
Lib. 4. In Proverb. loquitur. Imò *Sanctus Baſilius* καλὴν ἐπαινετὴν πανουργίαν aliquam eſſe dicit, Cum verò *dolum malum* dicunt, non inde *omnem dolum malum* eſſe volunt, ut cum Apoſtolus *Petrus* εἰδωλολατρείας ἀθέμιτας vocat, *Idololatriam*
1. Pet. 4. 3. *omnem nefariam* eſſe intelligit. *Epitheta* quidem aliquando *diſtinguendi*, aliquando *amplificandi* gratiâ adhibentur. *Idololatria omnis* ἀθέμιτος *nefaria* eſt, cujus ergo impietatem Apoſtolus illo Epitheto amplificat; non (ut *Valentianus* ineptit) Idololatriam *licitam* ab *illicitâ diſtinguit*: At cum *dolum malum* dicunt, Epitheton hoc *malî* à *bono diſtinctivum* eſt, quoniam veteres

Vide Rainoldum de Idol. Eccleſiæ Romanæ lib. 2. Cap. 9.

dolum

dolum etiam *bonum* dicebant, & pro ſolertiâ hoc nomen, accipiebant, maximè ſi adverſus hoſtem latronemve machinetur, prout *Digeſtorum* lib. 4. *Titulo* 3. legimus. At hoc jus *civile humanum* eſt: de *jure Divino* in Scholis Theologicis jam quæritur.

In quibus obtineat illud Apoſtoli 1 Cor. 7. 35. οὐκ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, ut licentiæ fræna minimè laxanda ſunt, ità ubi Legis Divinæ non conſtringit obligatio, cavendum nobis eſt, ne ipſi Chriſtianorum conſcientiis *laqueum injiciamus.* Cumque *negativa* æquè ac *affirmativa illicita* eſt *ſuperſtitio* Col. 2. 20, 21. hîc cautè nobis incedendum eſt, & librandi greſſus.

Voces ipſas ſi ſpectemus: *Dolus, fraus,* & his Synonyma malè tinniunt vel apud *exteros,* apud quos non ſolùm *periculum* & *damnum,* ſed & *crimen* etiam ſignificant; adeò ut ſi quid melioris commatis his ſignificatum vellent, Epitheto aliquo commendatorio cohoneſtari curent, ut cum *dolum bonum, fraudem honeſtam, piam* indigitant. In Sacrâ verò Paginâ, quamvis vox עָרְמָה *Prov.* 1. 4 (quatenus pro aſtutiâ, vel pro *ſolertiâ* potiùs atque *acumine* ponitur) aliquoties ſenſu potiori gaudeat; at in V. T. voces תַּרְמִית תּוֹךְ כְּמִיָּה מִרְמָה in Novo δόλῳ πανουργία ἀπάτη ſemper (quantum memini) ſenſu ſequiori uſurpantur: atque inter *Ethnicorum vitia, carnis opera* memorantur Rom. 1. 29. 1 Pet. 2. 1. &c. Et tale quidem *nominis* præjudicium eſt.

Sed *rem* ipſam potiùs trutinemus. Cum verò *fraus* in genere conſiſtat in aliquid cogitando, dicendo, agendo, *fallendi ergò,* videndum eſt utrùm hoc totum *res media* eſſe nequeat, quæ pro Circumſtantiarum ratione *vel bona* vel *mala* eſſe poterit. Si prout à quibuſdam definitur, ſit *cogitatio mala, in animo fixa, unde opus vafritiæ naſcitur,* vel (ut alii *dolum malum* definiunt) ſi ſit *perverſus ſolertiæ uſus, in dicendo, faciendo, aut omittendo aliquid quo quis decipiatur,* acta, conclamata res eſt: „ perverſum enim „ non poteſt corrigi *Eccleſiaſtis* 1. 15. Et licèt *Machiavellus,* & poſt eum *Lipſius* quamvis Papæ non fuerint hâc in re malo veniam indulſerint, & ſi modò in re levi & animo haud malo fiat, ut in *mendacio joco ſo* & *officioſo, Pontificii* pro *peccato* quidem at pro *veniali,* habent: Propheta tamen *væ* iis, qui *malum bonum vocant,* pronuntiat. *Iſa.* 5. 20.

Ultrà ergò quærendum eſt utrùm perverſitas & malitia hæc ità fraudi demi poſſit, ut *pia* & *honeſta* evadat. Cum enim *crimen falſi* (quod dicunt) definitur „ perverſio veritatis cum dolo, & alterius jacturâ, ut ad id tria requirantur, *veritatis commutatio, dolus operantis,* ut *damnum alteri inde proveniat, Piæ* iſtæ *fraudes,* veritatem *obumbrant* & *reticent* quidem, non *pervertunt* tamen; *lucrum alteri,* non *damnum* inferunt. Adeò ut ſi dolus malus, definiente *Servio,* ſit tantùm „ machinatio quædam alterius decipiendi „ cauſâ, cum aliud ſimulatur, aliud agitur, vel ſecundùm *Labeonem* callidi„ tas, fallacia & machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipien„ dum alterum adhibita. Si, inquam, *dolus malus nihil aliud in ſe* fuerit, forſan ità inſtitui poteſt, ut *ne verè malus* ſit, præſertim ſi fraus iſta honeſta, pia fuerit, quæ ſcilicet aliquid ſimulando vel diſſimulando alterum fallit; at vel ipſa fraus iſta illi fraudi non eſt, ità ut ei obſit, vel *damnum* inferat, ſed hoc ſolùm agit, ut quod *verum* eſt *intelligat,* quod *rectum* eſt *agat,* & *verè bono* aliquo *patiatur.* Si inquam nil aliud pejoris notæ admiſtum fuerit, quid hîc iniqui erit? *Layman lib. 3. Tract. 3. parte. 1. c. 4.* *Digeſt. l. 4. Tit. 3. Cicero Offic. l. 3.*

1. Num quòd aliquid *ſimulet* quod *non eſt*? cum ex *Ciceronis* ſententiâ *Offic. l. 3. de Amicitiâ.* „ex omni vitâ ſimulatio, diſſimulatioque tollenda eſt, qui & alibi dixit „omnium rerum ſimulationem vitioſam eſſe, eò quòd tollit judicium veri, „idque adulterat? Sed parcius iſta.

Ovid. „Si ſimulare vocas crimen, ſimulavimus omnes. Dixit ille, imò omnes. Num *Joſephus* peccavit quòd יִתְנַכֵּר *ſe fratribus alienum finxerit* Gen. 42. 7? Num Chriſto, qui *peccatum non novit* vitio vertetur, quod προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι Luc. 24. 28. quod *ſe longiùs iturum ſimulabat*? Sic *Beza* illud προσεποιεῖτο transtulit. Vulgatus, *finxit*, Agnoſco quòd vox iſta aliquando tantùm *profiteri* ſignificat, at hîc omninò *aliquid præ ſe ferre præter id quod vel in animo habuit*, vel *opere ſaltem præſtitit*. Malè ergò licèt hinc probant *Chryſoſtomus* & *Caſſianus* non ſemper illicitum eſſe *mendacium*, optimè tamen ſequitur non ſemper in vitio eſſe *omnem* omninò *ſimulationem*.

2. Quòd etiam de *diſſimulatione* ejus quod *verè eſt* dici poteſt. Non tum peccavit *Chriſtus*, quòd diſcipulis illis (quò minùs illum cognoſcerent) *aliâ formâ comparuit* Marci 16. 12. nec *Joſephus* quòd *coram fratribus* יִתְאַפַּק ſe *continebat*, ne *ipſis innoteſceret* Gen. 43. 31. Non omni loco & tempore incumbet vel nos vel veritatem ipſam prodendi neceſſitas; aliquando non ſolùm *licita*, ſed & *utilis* eſt *reticentia*; (ut vult *Cicero* de Orat. l. 2.) „urbana aliquando, ſed prùdens eſt diſſimulatio. Me judice ille non continuò reus erit, qui cum ratio poſtulat,

„Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

3. At quid ſi *fallat*, atque aliquid agat dicatve *fallendi animo*? num *fallacia* omnis æquè vitium erit *in re Theologicâ* ac in *argumentatione Logicâ*? Haud credo. Hîc enim *perſonarum, rerum, finis, modi* denique habenda eſt ratio.

1. Quod ad *perſonas* attinet, ſi Dei, noſtrique hoſtes internecioni dandi fuerint, *quos perdet, dementat priùs Deus:* & quid impedit quin eos, quos aperto Marte debellare licet, liceat etiam ex inſidiis adoriri? Hoc *Joſuæ* & *Joſ. 8. Jud. 20.* populo *Iſraelitico* in *Hajanâ* & *Gibheanâ* direptione licuit, atque etiamnum nobis dum bellum gerimus, non ſolùm machinis, ſed & cuniculis agere licet; *Dolum doloſo contrà conferre parem. Plaut.* non κακουργήματα ςρατηγήματα ſunt omnia. *Fallere fallentem non eſt fraus.* Ita dici ſolet, non probo. *Hoſtibus* infenſiſſimis *ſervanda* eſt *fides*, non concinnanda mendacia, non violanda fœdera. At transverſis cuniculis hoſtium cùniculos excipere quid prohibet? At non ſint *hoſtes*

Grotius in Lucæ 24. 28. Sint *pueri*, ſint *mente capti*, laborent non magis febri quàm maniâ & delirio, qui ferè „à morbo imaginoſo curari vix poſſunt, *abſint* modò *mendacia*, (non enim illud *Platonis* placet τὸ ψεῦδος χρήσιμον ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει) & omne cui ex ſe intrinſeca inſit malitia, qui *Medicis, matribus* vitio vertit, ſi bono ſuo his fucum faciant, cum

——— „oras pocula circum
„Contingunt mellis dulci flavoque liquore
„Ut puerorum ætas improvida ludificetur
„Labrorum tenùs.

ut eſt apud *Lucretium*.

2. *Res* etiam vel quæ aguntur, vel de quibus agitur, ſpectandæ ſunt. Si non de rebus, in quibus Lege Divinâ & humanâ *nil celandum*, nil *larvarum*

varum eſſe debet, ſed omnia *apertè*, *ſimpliciter*, *candidè* enuntianda, propalanda ſunt (prout in fœderibus ineundis, in fidei profeſſione, teſtimonii etiam dictione quoties ad eam aliquis ex æquo & bono obligatur, fieri debet) ſed res aliæ aguntur, in quibus magis liberi ſumus.

De his dum loquimur vel agimus (ſi modò à *mendacio* caveamus vel *jocoſo* vel *officioſo*, quòd licèt ſecundùm *Auguſtinum* non ſit magna culpa, *non* tamen *ſine culpâ* eſt.

Si inquam de his ità loquamur & agamus ut alter ex ſuâ interpretatione fallatur; ſic ipſe *Deus* aliquos *fallere* dicitur Ezek. 14. 9. at non inde tamen (ſpero) *Falſarius* erit neque ἐψευδὴς adeò Sermonis vitium erit, ut à Rhetoricâ Chriſtianâ prorſùs exulet.

3. *Finem* quod attinet. Sit ut *fallat*: at *non hoc ſolum*; non *ultimo*, ſed ut *proſit*, ut in *Medici* & *matris* jam allato exemplo; ut *inſtruat*, ut in *Jothami Apologo* Judicum 9. & *Nathanis Parabolâ* 2 Sam. 12. quâ *Davidem* nil tale cogitantem ità naſſâ incluſit, ut contra ſeipſum ſententiam tulerit. Ità me fallat *Piſcatoria ſimplicitas*, dummodo *Evangelii ſagena* ad vitam æternam irretiat. *Fraus* hujuſmodi *pia* haud mihi fraudi, haud in ſe *illicita* erit. Matth. 13. 47, 48.

4. In *modo*, ſi *modicè* fiat, ut non ſim totus hiſtrio, ſi *decenter*, ut nil præter τὸ πρέπον.

Si verò iſta *perſonarum*, *rerum*, *finium*, reliquarumque circumſtantiarum juſta adeòque & accurata non adhibeatur cura, fraus, *honeſta*, *pia* licèt audiat, *illicita* omninò erit: cum *ex ſe* atque naturæ ipſius indole *imminutæ famæ* ſit, *hâc* demùm *incuriâ turpior* evadit. Verbi gratiâ,

1. Si (ut ſæpè fit) *mendaciorum* choragio adornetur, quo nomine improbanda eſt *Abrahami*, *Iſaaci*, *Jacobi*, *Rebeccæ*, *Rachelis*, *Obſtetricum Ægyptiacarum*, *Gabeonitarum* aliàs *pia* licèt at *male-fida ſimulatio*.

2. Si iis adhibeatur, in quibus jure omni tam Divino qnàm humano ſincera, nuda, aperta eſſe debent omnia, putà in fœderibus, votis, in foro teſtimoniis, juramentis, fidei confeſſione, & ſi qua alia ſacratiora ſunt aliqua. In his (quò nobis rebuſque noſtris conſulamus) *ſinus obliquare*, *velificationem mutare*, *perjuriis*, *æquivocationibus*, *pietatis larvis* fucum facere, pro *ſummâ impietate* habeo: quo in numero ſunt *Politicorum* perfidiæ & *Lipſianæ* corruptiunculæ, deceptiunculæ, *æquivocationes Jeſuiticæ*, *Gnoſticorum*, *Priſcillianiſtarum*, *Libertinorum*, ne perſecutionem patiantur, *ſtrophæ*, quibus liberum erit confiteri fidem, vel non, pro temporum ratione; imò ex eorum ſententiâ licitum *cuivis Religioni ſeſe accommodare*, *ſuæ tranquillitatis gratiâ*, ut *Wigandus* docet, de *Anabaptiſmo* pag. 17.

3. Si eo fine ſit, ut *damnum alteri* inferat, *Idololatriam*, *ſuperſtitionem* vel tale aliquid *promoveat*: quo in genere infames admodùm ſunt *Pontificiorum piæ*, ut *vocantur*, *Fraudes* in miraculis, viſionibus, Revelationibus fingendis, cudendis, quibus quaſi tibicinibus *Purgatorium*, *Sanctorum invocationem* atque *idolomaniam* ſuam reliquam ſuffulcire ſatagunt Nebulones omnium vaferrimi.

4. Si *larva* hæc *in ſe indecora* ſit & hominem deformem reddat, qualis illa *Davidis* erat, ubi ut *Achiſcho* imponeret, *inſanum egit*, 1 Sam. 21. 13. quod minùs erat ἰσχροπρεπές. Tit. 2. 3.

Si

Si hæ, atque ejuſmodi aliæ adſuerint circumſtantiæ, *piæ fraudes* audiant, at *illicitæ* erunt, *ab homine alieniſſimæ*, ſi *Ciceronem* audiamus; *Chriſtiano* ſaltèm, ſi modò *Sacræ Scripturæ* fidem habeamus, *indigniſſimæ*. Illa ſiquidem πάντα δόλον καὶ ὑποκρίσεις procul amandandas monet 1 Pet 2. 1. Illud *Pauli* ὅτι ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ Θεοῦ, οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ, ἀλλὰ ἐν χάριτι Θεοῦ ἀνεστράφημεν ἐν τῷ κόσμῳ laudat 2 Cor. 1. 12. vel ipſi *Petro* & reliquis, qui συνυπεκρίθησαν αὐτῷ vitio vertit ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου Gal. 2. 14. „ Nam rectæ ſunt viæ Domini, & juſti am- „ bulabunt in eis, prævaricatores verò in iis corruent Hoſeæ 24. 9. imò „ הַמַּטִּים עֲקַלְקַלּוֹתָם qui declinant in obliquationes, vel tortuoſa itinera „ ſua, abducet eos Dominus cum operantibus iniquitatem Pſal. 125. 3. 5.

Offic. Lib. 1.

Fraus enim ſuo genere *iniqua* eſt, & à *Scholaſticis* & *Caſuiſtis* inter *Avaritiæ filias* numeratur.

Tolet. Caſ. lib. 8. *c.* 51.

Serpentis antiqui *venenum* ſapit, *gyros* imitatur.

Homo bonus Tract. 6. *q.* 45.

Contra *veram prudentiam* militat, ſi in malum finem tendat, *prudentia carnis*, *hujus mundi* eſt, *Diabolica* eſt, quatenus mediis hand idoneis, doloſis utitur, *vulpem* agit, non *columbam*; *aſtutia* eſt, à *verâ prudentiâ devia*. *Aquinas* 22. q. 55. a. 3. Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέρων ἀλώπεκα, *cum vulpe vulpinarier*, *cum Crete cretizare* artem veteratoriam callet, non *antiquam fidem*, *Græcam*, *Punicam*, *non Chriſtianam*.

Tolet. Caſ. l. 8. *c.* 46.

Simplicitati Evangelii adverſatur Gal. 2. 14. de quâ gloriatur *Paulus* 2 Cor. 1. 12.

Ingenuo Chriſtianorum *candori* adverſatur, quibus nullum illud (ut cum *Cicerone* loquar) ad laudem cum virtute directum iter probatur. Sit *Eſau* vir agreſtis & *venationis peritus* יֹדֵעַ צַיִד at Jacob אִישׁ תָּם *vir ſimplex* habitabat in tabernaculo Gen. 25. 27. ἄνθρωπος ἁπλοῦς ſic Aquila vertit. ἄπλαστος ſic LXX. Interpretes, *non duplex*, *non fictus*, ſine ſuco, & dolo.

Pro M. Cælio.

Veram *magnanimitatem* parùm ſapit, quæ ſecundum Philoſophum nuda & aperta eſt.

Veritati denique contrariatur, quæ & Chriſtianæ communionis teſſera, & humanæ Societatis Lex & vinculum eſt. Qui ex dolis totus compoſitus eſt, ſimul *fidem negavit*, & ipſum *hominem* (quatenus animal *ſociale* eſt) *exuit*.

Quæst. XV.

Nullus aſſenſus conſtituit rationem fidei juſtificantis.

1 *Tim.* 3. 16.

Quàm rectè dixit Apoſtolus ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον? Cum ipſa *fides* quâ ſolâ Deo vivimus (non ſecùs ac *anima* noſtra, quâ vitam hanc degimus) adeò pleriſque *ignota* ſit, ut cum de *Subjecto*, de *formali* etiam ejus *ratione* agitur, tantæ, tamque acres inſtituantur *Controverſiæ*, dum alii in *intellectu*, alii in *voluntate*, in *utrâque facultate* alii ſedes ei locant. Dum hi, quibus certâ experientiâ meliùs innotuit (*Evangelicos* dico) eam *fiduciam* vel conſequentem, vel ſaltèm antecedentem,

hoc

hoc eſt, vel de peccatorum remiſſione & gratiâ ſalvificâ quaſi jam conceſſâ certiorationem, vel in Deum (pro eis concedendis) *recumbentiam* quandam eſſe volunt, alii (*Pontificii* ſcilicet) omnibus à Deo vel in Sacrâ Scripturâ, vel Traditione revelatis *aſſenſum* certiſſimum ob authoritatem primæ veritatis eſſe contendunt. Sic *Bellarminus* de juſtificatione lib. 1. c. 4, 7. *Aquinas* 12ª. q. 56. ar. 3. 22ª. q. 4. a. 2. *Coſterus* cap. 4. & *Pontificii* reliqui omnes, qui duplici nomine pro *aſſenſu* iſto pugnant,

1. Pro aſſenſu *rei ignotæ*, ut ſtabiliant *fidem* ſuam *implicitam*, carbonariam, cæcam, quam *meliùs* per *ignorantiam* quàm *notitiam definiri* affirmat *Bellarminus* de Juſtif. l. 1. cap. 7.

2. Pro *aſſenſu generali*, ut *fiduciam miſericordiæ ſpecialis* è fidei ratione prorſus eliminent.

His adverſatur Theſis noſtra, quæ affirmat *nullum aſſenſum conſtituere rationem fidei juſtificantis*. Pro quâ elucidandâ quædam de *Aſſenſu* in genere, deque ejus formali ratione breviter prælibanda ſunt. Hæc ſunto.

Primum hoc ſit. *Aſſenſus* propriè *intellectûs* eſt.

Quamvis enim in *voluntate* & *affectibus* ſit illud quod Hebræi רָצוֹן vocant σωδοκία ſcilicet & *allubeſcentia* vel *acquieſcentia*, quæ *aſſenſus quidam* dici poſſit; at *improprie* hoc, cum *aſſentire* (quod ad propriam & primariam, tam originem quàm ſignificationem attinet) ſit *adſentire*, *conſentire*, *approbare*, *in eâdem ſententiâ* eſſe, quæ omnia non tam *voluntatem* loquuntur, quàm *intellectum* & *judicium* vel ſpeculativum vel practicum.

Secundum ſic habeatis. Quamvis Aſſenſus ad Intellectum pertineat, *non* tamen *idem* omninò eſt cum ipſâ *intellectione*, *cognitione* vel *notitiâ*. Iſtæ enim *ſimplicem* & *abſolutum intelligendi actum* denotant; Aſſenſus verò, ſive reflexum ſive etiam directum intelligendi actum concomitetur, *relationem* tamen, & *reſpectum* aliquem ſemper connotat, qui quidem eſſe poteſt, vel ad *perſonam*, vel ad *rem* ipſam, reique veritatem.

Si ad *perſonam* aliquid affirmantem referatur, ei aſſentire vel fidem habere quis poteſt ſine clarâ aliquâ nedum ſcientificâ rei affirmatæ notitiâ, ſi compertam habeat perſonæ affirmantis *fidem* & *veracitatem*. Sic ex Teſtimonio Divino aſſentimur Sacræ Triadi omnem licèt intellectum exuperanti.

Si verò *rem* ipſam, *ejuſque veritatem* reſpiciat, *notitiam rei* vel certam, vel aliqualem ſaltem ſemper præſupponit. Aſſenſus enim eſt *intellectûs* vel judicii ſive ſpeculativi ſive practici *adhærentia veritati priùs intellectæ & perceptæ*, adeò ut niſi voluntate perverſâ & pravis affectibus vel impediatur vel debilitetur, tantus talis erit aſſenſus qualis quantave fuerit veritatis notitia. Ut enim deſiderium veritatis cognoſcendæ motum & diſcurſum animæ ciet, ut apprehendatur, ità cum ſemel apprehenſa fuerit, acquieſcit anima, quæ *acquieſcentia aſſenſus* iſte eſt. Si *ſciam*, & *verum eſſe ſciam*, *aſſentio*: ſi *ſciam*, & *falſum* eſſe ſciam, *diſſentio*; ſi vel ex defectu examinis, vel obſcuritate rei *in medio hæreo*, *dubito*.

Vide D. Iackſon de Fide Sect. 1. cap. 3. συγκατάθεσις ἀπολυπεραγμόνητος. *Damaſcen.* κρᾶσις πίστεως καὶ λόγου. *Heb.* 4. 2.

1. Pro variâ vel *rei affirmatæ notitiâ* vel *affirmantis veracitate firmus* vel *infirmus* eſſe poteſt.

2. Pro *vario aſſentiendi medio*, oritur vel ex *rei evidentiâ*, qui *aſſenſus* magis *ſcientificus* eſt, vel ex *authoritate* & teſtimonio *perſonæ affirmantis* vel *negantis* quæ in *fide* eſt.

3. Pro vario *ſubjecto*, vel in *ſolo intellectu* eſt, qui aſſenſus *purè intellectualis*, ut quando aſſentior demonſtrationi alicui Mathematicæ, vel cum *actum voluntatis* vel *antecedentem* vel *conſequentem* habet; ut cum vel intellectus movetur antecedenter à voluntate ad aſſentiendum, vel cum conſequenter unà cum aſſenſu intellectûs voluntas appetit, lætatur, fiduciam habet; & ſic ab aliquibus fides juſtificans *Aſſenſus fiducialis* dicitur.

Cognitio aſſentativa fiducialis. Pareus de juſtif. l. 1. c. 7. Fides eſt notitia adhæſiva. Biel. 3. ſent. diſt. 23. q. 2. Exam. Concil. Trid. De juſtif. l. 1. c. 6.

4. Pro vario aſſenſus *objecto*; poteſt eſſe vel *Propoſitioni dogmaticæ* generali v. g. *Credenti remittuntur peccata*: vel *Propoſitioni applicatoriæ ſpeciali*, *Mihi credenti remiſſa ſunt peccata.* Prior aſſenſus fidem conſtituit *Pontificiis*; poſterior aliquibus *noſtrûm.*

Àt *nullum* tamen *Aſſenſum fidei juſtificantis rationem conſtituere* dicit Theſis noſtra. At non dicit, non dicunt Theologi, nihil fidei juſtificanti cum aſſenſu commercii eſſe. Imò affirmit *Kemnitius* (vel ipſo *Bellarmino* confitente) ad fidem pertinere 1. notitiam promiſſionis. 2. aſſenſum. 3. deſiderium. 4. fiduciam acceſſûs. Nos in voluntate ità fidem collocamus ut antecedentem intellectus aſſenſum ad eam requiri doceamus, & vim ac virtutem fidei in intellectu conſequentem agnoſcamus, adeò ut qui fidem per *notitiam* ex parte deſcribunt (quod faciunt *Calvinus*, alii) antecedentem ejus cauſam, & effectum conſequens notant, ut veram fidem ab imaginariâ diſtinguant. Sic *Ameſius.* Imò verò fidem in intellectu ex parte eſſe non ſolùm concedunt, ſed aſſerunt, atque operoſè probant noſtrûm aliqui, *Chamierus* alii; Hoc, inquam, probant tam ex parte *actûs* quam *objecti.*

Inſtit. l. 3. c. 2. Bellarm. Enervat. tom. 4. l. 5. cap. 1. Tom. 3. l. 12. c. 3.

Ex parte *actûs* eò quòd circa cognitionem verſetur; *Credidimus*, *novimus* Johan. 6. *per fidem intelligimus*, Hebr. 11. Quò etiam ſpectant illi loquendi modi in Sacrâ Paginâ ſatis uſitati, *Myſterium Fidei*, *Revelatio Fidei*, *Doctrina*, *Sermo*, *auditus fidei*, & hujuſmodi alii. Quid? cum fides ipſa *cognitio* à Propheta dicatur „Cognitione ſui juſtificabit juſtus ſervus meus mul„tos. Iſai. 53. 11. prout à *Theodoreto* πίστις ἀφανῶς πεφύματος θεωρία definitur.

Ex parte etiam *objecti*, quod circa *veritatem* verſatur, quod *intellectûs* proprium eſt. Hoc clarè indicant illa πίστις τῆς ἀληθείας, & τοῖς πιστοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν, & ſimilia alia. Non ergo *notitiam* vel *aſſenſum* à fide prorſus *ablegamus.* Imò modo locoque ſuo *includi* volumus. Attentè ergo penſitandi ſunt termini quæſtionis, quos D. Reſpondens cautè & examuſſim poſuit, cum dixerit *Nullus aſſenſus conſtituit rationem fidei juſtificantis.* 1. Non *conſtituit.* 2. non *rationem.* 3. non *fidei juſtificantis.*

1. Nam ut ab ultimo (de *fide juſtificante* ſcilicet) incipiamus. Non negamus *fidem* in ſenſu *Ethico*, *Ethnico* pro *aſſenſu* ſumi, ut cum ſæpiùs nos *alicui fidem habere* dicimus.

Quin & in ſenſu *Theologico*, fidem etiam, (quam Theologicam, dogmaticam *Catholicam* vocant, nos *hiſtoricam*) *aſſenſum* eſſe non inficias imus, ut cum per fidem „Deum eſſe, omniumque qui eum requirunt remunera„torem eſſe credimus Heb. 11. 6. Quo in ſenſu *Patres* (qui de fide juſtificante non adeò commodè loqui ſolent) *fidem* paſſim accipiunt; ſecundùm illud *Auguſtini* [a] „Quid eſt enim credere niſi conſentire verum eſſe quod di„citur? & illud *Theoreti* [b] πίστις ἐστὶν ἑκόσιος τῆς ψυχῆς συγκατάθεσις „Fides quid aliud eſt quàm vera de Deo cognitio? „Credere eſt cum aſſenſione co„gitare.

[a] *De Spiritu & litera Cap. 31.* [b] *Cyril. l. 11. in Joh. c. 16. Auguſtin. de Præſcit. Sanct. cap. 2.*

Si-

Si denique de *fide juſtificante* in ſenſu *Pontificio* loquamur, quatenus *juſtificationem infuſionem* eſſe volunt *gratiæ ſalvificæ*, *Aſſenſum* (ſi modò ipſe ſalvificus ſit) hujus ψόδωνύμε *Juſtificationis* (quatenus intellectûs ſanctificatio eſt) partem aliquam eſſe ultrò concedimus.

Si verò juſtificatio ſenſu proprio, noſtro, & in Sacrâ Scripturâ ubique obvio ſumatur pro *peccatorum remiſſione*, *noſtrîque in gratiam Dei receptione gratuitâ*, tum *Aſſenſus* iſte licèt ad fidem juſtificantem ex *antecedenti*, imò & *conſequenter* requiratur, non illud tamen eſt, quo juſtificatio per modum inſtrumenti impetratur: Hoc (præſuppoſito quidem aſſenſu) operatur voluntatis allubeſcentia, recumbentia quâ Chriſtum ἱλαστήριον grati accipimus, & ab eo pro gratiâ & ſalute conſequendâ dependemus toti, unicè.

Ideòque (quod ſecundum erat) Theſis ſignanter negat Aſſenſum conſti- 2.
tuere fidei juſtificantis *Rationem* (hoc eſt) formalem. Quamvis enim ea fides quæ juſtificat veritati divinitùs revelatæ aſſentiarur, at non *quâ juſtificat*; Iſta formalis fidei juſtificantis Ratio in *Chriſti cogniti* particulari ſibi *applicatione* conſiſtit; non in *generali propoſitioni* alicui vel etiam *promiſſioni aſſenſu*: non nudo, non ſolo.

Quod tertio vox illa in Theſi *Conſtituit* ſatis clarè innuit. Sit enim licèt 3.
Aſſenſus non ſolùm antecedens quoddam fidei juſtificantis, ſed & de ejus eſſentiâ, at non (ut volunt Pontificii) non *totâ* ejus erit *eſſentia*, ne pars ejus præcipua; Hæc, ut opinor, doctiſſimi Reſpondentis mens eſt, hæc Theſeôs ejus genuina explicatio: ſi fidem non *Ethicam*, non *Theologicam*, ſed proprii nominis *juſtificantem* ſpectemus, ſi *naturam* ejus *integram*, ſi *ſpecificam*, & *formalem* ejus *Rationem*, tum Aſſenſus eam non plenè exprimit vel *conſtituit* vel exhaurit. Non ex priùs allatis aliquis, non Aſſenſus *infirmus*, ne *firmiſſimus*: non qui vel rei evidentiâ vel teſtantis authoritate nititur; non vel *nudè intellectualis*, imò ne *fiducialis*; fides enim juſtificans non tam aſſenſus fiducialis eſt, vel dici debet, quàm *fiducia ex aſſenſu*, non denique *Aſſenſus* cuicunque demùm *propoſitioni*, non *generali* alicui *dogmaticæ*, ut volunt *Pontificii*, ut de donandâ credentibus peccatorum remiſſione, imò ne alicui quâ generali illius particularis fit *applicatio*, ut in hâc *Ego credo*, *atque ideò mihi remittuntur peccata*, quæ licèt, ſi verè dicatur, ex fide dicitur, at ex fidei actu *poſt juſtificationem* ipſam *reflexivo*, non ex *actu formaliter* & primitus *juſtificatorio*. Certioratio iſta fidei juſtificantis *conſequens* eſt. Non Aſſenſus ille, imò omninò nullus formalem *fidei juſtificantis rationem conſtituit*.

In Fide quidem Aſſenſus eſt, ad eamque conſtituendam confert. At quâ ratione non adeò inter Theologos convenit.

Sapetus Jeſuita nobis hanc ſententiam impingit, quòd ſtatuamus *Intellectum Fidei genus* eſſe, *fiduciam* verò habeamus pro *differentiâ* ejus. Quod rejicit ac refutat *Chamierus* Tom. 3. l. 12. cap. 2.

Pareus de juſtif. l. 1. cap. 7. ſic habet „ *Materialiter fides* juſtificans eſt „ cognitio Dei & voluntatis ejus, formaliter aſſenſus & fiducia; breviter, „ eſt cognitio Dei aſſentativa fiducialis: unde patet non hîc controverti an „ fides ſit aſſenſus, hoc enim utrinque in confeſſo eſt, ſed (quod vult Bellar- „ minus) an fides ſit ignorantia, vel aſſenſus cum ignorantiâ &c. Hæc ille, ubi non ſolùm Fidem aſſenſum eſſe, atque hoc utrinque in confeſſo eſſe concedit, ſed Aſſenſum unà cum fiduciâ fidei juſtificantis differentiam eſſe, &

fidem cognitionem aſſentativam & fiducialem eſſe ſtatuit. Et ſit per me licet *aſſenſus* fidei *differentia* aliqua, quatenus fides in intellectu ex parte ſedem habet, & quatenus aſſenſus cognitioni aliquid ſuperaddit, approbationem ſcilicet; ſed non *differentia tota*, non æquè ac fiducia, differentia ſpecifica. Neque verò ea quæ nos inter & *Pontificios* hâc de re inſtituitur Controverſia, ea vel ſola, vel præcipua eſt, *utrùm fides ſit aſſenſus cum ignorantiâ*: ſed hæc potiùs *utrùm fides aſſenſus ſit ſine fiduciâ*. Hoc enim hujus loci maximè proprium eſſe dicit *Bellarminus* de juſtif. l. 1. c. 8. quod idcircò eodem Capite toto atque tribùs inſequentibus integris probare ſatagit, contra ſentientibus ex ſuis plurimis, qui non ſolùm *aſſenſum*, ſed & *fiduciam* de ratione fidei juſtificantis eſſe non ſolùm concedunt, ſed exſertè aſſerunt. Ex multis ſit unus *Janſenius* Harmoniæ Evangelicæ cap. 32. ubi ſic loquitur „ Rectiſſi-„ mè dicitur nomen Fidei in Evangeliis complecti utrumque nempe & aſ-„ ſenſum illum firmum in credendis de Deo & Chriſto, & fiduciam ex il-„ lius omnipotente bonitate conceptam; quamvis in quibuſdam locis magis „ videatur haberi reſpectus ad credulitatem & *aſſenſum* illum mentis, in qui-„ buſdam verò ad *fiduciam*. Cui concinunt Noſtrorum aliqui, qui duas Fidei partes eſſe dicunt, in intellectu unam, notitiam ſcilicet cum aſſenſu conjunctam, in voluntate alteram, nimirum fiduciam. Adeò ut nihil nobis metuendum ſit de *Concilii Tridentini* bruto fulmine, dum Seſſ. 6. Can. 12. ita intonat, „ Si quis dixerit Fidem juſtificantem nihil aliud eſſe quàm „ fiduciam Divinæ miſericordiæ &c. Anathema ſit. Aſſerimus enim *fidem* hanc *aliquid aliud præter fiduciam* eſſe, & aſſenſum (quem illi adeò urgent) in ſe includere. Ut nihil (inquam) nobis inde metuendum ſit. Ipſis potiùs de *Anathemate* videndum & cavendum eſt, qui *fiduciam* (quæ fidei juſtificantis ut â quibuſdam vocatur anima eſt) ei *adimunt*, ejuſque rationem *totam* in veritati cuicunque Divinæ revelatæ *aſſenſu* collocant. Cujus ſententiæ refutatio, ut & Theſeôs noſtræ contrariæ confirmatio ex pluribus conſtat. Duo tantùm dico. 1. *Aſſenſus nudus non ſufficit.* 2. *Fiducia requiritur.*

Gerhard loc. com. tom 3. de juſtif. c. 4. ſect. 2. pag. 516.

Arg. 1. Primò Nudus aſſenſus cuivis veritati Divinitùs revelatæ non ſufficit.

1. Non ſufficit ad fidem miraculorum. Non enim omnes qui credunt Deum eſſe omnipotentem ſtatim faciunt miracula. Ad hanc fidem (vel ipſo *Bellarmino* fatente) requiritur ut gignat *fiduciam* quandam *impetrandi* id quod petitur. At quæ ratio fingi poteſt, quare non *talis fiducia* requiratur etiam ad *fidem ſalvificam* & juſtificantem?

De juſtif. l. 1. c. 11.

2. Si ſufficeret generalis aſſenſus cuivis veritati Divinitùs revelatæ, tum æquè quoad formalem rationem fides juſtificans eſſet credere *fuiſſe aliquando virum nomine Job*, vel quodcunque tale aliquid Sacrâ Scripturâ revelatum, ac *Chriſtum traditum eſſe propter offenſas noſtras*, & *ſuſcitatum ad noſtri juſtificationem* imò ex hoc ſequeretur nos eâdem fide juſtificante recipere *Judam proditorem* & *Simonem Magum* quâ *Chriſtum Servatorem*. Sed quis ferret has blaſphemias?

Ames. Bell. Enervat. Tom. 3. l. 5. c. 3.

3. Non ſufficit ad fidem juſtificantem, quia *aſſenſus* iſte inveniri eſt in *minimè* vel *juſtificatis* vel unquam *juſtificandis*, in hominibus maximè impiis, in ipſis dæmonibus.

Object. At hanc Dæmonum ac impiorum fidem coactam dicent, fidem verò juſtificantem

ſtificantem includere piam quandam affectionem voluntatis, quâ movet intellectum ad aſſentiendum teſtimonio Divino propter Dei teſtantis veracitatem. *Salmero. Guil. Paris.*

Coacta ſit: at verò cum aſſenſum producit non demonſtrativè, atque ex rei evidentiâ, ſed ex teſtimonio Divino, quod in aſſenſum cogit, hoc propriam *aſſenſûs* rationem in ſe habet. Si verò *pia voluntatis affectio* ad fidei rationem conſtituendam ultrà requiratur, exinde conſtat quòd *Aſſenſus ſolus* ad Fidem juſtificantem *non ſufficiat.* *Sol.*

4. Quod & quartum Argumentum eſt *Fides in voluntate eſt.* Sic exertè loquitur *Auguſtinus* de prædeſtin. cap. 5. quam ideò *voluntatis fidem* vocat *Gaudentius. In corde eſt* Rom. 10. quod (tergiverſetur licèt *Bellarminus*) *Aquinas* de voluntate exponit; cum neceſſitari non poteſt, voluntaria eſt, ergo in voluntate eſt: ergo non ſolus Aſſenſus eſt. Hoc non ægrè concedent ex *Pontificiis plurimi, qui fidem partim* in *intellectu*, partim in *voluntate* collocant, quo in numero ſunt *Cajetanus, Janſenius, Aquinas*, & (refragante licèt *Bellarmino* *) *Bonaventura* alii. *Vaſqueſio* quidem, *Bellarmino, Sapeto* abſonum videtur unum, eundemque habitum in diverſis facultatibus ſubjectari, quo nomine *Pighius* fidem juſtificantem à nobis definitam *monſtrum* & *Chimæram* eſſe dicere auſus eſt. Nil jam de *Durandi* & *Scaligeri* ſententiâ dicimus, qui voluntatem & intellectum potentias *reipſâ* diſtinctas eſſe negant; at *diſtinctæ* ut ſint, ſecundùm *Aquinatem* 12æ. q. 56. a. 2. *una virtus* ad *duas potentias* licet non æquè, at *ordine quodam* pertinere poteſt. Cum rationem aſſignaverint quâ *juſtitia originalis* & *liberum arbitrium* in *utrâque* hâc *facultate* ſubjectentur (quod vel ipſi non negaverint) nulla (uti ſpero) apud eos ratio erit, quin id *fidei* dignaturi ſint concedere, quod originali juſtitiæ, & libero arbitrio liberè conceſſerint. Atque ita eos nobiſcum unà ſentientes habeamus, Fidem juſtificantem non tantum *intellectûs aſſenſum eſſe*, cum etiam in *voluntate* eſt: neque id ſolùm (quod ex ipſis fatentur aliqui) quatenus *pia voluntas movet intellectum ad aſſentiendum*; ſed quatenus *de ratione fidei juſtificantis* eſt ut *in Deum recumbat*, in eo fiduciam habeat. Quod apertè teſtatur *Contarenus* in libro ſuo Epiſtolare de Juſtificatione, ubi ſic loquitur: „ Fides incipit à voluntate, quæ obediens Deo & Fidei efficit ut in„ tellectus aſſentiatur abſque hæſitatione traditis à Deo, & ideò promiſſio„ nibus Divinis confidat, & concipiat ex illis firmam fiduciam quæ pertinet „ ad voluntatem, ut quaſi circulo quodam incipiat à voluntate & deſinat in„ voluntatem. Catholicìſſimè. Fidem in *voluntate* ponit. *2æ. q. 4. a 2. Bonavent. in lib. 3. Diſt. 23. q. 2. Chamier Tom. 3. l. 12. c. 4. * De juſtif. l. 1. c. 6. ad finem.*

Aſſenſus ergo non *ſufficit*, quod primum fuit argumentum.

Firmam etiam *fiduciam* ei aſſignat, quod ſecundum probationis caput erat. Hoc plurima invictè probant; quòd non ſolùm Deo, ſed in *Deum* credat, quod ſecundùm *Auguſtinum* eſt *credendo Deum amare, credendo in eum ire &c.* quòd Chriſtum *recipiat* Johan. 1. 12. *pacem* conciliet Rom. 5. 1. quòd fides ſit *in ſanguine Chriſti* Rom. 3. 25. quòd πεποίθησις, παῤῥησία, πληροφορία, ὑπόστασις ſit quod per בטח *confidere* exponatur Pſal. 78. 22. quòd *diffidentiæ* Rom. 4. 20. quòd *timori* opponatur Lucæ 8. 50. & his ſimilia plurima, quæ longè majus aliquid quàm nudum *aſſenſum* ſonant, quà minùs ille ſolus fidei juſtificantis *rationem* exhauriat. *Arg. 2. In pſal. 77. Tract. 29. in Joan.*

QUÆST. XVI.

Ad Redemptionis noſtræ λύτρον tam activa quàm paſſiva Chriſti ſpectat obedientia.

AN *Chriſti obedientia* indefinitè ſumpta *Redemptionem*, Juſtificationem, adeòque & ſalutem noſtram *impetret*, non diſputatur; conſentiunt omnes. Ipſe ſiquidem Apoſtolus ἁμαρτάνω hoc aſſerit, „ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς „ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores „conſtituti ſunt multi, οὕτω καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς ità per unius obedientiam ju„ſti conſtituentur multi Rom. 5. 19. Cum verò obedientia Deo debita ſpectetur tam in ferendo placidè quæ infligit, quàm in alacriter *agendo* quæ *imperat*, hinc *duplex* apud Theologos conſtituitur *Chriſti obedientia*: illam obedientiam, *mortis*, παθητικὸν *paſſivam* vocant, quâ mortem, pœnasque omnes peccatis noſtris debitas pertulit, hanc *obedientiam*, *vitæ*, ἐνεργητικὸν *activam*, quâ omnia quæ Lex ad Beatitudinem nobis conciliandam jubendo exigit, plenariè præſtitit. Nil hîc moror quorundom λεπτολογίων, qui diſtinctioni huic ἀκυρολογίας dicam impingunt, quaſi cum *obedientia* omnis *activum* quid ſignificet, *impropriè* admodum (ut putant) aliqua *obedientia paſſiva* dicitur. At nobis non vacat eſſe tam argutis; licèt enim *ipſa paſſio* non ſit *obedientia*: *ſecundùm Deum* tamen *pati*, quin inſigniter *obedire* ſit, nil vetat; imò in eo quod „Chriſtus obediens fuit uſque ad mortem Phil. 2. 8. *eo* inquam Deo Patri ſubmiſſiſſimam, pro nobis maximè ſalutarem præſtitit *obedientiam*. *Vocibus* ergo his minimè intendenda eſt: *res* ipſas, & quæ vocibus hiſce ſubſint potiùs attendamus.

Et de *obedientiâ Chriſti paſſivâ* magis in propatulo eſt, quòd ad malum pœnæ ſpectat, quatenus illud à nobis ei jure obnoxiis ad ſe transtulit in quantum *pro nobis maledictio factus* Gal. 3. 13. Legi à nobis violatæ quoad minas ab eâ intentatas plenè ſatisfecit. Quòd verò ad *Redemptionis* & *Juſtificationis* noſtræ *materiam* propriè dictam attinet, circa *paſſivam* hanc *Chriſti obedientiam* apud Theologos non uſquequaque convenit: nam *Piſcator* & *Forbeſius* eam in *morte* ejus ſolâ (cum ei annexis) quæ ἐξοχῶς paſſio ejus dicitur, collocare videntur. Theologi alii eam rectiùs extendunt ad *omnes* etiam, quæ per totum himiliationis ejus tempus *ærumnarum* ac *miſeriarum perpeſſiones*, ut nimirum interminationi illi *moriendo morièris* per omnia ſatisfaceret; quæ non ſolûm de *morte actuali* intelligenda eſt, ſed & de *malis* omnibus ei *antecedaneis*. Utcunque verò ſumatur hæc *obedientia Chriſti paſſiva*, in *ea ſolâ Redemptionis* & *Juſtificationis* noſtræ *materiam* ponunt, cum quâ *activam* ejus *obedientiam* nihil habere commercii tenent aliqui.

Bradshawus de Juſtif. cap. 13.

At de *ipſâ activâ* quid in ſe ſit, vel contineat quæritur. An in hoc cenſu ſit *Naturæ* Chriſti immaculata *puritas* & conſummatiſſima integritas, quam nobis *imputari* vult *Beza*, jam non diſputo, cum cauſæ (quæ de activâ obedientiâ agit) magis conjunctum eſt ut de eâ agamus quæ magis propriè *activa*, imò & *obedientia* dici poſſit.

In Rom. 8. 1.

Cum

Cum verò ea etiam duplex ſit, vel *Mediatoria*, vel *moralis*, *Mediatoria* ea fuit, quam propriè & reduplicativè *quà Mediator* præſtitit, & ad quam *Lege Mediatoris* tenebatur. Quò referri debent operationes illæ, quæ ad *officium* ejus *Propheticum*, *Regium*, & præcipuè *Sacerdotale* ſpectant.

Moralem eam voco, ad quam præſtandam jure creationis, & *quâ homo* fuit, & noſtrûm *hominum vices obiit*, ex *Lege Dei morali*, imò ex vi fœderis (quatenus Judæus fuit) *ceremonialis* item ac *judiciali* tenebatur, juxta illud Matth. 3. 15. „ità enim decet nos implere omnem juſtitiam.

His ità poſitis, non deſunt qui obedientiam illam *Chriſti Mediatoriam* ſolam hîc intelligi debere nobiſque imputari noſtramque fieri ſentiunt, alteram verò illam *moralem* utpote ab eo (ut *homo* fuit) Deo debitam, minimè in noſtram cedere poſſe, vel pro nobis aliquid mereri autumnant.

His duobus hæc duo quæ reponam habeo.

1. Hoc mihi certum videtur *illud tantum Chriſtum loco noſtro egiſſe*, idque eo ſenſu nobis imputari, quod vi Legis *ex officio & debito nobis priùs incumbebat:* non enim id noſtrâ vice ſolvit, quod à nobis minimè debitum erat.

At *Lex non* hoc à nobis *exigit*, ut *ipſi* nobiſmet *Mediatores*, adeòque iidem & Redempti & Redemptores eſſemus. Hinc ſequitur quòd nulla *obedientia* vel operatio Chriſti pura puta *Mediatoria ſub hoc ſigno rationis nobis* formaliter *imputari* poteſt. *Res ipſa* quidem poteſt, atque *opus* operationem hanc *conſequens noſtrâ vice* fieri poteſt, ipſaque etiam *operatio Mediatoria*, quà talis *noſtro bono* fit. At *quà Mediatoria* non formaliter per *imputationem noſtra* eſt.

2. Quod dicebatur *Obedientiam Chriſti moralem*, quæ in Legis obſervatione conſtabat (cum ab eo quâ *homine* debita erat) *nobis nil mereri poſſe*, neque nobis imputari, hoc utique pro falſiſſimo habeo. Cum enim non ex debito, ſed *ſuâ ſolâ ſponte* pro nobis *factus homo* ſit, ipſe licèt quà *homo jam factus obedientiam* hanc *Legi debuit*, eam tamen ità præſtando *pro nobis meruit*: prout ſiquis ultrò alterius loco debitori ſe ſponſorem præbeat, quamvis *quà Sponſor jam factus* ad ſolutionem teneatur, *ſolutione* tamen ab *eo factâ* meretur ut debitoris expungatur debitum. *Vide P. Martyr. in 2 Sam. 24. p. 312. a.*

De morali ergo iſtâ Chriſti activâ obedientiâ, quâ *Legi morali* perfectam *obedientiam* exhibuit intelligitur hæc quæſtio, ut etiam communiter à Theologis diſputari ſolet, An Chriſtus *ſolâ paſſivâ obedientiâ*, quâ mortem ac iram Dei perpeſſus eſt, an etiam *activâ*, quâ Legem integrè obſervando implevit Redemptionis noſtræ λύτρον perſolverit. Doctiſſ. Reſpondens utramque hoc ſpectare aſſerit. At cum tantùm *ſpectare* ait, minus dicit, plus intelligit.

Ità nimirum Redemptionis noſtræ pretium ſpectare, ut de ejus *materiâ* ſit, illudque unà cum *obedientiâ paſſivâ conſtituat*. Ii enim qui contrariam tuentur ſententiam, facilè concedunt, imò ſedulò monent, Chriſti tam naturæ quàm vitæ ſanctitatem immaculatiſſimam ad Redemptionem & juſtificationem noſtram omninò neceſſariam eſſe; nimirum ut *cauſam ſine quâ non*, ut *conditionem* neceſſariò in *Redemptore requiſitam* (qui niſi ipſe peccati omninò expers fuiſſet, pro aliorum peccatis λύτρον perſolvere nunquam potuiſſet) ipſum verò λύτρον in *morte ſolâ* ſolutam volunt, ut Agnus Paſchalis *immaculatus* eſſe omninò debuit; at *ſanguis morte ejus* fuſus ad ὁλοθρεύειν aver-

averruncandum ſolus ἀλεξίκακος fuit. At nos parùm Chriſtianâ fide dignum putamus, ut cum *Chamiero* loquar, Obedientiam hanc Chriſti non tamtùm non agnoſcere veram cauſam redemptionis, ſed ne quidem *cauſam per accidens*, cujuſmodi *cauſa* eſt illa, quam dicunt *ſine quâ non*; nos *cauſam* ejus *materialem unà cum paſſivâ* judicamus, quæ non ſolùm *pro nobis* & *noſtro bono* exhibita eſt, ſed & *loco noſtro*, unde nobis in Redemptionem Juſtificationem, & ſalutem imputata eſt.

Loc. Com. l. 5. c. 9.

Ut illud tandem in Theſeos iſtius explicatione ultimum addam, cum dicitur *Ad Redemptionis noſtræ* λύτρον *activam hanc ſpectare Chriſti obedientiam*, ſi *Redemptionem ſtrictè* & præcisè ſumamus (prout vox primariò ſignificat) pro *nudâ* à malo peccati & miſeriæ *liberatione*, ſic hanc non tam *activa* quàm *paſſiva* ſpectat Chriſti *obedientia*; *hâc* enim à *reatu*, condemnatione, & morte æternâ *liberamur*, *illâ* verò etiam *præmio digni cenſemur*, ac jus vitæ accipimus Rom. 5. 17, 18. ut loquuntur *Theologi Leidenſes*, & cum eis alii, *Illyricus*, *Hemingius*, *Chamierus*, *Sharpius*, *Perkinſius*, *Bradshawius*, *Willetus*, alii.

Synopſ. diſp. 33. ſ. 8.

Maccovius Loc. Com.

Pareus.

E contrariâ ſtant ſententiâ (quos mihi inſpexiſſe contigit) præcipuè *Piſcator*, *Wottonus*, *Forbeſius*, qui cum Juſtificationem noſtram totam *peccatorum remiſſione* conſtare, ex eâque ſolâ jus ad vitam æternam fluere tueantur, nil ad id *activæ* Chriſti *obedientiæ imputatione* opus eſſe exiſtimant: idque argumentis probare conantur. Horum argumentorum *Forbeſius ſex* Capita proponit, ea *Sharpius* ad *quatuor* reducit, at *Chamierus triginta quatuor* recenſet, quibus omnibus ſigillatim reſpondet. At non amplianda, ſed, ſi quà fieri poſſet, minuenda potiùs ſunt hujuſmodi de re tam ſalutari Evangelicorum præſertim animorum, imò ſententiarum divortia. Idque eò magis, quod

1. Si *Prideauxium* noſtrum audiamus, hujus Controverſiæ fervor partim Regis doctiſſimi divino moderamine, partim diſſidentium moderatione fraternâ facilè deferbuit.

lib. 5. de juſtif.

2. *Forbeſius* ipſe, qui pro *ſolâ paſſivâ obedientiâ* non acriter quidem at nervosè ſatis diſputat, *utramque ſententiam* in Eccleſiâ citra *Schiſma*, ſine veritatis Dei diſpendio tolerari, imò facilè componi poſſe exiſtimat.

3. Nam tertiò (ut rectè obſervat *Spanhemius*, ut & ipſe *Forbeſius*) *fundamentum ſalvum* inter utroſque eſt, cum utraque pars & *totum Chriſtum* & *ſolum* apprehendat, & in eo toto & ſolo *juſtitiam* & *vitam* quærat.

Diſp. Theol. de juſtific. pag. 279.

4. Qui pro *ſolâ paſſiva* ejus *obedientiâ* diſputant, *activam* etiam Legi perfectè præſtitam non admittunt tantùm, ſed *exigunt* etiam ad noſtrî juſtificationem; in *modo ſolo* rem explicandi differunt, cum *nos* eam habemus pro *cauſâ materiali* & *meritoriâ* noſtræ juſtificationis, Hi pro *conditione perſonæ* & *cauſâ ſine quâ non* juſtificationis promerendæ: „ talem nimirum nos decuiſſe „ Pontificem, qui ſanctus eſſet & inculpatus. Heb. 7. 26.

5. Qui è contra Redemptionem noſtram perfectam conſiſtere in *utrâque* juſtitiâ contendunt, non id tamen *partialiter* ut membrum unum paſſivæ tribuatur, alterum activæ, ſed *in ſolidum*, nempe ut *neutrum membrum* effectum ſit abſque *alterutrâ juſtitiâ*. Sic *Chamierus*, „ Neque juſtitia hæc mem- „ bratim quærenda in puritate naturæ, nativitatis & vitæ Chriſti, ſed ex to- „ tâ ejus obedientiâ exſurgit, ſimul cum remiſſione peccatorum. Sic *Ameſius*, „ Conjunctim utrâque obedientiâ pro utrâque obligatione (& culpæ & pœnæ)

Ubi prius.

Medull. l. 1. c. 27. ſ. 27.

pœnæ) Chriſtus ſatisfecit. Sic *Sharpius.* Quamvis enim cum de activâ & passivâ hac obedientiâ magis distinctè & prout in se sunt loquuntur, (idque sæpiùs cum inter disputandum ad id adiguntur) *passivæ reatûs* & iræ *averruncationem, activæ jus ad vitam* æternam tribuant: in *subjecto* tamen semper *conjunctas* esse statuunt. Sicut enim Chriſtus per totum exinanitionis ejus tempus agendo patiebatur & patiendo egit; sic in fideli quolibet, salutisque suæ οἰκονομίᾳ totâ *mutua* cum *activæ* tum *passivæ obedientiæ complicatio* perpetua est. *Quæcunque ergo Deus ità conjunxit, nemo separet: opponi* non debent, at *distingui* possunt: atque ità duplex hæc obedientia partitis seu conjunctis potiùs operis Redemptionis nostræ λύτρον *spectant*, imò *integrando conficiunt.* Quod his argumentis evincitur, *Curs. Theolog. de justif. pag.* 11. 38.

Primò eò quod justificatio nostra in Sacrâ Scripturâ *obedientiæ Christi*, indefinitè & in *genere* sumptæ, tribuitur. Rom. 5. 19. „ Per unius obedientiam justi constituuntur multi. Respondent quidem, per *obedientiam Christi* hîc indefinitè positam, *passivam solam* Synecdochicῶς intelligi; vel, si & *activa* iucludatur, eam ad justificationem nostram facere, quatenus *personæ justificantis conditio* & *qualificatio* est, dum sola *passiva* habenda sit pro causâ *materiali* & *meritoriâ.* At *non distinguendum est ubi Lex non distinguit.* Neque obedientia Christi hîc indefinitè de *passivâ solâ* interpretanda est nisi vel hoc cogat *ratio*, vel *obedientia Christi*, quæ nobis in *justitiam imputatur* alibi in S. Scripturâ, ad solam passivam restringatur. At neutrum fit. Adducere quidem solent illud ad Philipp. 2. 8. „ Factus obediens usque ad mortem, „ mortem autem crucis. Nec non Psalmistæ illud Ps. 40. 8, 9. quod Apostolus de Christo interpretatur Heb. 10. „ Sacrificium & oblationem noluisti: „ corpus autem adaptâsti mihi. Tunc dixi, Adsum ut faciam (Deus) voluntatem tuam. *Corpus*, scilicet illud *corpus suum* in *morte* suâ in *hostiam immolando.* Sed neuter locus id quod vellent probat, sed contrarium potiùs. Non prior: cum enim ibi Christus ὑπήκοος μέχρι θανάτου „ obediens usque „ ad mortem dicatur; *mortis perpessio* ut *novissimus* ut *submississimus obedientiæ* actus ponitur; at non ut solus; non actus obedientiæ suæ antecedaneos excludit, imò manifestissimè includit cum (ut rectissimè *Beza* in Locum) non dixit ἐν θανάτῳ *in morte*, quod tamen verissimum est, sed μέχρι θανάτου, quo indicavit ab ipso *incarnationis* momento *cœpisse* obedientiam Christi, cujus *periodus* terminata est in *morte crucis.* Quod idem de loco altero dici & potest & debet. Quamvis enim Christus dum se in sacrificium Deo obtulit, *præcipuum* atque nobis maximè *salutarem obedientiæ* suæ *actum* exeruit; at non *tum solùm* voluntatem Patris sui fecit. Cum in Templo Doctores audit & interrogat, vel ipso teste ἐν τοῖς τοῦ πατρός fuit Lucæ 2. 49. Cum Samaritanam ad cognitionem & fidem sui adduxit, „ se voluntatem ejus qui misit eum executum fuisse „ testatur Johan. 4. 34. ab ipso primo denique è cœlo descensu suo illud vitæ suæ totius pensum esse profitetur, non „ ut voluntatem suam faceret, sed „ Patris. Johan. 6. 38. *Arg.* 1.

Ad Redemptionis nostræ λύτρον integrè persolvendum necesse est ut „ Legis justitia impleatur Rom. 8. 3, 4. dum ipsi Legi integrè satisfactum fuerit. Hoc nobis jam lapsis *ex carnis impotentiâ impossibile* erat. Quod idcirco *Christus* Sponsor noster *vice nostrâ* præstitit, ut ex eodem loco constat. At Legi non plenariè satisfit transgressionis suæ *pœnas* tantùm *luendo*, cum 2.

ſanctiſſima Dei Lex non de *Legum pœnalium* genere ſit, neque ea ſola ejus ſanctio eſt „ Quo die comederis morte morieris, ſed & „ Hoc fac ut vivas. Cum ergo transgreſſoribus *pœnas debitas* irrogaverit ab iis *obedientiæ officium* etiamnum efflagitat. Neque enim poſt patrata peccata & pœnas datas legirupæ adeò *ex leges* ſunt, ut ipſis de novo *ſcelera* omnia *patrare* integrum ſit, utque vel ipſe *Deus*, vel *Lex* ejus *omne in eos imperium* amitteret. Utroque nomine nos peccatores *Legi ſubjicimur*. Ex quo fit quòd Chriſtus ut eos qui *ita Legi ſubjecti erant* plenariè redimeret, atque ipſi *adoptionem reciperent*, ipſe ſimiliter *Legi ſubjectus* erat Gal. 4. 4, 5. utramque ergo obedientiam, ut hoc nobis præſtaret, præſtitit. Nimirum ut & Legiſlatoris authoritati conſulatur, & Lex ipſa impleatur.

3. Saltèm, ut ad *vitam æternam* (in quâ demum *conſummatur Redemptio*) *præſtruatur aditus*. Cum enim illa Legis & Fœderis illius ſanctio ſit, *hoc fac & vives*, obedientia noſtra *activa* ſola ad hanc vitam *via* eſt. Cui cum nos omninò impares ſimus, neceſſum habemus ut eam *vice noſtrâ* præſtet *Sponſor noſter*. Nam abrogetur licèt fœdus illud quoad *perſonas*, at quoad *rem* pro Dei veracitate in æternum manet, adeò ut quamvis ex gratiâ Evangelii non neceſſum ſit à nobis hanc *integram activam* præſtari obedientiam: at ut à *Sponſore* ſaltem noſtro *pro nobis* præſtetur, æterna Dei *veracitas*, *juſtitia*, *Lex* ipſa denique efflagitat.

Object. Si verò objiciatur, Ex paſſivâ Chriſti obedientiâ, quâ pœnas noſtras luebat à comminatione illâ *Morte morieris* liberamur: Si ergo eâ ſolâ *nunquam moriemur*, ſequetur ut ex eâ ſolâ *in æternum vivamus*, cum inter *mortem* & *vitam* non detur medium:

Sol. Facilis ſolutio eſt, quòd licèt quoad *ſubjectum* duo hæc ſemper individuè conjungantur, ut qui paſſivâ Chriſti obedientiâ à morte æternâ liberatur, ex activæ merito in æternum vivat, ex individuo ſcilicet *paſſivæ* illius & *activæ* obedientiæ nexu: quoad *formalem* tamen rerum harum *rationem*, diſtinguuntur & variè conſiderari debent, imò ſi *ſimpliciter* & *abſolutè* conſiderentur, & *in ſe* & *in ſubjecto ſeparari* poſſunt. Quamvis enim *mors* & *vita* naturalis, imò quævis alia, ſi modò *ſecundùm idem*, *ad idem*, & *eodem tempore* ſumantur, ἀμέσως *privativè* opponantur; non tamen ſi alio atque alio ſenſu intelligantur. Sic *Adamus* in *ſtatu innocentiæ* ſi *fructum vetitum non comediſſet*, *nunquam moriturus*, adeòque *ſemper victurus* fuiſſet: at non niſi *integrè impletâ lege*, vitam illam in cœlis æternam quam in illis verbis *Fac hoc & vives* promiſit, Deus unquam aſſurgere potuiſſet. Chriſtus ergo paſſivâ obedientiâ dum reatum & pœnam omnem tollit, à morte liberat, atque quoad hoc primævæ innocentiæ ſtatui reſtituit: At ut Adamo in ſtatu illo integro actualiter, integrè & in perſonâ ſuâ præſtanda Lex erat, antequam in cœlis æternùm beatus futurus eſſet, ita ad æternam illam beatitudinem nobis impetrandam, non ſolùm à Sponſore noſtro per obedientiam paſſivam pœna omnis amolienda eſt, verùm etiam activæ merito *jus novum* acquirendum eſt.

Vide Chamier. loc. com. Willet in Dan. 9. q. 25.

QUÆST. XVII.

Deus reputat pro juſtis non niſi reverâ juſtos.

DEus juſtificat impium. Sic Apoſtolus Rom. 4. 5. *Deus reputat pro juſtus non niſi reverâ juſtos.* Sic Doctiſſ. Reſpondens. Quæ cum αὐσταῖς videntur neceſſaria eſt inprimis de ſenſu quæſtionis hujus diſquiſitio, quæ ut rectiùs procedat, triplex hæc prænotanda eſt diſtinctio.

1. Quòd hâc in re idem (quoad verba ſaltèm) cum erudito Reſpondente aſſerunt contra Reformatos *Pontificii.* Sic *Concil. Trident.* Seſſ. 6. cap. . Juſtitiâ Dei non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur, & ſumus. Idem etiam & quoad verba, & quoad verum eorum ſenſum, quoad etiam indicatam mihi Reſpondentis mentem & ſententiam, contra Libertinos Antinomos conſtanter affirmant & propugnant *Reformati* Orthodoxi. *Pontificii* quidem id dicunt, agunt, ut juſtificationem gratuitam per *imputationem juſtitiæ Chriſti* prorſùs tollant. *Libertini* contra hoc ideò negant, ut omnem *pietatem* tollant, & vitæ ſanctimoniam.

2. Cum Theſis dicit *Deum neminem pro juſto reputare niſi reverâ juſtum*; verba illa *reverâ juſtum* intelligi poſſunt vel de reverâ juſto quoad *imputationem* (nam hîc verè ſubeſt juſtitiæ veritas) vel quoad *inhærentiam.*

3. Si intelligantur ea verba de *juſtitiâ inhærente* (quæ mens Reſpondentis eſt) tum Theſis hæc (quæ negat Deum ullum pro *juſto reputare*, niſi ſic *inhærenter juſtum*) intelligi poteſt de ità juſto vel *antecedenter*, vel *ſimul*, vel *conſequenter* ad Divinam iſtam reputationem, His ita poſitis

Quod ad primam attinet: cum utrinque præcipitia ſint, librandi nobis 1.
ſunt greſſus, quò meliùs conſulamus tum peccatorum *juſtificationi* gratuitæ, tum juſtificatorum *Sanctificationi*: & cavendum ſedulò ne vel hinc pacis noſtræ fons unicus, dulciſſima ſcilicet de gratuitâ peccatorum, & in ſe impiorum, veniâ, & per imputatam Chriſti juſtitiam juſtificatione doctrina detrimenti aliquid capiat, dum ita ſanctitatem & juſtitiam inhærentem propugnamus, ut in *Pontificiorum* caſtra in re juſtificationis ultrò vel incauti tranſeamus, vel illinc in veram pietatem impingamus dum imputatam nobis Chriſti juſtitiam atque gratuitam inde juſtificationem, ut *Libertinis Gnoſticis* hodiernis militemus, qui dum ſolam *gratiam*, *fidem*, *juſtificationem gratuitam* crepant, omnem *cordis pietatem*, ac *vitæ ſanctimoniam* (ſi quæ agunt ſpectemus) *neglectui* habent; ſi quæ ſæpiùs blaſphemando ſcribunt, etiam & *contemptui.* De quibus olim Apoſtolus „ dum libertatem aliis pollicentur, „ ipſi corruptelæ ſervi ſunt, iique perditiſſimi 2 Petr. 2. 19.

Cum ergo hinc *Pontificiorum Scylla* gratuitæ juſtificationi; illinc *Antinomorum Charybdis* veræ pietati naufragium minitetur; ut utramque tutò præternavigemus,

Primò, quod ad primam diſtinctionem attinet, contra *Pontificios* dicimus,

Cum juſtificationis objectum ſit *peccator credens* (nam „ quà peccator, „ juſtificatione ex gratiâ indiget, quà fidelis juſtificationem ex gratiâ obti-

Diſp. privat. Theſ. 49. num. 6.

„ net, ut rectè *Arminius*) utriuſque hîc habenda eſt ratio; ac proinde eundem & quà *fidelem* & quà *peccatorem* juſtificari pronunciamus: quà *credentem*, quoad ἀποτέλεσμα *juſtificationis*, & *actum* ejus *completum* & jam exercitum, quà *injuſtum* quoad *juſtificandi actum* mox proximè *exercendum*, prout perduellis aliquis cum Regi ſe ſiſtit, talis utut ſit, oblatum veniæ diploma recipit, quo demùm recepto plenè abſolvitur, & reus eſſe deſinit. Poſterius hoc dicit Apoſtolus Rom. 5. 1. „ Juſtificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum: prius cap. 4. 5. aſſeruit, „ Ei verò qui non operatur, „ ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam. In quæ verba ſic *Beza*, „ id eſt, eum qui in ſeſe eſt impius cenſet juſtum „ in Chriſto, nullos enim pro juſtis approbat Deus, niſi quos priùs verè ac „ ſummè, non in ipſis, ſed in Chriſto ſuo, ſeu imputatâ Chriſti juſtitiâ juſtificârit: ut & priùs *Calvinus*, „ Neque enim Deum modò pronuntiat „ datorem juſtitiæ, ſed nos injuſtitiæ damnat, ut noſtræ inopiæ ſuccurrat „ Dei liberalitas. In ſummâ, nemo ad fidei juſtitiam perveniet, niſi qui in „ ſe erat impius, nam hæc periphraſis ad circumſtantiam loci aptanda eſt, „ quòd alienâ juſtitiâ nos ornet fides, quam à Deo mendicat. Quid ad hæc *Pontificii*? Quid præ reliquis in *Antidotis* ſuis *Stapletonus*? furit, debacchatur, hoc nomine *Beza* impurus, *Calvinus* impius apud eum audit, quaſi *Deum datorem juſtitiæ negaverit: Hâc doctrinâ nihil magis impium dici potuiſſe* affirmat: *Paradoxum* vocat *dementiſſimum, Epicureis, non Chriſtianis dignum*, atque ſic contra arguit, „ Ergo nulla in Chriſto nova creatura, nemo in „ novitate ſpiritûs ambulat, nemo mortuus peccato eſt &c. Atque quò prolixiùs nugaretur, ferociùs adhuc ſic inſurgit „ An qui nova in Chriſto creatura eſt, in quâ fides per dilectionem operatur adhuc in ſeſe impius eſt? „ An qui abnegavit impietatem & ſecularia deſideria in ſeſe impius eſt? & hujuſmodi plures interrogationes rhetoricè congerit, ut & ſatis multa *Auguſtini* teſtimonia, in quibus hoc de *juſtificando impium* de ex impio pium faciendo exponit. Conſimili etiam furore *Becanus* in ſe impios, ſed ex *Calvini* ſententiâ per imputatam Chriſti juſtitiam juſtificatos „ *ſepulchris dealbatis*, „ intus omni ſpurcitie plenis, virginibus etiam fatuis oleum in lampadibus „ ſuis non habentibus, ſed alienum oleum ſibi ſufficere exiſtimantibus, Hircis denique & lupis fœtentibus, rapacibus, ovinis pellibus indutis ſimiles eſſe clamitat.

Ad Rom. 4. 5.

Sedulò etiam, atque ad nauſeam uſque illud inculcant *Pontificii* Quod Deus *execratur* in *hominibus*, *ipſe non facit*. At *væ* dicit *iis qui dicunt malum bonum, & ponunt tenebras lucem, & amarum in dulce* Iſa. 5. 20. „ Et qui „ juſtificat impium, & qui condemnat juſtum abominationi Jehovæ æquè „ ambo ſunt. Ergo à juſtiſſimo Deo hoc longè abſit, qui „ nullo pacto abſolvit ſontem. Exod. 34. 7. Sed „ condemnat impium & juſtificat juſtum 1 Regum 8. 32. „ An judex totius terræ non exerceret jus? Gen. 18. 25. Hæc illi.

Prov. 17. 15.

Nos verò ut argumentum hoc nil veremur, ſic blaſphemos illos latratus ſecuri, ſurdique præterimus. In *Gnoſtico-Libertinos* vibrentur (per nos licet) hæc fulmina, nobis *bruta* ſunt, Dolemus interim quòd aliqui, qui pro *noſtris* haberi volunt, hâc in re, (ut in aliis quibuſdam) ad *Pheliſteorum limam ligones ſuos acuant*, adeòque ab hujuſmodi quà blaſphemiis quà objectiunculis

culis non abhorreant, ut iiſdem ſacratiſſimum Proteſtantium olim omnium Palladium, munitiſſimumque Chriſtianæ fidei paciſque fortalitium vehementiùs impetant.

Nos interim qui magis ſobriè ſapimus, ad priùs objecta ſic breviter reſpondebimus.

1. Et primò facilè concedimus *Auguſtinum*, qui *juſtificationis* vocabulum pro *ſanctificatione* ſæpiùs uſurpavit, hoc etiam de *juſtificando impium* de ex impio juſtum & pium efficiendo (non ita rectè) expoſuiſſe: eundem tamen *Auguſtinum* de nobis in nobiſmet ipſis reis & impiis per Chriſti gratiam gratis juſtificandis (quod rei caput eſt) unà nobiſcum piè & Catholicè & ſenſiſſe & docuiſſe contendimus.

Secundò certi affirmamus *Stapletonum Calvini* verba perfidè & mutâſſe & mutilâſſe. Cum enim *Calvinus* dixerat *Neque enim Deum modò* (hoc eſt, eo in loco) (Paulus) *pronuntiat gratiæ datorem*, quia, ut priùs ſe expoſuerat, *ad verſ. 4.* non hîc ab Apoſtolo differitur qualiter vitam inſtituere oportet, ſed quæritur de ſalutis cauſâ, *Stapletonus* fide Græco-Romanâ *non modò pronuntiat* in *negat* vertit. At non putarem illum, qui aliquod *loco* vel *tempore aliquo non pronúntiat*, id propterea *abſolutè* & in *univerſum negare.* Qui *Stapletonum* dixerit *modò* (id eſt, hoc loco, & tempore) *non mentiri vel Calvino calumniari*, verum forſan dixerit, cum ſcilicet de perſonâ réve aliâ locutus eſt; At qui ideò Stapletonum *nunquam* mentitum fuiſſe, vel *Calvino* aliquid *unquam* falſo impegiſſe *negaverit*, is procul dubio in eo falſiſſimus eſt.

Tertiò (quod rem quæ præ manibus eſt magis ſpectat) ad argumentum propoſitum ſic reſpondeo. Si Magiſtratus (hoc eſt *Judex inferior*) vel muneribus corruptus, vel προσωπολήπτως, ubi nulla ἀπειχείας cauſa fuerit, nulla Legi violatæ facta ſatisfactio, *contra jus faſque* reum abſolverit, *id iniquum*, injuſtum eſt, & (prout ex allatorum teſtimoniorum aliquibus conſtat) *quod execratur Deus.* At hæc *ſupremi Domini* indulgentiæ, minimè omnium ſummi Dei in juſtificatione noſtrâ *miſericordiæ* (nè vel *juſtitiæ*) fraudi eſſe poſſunt. Cum enim juſtificationi noſtræ duo inſint, ex imputatâ ſcilicet Chriſti juſtitiâ, tum remiſſio culpæ & pœnæ, tum pro juſtis reputatio: cum Deus ſupremus Rector ſit & Dominus;

Quod ad *remiſſionem* illam attinet, quis nobis gratiam Chriſti invidere debet, quin miſerè reo peccatori, etiam *dum in ſanguine ſuo fuerit vive dicat* Ezek. 16. 6. imò quis adeò blaſphemè & ſacrilegè arrogans, ut hoc *Deo ſummo* & *ſummè miſericordi* denègare auſit, quò minùs homini (*in ſe reo* licèt & *impio*) *gratis* & *culpam* & *pœnam condonare* ipſi integrum foret. Sine quo, væ omni (quicunque ille fuerit) hæc objectanti Adverſario.

Præſertim cum quod ad illam etiam *pro juſto reputationem* & *acceptationem* quò juſtiſſima & ſit & appareat, plenaria per Sponſorem noſtrum tum Legi tum juſtitiæ Divinæ præſtita ſit ſatisfactio, ut „ ſit ipſe juſtus dum juſtifi„cat eum qui eſt de fide Jeſu, ut ſignanter loquitur Apoſtolus Rom. 3. 26. „Quod magis adhuc conſtabit ex ſolutione alterius (quod proferebatur) argumenti.

Quartò enim, cum objiciebatur, quòd nulli qui ex ſententiâ noſtrâ per imputatam Chriſti obedientiam juſtificati, in ſeipſis pii & reverâ juſti ſint, ed *ſepulchra tantùm dealbata*, *virgines ſine oleo in lampadibus fatuæ*, *Hirci*,

Lupi ſub pellibus ovinis, fœtentes, rapaces, & hujuſmodi alia, cum ſecundùm nos *in ſe impii* ſint.

Quicquid blaſphemiarum in ſe habet hoc argumentum (ut habet plurimum) ad id exhorreſcimus.

Quicquid vel ſpecie-tenus rationis, ad id ſic reſpondemus.

1. Si *in ſe impios*, exponamus *per à ſe* & ſpectemus id tantùm quod *à ſe* habent, non quòd *à Dei gratiâ*, ne Stapletonum ipſum hâc in re Adverſarium habemus, qui ubi contra nos de eâ pugnat, libere fatetur impios quidem eſſe omnes ante fidei juſtificationem & antequam à Deo juſtificantur.

2 Non hîc ſpectamus id quod in juſtificatione homini adeſſe poteſt, ſed *quod ut hominem juſtificet ſpectat Deus*. An tum homini adſit vera inhærens juſtitia mox videbimus; quâ in re non adeò magnum forſan erit ſententiarum divortium: an verò hanc *juſtitiam inhærentem* in juſtificatione noſtrâ ità *reſpiciat* Deus; ut *ob hanc*, & hujus intuitu *nos pro juſtis reputet*, & in gratiam recipiat; Hæc nos inter & illos præcipua eſt controverſia.

Cum enim illi per *juſtificationem* intelligant *Sanctificationem* & gratiæ habitualis infuſionem, in hâc formalem juſtificationis rationem ponunt, ut ex eo peccator impius à Deo juſtificetur atque pro juſto reputetur, quòd ex *impio & injuſto* ex gratiâ Spiritûs cooperante ejus arbitrio *pius & juſtus inhærenter* efficitur. Nos in eo, quòd per *imputatam Chriſti juſtitiam fide apprehenſam gratis veniâ donetur*, & pro *juſto gratioſè habeatur*. Hanc *imputationem* illi & cum eis noſtrûm (ſi placet) aliqui *putatitiam* hanc *imaginariam* vocant; nos in eâ formalem juſtificationis rationem, adeòque & conſolationem noſtram ſitam eſſe grati agnoſcimus, & ſeriò contendimus.

Hoc, ſi contra *Pontificiorum* impulſus, ſartum tectum fuerit, an cum *Libertinis Antinomis* conveniamus, clare conſtabit ex ſecundæ & tertiæ in initio propoſitæ diſtinctionis explicatione.

2. Quod enim ad ſecundam diſtinctionem ſpectat de *verè juſto*, vel de verè juſto quoad *imputationem* intelligenda eſt, vel etiam quoad *inhærentiam*: ſi de priore intelligatur quæſtio, veriſſimam eſſe concedimus, *Deum* ſcilicet *neminem pro juſto reputare niſi reverâ juſtum*, nimirum per *juſtitiæ Chriſti imputationem*; neque enim juſtitia hæc imputata, *putatitia* (ut priùs dixi) vel *imaginaria* eſt, ut blaſphemant Adverſarii: ſed talis eſt, quæ *reverâ* hominem in ſtatu juſtificationis ponit, & *juſtum conſtituit*; ſecundùm illud Apoſtoli Rom. 5. 19. „ Minus obedientiâ δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί, non nudè reputantur, ſed ex reputatione iſtâ reverâ *conſtituuntur* juſti; ut *debitor*, qui ex *debiti ſui ſolutione* per *Sponſorem* factâ, ſibique *imputatâ* è *carcere liberatur*, non *imaginariè* & per ſomnium (ut *Petro* aliquando de ſeipſo viſum eſt Actorum 12.) ſed *reverâ reipſâ* liber eſt. Peſſimè ergo *Bellarminus* in diſputatione hâc juſtitiam *imputatam* quaſi tantum *putativam* juſtitiæ *veræ* paſſim *oppoſuit*.

3. Neque verò ſi quæſtio de *verè juſto* quoad juſtitiam *inhærentem* intelligatur, eam repudiamus.

Cum enim in diſtinctione tertiâ dictum erat hoc intelligi poſſe de tali juſtitiâ vel *ſimultaneâ* vel *antecedenter* vel *conſequenter* ſe habente ad Divinam iſtam in juſtificatione noſtrâ *reputationem*: à nullo horum, ſi ſano ſenſu ſumantur, abhorremus. Quamvis enim cum Deus (ſenſu priùs

priùs dicto) *juſtificat impium*, eum *impium inveniat*, *in impietate* tamen *non relinquit*, imò quos juſtificat eos ſemper ſanctificat „ ſed abluti eſtis, ſed ſan- „ ctificati eſtis, ſèd juſtificati eſtis 1 Cor. 6. 11. neque adhuc *ſepulcra dealbata*, vel *virgines fatuæ*, vel *hirci olentes* manent, ut calumniantur Adverſarii. Quod ad omnia hujus ultima diſtinctionis membra

1. Concedimus, quæcunque *naturæ prioritas* fuerit, *ſimul* tamen *tempore* peccatorem & *juſtificari* & *ſanctificari*. Neque veremur verba *Concilii Tridentini* licèt non in ſenſu ſuo uſurpare, videlicet „ in ipſâ juſtificatione „ cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo: *in juſtificatione* i. e. non in *formali ejus ratione*, ſed *tum cum juſtificamur*. *Seſſ. 6.*

2. Imò ultrà concedimus (ſi *naturæ prioritas* ſpectetur) *inhærentem juſtitiam* à Spiritu Sancto peccatori infuſam *antecedenter* ſe habere ad *juſtificationis* ſuæ ἀποτέλεσμα, quia ad id antecedenter ſe habet & *vocatio efficax* (quos vocavit, „ hos juſtificavit Rom. 8. 30.) & *Fides*, ut juſtificationis cauſa inſtrumentalis (Juſtificati & Fide Rom. 5. 1.) quæ ambæ *gratiam inhærentem* vel *præſupponunt* vel ſecum *inferunt*.

3. Maximè omnium *juſtitiam* verè *inhærentem conſequenter* ad *juſtificationem* ſe habere, non concedimus modo, verùm & acerrimè contendimus: idque eatenus contra ipſos *Pontificios*, quatenus *Fidem juſtificantem à charitate ſeparari poſſe* diſputant, inprimis verò contra *Antinomos*, *Libertinos*, totamque reliquam *Gnoſticorum* antiquorum progeniem, qui gratiam transferunt ad laſciviam, & dum toti in eo ſint ut gratiam, fidem, *juſtificationem gratuitam* deprædicent, *gratiam ſanctificantem* ludibrio habent. Proavis horum vox fuit „ faciamus mala, ut veniant bona, *quorum damnationem juſtam* pronuntiat Apoſtolus Rom. 3. 8. qui poſtquam dulciſſimam de juſtificatione per Chriſti juſtitiam imputatam doctrinam quinque primis ejus Epiſtolæ Capitibus invictè probâſſet, Capite 6. & ſequentibus aliquibus Sanctificationem Juſtificationis individuam pediſſequam vel comitem clariſſimè demonſtrat „ Quid igitur dicemus, Permanebimus in peccato ut „ abundet gratia? Abſit. Quale & illud *Auguſtini* de ſui temporis hæreticis „ Homines non intelligentes quod ait ipſe Apoſtolus (Paulus) Arbitra- „ mur hominem juſtificari per fidem ſine operibus, putaverunt eum dicere „ ſufficere homini fidem, etiamſi malè vivat, & bona opera non habeat: „ quod abſit ut ſentiat vas electionis. Quod à nobis etiam atque ſententiâ noſtrâ abeſt quàm longiſſimè. Ad *Gnoſtico-Borboritas* verò noſtros Evangelii, Gratiæ, ipſius naturæ propudia quod attinet, eorum ſententiam indicâſſe refutâſſe eſt, quæ cum Dei veracitati, ſanctitati, Evangelii gratiæ, fidei naturæ cordis purgatrici & per charitatem operatrici, fidelium denique gratitudini ex adverſo contrarietur, odio potiùs quàm argumentis improbanda eſt, utpote non tam refutanda, quàm execranda. Theſin ergo hanc *Pontificiorum* fermentum modò nil ſapiat, quatenus ex mente Doctiſſimi Reſpondentis contra *Libertinos* militet, concludo veram eſſe, & verbo Dei conſentaneam. *Judæ 4.* *De Grat. & lib. arbitr. cap. 7.*

QUÆST. XVIII.

Rectitudo primi parentis non fuit donum ſupernaturale.

1 Tim. 6. 4. Col. 2. 18.

DE pluribus diſputare *an* & *quomodo futura* fuiſſent ſi Adamus in *integritate* perſtitiſſet, *Scholaſticorum* eſt περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας νοσούντων: hominum ociosorum & malè curioſorum εἰκῇ φυσιμαχούντων, ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατεύοντων. At *quales* nos *primitus creaverit Deus* (modò id ſobriè fiat) diſpicere, non eſt *ex Jovis diphtherâ de Evandri matre diſſerere*, ſed ea potiùs commentari, quæ ob ea quæ olim in nos munificè collata fuerunt, *gratos*, à nobis verò peſſimè dilapidata & jam miſerè deperdita ſunt, *humiles* reddere poſſint. Inter ea de *primævâ* illâ *Adami*, atque in eo noſtrûm omnium *Rectitudine* non tam arguta quàm nobilis atque inprimis utilis (utpote quæ in plurimas alias, easque graviſſimas quæſtiones influat) inter nos & *Pontificios*, *Socinianos*, *Arminianos* hodie ventilatur *Controverſia*.

Hodierna noſtra non eſt utrùm *Adamus* in vel cum *rectitudine*, iſtâ *primitûs creatus fuerat*, quod ῥητῶς licèt aſſerat Sacra Scriptura Eccleſiaſtis Cap. 7. v. 29. illud tamen (audacter dicam an impiè) negare auſi ſunt plures.

Ex *Pontificiis P. Lombardus*, & cum eo alii, qui hominem in *puris naturalibus* creatum fuiſſe nugantur.

Apologia Cap. 5.

Remonſtrantes quæſtionem totam de juſtitiâ originali *ineptam* & *inutilem* cenſent.

Sociniani cum αὐτολεξεὶ legunt *hominem juſtum creatum fuiſſe* ſubtiliter nimis inter *Rectitudinem* & *Juſtitiam* diſtinguere volunt, & Rectitudinem quandam Adamo integro concedere non adeò gravantur, at *ſanctum*, *juſtum creatum* fuiſſe, id conſtanter pernegant: imò pro Ideâ in aliquorum hominum cerebro natâ, pro veteri & fœtidâ fabulâ habent. Sic *Smalcius* [a] ſi Adamo ante lapſum ſimplicitas & innocentia tribuatur, ſatis ſuperque eſſe exiſtimat, & ſignanter illud *ſuperque* addit, nam innocentiam illam, quam ibi Adamo indulget, alibi [b] ei detractum it, ubi *infirmitatem* illam, *propter quam* homo toties & tam graviter *impingit*, non ob *lapſum* Adami conſecutam eſſe, ſed in *eo*, [c] *ante lapſum manſiſſe* affirmat, ut & *Socinus* [d] nos exiſtimare vetat ſi quid mali rebus creatis jam ineſſe videatur, illud ab ipſis cum crearentur abfuiſſe, imò *ipſum Adamum* ideò *juſtum fuiſſe affirmari non poſſe*, quia nullo modo conſtat *eum ullâ ratione à peccando abſtinuiſſe*. Quam rancida hæc & (quæ *Socinum* ejuſque ſequaces decet) hæretica ſententia!

[a] *Contra Smigleſium. & Frantziũ diſp. 11. p. 44.*
[b] *Contra Smigleſium Cap. 7.*
[c] *Contra Puccium. pag. 98.*
[d] *Prælect. 3.*

Rectus, juſtus, ſanctus ſine concupiſcentiâ. Bellarm. cap. 2. De Civit. l. 12. 9.

At *Pontificii* multi, *Aquinas* (p. 1. q. 95. a. 1.) *Bellarminus* (de gratiâ primi hominis cap. 2. & 3.) concedunt, imò contendunt hominem in gratiâ creatum fuiſſe, & in primo creationis inſtanti originali juſtitiæ & rectitudine præditum juxta illud *Auguſtini* de Angelis „ ſimul in eis & condens natu„ram & largiens gratiam; Quamvis hoc cum aliis ſuis hâc de re placitis parùm cohærere mox conſtabit. At nos hactenus cum eis convenimus. De *re* conſtat, de *modo* quæritur. Nam id quod hodiè diſputatum eſt, & præcipuè inter nos & Pontificios controvertitur, eſt, utrùm iſta primæva rectitudo hominis integro aliquo modo verè *naturalis* fuit, vel *donum* prorſus *ſupernaturale*.

Pon-

Pontificii eam *omninò ſupernaturalem* fuiſſe contendunt, ut *Bellarminus* fuſè oſtendit Libro de Gratiâ primi hominis Cap. 5. Ex eo enim quòd homo ex carne & Spiritu conſtet quorum contrariæ inclinationes ſunt, inde in naturâ primitùs creatâ & integrâ, quamvis præter intentionem Dei Creatoris ex *conditione* tamen *materiæ*, adeòque *ex ſe* (ut Rubigo ex ferro oritur) talem *languorem morbum* & *vitium* ineſſe volunt, (ex quo ingens benè agendi difficultas futura erat) imò *motus inordinatos* rationis limites tranſilientes, *beſtialem libidinem*, *præcipitem in vitia inclinationem*, & *carnis adverſus Spiritum rebellionem*, ſimilem, imò eandem planè cum eâ quæ jam in nobis cernitur poſt Adæ lapſum, & juſtitiæ originalis amiſſionem, adeò ut naturalis carnis noſtræ impetus non *magis nunc rebellis* ſit quàm *ante peccatum* ſuapte naturâ futurus erat; hoc ſolo diſcrimine, quòd hæc jam *poſt lapſum pœnæ* ſint ex peccato inflicta, quæ tunc ex ſolâ fuiſſent *conditione materiæ*: tum *languor naturæ* erant nunc *peccati vulnus*. Hæc omnia apud *Bellarminum* ſparſa reperire eſt. Hoc tantum addunt, quòd cum ità homini creato vel creando à naturâ ſuâ comparatum erat, quò minùs in ſtatu integro in nervum erumperet, Deum addidiſſe *donum ſupernaturale originalis juſtitiæ*, quâ velut *aureo* quodam *fræno pars inferior ſuperiori* & *ſuperior* pars *Deo* facilè ſubjecta contineretur.

At Corn à Lapide dicit nullam fuiſſe concupiſcentiam aut libidinem frænandam, adeòque nullam continentiam vel virginitatem. in Gen. 2. 25.

Nos contrà, quamvis de vocibus *Naturalis* & *Supernaturalis* non litigaremus, ſi modô de re ipsâ conſtiterit, dicimus tamen ſano ſenſu *Rectitudinem* iſtam *primi parentis naturalem* fuiſſe, non (ut illi volunt) *donum omninò naturale*.

Cum enim *Bellarminus Naturale* quadruplex eſſe dicat. Vel 1. quod à *Nativitate* habetur, vel 2. quod *naturæ conſentaneum* eſt, eamque non deſtruit, ſed ornat & perficit. Vel 3. quod (donum gratuitum ut ſit tamen) *naturam juvat*) & perficit in operationibus naturalibus. Vel 4. quod aut eſt *pars naturæ*, aut *fluit à principiis naturæ*, ut animæ facultates earumque operationes; atque in *tribus prioribus* ſignificationibus *rectitudinem* illam primævam *naturalem* verè & propriè dici poſſe non diffiteatur, & de *quartâ* ſolâ in hâc causâ propriè diſputari affirmet, quam à nobis intelligi dicit cum *rectitudinem* hanc *naturalem* eſſe dicimus, Nos

1. Ut nil interim de intercidentiâ nimiâ ſecundi & tertii membri diſtinctionis *Bellarminianæ* dicamus;

2. Audacter tamen falſi contra nos lati teſtimonii *Bellarminum* poſcimus, & exertè negamus quenquam noſtrûm ex animi ſui ſententiâ affirmare Rectitudinem primævam *ſignificatione quartâ* fuiſſe *naturalem*, eo nimirum modo quo *facultates animæ ei naturales* dicuntur; *ſeparabilem* enim eſſe novimus, quam hodiè miſerè ſentimus *actu ſeparatam*, quod de *facultatibus naturalibus* eſſentialibus dici non poteſt. Neque enim (quod falſò nobis impingit *Bellarminus*) *Liberum Arbitrium* (prout *facultas naturalis* eſt) nobis jam adeptum docemus (quod ad malum nimis liberum cum noſtro ſummo malo experimur) ſed ad amplexandum *bonum ſpirituale amiſſam libertatem* dolemus. Si ergò *Lutherus* pro more ſuo, id eſt, *audacter* nimis & *incurioſius* dixerit *juſtitiam eſſe de eſſentiâ hominis* (integri ſcilicet, ut peccatum corrupti) *diligere Deum*, eique credere *Adamo naturale* fuiſſe, ac naturale eſt quòd oculi lumen recipiunt; id, per nos, paulò duriùs dictum ſit, quamvis ipſe

Naturale non συσταικῶ ſed ἐπομβώσ. Cap. 1.

De Civit. Dei l. 12. *Auguſtinus* ei prorſus gemellum de Angelis priùs dixerat, ſicut ad naturam oculorum pertinet viſus, ſic naturæ Angelicæ convenire adhærere Deo. *Pareus* etiam dicit nos *poſſe* tueri primo homini juſtitiam originis tanquam naturæ bonum (ut eam vocat *Auguſtinus*) non minùs naturalem quàm facultatem ſentiendi, videndi &c. Ex mente enim illuminata notitiæ illuſtres de Deo & rebus Divinis, ex voluntate & corde juſto ſancto, ut ex limpidiſſimo fonte operationes juſtæ ſanctæ ſcaturiebant non minùs naturaliter (licet mediante libero arbitrio) quàm viſio ex oculo.

Ad cap. 5. pag. 59. 60. Atque ex eo Maccovius verbatim Loc. Com.

Non naturam interim ſimpliciter & abſtractè conſideratam, ſed in concreto *naturam integram* intelligit, non ſolùm quicquid *naturam conſtituebat*, vel *ex principiis naturæ conſtitutæ* per ſe *fluebat*, ſed etiam quicquid principiis naturæ ad ejus perfectionem intrinſecam per ſe adjacebat. Neque tamen in-

Cap. 1. de cum *Pelagio* (quod nobis affricare *Bellarminus* ſatagit) nullùm in primo homine ſupernarurale donum fuiſſe dicimus, ſenſu ſcilicet *Pelagiano*; *illi* enim *nil ſupernaturale* in Adamo agnoſcebant *ſuper naturam corruptam*, qualis in nobis jam lapſis invenitur. *Nos nil ſupernaturale ſuper naturam integram* dicimus, & inde probamus, quia tale ſupernaturale non humanum, ſed vel *Angelicum*, vel *Divinum* futurum eſſet. *Rectitudinem* interim iſtam *primævam* ſuper naturam non ſolùm corruptam, ſed etiam *phyſicè* quoad *eſſentiam & facultates* ejus conſideratam prompti gratique agnoſcimus: adcòque & *Gratiam* (quatenus unà cum naturâ *gratuitò* donabatur) piè ſatis dici poſſe agnoſcimus. Sic [a] *Hieronymus* eam *antiquam gratiam* vocavit, & [b] *Auguſtinus magnam.* Neque proinde hoc nomine adeò *Bellarminum* ſugillamus quòd Librum ſuum *de Gratiâ primi hominis* inſcripſit, quamvis non deſint qui hoc ei vitio vertunt, [c] quòd Scriptura *gratiam hominis* neſciat, *gratiam Dei* & *Chriſti* ſolam agnoſcat. Sed quatenus *gratuita* erat, hactenus *Gratia* ſit, quatenus *naturam* vel *corruptam*, vel *nudè Phyſicam* ſpectamus, *ſupernaturalis* per me audiat.

[a] *In Oſiæ. Cap. 3.*
[b] *Contra Julian. l. 4 c. ult. Gratia quippe Dei magna ibi erat.*
[c] *Pareus ad Titulum Libri.*

At quatenus *à primâ nativitate concreabatur*, & *naturam creatam* non deſtruit, ſed *ornat*, *juvat*, *perficit*, vel *Bellarmini* non ſolùm *pace* ſed *ſuffragio* etiam eatenùs ſaltèm *naturalis* vocetur. Imò ultrà ex noſtrorum rectiſſimâ ſententiâ, quatenus *perfectio* erat *naturæ perficiendæ intrinſeca*, & ad naturam integram (quâ integra fuit) intrinſecè integrandram non ex merito quidem, ſed ex neceſſitate debita.

Sed verborum aucupia non captamus. Illud præcipuum eſt. *Supernaturalem* ſenſu *Pontificio* pernegamus. Hoc eſt,

Cap. 7. 1. Ut hominem in *puris naturalibus creatum*, hoc eſt (interprete *Bellarmino*) *ſine juſtitiâ* & *ſine peccato*, cum eorum aliquibus *Lombardo*, *Bonaventurâ*, aliis fingamus.

2. Ut ita *ſupernaturalem* cum *Durando* dicamus, ut ſi homo in integritate perſtitiſſet, à *parente* in *prolem* non *transferenda* fuiſſet.

3. Præcipuè ut vel in ſtatu integro, tantam ex ſe & *conditione materiæ*, *concupiſcentiam innatam* fuiſſe, ut naturalis carnis noſtræ impetus non magis *nunc* rebellis ſit, quàm *ante peccatum ſine gratiâ* (ſcilicet *ſupernaturali*) futurus erat: nulla etiam ſaniora fuiſſe & puriora ante peccatum, quàm modò ſunt poſt peccatum. Ut rebellio hæc, mors, & defectus reliqui ſint *à naturâ* tanquam à *cauſâ per ſe*, à *culpâ* verò tantùm *ut à cauſâ removente prohibens*

bens. Ut *Lex membrorum*, carnis ſcilicet rebellio adverſùs ſpiritum, *ex conditione naturæ noſtræ* ſit; adeò ut ex peccato originali non acquiratur averſio ab omnibus virtutibus, vel inclinatio ad omne peccatum, imò *nulla omninò inclinatio ad malum directè* (hæc enim ſecundùm eos naturalis erat) ſed *indirectè* tantùm ex *amiſſione ſolâ gratiæ primævæ ſupernaturalis*, quo amoto retinaculo, natura ſibi relicta vel in Adamo nondum lapſo pro innatâ ſuâ indole prona, præceps in malum ruitura foret; hæc enim *Thomæ*, *Driedonis*, & præ reliquis *Bellarmini* placita, vel portenta ſunt, quibus (ut *Pontificiis* reliquis) naturam lapſam mangonizare, integram deturpare ſolenne eſt. At *rectitudinem* hanc *originalem* in ſenſu hoc *Pontificio* ita *ſupernaturalem* fuiſſe, ut natura primæva in Adamo integro, non adhibito externo & *ſupernaturali fræno*, non ſolùm ad eam dirigendam, ſed & cohibendam, *in ſe* & ſuâpte indole æquè ac in nobis jam lapſis *Deo & rationi rebellis*, *in vitia & beſtiales libidines prona & præceps* fuiſſet: id verò deteſtamur, & non magis à veritate, quàm à pietate longè remotum eſſe, hiſce Argumentis evincimus,

Primò quòd cum Sacra Scriptura pugnat, quæ *hominem rectum creatum* fuiſſe pronuntiat עָשָׂה הָאֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם יָשָׁר „ Fecit Deus A- *Argument. 1.*
„ damum rectum Eccleſiaſt. 7. 29. *Remonſtrantes* in ſuâ Apologiâ, cap. 5. hoc *vitriale* & *Grammaticum* argumentum per contemptum vocant: at caveant ne (quod *vitrum* ſolet) *digitos eis cruentet*; & ſententiæ eorum nervos præcidat. Locum in ſe ſatis illuſtrem & ad ſententiam noſtram ſtatuminandam accommodatiſſimum *Sociniani* & *Pontificii*, variè quidem, junctis tamen operis eludere conantur. Sed fruſtrà.

Sociniani (ut dixi) inter *rectitudinem* & *juſtitiam* diſtinguunt, & *rectum* creatum eſſe concedunt, at *juſtum* negant. Reſpondeo

1. Cum *Rectitudo* quid *poſitivum* ſonat, *Sociniani vix rectum* creatum Adamum concedent, cum tantùm *innocentem*, & privatè *minimè malum* eſſe volunt, imò ne *innocentem* quidem, cum (uti priùs oſtendimus *Socinus* hæc duo apertè neget, „ & malum illud, quod jam nobis ineſt, à primitùs crea- „ tis abfuiſſe; & Adamum ullâ ratione à peccando abſtinuiſſe. Sed *Damaſcenus* lib. 2. cap. 14. rectiſſimè ſcribit Adamum conditum eſſe non ſolùm ἄκακον, ſed etiam ἐνάρετον, δίθη, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον, ἢ πᾶσιν ἀγαθοῖς κεκοσμῆσθαι.

2. *Rectitudo malè* & contra Scripturæ uſum à *juſtitiâ diſtinguitur*; ibi enim conjungi & pro reâ edem poni ſolent לֹא בְצִדְקָתְךָ וּבְיֹשֶׁר לְבָבְךָ „ non propter juſtitiam tuam & rectitudinem cordis tui, *Moſi* ἰσοδυναμοῦντα ſunt Deut. 9. 5. & cum *Dominus* de *Jobo* teſtatur quòd תָּם וְיָשָׁר fuerit Job. 1. 1, 8. per *Rectitudinem integritatem* explicat, quæ fructus prioris integritatis eſt, ut *Mercerus* vult; ubi etiam LXX. ipſam vocem de quâ diſputamus δίκαιος addunt. Et oſtendant *Sociniani* (velim) in Sacrâ Scripturâ locum, in quo יָשָׁר (Rectus) tantùm *ſimplicem* (ut illi volunt) & non etiam *bonum* & *juſtum* ſignificat.

At *Pontificii Rectum* in hoc loco Eccleſiaſtis juſtum ſignificare, & *Adamum juſtum creatum fuiſſe* concedent; at juſtitiam hanc ei *naturalem* fuiſſe, ex hoc ſequi negant, quam ab extra *ſupernaturaliter* ei additam fuiſſe ad naturales carnis impetus refrœnandos & cohibendos contendunt.

Quibus hæc repono.

1. Non omnes *Pontificios* hoc velle, Adamum ſcilicet in primo creationis ſuæ inſtanti cum originali juſtitiâ creatum fuiſſe; ſiquidem eorum aliqui eam *ante lapſum* quidem *additam* concedunt, ſed non in primo-primâ creatione *concreatam.*

2. Quamvis eorum alii eam primitùs concreatam vellent, cum tamen Scriptura dicit *Deum Adamum rectum, juſtum feciſſe*, ei apertè contradicunt, dum *concupiſcentiam carnalem*, imò beſtialem *naturæ* ipſi ex ſe *innatam* & cum eâ *connatam* fuiſſe volunt. Num enim *ille rectus* & *juſtus* dicendus eſt, qui *in ſe* & *ex ſe concupiſcentiam* rationi & Deo *rebellem* habet? & quòd *in actum* foràs *non prodeat*, hoc ab aliquo (quod ad naturam attinet) *externo* & *ſupernaturali fræno* id cohibente ſolùm habeat? An *equus* ille *mitis* & Domino ſuo ſatis obtemperans æſtimandus, qui cum in ſe ferox, & recalcitrans ſit, eo ſolo nomine δίκαιος dici poteſt, quòd *fræno cohibetur* aliter in præceps ruiturus? Certè *Auguſtinus* hoc non ſenſit, qui de *Corrept.* & *Gratiâ* cap. 11. inter alia huc facientia hæc habet, *Ille* (Adam) *non opus habuit adjutorio contra rixam carnis: nos illo opus habemus.* Neque valet *Bellarmini* reſponſio quòd „ Auguſtinus non ſcribit Adamum in puris naturalibus ſe„ cluſâ originali juſtitiâ non opus habuiſſe adjutorio contra rixam carnis, „ ſed Adamum in ſtatu illo fœlicitatis in quo Divino munere originalis ju„ ſtitiæ ornatus & inſtructus, nullas carnis moleſtias patiebatur, non opus „ habuiſſe illo adjutorio, quo nos jam opus habemus, & quod aſſiduè im„ ploramus.

De gratiâ primi hominis cap. 7.

Quid enim nobis cum *puris* illis *naturalibus*? quæ *Chimærica* ſunt, nunquam, nuſquam in rerum naturâ exiſtentia, quæ, ſi inſitam concupiſcentiam rationi & Deo rebellem in ſe habuiſſent, neutiquam *Pura* fuiſſent: vel ſi per illam vocem *Pura* præciſionem ab originali juſtitiâ (quod volunt) intelligant, nugaci *ſuo acumine præciſa* ſunt, non in *opificis Dei opere*, in quo *originalem juſtitiam* ſimul cum *naturâ humanâ*, ut opificio Dei dignam qualitatem *concreatam* defendimus.

Quin & dicimus etiam contra *Bellarminum*, ſi ſecundùm ejus ſententiam, humana natura vel in Adamo originali juſtitiâ prædito in ſe & ex ſe *concupiſcentiam rebellem* habuit, quanquam originalis juſtitia illam ita cohibuerit ut in actum rebellandi non eruperit, tamen vel tum, *ne erumperet*, *eâ* imprimis *opus habuiſſet*: prout *claudus*, vel infirmus *baculo innixus* non in præceps cadit, tamen *ne cadat*, vel *tum baculo opus* habet. Et quamvis ſubdolè Bellarminus illud interponit, Adamum ita originali juſtitiâ inſtructum „ non opus habuiſſe illo adjutorio, quod nos aſſiduè imploramus, cum di„ cimus, video aliam Legem in membris meis &c. infœlix ego homo! quis „ me liberabit de corpore mortis hujus? Nil tamen inde efficit. Quamvis enim non idem quoad omnia ſit auxilium, quod hominem lapſum jam erigat, cum eo quod jam integer ne cadat efficeret, in poſteriore tamen hoc ſenſu *homo integer auxilio illo opus habuit*, *illudque* etiam *implorare* ne quando laberetur, licèt non ut nos aſſiduè ut jam lapſi denuò erigamur: ut egenus aliquis, qui divitis amici quadrâ victitat, licèt victum, quem jam habet implorare non opus habeat, ipſo tamen amico illo vel tum opus habet, qui eam jugiter ei ſubminiſtret; imò & eum implorare opus habet, non ut (quod ja m

facit),

facit) victum ei ſuppeditet, ſed tamen quod facit ut adhuc facere pergat.

2. Omne à Deo creatum erat טוֹב מְאֹד Gen. 1. 31. *valdè bonum.* Quod ſaltèm omne conveniens & debitum creaturæ in ſtatu ſuo continet; at *juſtitia* homini innocenti *conveniens* & *debita* fuit. Si enim *juſtus* non fuit, *peccaminoſus* eſſet, adeòque non idipſum quod reverâ fuit, hoc eſt *innocens.* *Hoornbeck.*

3. *In Dei ſimilitudine creatus eſt Adam*, quam ad virtutes referunt *Patres.* *Bellarm. c. 2.* An verò *Concupiſcentia cum Deo ſimile* quid habet?

Ut contra *Scripturam*, ita & contra ipſum *Deum* eſt *Pontificiorum* ſententia, quippe quòd *Deum authorem peccati* efficiat, quod odioſè ſatis, at falſò nimis nobis ſæpiùs impingere ſolent. Si enim *concupiſcentia* illa *rebellis* proprii nominis *peccatum* ſit, quæ tamen ex *naturâ* hominis primigeniâ atque intrinſecâ *ei* inſit, cum Deus *omnis naturæ author* ſit, ex eorum ſententiâ & *peccati author* erit. *Concupiſcentia* (inquam) *ex Deo* eſſet, quod negat Scriptura Jacobi 1. 13, 14, 15. 1 Johan. 2. 16. ipſe reclamat *Bellarminus* cap. 6. pag 23. *Arg. 2.*

Quid ad hoc Adverſarii?

Primò reſpondent non eſſe proprii nominis peccatum ſed *morbum* & *languorem naturæ.* *Object. 1.*

Ut non ſolùm hoc, ſed plura alia commenta ſua ſtatuminent, neceſſum habent ut hoc dicapt, ſed falſiſſimè. *Sol.*

Eam *proprii nominis peccatum* eſſe probatum dare, quamvis ad hanc quæſtionem valdè pertineat, non tamen hujus eſt temporis; id ſatis probârunt noſtri. Quod vel inde ſatis conſtat, quòd *contra legem* ἀνομία ſit: ergo & (definitore Apoſtolo) ἁμαρτία, idque non ſolùm cum in *actum* prodit, ſed vel dum in *habitu* & *principio* latet; *Lex* enim *ſpiritualis* eſt. *1 Johan. 3. 4.*

Cum verò eam *morbum* tantùm vel *languorem* vocant.

1. Nil pejus ei ineſſe volunt in *homine* jam *lapſo*; at in *eo* ſaltèm *peccatum* verè eſſe pronuntiat Apoſtolus Rom. 7. 7. exſertè dicunt *Patres*, *Auguſtinus*, *Proſper*, alii, quos *impropriè* ſemper loqui, quis dicere auſit?

2. Quomodo *Bellarminus* eam *languorem* & *morbum* vocare auſit? qui hoc argumento juſtitiam originalem naturalem non eſſe ex eo probare vult, quia tum homo non potuit ſine eâ creari, quia ſic Deus rem mancam creâſſet, quod ejus *ſapientiæ* & *bonitati* contrarium eſſet. Annon his æquè contrarium fuiſſet hominem vitiatum, languidum, morbidum ac mancum, & ſine originali juſtitiâ, quod fieri poſſe dicunt, creâſſe? præſertim cum *languor* iſte ex eorum ſententiâ *rationi*, *Deo*, *rebellis* in ſe erat, adeòque eo nomine *peccaminoſus*? *Cap. 6. pag. 23.*

At hæc concúpiſcentiæ illius malitia vel inordinatio non *inferente* Deo fuit, ſed *permittente*, & (ut loquitur *Auguſtinus*) deſerente. *Object. 2.* *De Civit. Dei. l. 13. c. 15.*

Imò & *inferente*, ex eorum ſuppoſito ſi eam *creante*. At creavit, indidit, ſi modò intrinſecè ex naturâ, ejuſque compoſitione inerat: qui enim *naturam creat*, omnes etiam *qualitates* ejus *naturales concreare* cenſendus eſt. *Sol.*

At *præter intentionem Dei* erat, ex *materiæ* ſolius *conditione* & naturâ; ut Rubigo ex naturâ ferri, præter intentionem fabri ferrarii, qui licèt gladii ferrei opifex & author eſt, non tamen rubiginis. *Object. 3.*

Privola, impia, ne dicam blaſphema omnia. *Sol.*

1. Ac ſi in eo quod *ſolus Deus* facit, aliquid *præter ejus intentionem* fieret. In eo quidem in quo *cooperatur homo*, quamvis quoad actionem Phyſicam operetur Deus, aliquid præter ejus intentionem fieri poſſet, peccatum ſcilicet ex hominis malitiâ. At *non cooperabatur homo* in *ſuâ creatione*, ſed ſolus Deus hominem creavit, & ut *Pontificii* volunt, cum hâc connatâ innatâ, adeòque & concreatâ concupiſcentiâ. At Deus, ſapientiſſimus. omniſcius opifex, intendit facere & ea quæ fecit, & eo modo etiam quo fecit. *Ameſius.*

2. Quod ad *conditionem materiæ* attinet, quam ità ſepè ingerit *Bellarminus*, & in eam rem omnem rei culpam conjicit, dico

1ò. Licèt ea ſit *conditio materiæ*, hoc eſt (ut illi volunt) partium & facultatum inferiorum & ſenſitivarum, ut ſenſibilia naturaliter appetant, *non* tamen *neceſſe* eſt, ut id *inordinatè* agant, ſed in naturâ integrâ id *harmonicè* & *ordinatè* fiebat, ut ſenſus rationi, ratio Dei ſubderetur, idque per modum *directionis*, non *cohibitionis*: Ratio ſemper dirigebat ἑκόντον, non cohibebat rebellem. Idem Deus, qui pro ſummâ ſuâ ſapientiâ *Elementa contraria in corpore* Adami ità harmonicè componere potuit ut non ſe mutuò impedirent, ſed ad operationes naturales amicè concurrerent, & ut ipſe *Adamus* nunquam *mori potuiſſet*, multò magis *animæ facultates liberas* ità ſubordinare potuit, ut in nullo digladiari, ſed in omnibus optimè conſpirare poturſſent *ſine difficultate ſuperioris*, & *ſine triſtitiâ inferioris*, ut *Scotus* loquitur, ità ut pars ſuperior animæ ſpiritualiter appeteret ſenſibilia, & inferior ex imperio obedienter ſe haberet ad ſpiritualia.

Meiſnerus. Illud etiam in *Chriſto* conſtabat, in quo eadem materia, iidem ſcilicet corporis & facultatum ſenſitivarum ad res ſenſibiles *appetitus naturales*, at nulla (ut opinor) *concupiſcentia* adeò *rebellis* ut unionis hypoſtaticæ fræno ad eam cohibendam opus haberet.

Quod & de corporibus olim in cœlo beatis futuris dici poteſt. Agnoſco Apoſtolum 1 Cor. 15. 44, 45. ea corpora ab *Adami* corpore tanquam *corpora ſpiritualia* ab *animali* diſtinguere: at ſpiritualitas illa eorum naturam non deſtruit; at ſi *concupiſcentia* hæc de *conditione* & ipſa *naturâ* hujus *materiæ* eſſet, etiam in ipſis quoad habitum vèl ſaltem principium maneret quod ab animabus & corporibus illis immutabiliter beatis eſt omnium alieniſſimum.

Ubi corpus non aggravat animam neque poteſt quidem.

Illud etiam hîc annotandum, quòd cum hanc *materiæ conditionem* adeò cauſentur, illud deſtinatò faciunt ut culpam omnem in animæ *facultates inferiores* & *ſenſitivas* ſolas rejiciant, cum pravitas illa & ad malum pronitas animæ ἀκρόπολιν ex lapſu invaſit, adeò ut ſecundùm Apoſtolum *mens* ipſa, imò & *Spiritus mentis renovatione* opus habeat, ipſeque etiam *Bellarminus* alibi „ Quamvis concupiſcentia in carne potiſſimum reſideat, tamen non „ eſſe negandum etiam in parte ſuperiore ſimile vitium inveniri, ultrò fa„ teatur. Præterea (ut rectè annotavit doctiſſimus *Davenantius*) facultas concupiſcibilis, ſive *appetitus ſenſitivus* in *homine* eſt potentia animæ *rationalis*, non *brutæ*, ut duæ ſint in homine animæ, quarum una ſenſualis brutalis carnalia appeteret, rationalis altera, quæ ſpiritualia: ſed *una, eademque anima rationalis*, quâ *Deo obtemperat*, *ſpiritualia* imò & *ſenſibilia* etiam *ordinatè appetit*, *quatenus rebellis*, *carnalia*; quod (vel *Aquinate* judice) ineſt homini *contra naturam*.

Rom. 12. 2. *Epheſ.* 4. 23. *De amiſſ. gratiæ lib.* 5. *cap.* 15. *Determinat.* 16.

12a. q. 82. art. 3.

Ad

Ad id verò quod *Bellarminus* habet de *ferri rubigine præter intentionem fabri* ex *materiæ* (hoc eſt ferri) *naturâ* prodeunte; dico id minimè quadrare: faber enim licèt gladii opifex ſit, adeòque eatenus præter ejus intentionem ſit rubigo, *Deus* tamen *materiæ cujuſcunque author* eſt, *ejuſque qualitatum omnium*; atque ideò ſi *concupiſcentia* hæc (ut volunt *Pontificii*) *earum una* ſit, eam *unà cum materiâ creavit*, & creare intendit; neque præter ſapientiſſimi opificis intentionem eſſe potuit. Ut neque hinc ex eorum ſententiâ *Deus* liber eſſe poſſit à *cauſalitate concupiſcentiæ*, adeòque & *peccati*.

At licèt Deo permittente Concupiſcentia iſta primitùs materiæ innata fuit, tamen cum *originalis juſtitiæ frænum* addidit, *eam* ſimul ità *ſuſtulit*, ut ejus *cauſa & author* dici *nequeat*. *Obj. 4.*

Reſpondeo. *Sol.*

1. Non *permittente* ſolùm ſed *creante operante Deo*, ſi *materiæ*, ut illi volunt, *qualitas naturalis* fuit.

2. Addito hoc fræno non ſuſtulit ipſam concupiſcentiam, quam non obſtante originali juſtitiâ ſuperadditâ homini integro ineſſe contendunt: non inquam, *ſuſtulit Concupiſcentiam*, ſed *cohibuit* tantùm *actum* ne erumperet: ut huc res redeat neceſſe eſt, *fecit quidem venenum*, at *ſimul adhibuit Antidotum*. At quanto rectiùs *Hugo de Sancto Victore*, qui docet in ſtatu innocentiæ *carnem tanquam jumentum mite portâſſe ſpiritum*, nec *fræno*, nec *calcaribus* inſtructum, vel, ſi fortè *frænum* ibi eſſet, quo caro neſcia per ſe incedere *regeretur*; haud opus tamen fuiſſe *fræno*, quo *cohiberetur*, quia non fuit *impetuoſa*. *De Sacr. fide lib. 1. parte 7. cap. 19.*

Plura alia huc afferri poſſent argumenta.

Supernaturalia omnia poſt lapſum (dicentibus *Patribus*, fatentibus ipſis *Pontificiis*) ſunt deperdita, at quædam juſtitiæ reliquiæ & rudera in homine jam lapſo aliqualiter manent Rom. 2. 14, 15. Ergo de iis ſunt, quæ aliquando in ſtatu integro naturalia fuere. *Argum. 3.* *Maccovius in Loc. Com.*

Sententia *Pontificiorum* ut *in ſe mala*, ità quoad ea quæ ex eâ *ſequuntur*, & quæ ex eâ ipſi inferre & extruere ſatagunt, *peſſima* eſt: quam non alio conſilio *Jeſuitæ* amplexari judicat *Davenantius* quàm ut alios errores ſuos graviſſimos huic fundamento ſuperſtruere poſſint. Ut meritò *Pæreus* hanc Controverſiam minimè λογομαχίαν eſſe, ſed cardinem ſequentium Controverſiarum de peccato originis, libero arbitrio, cooperatione, meritis hîc volvi dixerit. Hoc enim ſemel dato, *juſtitiam originalem* in *homine integro* ita *ſupernaturalem*, *concupiſcentiam* verò *naturalem* fuiſſe; ex hoc fonte liquido fluunt & tanquam ex equo Trojano prorumpunt dogmata *Pelagiana* & *Pontificia* alia plurima, qualia hæc ſunt; *hominem per peccatum nil niſi extrinſecam veſtem ſupernaturalis boni perdidiſſe*, *naturam integram*, *naturalia integra ſervâſſe*. Hinc eſt quòd adeò exilia de *peccato originali* ſcribant, loquantur, hominem *poſt lapſum* non pejori conditione natum eſſe, quàm ſi *in puris naturalibus* crearetur, jam verò homo in puris naturalibus *liberum arbitrium* integrum habet; unde poteſt *merita congrui præſtare*, *ad gratiam ſe præparare*, *gratiæ reſiſtere*, *gratiam ſufficientem efficacem reddere*, *gratiâ inhærente juſtificari*, *legem implere*, *ſupererogare ſibi*, *aliis gloriam ex condigno mereri*. Ex quo *purgatorii*, *indulgentiarum*, *pro defunctis ſuffragiorum* & ſimilium ineptiarum longa nimis tela ab iis pertexitur, quæ (ut ille loquitur) hic in ſtamine *Argum. 4.* *De gratiâ primi hominis cap. 1. in fine.*

præ-

præcidenda eſt. Ova utique hæc aſpidum ocyùs confringenda ſunt, cum „ de radice colubri egreditur regulus, & fructus ejus ceraſtes volans. „ Quaſi natura ſit vitium, & ſecum traxerit prima conditio pec- „ catum. Hoc quidem prima non ſentit conditio, ſed ſecutum „ eſt transgreſſorem ſupplicium, & hæſit individua pœna pec- „ cato. Cyprian. de ratione Circumciſionis ſ. 4.

QUÆST. XIX.

Beati in ſtatu gloriæ ſe mutuò ſunt agnituri.

2 *Cor.* 12. 4. AN hæc inter illa *Pauli* ἄρρητα ῥήματα numeranda ſint, nil dicam. Ad eorum tamen magis ſobriam & dilucidam explicationem in anteceſſum hæc dicantur.

1. Hæc magis *piè credenda*, quàm *curioſiùs inveſtiganda.* Cum enim *S. Joannes* „ quid demùm erimus jam manifeſtum factum eſſe negaverit: Sanctus etiam *Paulus* „ ea quæ Deus eum diligentibus paravit talia eſſe, qualia ocu- „ lus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, affir- maverit: cum „ per fidem adhuc ambulemus, non per aſpectum; Cum de- nique de his ex Sacrâ Scripturâ (unica fidei noſtræ regulâ) non adeò clarè conſtet, neque eorum ad ſalutem neceſſaria ſit cognitio; donec „ templum „ Dei plenè apertum in cœlo, & arca Dei in templo viſa fuerit, *Bethshemitarum* plagâ & exemplo admonitis temeraria *Arcæ* hujus *introſpectio* nobis cavenda, & *Scholaſticis* (qui tanquam Deo à ſecretis eſſent, hæc audaciùs rimari audent & ſolent) releganda. At eorum Magiſtri *P. Lombardi* hâc in re mihi (ut & *P. Martyri*) magis placet candor & ſimplicitas, qui de rebus hujuſmodi quærens,* ingenuè ſic reſpondet „ Fateor me ignorare, quia in „ Scripturis non memini me legiſſe. Piè *S. Bernardus* † irrumpere charitatis „ abyſſos, nec temporis eſt hujus, nec corporis: id tibi in noviſſimis reſervatur. Interea temporis id nobis agendum eſt ut illuc tandem pertingamus; atque tum demùm in glorioſâ illâ Jeſu Chriſti ἐπιφανείᾳ nobis innoteſcent omnia. Hanc dum præſtolamur (ut cum *Auguſtino* loquar) „ meliùs eſt du- „ bitare de occultis, quàm litigare de incertis; de his præcipuè, quæ (eodem authore) vix à manſuetis, à contentioſis autem nunquam inveniuntur. Minuendus utique intemperans noſter in abſtruſis hiſce ſcrutandis pruritus, de quo ſic *Calvinus* (uti ſolet) optimè (de his) „ ubi ſua cuique placita arrident, „ nullus eſt concertationum modus; hoc ſit nobis vitæ compendium, con- „ tentos eſſe ſpeculo & ænigmate, donec cernemus facie ad faciem. Nam „ pauci ex ingenti multitudine quâ in cœlos eundum ſit curant „ omnes au- „ tem quid illîc agatur ſcire ante tempus appetunt.

1 *Joban.* 3. 2. 1 *Cor.* 2. 9. 2 *Cor.* 5. 7. *Apoc.* 11. 19. 1 *Sam.* 6. 19. *Loc. Com. parte* 3. *c.* 17. * *Lib.* 4. *diſtinct.* 48. *in fine.* † *Serm.* 38. *in Cantic.* *Inſtit. l.* 3. *cap. ult. ſ.* 11.

2. Secundò præſupponimus non jam quæri de mutuæ hujus noſtræ in cœlo cognitionis *modo* & *vi*; an in *Speculo Trinitatis* fiat, vel in *eſſentiâ Divinâ* tanquam in cauſa *efficiente exemplari* vel *finali*, an in *verbo*, & in eo *Ideis* per *cognitionem* (quam fingunt) *matutinam* vel *in proprio genere* per *cognitionem veſpertinam* vel ex *factâ revelatione*, de quibus mirè nugando philoſophantur

Vide Leſſium de ſummo bono lib. 2. *cap.* 10.

phantur λεπτολόγοι Scholaſtici. De τῷ διότι vel τῷ πῶς non diſputamus, τὸ ὅτι rem ipſam ſolam, quòd lumine gloriæ *beati ſe mutuò agnoſcunt* nudè & *modeſtè* aſſerimus.

Neque cognitionem hanc *carnalem* eſſe volumus non ex animi dotibus; vel corporis ſaturâ, formâ, vel figurâ externâ; non ex fortunæ (uti vocare ſolent) donis, honoribus putà vel divitiis, vel conſanguinitatis aut affinitatis vinculis, vel hujuſmodi externis aliis, quorum quædam prorſus evanuerunt, alia in παλιγγενεσία illâ adeò immutabuntur, ut quod olim de *Naomi* & *Jezabele* ob in deterius mutationem dicebatur „Hæccine eſt Naomi? „non „dicent, Hæc eſt Jezabel; idem ferè de his propter illuſtriorem eorum metamorphôſin tanquam de penè ignotis dici tum poterit, Hiccine ille prior *Lazarus* famelicus, ulceroſus, pannis obſitus? Non quòd rerum iſtarum hîc externarum memoria planè interitura ſit, nec ob glorioſam hanc corporum transformationem ipſarum perſonarum notitia beatis planè intercidat, unà enim cum ſtupendâ corporum mutatione ſimul etiam mutabitur & confortabitur oculorum acies, ut magis eos tum cognituri ſint glorioſos, quàm hîc quondam miſeros. At quodcunque demùm de hujuſmodi cognitione mutuâ fiet, præſens quæſtio (prout ejus verba ſunt) de *agnitione* agit, ſcilicet de iis quæ in ſe invicem beati præcipuè ſpectent, & ex quibus mutuò cenſentur & innoteſcunt. Hæc verò *ſpiritualia* erunt, non *corporea*, non *carnalia*, non *externa* ſecundùm illud Apoſtoli 2 Cor. 5. 16. „Itaque nos „poſthac neminem novimus ſecundùm carnem: quòd ſi etiam novimus „Chriſtum ſecundùm carnem, nunc tamen non ampliùs novimus. Quòd ſi ſancti vel *dum hîc* in corpore ſunt, ne *ipſum Chriſtum carnaliter* noverint, quantò minùs olim *in cœlis*, ubi ipſa *corpora ſpiritualia fient*, ipſi vero cœleſti gloriâ, adeòque & Deo ipſo pleni fuerint, ſeſe mutuò *carnaliter* & ex *corporalibus* hujuſmodi & *externis* agnituri ſint? 3.

Ruth 1. 9. 2 *Reg.* 9. 37.

Cum de *Beatis ſe mutuò agnituris* agitur, quæri poteſt an hoc verum futurum ſit, vel de ſolis hîc ſibi notis & neceſſariis, quibuscum piam familiaritatem & amicitiam in terris & communionem ſanctam coluerant, vel de aliis inſuper adeòque & in univerſum omnibus à primo Adamo uſque ad Sanctorum noviſſimum cœleſtis illius Jeruſalem concivibus. Horum poſterius placet omnibus (quos ſcio) qui partem affirmativam hujus quæſtionis aſſerunt, idque ſatis probabiliter, 4.

Probabiliter dixi; nam præcognitorum noſtrorum quintum & ultimum eſſe volo, quòd quæſtio iſta in ſe contineat *veritatem Theologicam*, non *fundamentalem fidei Articulum*: Cum enim ejus cognitio & fides ad ſalutem nequaquam neceſſaria ſit, neque res ipſa non adeò forſan ἀναντῤῥήτως certè non ἐκ λέξιν in Sacrâ Scripturâ appareat, non in τῶν πεπληροφορημένων cenſu habenda eſt. Admodùm tamen *probabilem* eſſe quidni dicam? Cum ei adverſarium (quem novi) habeat neminem, quin ultrà vero ſimilimam dixerim, utpote Scripturæ teſtimoniis huc (ut videtur) ſpectantibus, rationibus ſatis idoneis, & Theologorum omne genus ſuffragiis ſuffultam. 5.

Et primò quod ad Sacram Paginam attinet,

Argum. 1. è Scripturâ.

Illud huc adduci ſolet quòd Lucæ 16. 23, 25. *Dives* ille in *inferno*, & *Abraham* in *cœlo* ſe *mutuò cognoſcant* & alloquantur. Quòd ſi ut *Parabolicum* atque ideò minus *argumentativum* rejiciatur, illud ſaltèm dicam, à pluribus

Patribus narrationem hanc pro *verâ hiſtoriâ* haberi, atque idem etiam tam ab illis quàm à recentioribus Theologis argumentis ſatis idoneis probari: vel ſi (prout *Maldonato* placet) res *mixta* ſit, quoad aliqua *Hiſtorica*, quoad verò *Abrahami* & *Divitis* illius *mutuam notitiam* & loquelam tota *parabolica*: at ſaltem illud *Lucæ* 13. 28. non eſt parabolicum, ubi Chriſtus exſertè dicit Judæos in infernum detruſos „ viſuros Abrahamum, Iſaacum & omnes Pro„ phetas in regno cœlorum. Si verò *Beati* in cœlo, & *damnati* in inferno (inter quos χάσμα μέγα ἐστήριχται) ſe mutuò eminùs cognoſcant, quanto magis ſibi invicem comminùs innoteſcent *ejusdem cœli concives* & convivæ?

2. Nam & illud ultrà huc facit, quòd eodem Lucæ loco v. 29. ut & Matth. 8. 11. dicitur „ multos ab Oriente & Occidente & Boreâ & Auſtro venturos, (hoc eſt ab omnibus & extremis orbis plagis, adeòque à ſe invicem priùs remotiſſimos & *Abrahamo* penitùs ignotos) & convivarum inſtar quaſi ad „ menſam diſcubituros cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo in regno cœlorum. At quæ demùm futura eſt inter cœleſtes hos convivas lætitia (cui convivium inſervire dixit *Eccleſiaſtes*) ubi nulla intercedit notitia mutua?

Cap. 10. 19.

3. Huc etiam adferunt illud quòd in Chriſti *Transfiguratione* tribus Apoſtolis ὤφθησαν „ conſpecti ſint Moſes & Elias cum eo colloquentes. Ex quo Interpretes cum antiqui tum recentes, *Proteſtantes* æquè ac *Pontificii* colligunt *Moſen*, & *Eliam* nunquam licèt priùs Apoſtolis viſos jam *innotuiſſe* (imo aliqui cum eis etiam hîc collocutos fuiſſe opinantur) At unde hæc notitia? *Euthymius* putat vel ex *traditione* cognitum vulgò fuiſſe quâ fuiſſent formâ, vel in antiquis Hebræorum libris eorum *formas* fuiſſe deſcriptas. At hoc *Theophylacto* minùs placet, ὡς δὴ ἄπο εἰκόνων, ἐπεὶ εἰκόνας ἀνθρώπων ποιεῖν τότε ἀσεβὲς ἐδόκει. Adeòque ei magis veriſimile videtur quòd ex *ſermonibus* potiùs quos inter ſe conferebant agniti fuerint. Tutò & (uti ſolet (prudenter *Calvinus*, „ cum eos in medium Deus produceret, ſigna „ etiam & notas dediſſe, quibus innoteſcerent: quæ *Calvini* verba κατὰ λέξιν (quod plurimis in locis facere ſolet) ſuppreſſis *Calvini* & *Bezæ* nominibus in ſuos Commentarios transtulit *Lucas Brugenſis*. Quibus (ex temerariâ ſuâ conjectatione) addit „ ſigna illa fuiſſe vel monumenta aliqua rerum nobiliſſi- „ marum ab ipſis geſtarum, ſive habitus eorum in Sacris Literis deſcrip- „ tos &c. Magis piè & ſobriè *Calvinus*, extraordinario quidem Revelationis modo factum eſt, ut certò ſcirent eſſe Moſen & Eliam, vel (quod *Maldonatus* tertio in loco ponit) *ex internâ Dei inſpiratione*. Non enim (ut rectè *Chemnitius*) hoc fuit „ ex notitiis naturalibus, quæ in rebus cœleſtibus peni- „ tùs ſunt cœcæ, ſed ex ſolâ gratiâ Dei, quæ incredibilem hanc ſapientiam „ & cognitionis lucem animis Apoſtolorum infudit. Ut ergo Samuel ex „ Dei inſpiratione Saulem agnovit nunquam àntea viſum 1 Sam. 9. 17. & „ quemadmodum Johannes in utero B. Virginis Chriſtum Dominum ſuum „ agnovit; ità Spiritûs Sancti radiis horum etiam mentes fuerunt illuſtratæ. „ Unde rectè colligitur, nos in vitâ æternâ depoſitis omnibus ignorantiæ & „ cœcitatis nebulis, etiam nos invicem & omnes Sanctos, quos nunquam vi- „ dimus, agnituros. Et rectè hoc ab eo colligi videtur, ſi enim Apoſtoli tum in corpore mortali exiſtentes, & *guſtum* tantùm quendam vitæ æternæ percipientes *Moſen* & *Eliam* (*quos nunquam priùs viderant*) revelatione in-

Matth. 17. 3. *Marc.* 9. 4. *Luc.* 9. 30, 31. *Vide L. Brugenſem.*

4. *Reg.* 1. 8.

In Locum. Harmon. cap. 87.

Bucanus loc. 39. *qu.* 11.

tern â

ternâ cognoverunt: multo magis rationi conſentaneum eſt *Beatos illuſtriori gloriæ lumine perfuſos* priùs *ignotiſſimos* quoſque *agnituros.*

Idem *Chemnitius* eodem in loco aliud argumentum ab *Adamo* ductum profert „ ſi Adamus virtute imaginis Divinæ concreatæ Evam nunquam „ priùs viſam, dum verò dormiret (ſe inſcio) „ de corpore ſuo ſumptam a- „ gnovit, quomodo nos etiam ſecundùm eandam imaginem tranſmutati de „ gloriâ in gloriam à Domini Spiritu Sanctos & Beatos ejuſdem corporis „ membra non agnoſceremus? Hæc ille, & cum eo alii à *Luthero* hauſerunt, qui (referente *Melanchthone*) in ultimâ ante mortem cœnâ cum amicis habitâ (morientium verò fides oculatiſſima eſſe ſolet) iis eum hâc de re interrogantibus, ſic reſpondit, quid accidit Adamo, nunquam ille viderat Evam, expergefactus autem, cum eam videret, non rogat quæ ſit, aut unde veniat, ſed *carnem* eſſe *de ſuâ carne* dicit, nimirum Spiritu S. plenus, & verâ Dei cognitione præditus, pronunciabat. Ad eundem modum nos etiam in alterâ vitâ renovabimur per Chriſtum, & parentes, uxores, liberos, & quicquid eſt multò perfectiùs cognoſcemus, quàm tunc *Evam Adamus* cognovit. 4. *In Orat. funebri.*

Quod verò ad *Rationes* attinet, quæ Theſin iſtam ultrà confirmare poſſent; *Arg. 2. ex Ratione.*

Prima ſumi poteſt à *plenitudine & perfectione cognitionis beatarum* in cœlis *animarum.* Quanta hæc ſit (ex ſententiâ *Romanenſium*) etiam ante ultimam Reſurrectionem, ex eorum hâc de re ſcriptis ſatis conſtat. Unus *Leſſius* lib. 2. de ſummo bono, cap. 9. in immenſum eam extendit ubi iis perſpecta eſſe aſſerit non ſolùm omnia *naturæ arcana* (O! ſi Philoſophi & docti omnes vel hoc nomine pii etiam eſſe vellent, ut cœlum tandem adepti hæc omnia in numerato haberent, quæ indefeſſis ſtudiis & vigiliis hîc fruſtrà depereunt) ſed & *præterita, præſentia, futura* omnia, *hominum* etiam *corda & cogitationes, ipſamque Dei eſſentiam* infinitam, *Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis,* omniaque *fidei myſteria, Scripturarum arcana* omnia. Quod verò ad omnes *beatorum Angelorum* & hominum *ordines, numerum, merita, dignitatem* & *gloriam* ſpectat, hæc omnia ab iis exactiſſima cognoſci vult. Par enim eſſe putat ut civitatem ſuam, & domum Patris ſui, & fratres ſuos ac cives optimè nôrint, & bonitatem Dei & miſericordiam in ſingulis admirentur & laudent. De horum aliquibus mihi ἐπέχειν liceat; ſat' interim tum earum beatitudini tum noſtro propoſito, quod „ Deum videbunt ſicuti eſt 1 Joh. 3. 2. quod „ cognoſcent prout cognoſcuntur 1 Cor. 13. 12. Et quamvis commate octavo ejuſdem Capitis legimus ὅτι γνῶσις καταργηθήσεται *omnem* ſcilicet tum *evaniturum cognitionem*, hoc tamen quoad *imperfectionem* intelligendum eſt, quod non *cognitionis* ſed *ignorantiæ depoſitionem* loquitur. Quid verò imperfectionis hæc mutua noſtrûm cognitio in ſe habeat non capio. Diſputant quidem *Scholaſtici* more ſuo (hoc eſt) audacter nimis & temerariè, an *ſcientia hîc acquiſita ibi peritura* ſit, ut nihil hîc intererit inter eruditos & indoctos. Cum verò *idem* qui hîc fuerat in cœlo futurus ſit *intellectus, eadem memoria*. & multò, imò ferè infinitè, *auctior* & perfectior, ubi ſcilicet *imago Dei* (quæ ex parte in *cognitione* ſita eſt) *perfectè renovabitur,* certè rationi minimè conſentaneum videtur, ea quæ hîc ſatis perſpecta fuerant in æternâ illâ luce oblivioni tradi, & æternis ignorantiæ tenebris delitescere. 1. *Col.* 3. 10.

teſcere. Præſertim ſi talia fuerint, quæ æternæ eorum beatitudini & gaudio congrua ſuerint eamque adaugeant.

2. Quæ ſecunda hujus Theſeôs Ratio eſt, ducta nimirum à *cumulatiſſimâ*, quæ *beatos* illos *cælorum incolas* manet *beatitudine*. Cum enim „ beatitudo (definitore *Boethio*) ſit „ ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus, nihil ei abeſſe debet quod eam integrare poſſet, ſaltèm ſi ei congruum ſit. At hæc mutua Beatorum in cœlis agnitio, ex eâque fluens lætitia ſtatui huic congruentiſſima eſt. Nam

Lib. 3. proſ. 2.

Ibi manebit, imò & perficietur *Amor* 1 Cor. 13. 13. at hic *notitiam* præſupponit.

Matth. 25. 21.

Summa tum futura *lætitia*, & *gaudium* inenarrabile Pſal. 16. 11. *Gaudium Domini* vocatur, ſed & de conſervis ſuis & *ſocius*, deque eorum gloriâ, ſplendore, beatitudine, aliiſque bonis tanquam ſuis. Quod inde rectè deducit *Leſſius* quoniam ſingulos Cives beatæ illius Civitatis tam Angelos quàm homines *diſtinctè noſcent & videbunt*. At „ quæ erit gloria (ut cum *Cypriano* loquar) „ quanta lætitia Abraham & Iſaac & Jacob & Patriarchas omnes „ & Prophetas & Apoſtolos & Martyres omnes ſalutare? „ Videre (ut habet „ *Gerardus*) Θεοπλάστας primos generis humani parentes, Θεοσόφους Patriar- „ chas, Θεολήπτους Enochum & Eliam, Θεόπτην Moſen, Θεοπνεύστους Prophetas, „ Θεοδιδάκτους Apoſtolos! „ O fœlicem illum diem cum ad illud animorum „ concilium proficiſcar & ex hâc turbâ & colluvione diſcedam, piè dixit *Grynæus*. Si enim apud *Ethnicos* pro ſummo fœlicitatis apice habebatur quòd apud inferos *Homeri*, *Socratis*, *Ariſtidis*, *Herculis* atque reliquorum *Heroum* ſuorum tandem *familiaritate* uſuri forent quàm innarrabili demùm perfundemur gaudio, cum ſemel & *Chriſti*, & *Petri*, & *Pauli* & *Sanctorum omnium* in cœlo æternum fruemur *conſortio*?

De ſummo bono lib. 2. c. 15.

Lib. 4. Epiſt. 6.

Loc. com. Tom. 9. de vitâ æternâ cap. 5. §. 104. pag. 675.

Hebr. 12. 23.

In beatiſſimâ denique illâ πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ τῶν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων conſummanda tandem & numeris omnibus integranda erit, quæ hîc in terris inchoata priùs erat *Sanctorum communio*, parentum ſcilicet & liberorum, conjugum, amicorum hîc olim comprecantium, collachrymantium, *pro fide Chriſti concertantium* & compatientium, *ſe mutuò* denique in *fide ſuperſtruentium* & *ædificantium*.

Mantuanus.

„ Fas erit hîc noſtræ vultus cognoſcere gentis.
„ Atque dare alterius mutua verba ſonis.
„ Hîc cum fratre ſoror, nati cum patribus ibunt.

Hæc ſanè *olim meminiſſe juvabit*, cum qui hîc σύσσωμοι Epheſ. 3. 6. σύνδουλοι Col. 1. 7. συνεργοὶ Phil. 2. 25. συναθλοῦντες Phil. 1. 27. συσταυρωθέντες Phil. 2. 25. συναιχμαλώτους Rom. 16. 7. (prout in Sacrâ Paginâ paſſim audiunt) fuerint, tandem in cœleſti patriâ & requie συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ Epheſ. 2. 19. συμμέτοχοι, συγκληρονόμοι (Epheſ. 3. 6.) fœliciſſimè evadant. Ut qui hîc junctis animis, linguis, oribus Chriſto *Hoſanna*, ibi *Deo* & *Agno* cœleſte *Hallelujah* in æternum concinant. Quæ omnia non magis ſummum *gaudium*, quàm *notitiam* mutuam loquuntur.

Neque hoc verum ſolùm quoad eos qui hîc nobis priùs *noti* & *familiares* fuerant, ſed & quoad *ſanctos omnes* concives & convivas noſtros futuros, quamvis nunquam priùs nobis viſos, imò ignotiſſimos. Si enim *Cyrus* omnibus in exercitu ſuo militibus (teſte *Plinio*) nomina reddere potuit, quid

Lib. 7. cap. 24.

miri-

miri erit, ſi Beati cœleſti illo lumine illuſtrari cœleſtem illum exercitum „ (quem numerare nemo poteſt, ex omnibus gentibus & tribubus & popu- *Apoc. 7. 9.* „ lis & linguis viritim & nominatim (ut *Cypriani* verbo utar) *ſalutare* poterint?

Si verò ultimo in loco Theologorum hâc de re ſententiam expetamus, *Arg. 3.* nobis σύμφηροι ſunt S. *Cyprianus* ubi priùs. *Auguſtinus* Epiſtolâ ſextâ ad *Italicam viduam*, quam ex morte mariti ſe minimè deſolatam putare vult, eò quòd ipſe ei in cœlo notiſſimus futurus ſit, „ ubi nihil latebit proximum „ in proximo, nec erit quod ſuis quiſque aperiat, vel abſcondat alienis, ubi „ nullus erit alienus. Hæc ille. Qualia etiam apud *Chryſoſtomum* occurrunt οὐ μόνον τὰς ὧδε γνωσὰς γνωρίζομεν, ἀλλὰ καὶ τὰς μηδήποτε εἰς ἡμετέραν ἀφιγμένας ὄψιν θεωρήσομεν. Cui ſuccinit *Damaſcenus* καὶ ὄντως ἕκαστος ἀναγνωρίζει τὸ πλησίον αὐτοῦ quâ conſolatione impios privandos exiſtimat. Cui ſententiæ *Serm. de defunctis verſus finem.* ſuffragantes *Chryſoſtomum*, *Eſram*, *Athanaſium*, *Gregorium* adducit. Notum ſatis eſt illud *Anſelmi* „ Ibi à ſingulis omnes, ubi ab omnibus ſinguli *De ſimilitudine cap. 59.* „ cognoſcentur. „ Omnes mortui ſe viciſſim cognoſcunt & cognoſcuntur: „ hoc te docet Abraham, hoc ſuggerit Lazarus, hoc affirmat Dives. *Hugo Iteterianus in lib. de regreſſu animarum.* Quid *Lutherus* hâc de re reſpondit priùs audivimus. Quid noſtrûm plerique, in eorum ſcriptis paſſim conſtat. Illud ſemel dicam, vel apud veteres vel recentiores Theologos ſententia hæc Adverſarium (quem ſcio) habet neminem. Concludo igitur Quæſtionem vel veram, vel ſaltèm veriſimilem eſſe, non à verbo Dei diſſentaneam.

QUÆST. XX.

Αὐτοφονία *non eſt licita.*

SAlvator noſter ſimilem aliquando quæſtionem Phariſæis propoſuit, *Marci 3. 4.* „ Liceretne hominem ſervare aut trucidare; ut ab ipſis vel invitis de manu arefactâ Sabbato legitimè ab eo ſanatâ teſtimonium extorqueret, quos (tanquam de re benè factâ) ſatis convictos *ſiluiſſe* ſcribit *Marcus* Evangeliſta Cap. 3. 4. Quod cuivis an ἀνδροφονία præſertim αὐτοφονία licita ſit interroganti ſilentium imponere ſufficeret, de quâ illud potiùs quæri poteſt, an *veniam conſequi* poſſit, modò fiat (quod alii [a] prorſùs negant, ægrè concedunt [b] alii) quàm an *fieri liceat.* At [c] *P. Martyr* cum hâc de re agit, hanc pro quæſtione non *inutili* habet: non utique ut ejus tractatione *formetur judicium* tanquam de re dubiâ, ſed ut *fortiùs revincirentur manus* ſanguinolentæ à tam immani patrando ſcelere, à quo adeò abhorrent vitæ Author Deus, Reſtitutor Chriſtus, Spiritus Columbinus, Scriptura, Gratia, imò Ratio, ipſa Natura, humanitas, φιλανθρωπία denique non illa vitioſa, ſed innocua, debita, & nobis (ut & rebus creatis omnibus) à naturâ, naturæque Deo ingenita. At utilem demùm reddidit hujus rei tractationem *frequens*, heu nimis tam nefandi facinoris *perpetratio*; à Romanis olim (ſaltèm in aliquibus) celebrata, apud Indos & Turcas hodie in more poſita, quin & ab Eccleſiæ civibus ſemper licèt damnata, ſæpiùs tamen nefariè peracta, non ſine ſummâ

[a] *Sym. cap. 18.*
[b] *Capel de Tentationibus (Anglicè) parte 2. c. 9. & in Apolog. pag. 277.*
[c] *Loc. Com. Claſſ. 2. cap. 9. §. 8. Theodoret lib. 4. Fabul. hæret. De Circumcellionibus. antophoniæ*

reis V. Auguſt. hæreſ. 69. Philaſtrium hæreſ. 37. Optatum l. 3. contra Parmenianum. [d] *De Civit. Dei. l. 1. c. 23.*

Chriſtiani nominis infamiâ. Sed (ut cum *Auguſtino* loquar) „ non modò „ quærimus utrùm ſit factum, ſed utrùm fuerit faciendum. Quod ut fœliciùs expediamus

1. Videndum quosnam hâc in Controverſiâ *adverſarios* habemus;

2. Genuina propriè dictæ αὐτοφονίας explicanda eſt Natura & Ratio.

1. c. 19. D. Donne in ſuo βιαθανάτῳ. Quod ad primum attinet, ſi noſtratium unum & unicum excipiamus *Adverſarios* habemus αὐτοφονίας non tam *Patronos*, qui eam rationibus & argumentis licitam eſſe probare contendunt, quàm *perpetratores*, qui in eam Satanæ & male-feriatorum affectuum cœco impetu ſe præcipites dare non verentur.

De Civit. Dei l. 1. c. 19. Apud *Gentes* quidem aliquando non ſolùm pro licitâ verùm & pro honorificâ & *heroicâ* habebatur, præcipuè in *Cleombroto*, qui *immortalitatis*, in Lucretiâ, *illâ illâ ſic prædicatâ Lucretiâ* (ut loquitur *S. Auguſtinus*) quæ *pudicitiæ*, in *Catone Uticenſe* qui *libertatis* ergò ſe neci dederunt.

Apud *Hebræos* etiam (teſte *Lyrano* ipſo Judæo) quidam erant qui docebant αὐτοχειρίαν duplici in caſu licitam, imò meritoriam eſſe. 1. Si fiat, ne in contemptum Dei vita ludibrio haberetur, quale quid *Sauli* accidiſſe legimus 1 Sam. 31. 4. 2. Si quis metuat ne tormentorum magnitudine deficeret. His igitur ἀυθεντία dogmaticè ἀυθεντικὴ erat. Reliqui plerique non ratione ducti ſed bruto quaſi impetu protruſi in hoc Barathrum miſerè ſe proruunt. Contra utroſque pugnat hæc Theſis noſtra, quæ ἀυτοφονίαν *illicitam* eſſe pronuntiat.

2. At quænam ea eſt, quæ propriè ἀυτοφονία dici poteſt? Quænam etiam ejus natura & ratio eſt? ut quæ ad rem minùs faciunt præcidamus; non jam agimus de *animæ* internecione niſi quatenus cum exciſione corporis conjuncta eſt, eamque (cum omnium maximè dolenda ἀυτοφονία ſit) καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν reddit: de *corporis*, atque in eo quidem totius *perſonæ* internecione jam agitur. Quæ, cum vel *accidentaliter*, vel *per ſe*, *directè* vel *indirectè*, *meritoriè* vel *efficienter* fieri poteſt, idque quoad *actum* vel *inchoatum* vel *conſummatum*;

Non de *accidentariâ* illâ & præter intentionem agentis jam diſputamus, à quâ peccatum abeſt, ſi abfuerit incuria & negligentia. Sed de eâ quæ *ſcienter* & *volenter* fit, intelligitur quæſtio.

Meritoriè omnis peccator ſui homicida eſt, ut prima *Adami* prævaricatio *homicidii* rea erat & *ſui ipſius* & *omnium*. At hîc de ἀυτοχειρίᾳ *efficienter* dictâ quæritur.

Quæ *directè* efficitur, cum aliquis *ſcienter* & *volenter* id agit, quod vel cognoſcit vel ſaltem cognoſcere poteſt, quòd vel moraliter vel Phyſicè ad mortem propriam rectà ducat, proruit tamen, ſine mortis ſuæ tamen vel intentione vel deſiderio, quod ebrioſis, glutonibus, gladiatoribus & hujuſmodi aliis ſæpiſſimè accidere ſolet. *Directè* verò patratur cum quis tale quid agit *voluntariè* & *ſcienter* (non enim jam agimus de infantibus, fatuis, phreneticis ἀυτοφόνοις) idque eo fine *proximo* ut *ſe interimat*, licèt *ultimatè* aliquid *aliud* ſpectare poterit, ut à *præſenti* malo *liberationem*, vel *præcautionem futuri*.

Hoc inchoatè fit Satanæ tentationes & cogitationes exitiales admittendo, fovendo, deque eo patrando certò apud ſe ſtatuendo, & machinando, quod cum in actum prodit, conſummata res eſt.

Idque

Idque vel *negativè* auferendo vitæ ſubſidia, ut qui inediâ ſe perimunt, ut *Ariſtarchus*; vel *poſitivè* id agendo, quo mortem ſibi conſciſcunt, ut qui laqueo vel gladio.

Hæc omnia, tanquam *illicita*, damnat Theſis noſtra; at præcipuè αὐτοφονίαν *efficienter* ſumptam, eamque *directè* & *conſummatè* perpetratam.

Inter *negativam* & *poſitivam* parùm intereſt; illa ut *malitioſam pertinaciam* magis ſapit, cum lentè fit, ità pœnitentiæ magis locum & tempus dat quò minùs forſan effectum ſortiatur: hæc cum magis ſubito aliquando fiat, ut ex *minùs pertinaci deliberatione* aliquando procedit, ità magis *viam præcludit pœnitentiæ*.

Cum verò αὐτοφονίαν hanc *illicitam* eſſe probaturi ſumus, hæc in anteceſſum præmonenda ſunt.

1. Aliud eſſe hominem ex causâ aliquâ legitimâ *ſe vitæ ſuæ periculo objicere*, quod ſæpè licitè fieri poteſt; imò aliquando factu neceſſarium eſt; ut in bello legitimo, in Patriæ, Principum, amicorum etiam aliquando propugnatione, in Religionis defenſione, profeſſione, & officii ſui adminiſtratione. Aliud ſibi ipſi *mortem conſciſcere*.

2. Aliud etiam *aliorum violentiæ cedere*, & mortem ab hoſtium vel perſecutorum rabie illatam, non patienter ſolùm, ſed & ſitienter & lætanter perpeti; aliud *manus nobismet ipſis inferre*. Hoc noluit Chriſtus, noluerunt Chriſti milites. Illud præſtitit Chriſtus, qui obediens fuit uſque ad mortem Phil. 2. 8. καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Epheſ. 5. 2. Non gravatim ſed cum gaudio præſtiterunt Sancti plurimi, qui ne à neceſſario Dei cultu cum aliorum ſcandalo abſiſterent, ut *Daniel*; ne idola colerent, ut *Danielis Socii*, ne Chriſtum, ejusve fidem abnegarent, ut *Martyres*, *vitam ſuam non amârunt*, vel (ut reddit *Beza*) animæ ſuæ prodigi fuerunt uſque ad mortem Apoc. 12. 11. quamvis illud interim dixerim; cum nulla talis eos urgebat neceſſitas, in primitivâ aliquando Eccleſiâ plurimi plus æquo vitæ ſuæ prodigi cenſendi ſunt. *Dan. 6.* *Dan. 3.*

3. Quod ad ipſam αὐτοχειρίαν attinet, aliud eſt *injuſſu Dei* ſuopte ingenio ſe letho dare aliud id agere, ex quo mors certò ſequitur *ex Dei mandato* vel *aperto*, ut in *Abrahami* filii ſui immolatione, vel *occulto* ut in *Samſonis* ſui interemptione, Spiritus enim latenter hoc juſſerat ſecundùm *Auguſtinum*: quod licèt *Donneo* noſtro miſerum ſubterfugium videtur, veniam tamen dabit, ſi ipſi quàm *Auguſtino* minùs credamus. Sed de hoc plura infrà dicenda ſunt. *De Civit. l. 1. c. 21.*

4. Cum idem Author in eo multus eſt, ut aſſerat nullam externam actionem ſuâ naturâ malam eſſe, ſed ex ſolis circumſtantiis ità fieri, adeòque αὐτοφονίαν in ſe indifferentem eſſe, & ex ſolis circumſtantiis aliquando malam aliquando bonam eſſe, imò legem quæ hanc vetat non abſolutè bonam eſſe, ſed eâdem menſurâ, iiſque reſpectibus, quibus actio quæ vetatur, mala eſt. Dico, quamvis nulla talis Actio *Phyſicè* ſumpta quà talis, mala eſt, *Phyſicè* ſcilicet, quoad eſſe tamen *morale*, quod à *circumſtantiis* naſcitur & conſtituitur, quædam actiones circumſtantias tales ità ſibi inſitas atque formalitati ſuæ indivulsè annexas habent, ut ex *naturâ ſuâ* ſpecificâ *nunquam non illicitæ* eſſe poſſint: quo in numero ſunt in *Deum blaſphemia*, *Idoli Divina adoratio*, & quidni αὐτοφονία iſta ſacerrima? Sanè rogandus fuiſſet αὐτοφονίας Patro- *Donneus. βιαθανατῳ parte 3. diſtinct. 3. §. 3. pag. 174.*

Patronus noſter, qui totus eſt in refellendis argumentis, quibus *illicita* eſſe ab aljis probatur, ut *circumſtantias* illas, in quibus illi *licita* viſa erat magis particulatim exponeret: aliquando quidem, idque obiter & in genere dicit quòd *ad gloriam Dei fieri debet.* Sed dolus latet in univerſalibus. An ad *gloriam Dei* fit, quod *Dei injuſſu*, imò *contra Dei mandatum* fit. An, ſi ex *perverſo judicio* ad *gloriam Dei fieret*, id ad reatum amoliendum ſufficeret? ſi ita, ſuffeciſſet utique eis abſolvendis, qui cum *Apoſtolos* nefariè *peremiſſent, ſe Deo cultum præſtitiſſe* blaſphemè putarunt. Johan. 16. 2.

Sed ad argumenta tandem, quibus Theſin muniamus, & probemus αὐτοφονίαν omninò illicitam eſſe.

Arg. 1. Et primum contra eam præjudicium ex ejus *patratoribus* deſumi poteſt, qui ſi eos ſpectemus, quos Sacra Pagina hujus ſceleris reos agit; quales fuerunt [a] *Saul* cum armigero ſuo, [b] *Achitophel*, [c] *Zimri*, [d] *Judas*, quibus [e] *Abimelechum* annumerare non incongruè poſſumus) omnes impii erant. Non deſunt quidem, qui de *Achitophelis* & *Judæ* alio quàm ſuſpendii mortis genere probabiliter diſputant. [f] Judæi etiam de *Saulis pœnitentiâ* ut & *Origenes* (qui charitate nimiâ de Dæmonum tandem ſalute non deſperat) de *Judæ* etiam benè ſperant. Quem Judam *Petilianus* pro *Confeſſore* & *Martyre* habuit, prout *Judaiſtæ omnis bonæ ſcientiæ authore*, ut apud *Philaſtrium* legimus. Sed de his jam non agimus, ut neque de *Saulis*, vel *Judæ* pœnitentiâ, quam alii aſtruunt, *Donneus* [g] noſter non adeò improbat; de facti ſui (ſi modò factum fuerit eorumque cum id patrârunt (ſi quidem fecerunt) impietate diſputamus, & ne quicquam (ut cordati omnes) dubitamus, ut neque de *Circumcellionum* hoc nomine apud *Auguſtinum* [h] infamium, neque Ethnicorum plurium αὐτοφόνων, quorum Catalogum poſt alios Donneus [i] ſatis longum recenſet. De *Eleazare* & *Raſi* Apocryphis nil dicam. *Samſon* unicus in Sacrâ Paginâ extat, qui ob *fidem* & pietatem ibidem celebratus, [k] ipſe tamen ſibi manus intulit, cum deſtinatò ſeipſum unà cum Philiſtæis eâdem ruinâ obruit. Judic. 16. 28, 29, 30.

Noſtram de eo, factoque ejus ſententiam quod attinet, *pium* eſſe ex Scripturâ credimus, αὐτοφόνον *propriè dictum* eſſe prorſùs negamus.

Nam

1. Cum Auguſtino iteratò dicere nec pudet, nec veremur *Spiritus latenter hoc juſſerat*, quod etſi *Donneus* (vix ſalvâ tanto Patri debitâ reverentiâ) aliquando quaſi *leviculum* rejiciat, aliquando pro *miſero ſubterfugio* habeat, illi tamen qui eum *Judicem* hoc eſt Iſraelitici populi liberatorem extraordinarium à Deo immediatè vocatum eſſe cogitant, quàmque *extraordinariè* & immediatè *Spiritus* Dei Heroas illos *inceſſerat* attenderint, ſi non tanta *Auguſtini* gravitas fuerit ut non facilè contemni debeat, tantum tamen ejus ſententiæ apud æquos æſtimatores erit pondus ut non adeò facilè & contemptim exſufflari poſſit. Quid enim, cum adeò crebrò de *Samſone* recurrant illa וְתִצְלַח עָלָיו רוּחַ יְהוָה Judic. 14. 6, 19: 15. 14. in præclarè geſtis aliis minùs arduis & neceſſariis, num ei abfuiſſe putandus eſt in *actu* iſto *extremo* omniumque difficillimo? vel etiam dubitari poteſt, utrùm *Spiritûs* iſtius, ſive *Dei* ipſius fuerat, ſive *Samſonis heroici* à Deo excitati *impulſus* pro *juſſu* haberi poterit? Neque hoc (ut cum *Sayro* loquar) *divinare* eſt; cum

2. Præter

[a] 1 *Sam.* 31. 4. 5.
[b] 2. *Sam.* 17. 23.
[c] 1 *Reg.* 16. 18.
[d] *Matth.* 27. 5.
[e] *Judic.* 9. 54.
[f] *Grotius & Heinſius in Matth.* 27. & *Act.* 1. *Prateol. l.* 9. *hæreſ.* 30.
[g] *Parte* 3. *diſtinct.* 5. *ſect.* 5. 8.
[h] *De hæreſibus. Gloriam ſibi putant ſi ſeipſos ex petris præcipitarent &c.*
[i] *Parte* 1. *diſtinct.* 2. *ſect.* 3.
[k] *Hebr.* 11. 32. *Vide F. Cappell. in Hebr.* 11. 32. *Pag.* 290. *cap.* 13. 25.
Caſ. conſc. l. 7. *c.* 9. §. 9.

2. Præter hujuſmodi mandatum, auxilium etiam ſpeciale Divinum ad tanti moliminis opus peragendum habuit. Quamvis enim prior ille Author capillorum ſuorum renaſcentiam (quâ par ei operi foret) objicit; cum tamen orationem præmiſit Judicum 16. 28. inde innoteſcere voluit, quòd Divinis non propriis confiſus viribus tantum aggrediebatur opus, ut aliqui rectè annotârunt. In quâ oratione cum idem dicat *Samſonem* aliquid *humani* paſſum fuiſſe, & *propriæ vindictæ* ſe nimis *cupidum* prodidiſſe, hoc tantùm reponi vellem quòd ab hoc convicio abſtinendo meliùs conſuluiſſet tum famæ *Proteſtantium*, quibus hanc notam *Pontificii* (& præ reliquis *Maldonatus*) falſò inurere ſolent, nobis nimirùm ſolenne eſſe facta Sanctorum ad pejorem ſenſum detorquere, tum etiam *charitati*, quæ „ malum non cogitat; ſed cum res dubia fuerit, in ſententiâ ferenda de quibuſvis, præcipuè de Sanctis meliora *omnia ſperat*, & in potiorem ſenſum interpretatur: quod in hâc *Samſonis* oratione dijudicandâ candori ſatis proclivè fuiſſet, ſi eam non de propriæ vindictæ cupiditate, ſed ſui ut Judicis & vindicis populi Iſraelitici adeòque ipſius Dei meliùs expoſuiſſet.

Jud. 16. 22. *Sayrus ubi priùs.* *1 Cor.* 13. 5.

3. Nam illud tertio in loco præcipuè advertendum eſt quod *Symeus* noſter annotavit (qui Tractatum ſatis longum nec minùs accuratum edidit) *Samſon* ut *Judex* populi Iſraelitici ex *officio* ſuo hoc præſtitit, neque eo nomine αὐτοφόνος propriè dictus magis erat quàm miles vel Dux aliquis, qui in patriæ ſuæ defenſione facinus aliquod aggreditur quod ſuis ſaluti, hoſtibus verò ingenti detrimento futurum ſit, quamvis in eo adeundo de morte ſuâ certus fuerit, at hoc per accidens, illud per ſe & ex intentione propriâ: Sic hîc; *Samſon* cum juſtè vellet hoſtes Dei & Eccleſiæ opprimere, concomitanter & per accidens ad propriam mortem operatus eſt. Sic reſpondet *Franciſcus à Victoriâ*: Sic alii. Sed his non opus eſt, cum hoc ipſum loquantur ipſa Samſonis verba ultima, Moriar ego cum Peliſchtæis Judic. 16. 30.

Cap. 18. §. 10. *F. Cappell. in Heb.* 11. 32. *in Relect. de Homicid. ad ultimum.*

Non hîc ultrà proſequar, quæ ad propriè dictæ αὐτοφονίας à Samſone amolitionem afferunt aliqui; de typicâ hoc ipſius facto Chriſti præfiguratione, deque ipſius Dei ejuſdem approbatione in illis (prout videtur) verbis, „ Multôque plures interfecit moriens quàm ante vivus occiderat v. 30. Certè illud dixerim, ſi verba illa operis hujus *commendationem* exhibeant, *Samſonem* à propriè dictæ αὐτοφονίας crimine *abſolvunt*. Illud interim minimè ferendum exiſtimo quòd doctus ille vir dum αὐτοφόνων cauſam nimis ſeriò agit, hoc in rem eorum de *Saule*, *Achitophele*, imò ipſo *Judâ* ſæpiùs inculcat, quòd Scriptura hæc eorum *facta* ipſis *non imputat*, non *expreſſè accuſat*, quaſi vero ea nudè narrâſſe non ſatis accuſâſſe & condemnâſſe fuiſſet.

Parte 3. *diſtinct.* 5. §. 5, 6, 7.

Quod ad *Pelagiam*, *Apolloniam* attinet, virgineſque alias αὐτοχειρας (habet enim & Eccleſia ſuas *Lucretias*) quas S. *Ambroſius* adeò miris laudibus evehit; utriuſque etiam ſexûs alios plurimos quorum *Hiſtoria Eccleſiaſtica* meminit, quoſque *Martyrum* aureolis ornavit *Antiquitas*, de finali eorum ſtatu nil præciſè pronuntiare auſim, ut neque de αὐτοφόνων (exceptis iis de quibus ex S. Scripturâ magis conſtat) ullorum: quâ in re minùs arrident *Symei* noſtri rigores, qui omnes proprii nominis αὐτοφόνους ſpe omni vitæ æternæ eis negatâ in infernum detrudit, idque argumentis (ſaltèm quibusdam) ipſâ ſententiâ ſuâ magis formidandis. Contra, qui cauſam eorum vel pro nimiâ ſuâ humanitate, vel ingenii ſui oſtentandi gratiâ nimis *officiosè agunt*,

De virgin. l. 3. *Euſeb. Hiſt. l.* 8. *Cap.* 18.

flagitioſiſſimæ huic *impietati* fibulam ne dicam impiè, *temerè* tamen & *periculosè* admodùm laxant. Cujus dolendum ſanè exemplum ante duos (quantum memini) annos in hoc ipſo vicinio noſtro extitit, ubi lectio Doctiſſimi illius viri libri prædoni ob latrocinia capitis damnato animum, uti ferunt, addidit, ut epoto veneno, à judice in eum latæ ſententiæ executionem (irrito licèt conatu) præverteret.

Sed ut ad id à quo lapſus ſum redeam, ex dictis jam conſtat omnes in Sacrâ Scripturâ de ἀυτοφονία notatos impios fuiſſe, neque habere alios ex *Samſonis* inſtantiâ, quod nefando illi ſuo ſceleri patrocinetur: ſed ex Sanctorum reliquorum exemplo, quo *mortem* quidem *in deſiderio* habeant, *vitam* verò licèt afflictiſſimam *in patientiâ*. Sic *Simeon* & *Paulus* ſe *dimitti* optant, ſed non vitæ filum ipſi ἀυτόχειρες abrumpunt, ſed à Domino ſuo manumiſſionem præſtolantur. Atque hoc noſtrum primum argumentum fuit, quod quidem in cauſâ iſtâ dijudicandâ tantùm pro *præjudicio* erat.

Argum. Sed cum *Amphora cœpit inſtitui, currente ratâ* nunc *urceus exit.* Præcipua contra ἀυτοφονίαν argumenta ab *effectis* ejus peſſimis, à *cauſis* (ſi fieri poſſet) pejoribus ducenda erant; ſed omnium efficaciſſima ex *objectis* contra quæ per eam peccatur, contra *Deum*, ejuſque imaginem, authoritatem, bonitatem; contra *homines*, Eccleſiam, Rempublicam, proximos, amicos, omnes; contra ἀυτοφόνον *ſeipſum* ejuſque corpus, animam, perſonam totam. Sed quia Author ille priùs notatus in eo totus eſt, ut probet ἀυτοφονίαν non eſſe contra *Naturam*, *Rationem*, *Legem Divinam* vel *Moſaicam* vel *Evangelicam*, illud præcipuè probandum erat, eam his omnibus ex adverſo eſſe oppoſitam. Sed hæc omnia vel omittenda penitùs vel donec ſe obtulerit occaſio, amplianda. Illud ſemel dictum ſit „ Non occides; hoc eſt, non hominem, ergo non teipſum. Sic *Auguſtinus*, „ non alterum, ergo non te, neque enim „ qui ſe occidit, alium quàm hominem occidit, de Civitate Dei lib. 1. c. 20. Ergo cum eodem *Auguſtino* ejuſdem libri cap. 26. „ Hoc dicimus, hoc aſ„ ſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mor„ tem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales ne incidat „ in perpetuas; neminem propter àliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere „ graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum. neminem propter „ ſua peccata præterita, propter quæ magis hâc vitâ opus eſt, ut poſſint pœ„ nitendo ſanari; Neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mor„ tem ſperatur, quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.

Οὐκ ἂν γένοιθ' ὅμαιμ@ ἀυθέντης φόν@. Æſchyl. in Eumen.

QUÆST. XXI.

Verè fideles certi eſſe poſſunt de ſalute.

De Juſtif. l. 3. Cap. 2. UT de genuino hujus Controverſiæ ſtatu meliùs conſtet, quem à noſtris Theologis malâ fide inſtitutum eſſe conqueritur *Bellarminus*, perpendendi atque explicandi primùm veniunt hujus Theſeôs termini, qui ſic ſe habent *verè fideles certi eſſe poſſunt de ſalute.*

Verè

Verè fideles; hoc eſt verè jam *converſi & regeniti*, ac *verâ fide Chriſto inſiti*, atque hi *ſoli*. Nobis enim calumniatur *Bellarminus*, cum ait nos ex doctri- *ibid. Cap. 1.*
nâ de juſtificatione per Chriſti juſtitiam fide apprehenſam colligere & *poſſe* & *debere omnes* certò ſtatuere ſe eſſe juſtos. Et ineptit, quòd toties hypocritarum & aliorum impiorum (qui de fide & ſalute ſua falſò perſuaſi ſint) exempla nobis opponat, ut inde & verè fideles de ſua certos eſſe non poſſe probaret. Imò verò *ſolos verè & actu fideles* aſſerimus hoc poſſe.

Non *Reprobos* ullos, quibus deeſt certitudo *objectiva* utpote rei nunquam futuræ, cujus nulla unquam futuræ, cujus nulla unquam eſſe poteſt certitudo *ſubjectiva*, niſi de nunquam futuro de præſenti certi eſſe poſſimus tanquam omninò futuro, quod contradictionem implicat. De re tali (ut cum *Bellarmino* loquar) *perſuaſi* (idque falſò) dici poſſunt, at neutiquam *ibid. Cap. 2.*
certi, cum *veritas* & *certitudo intellectûs* ſimilem *rei*, tanquam ſui fundamentum, poſtulet tum *veritatem* tum *certitudinem*. Negamus ergo de ſalute ſuâ certos fieri poſſe *Reprobos*.

Imò nec Electos *nondum Regenitos*, & *actu* verè fideles; Quamvis enim eorum ſalus ab æterno objectivè certa fuerat ut certiſſimè tandem futura, eos tamen adhuc irregenitos *certitudine ſubjecti* de *ſalute ſuâ certos* eſſe poſſe (nedum *debere*, quod nobis impingit *Bellarminus*) nunquam diximus, ne cogitavimus unquam. Cum

Neque de *gratiâ* jam certi eſſe poſſunt, quæ adhuc nulla eſt, quæ tamen prima tum *Electionis* præcedentis tum conſecuturæ *ſalutis* evidens demonſtratio eſt, ut ex eâ tanquam ex ſemine de ſalute tanquam de fructu ejus dulciſſimo certè tandem naſcituro *ratiocinandi* certiores fieri poſſint.

Neque ex *Revelatione Divinâ* ipſis (ſaltem dum in eo ſtatu fuerint) vel factâ vel faciendâ unquam; cum *Revelatio* hujuſmodi, ut ſanctiſſimæ ſapientiſſimæque Dei Oeconomiæ minimè conſentanea, ità gratiæ & exin *ſalutis* eorum magis *impeditiva* quàm *confirmativa* futura eſſet.

Non ergo *omnes* (ut *Bellarminus* de nobis mentitur) non *Reprobi*, non *electi nondum Regeniti*. Sed *verè fideles*: hi *ſoli*, quin & (ut illud addam) hi *omnes*: quod enim in numero plurali (*verè fideles*) dicitur, indefinitè & univerſaliter intelligitur de omnibus omninò verè fidelibus. At quid illud demùm

Certi eſſe *poſſunt*. Ubi quatuor notanda,

1. Quòd *poſſunt*, non quòd ſemper ſint. Falſò itaque, ne dicam malitioſè nobis imponunt *Pontificii*, & inter reliquos *Pererius* acſi fidelem quem- *in Rom. 3.*
libet diſcuſſa ex animo omni dubitatione ità ſemper de gratiâ & ſalute ſuâ certum eſſe diceremus, ut ſi vel parùm dubitet, is non ad Deum, ſed ad Diabolum pertineat.

Cui eorum calumniæ piè admodùm & ex omnium piorum ſenſu reſpondet *Chamierus* noſter „ Abſit ut adeò ignoremus humanam infirmitatem, ut *Tom. 3. lib.*
„ fidem ponamus extra omnis tentationis ſenſus. Sentit, ſentit illa profectò, *13. c. 1. §. 6.*
„ nec rarò miros motus ab indignitate ſuâ, à Satanâ & ità ſentit, ut non poſ-
„ ſit non affici, atque adeò vacillare & fermè deſperabundæ ſimilis eſſe. Hæc
„ ille piè admodùm & veriſſimè. Nam vel in Converſionis primordiis, non- *Hoc inſenſu*
dum confortato fidei oculo, vix dum exorto *Sole Juſtitiæ*, res crepera eſt, *Bernardus*
nondum depulſis tenebris, quæ poſtea forſan, urgente Satanæ tentatione *Epiſt 107.*
dicit, nos gla-
riari in ſpe,

nondum tamen in ſecuritate. At in verè fidelibus quandam de preſumptione veniæ naſci ſecuritatem agnoſcit Gregorius Epiſt. lib. 6. cap. 23.

vel quod *Davidi* miſerè accidit) conſcientiam turbante & maculante peccato aliquo ſaltèm fœdiori, citiùs & frequentiùs redeunt, ut aliquando vel „ Dominum timentes in tenebris ambulent, neque ipſis lumen ſit. Iſai. 50. 10. In horum caſuum uno an *Fideles* de ſua *gratia* & *ſalute* certi eſſe *debeant*, aliqui contra *Antinomos* diſputant, certè aliquando *in ſenſu conjuncto certi* eſſe *non poſſunt*, ſaltèm *non ſunt*. Adeò ut licèt *Chamierus* de verè fideli dicat, „ nunquam non credit ſi nunquam non credit ſuam eſſe ſalutem, ſtatim tamen ſe ità explicat quòd „ credendo pugnat, credendo vincit. Quamvis etiam *Maccovius* juſtificationem paſſivam atque fidem juſtificantem in *ſenſu Divini amoris* (non ità rectè, ut opinior) ponat, quem etiam unquam penitùs tolli negat, ità tamen verè fidelem aliquando turbari concedit, ut non *ſentiat* ſe *ſentire*. At Theſis hæc noſtra non dicit quod ſemper certi ſint, ſed quod *eſſe poſſunt*.

Ubi priùs.

Loc. com cap. 72. pag. 791. 792.

2. Neque hoc *potentiâ remotiſſimâ*, quatenus ſalutis abſolutè & ex longinquo capaces eſſe poſſunt, quo modo vel impii, ſi modò Novi Fœderis conditionem ſuſcipiant & adimpleant, *conditionaliter* de ſalute ſuâ certi eſſe poſſunt, quæ ferè tota certitudo *Pontificia* eſt: ſed *potentiâ proximâ*, imò *actu* cum *conditionem* ſibi & in ſe jam præſtitam ſentiunt, de *gratiâ* præſenti, & futurâ *ſalute actu* & *poſitivè certi* eſſe poſſunt.

Talem ad certitudinem de alterius ſalute neceſſariam eſſe fatemur, non ad noſtræ.

3. Neque hoc ſolùm per *Revelationem ſpecialem* & *extraordinariam* ſibi factam, quod *Pontificii* non ægrè concedunt, ut non variis iiſque manifeſtis exemplis à noſtris premuntur, quo elabantur habeant; ſed per *media ordinaria fidelibus omnibus communia*, non ſine *ſpiritûs* tamen *revelatione*, at eâ *ordinariâ*, quem πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως hoc in ſenſu vocat Apoſtolus Epheſ. 1. 17, 18. quamque Revelationem *Epheſiis* reliquisque *fidelibus communiter* indultam interpretantur non Noſtri ſolùm, ſed *Eſtius*, *C. à Lapide*, & *Pontificii* alii.

4. Non ſolùm *poſſunt*, ſed & *debent*; *debent* inquam, ſaltem ad hanc certitudinem aſpirare, & quantum poſſunt contendere. Pro quâ enim Apoſtolus in eorum gratiam oravit (quod ibi facit) ad ejus aſſecutionem ipſis ex officio enitendum erat. Quod *Pontificiis* adeò ſupervacaneum, imò illicitum eſt ut *Concilium Tridentinum* Seſs. 6. Cap. 9. hoc quaſi ex Tripode edat Oraculum „ Sed neque eſt illud aſſerendum, oportere eos qui verè juſtifi- „ cati ſunt abſque omni dubitatione apud ſeipſos ſtatuere ſe eſſe juſtificatos. Imò *Dominicum Soto* non puduit aſſerere *quemlibet fidelem teneri dubitare an hoc beneficium acceperit*. Eat igitur *Bellarminus*, & pro imperio ſuo Cardinalitio *Calvinum* & *Chemnitium apertiſſimè mentiri* (ipſe Calumniator interim maledicus) dicat, quod ille ſcripſit „ Patres Concilii miſcere dubitationem cum fide (nonne illi eam *cum fide miſcent*, qui *fidem abſque omni dubitatione* „ eſſe nolunt?) quòd hic dixerit *Concilium Tridentinum* facere dubitationem „ virtutem fidei & ornamentum, quod *Chemnitium* ἀυτολεξεὶ dixiſſe nuſpiam conſtat; vel ſi dixiſſet, neque illud malè quidem, cum *Soto*, qui *Concilii* illius pars magna fuit, *fidelem teneri dubitare* non dubitet aſſerere.

De juſtif. lib. 3. cap. 2.

3° Cum Theſis ait fidelem *certum* eſſe poſſe de ſalute, pauca de *certitudine* iſtâ prælibanda ſunt. Ea verò cum (definitore *Bellarmino*) „ firmitas quæ- „ dam ſit & infallibilitas veritatis, cumque ea veritas ſit vel *rei*, vel *intellectûs* & aſſenſûs noſtri, hinc duplicem certitudinem ponere ſolent, *objectivam*

De juſtif. lib. 3. cap. 2.

unam,

unam, *ſubjectivam* alteram, quarum illa in *rei* ipſius *certâ in ſe veritate* conſiſtit, hæc in *noſtrâ* de eâ *certâ perſuaſione* & certioratione. De hâc poſteriori in hâc controverſiâ agitur juxta omnium (quas novi) ſententiam uno excepto *Dominico Soto*; qui Lib. 3. de Naturâ & Gratiâ Cap. 10. ubi hanc Quæſtionem tractat, poſtquam certitudinem ex duobus æſtimari poſſe dixerat, ſcilicet vel ex objecto, vel ex ſubjecto, certitudinem ex parte *objecti* eam eſſe dicit cujus *aſſenſus non poteſt eſſe falſus*; certitudinem autem ex parte *ſubjecti firmitatem aſſenſûs illius rei* eſſe vult, quam quis ſibi perſuadet *omni depulſâ dubietate* propter ſibi apparentem veritatem, atque inde concludit quæſtionem hanc non de certitudine ſubjecti intelligendam eſſe illud enim pro errore puerili habet, quo nonnullos laborare inter diſputandum ſe videre dicit, quia aliquis vel ex levitate (ut fatuus) vel ex pertinaciâ (ut hæreticus) tam firmum habet aſſenſum, & judicio ſuo tam certus eſt de re falſâ quam Chriſtianus de fide Catholicâ, vel Articulis fidei. Sed nimis acutus eſt *Doctor* iſte noſter *Segobienſis*. Nam neutra hæc certitudo *rei* eſt in ſe, quam alii *objectivam* vocant, ſed utraque *ſubjecti* & *hominis* eſt, vel de *re*, ut prior, vel de *ſuâ perſuaſione* & conceptu, ut poſterior. Miſſa ergo hâc *Dominici* argutiâ, de certitudine iſtâ, quæ in præſenti hâc quæſtione ſpectatur, dicimus,

1. Non *objectivam* illam rei in ſe, id eſt ſalutis fidelium intelligi: illa enim cum ex æternâ & immutabili Dei *electione* pendeat, in æternum *certiſſima* eſt: Idque iis eam ignorantibus, non advertentibus, de eâ ambigentibus, imò nondum regenitis; ſecundum illud Apoſtoli 2 Tim. 2. 19. „Firmum, „ſolidum fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc, Novit Dominus qui „ſui ſunt, *ipſi* licèt hoc *neſciant*. Tantùm igitur, & de *ſubjecti certitudine* hîc agitur, & de *fidelis* apud *ſeipſum* de ſalute ſuâ certioratione.

2. Certitudinem hîc intelligimus non *languidam*, *fallibilem*, *conjecturalem*, qualem verè fidelibus concedunt *Pontificii*, ſed *firmam*, *ſtabilem*, *infallibilem*, quæ vel ordinariè vel ſaltèm dum fidem alunt, pœnitentiam agunt, & coràm Deo magis indivulsè ambulant, non tantùm omnem anxietatem excludit, ſed & omnem *formidinem contrarii*.

3. Hinc etiam *certos* eſſe poſſe aſſerimus non ſolùm *certitudine ſpei*, ut loquuntur *Pontificii*, ſed & *fidei*. Hæc quidem diſtinctio *Romanenſium* eſt, non noſtra, reverâ *nulla* eſt. Cum enim *ſpes* viva genuina proles veræ *fidei* ſit, quæ noſtra vita eſt, eadem prorſus, vel ſaltem *æqua*, utriuſque *certitudo* eſt. *Rom.* 8. 24. *Heb.* 6. 19. Sed cum Adverſariis eorum more aliquantiſper loqui liceat: hi verò certitudinem *ſpei* vocare ſolent, cum adhuc *dubii* licèt, certè nondum infallibiliter certi de ſalute noſtrâ, ex Dei indulgentiâ *benè ſperamus* tamen: at nos non talem ſolam *ſpei certitudinem* aſtruimus ſed & *certitudinem fidei*, cui *nequit ſubeſſe falſum*. Cum enim duplicem *certitudinem* ponat *Bellarminus* vel *evidentem*, ut principiorum & intellectûs, vel concluſionum & ſcientiæ, vel ſenſuum & experientiæ, vel *obſcuram*, ut vel fidei ex *authoritate* Dei, vel humanam ex *hominum teſtimonio*; vel ex ſignis conjecturalibus: nec *fidelium* de *ſuâ ſalute certitudinem* niti dicimus partim *teſtimonio Divino magis immediato*, cum „Spiritus conteſtatur cum Spiritu noſtro nos eſſe filios Dei, quæ *certitudo fidei* maximè propriè dici poteſt cum immediatè ſit ex revelatione Divinâ; partim *Divino teſtimonio de ſalute fidelium in genere de fide certo*, median- *de Juſtif. lib. 3. cap. 2.*

te diſcurſu ex *certo conſcientiæ* noſtræ *teſtimonio*, & *evidenti* in nobis fidei *experimento* nobis in particulari applicato. Atque ità Concluſio & *fidei certitudinem* & *experientiæ evidentiam* ſimul complectitur: unde non *conjecturalis* ſed *certitudinalis* πληροφορία oritur, quæ *certitudo fidei* rectè dicitur.

4. Cum verò hanc *certitudinem fidei* vocamus, non tamen *eandem* prorſùs certitudinem eſſe volumus, eive omninò *æqualem*, quam de *Articulis fidei in Sacrâ Paginâ palàm ſcriptis* habemus, ut de Chriſto nato, crucifixo, & his ſimilibus. Pro his enim qui orat ut fiant, fidem abnegat. At pro peccatorum remiſſione jam indultâ petere & licitè poteſt, & ex mandato debet fidelis quilibet. De illis etiam, cum ex ſolo Divino teſtimonio (cui contradici nequit) conſtant, magis & plena & conſtans fides eſt, dum de noſtrâ ſalute & peccatorum remiſſione certitudo pro fide noſtrâ, vel firmâ, vel infirmâ & peccatis infirmatâ, major vel minor eſſe poteſt. Malè ergo *Dominicus Soto* quæſtionem hanc eſſe ſtatuit de *certitudine quanta eſt fidei Catholicæ*; ut adeò certus quis ſuæ propriæ juſtificationis ſit, quàm eſt Chriſtianus de Articulis fidei. Quæ, ſi *Catharini* vel aliquorum aliorum ſuorum *Catholicorum* ſit ſententia (quod *Dominicus* ibi aſſerit) certè *verè Catholicorum* i. e. *noſtrorum* non eſt. Nam aſſerimus quidem certitudinem, non *talem*, non *tantam* tamen: (at *infallibilem* interim, & citra ſpecialem revelationem, *per media ordinaria*) ut aliquoties minimè ex *infirmitate* ceſpitet, nedum vel ex *anxitate*, vel timore contrarii *labefactetur*.

Vide D. Ward de fide juſtificante &c. c. 34. p. 242. ad finem.

Vide duas Epiſtolas MS. Anglicas Drⁱ Davenantii.

De naturâ & gratiâ lib. 3. cap. 10.

4. At quâ de re tandem eſt iſta certitudo? Illud ultima Theſeos verba nobis exhibent, fideles certos eſſe poſſe

De ſalute. Hoc eſt

1. De *ſuâ & propriâ* (quod quæſtioni addendum erat) non *alienâ*, de quâ nobis ordinariè infallibiliter non conſtat.

2. Atque ideò non ſolùm *fide hiſtoricâ* & *dogmaticâ*, quâ certi ſumus de *ſalute verè fidelium in genere* quò miſerè detorquet *Bellarminus* plura, quibus noſtri validè impetunt Adverſariorum ſententiam, ſed *fide ſpeciali*, quâ de *noſtrûm* & *propriâ* certioramur *ſalute*.

3. Et cum *Salutis* vox latiùs pateat, & non ſolùm gloriam futuram, ſed & *Adoptionis*, Juſtificationis, *Sanctificationis* gratiam præſentem, imò ab æterno *Electionem* ambitu ſuo contineat, nos hos *omnes*, earumque *certitudinem* Theſi hâc complectimur, & propugnamus,

Tum contra *Remonſtrantes*, qui licèt de *præſenti gratiæ ſtatu* verè fideli *certitudinem* hujuſmodi munificè largiantur, dum verò hujuſmodi fidelem *à gratiâ totaliter & finaliter excidere poſſe* tenent, de futurâ omninò perſeverantiâ adeòque & *gloriâ* eum ſimiliter *certum* eſſe *poſſe* aſſeveranter *negant*, & in contrarium acriter digladiantur:

Tum præcipuè contra *Pontificios*, qui *certitudinem* hanc, non ſolùm de olim præteritâ Electione & futurâ gloriâ, ſed & de gratiâ præſenti & peccatorum remiſſione *communiter* inficiantur. *Communiter* dixi: non enim *omnium* Pontificiorum eadem eſt hâc de re ſententia. Nam famoſa admodùm eſt circa eam *Ambroſii Catharini* cum *Dominico Soto* digladiatio, & nota ſatis eſt Authoris *Enchiridii Colonienſis*, vel *Bellarmino* fatente, ut & *Eiſengrenii* ac Romanenſium aliorum de eâ ſententia.

At plures *Bellarmino* σύμψηφοι ſunt, qui licèt de ſalute verè fidelium in genere

genere certitudinem fidei Catholicæ concedant, & quod ad fideles ſingulos attinet, ipſiſque ſigillatim applicandam ſalutem, quamvis quoad hoc *ex parte Dei* de certitudine propenſæ illius in nos gratiæ minimè dubitent, cum tamen *ex parte noſtrâ* ex diſpoſitione noſtrâ etiam pendeat, de quâ an omninò recta ſit non infallibiliter conſtat, ſcilicet utrùm verè credamus, pœnitentiam agamus, ex toto corde Deum amemus, & his ſimilia, ideò de ſalute noſtrâ *certitudinem ſpei*, id eſt, moralem, *conjecturalem* atque aliquando firmiorem nos habere poſſe fateantur; at, citra *ſpecialis Revelationis* privilegium Sanctioribus aliquibus indultum, *fidelem* aliquem de *ſalute ſuâ certitudine fidei* infallibiliter *certum* eſſe *poſſe*, id verò pertinaciter negant à Patribus ſuis *Tridentinis* ſic edocti, qui Seſſ. 6. cap. 9. hanc decretoriam ſententiam ferunt, „ Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordiâ, de Chriſti merito, de„ que Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet, ſic quilibet dum „ ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de „ ſuâ gratiâ formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine „ fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum ſe gratiam Dei eſſe conſecutum. Contraque ſentientes *Anathemate* feriunt. At nos *bruta* hæc nil morati *fulmina*, intrepidè aſſerimus *verè fideles ſenſu* jam explicato *certos eſſe poſſe de ſuâ ſalute.* *Et quæ opinionis eſt potiùs quàm fidei aſſerente Bellarmino lib. 3. cap. 2.* *Canon. 13, 14, 15, 16.*

Quod ſic probamus.

Ab eſſe ad poſſe valet conſequentia. At multi fideles de ſuâ ſalute certi olim *fuerunt*, jam *ſunt*. Ergo de eâ certi eſſe *poſſunt*. Quid? Annon illa S. *Jobi* huc faciunt? „ Scio quòd Redemptor meus vivit, & in carne meâ videbo „ Deum. cap. 19. 25, 26. *Davidis* illa, „ Propter hoc lætatum eſt cor „ meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, „ quoniam non derelinques animam meam in inferno &c. Pſal. 16. 9, 10, 11. „ Ego in juſtitiâ videbo vultum tuum, ſatiabor cum expergefiam ſimilitu„ dine tuâ Pſal. 17. 15. Tœdet plura hujus generis de *Iſaiâ*, *Jeremiâ*, *Hezekiâ* referre. Illud unicum S. *Pauli* adjicere liceat 2 Tim. 4. „ Certamen il„ lud præclarum decertavi, curſum peregi, fidem ſervavi. Quod reliquum „ eſt, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo „ die, juſtus ille Judex &c. Quorum *priora* illa, eum de *gratiâ*, *poſteriora* hæc de *gloriâ* futurâ *certiſſimum* eſſe clamant. Quid ad hæc *Pontificii*? Num (ut ſolent) hæc ad *ſpecialis Revelationis* privilegium his ſolis indultum referenda dicent? At quâ fronte, quo argumento, quo colore? quis illis hæc gratis dicentibus credet? Cum nil tale compareat, cum *Paulus* ſine Revelatione ſpeciali *ex Dei juſtitiâ* ſibi coronam reddendam cognoverit: cum etiam hujus beneficii participes *fideles reliquos* quaſi de communi ſorte ubique facit, quos *Spiritu* illo *promiſſionis obſignatos*, *hæreditatis ſuæ primitiis*, *Arrhabone*, *pignore donatos* fuiſſe affirmat, quibus *conſcientiæ pacem*, in *ſpe gloriæ Dei gloriationem*, παῤῥησίαν καὶ προσαγωγὴν τῇ πίστει ἐν πεποιθήσει, πληροφορίαν etiam τῆς πίστεως tribuit Rom. 5. 1, 2. Epheſ. 3. 12. Heb. 10. 19, 20. ad quos ut *ſeipſos probent & explorent an Chriſtus in ipſis fuerit* 2 Cor. 13. 5. 1 Cor. 11. 28. ut *vocationem & electionem ſuam firmam efficerent* 2 Pet. 1. 10. hortatio dirigitur: qui de hoc in Evangelio & ex praxi Eccleſiæ interrogantur, qui hoc εἰδέναι, γινώσκειν ſœpiſſimè à S. *Johanne* dicuntur, ut & *corda* eorum πεπεῖσθαι βεβαιοῦσθαι Rom. 8. 38. 1 Johan. 3. 19. 2 Cor. 1. 21. Hebr. 13. 9. qui de hoc gratias Deo egiſſe Pſal. 103. Col. 1. 12. qui denique *jam ſervati* eſſe dicuntur, *Argum. 1.* *Epheſ. 1. 13, 14.* *Rom. 8. 23.*

dicuntur, *ſpe* ſcilicet, eâque *vivâ*, non evanidâ, non *Pontificiâ* Rom. 8. 24. 1 Petr. 1. 3, 4. Num hæc omnia & plura his ſimilia de ſalute λεπτὴν ἐλπίδα *ſpem languidam* & *fidem* tantùm *dogmaticam* de *ſervandis in genere fidelibus* loquuntur? quam vel ipſe Diabolus, homines omnium maximè impii, imò penitùs deſperantes habere poſſunt, atque ideò deſperant magis quòd à ſalute illâ, cujus alios participes futuros credunt, ſeipſos excluſos ſentiunt.

Argum. 2. Quod pro ſecundo Argumento eſſe poteſt ab ipſa juſtificantis fidei naturâ aſſumpto, quæ ut *Chriſtum Salvatorem, qui vita* eſt, recipit, unà cum eo *vitam* recipit & *ſalutem*, cujus æquè ac Chriſti certa eſſe poteſt & debet Heb. 10. 39. ut meritò dixerit noſtrûm aliquis, „ Si quis neget talem fidem in
Davenant. Determ. q. 3. „ ullius hominis corde vigere, is negat Chriſtum habere Eccleſiam in terris, „ & prodit ſe nec verè fidelem eſſe, nec verum Chriſtianum, Certè *Pontificii* eò quòd hanc certitudinem non habeant, eam aliis negant, nobis invident: at vix perſuadebit (ſpero) ſimia animalibus reliquis ut caudam ſibi præſcindant, quia eâ ipſa careat.

Argum. 3. Heb. 3. 6. Imò contrà (monente Apoſtolo) τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν, quæ tam firmis, tam immotis nititur fundamentis; quæ certitudinis hujus argumentum invictum, utpote ex cauſis & tibicinibus ejus deſumptum, ſuppeditant, Dei dico *promiſſiones*, *ſacramenta*, Spiritûs Sancti *gratiam ſanctificantem*, ut & *Teſtimonium*, cum & *ſpiritui noſtro conteſtatur* rerum ſuarum cognitori & teſti idoneo, quæ omnia licèt *Pontificii* ſtrophis ſuis eludere conantur, operâ tamen fruſtraneâ, ut Theologi noſtri egregiè oſtenderunt. Concludo omnia cum illo *S. Hilarii*,
Canone 5. in Matthæum. „ Regnum Cœlorum, quod Prophetæ enunciaverunt, Johannes prædica„ vit, Dominus noſter in ſe eſſe poſitum eſt profeſſus, vult ſine aliquâ incer„ tæ voluntatis ambiguitate ſperari: alioquin juſtificatio ex fide nulla eſt, „ ſi fides ipſa ſit ambigua..

QUÆST. XXII.

Credentes tenentur ad obedientiam Legis.

Eccleſ. Angl. Artic. 7.

PErrupto ſemel à primis parentibus Divini mandati repagulo, eò demùm proceſſit effrœnis hominum protervia, ut quò magis cohiberi contigerit, eò magis ferociat, nihilque minùs æquè ferre poteſt, quàm obſtinationis ſuæ ſufflamina, non ſecus ac ferociens equus ---*fræna ſpumantia mandit*, vel canis rabidus catenam mordet, vel rapidus denique aquarum decurſus obice poſito, querulo intumeſcit imò exundat murmure. Hinc eſt quòd de quibuſdam olim legimus, qui vel in Evangelii *Sermonem impegerunt* 1 Pet. 2. 8. eò quòd depravatiſſimis mentium vel cordium ſuorum placitis obſtaculo, atque eo nomine *offendiculo* fuerit. Cum vero *Lex* diſtrictè jubendo, vetando vagis, feriſque carnis cupiditatibus limites & cancellos figat, eò ferociùs in eam inſaniunt, & impetum faciunt: ut iis ſatis non ſit, quòd ab eâ *longè abſint* Pſ. 119. 150. quòd eam *audire* Iſa. 30. 9. *in ea ambulare renuant* Pſ. 87. 10. quòd ejus *obliti* Pſ. 119. 139. *deſertores* v. 53. *transgreſſores* fuerint

Dan.

Dan. 9. 11. ſed eam inſuper *ſpernunt* Am. 2. 4. *rejiciunt* Jer. 6. 19. *ei vim inferunt* Ezek. 22. 26. Zeph. 3. 4. atque ità tandem הֵפֵרוּ διεσκέδασαν (ut LXX.) vel ἠκύρωσαν (ut Scholia) eam omninò diſſipant & *irritam faciunt*; Pſal. 119. 126. יִמְאַסוּ דָּמֵן

Contra projectitium quendam librum ignoti cujuſdam hæretici, quem *Adverſarium Legis & Prophetarum vocat*, *Auguſtinus* ſuo tempore duos libros edidit. At longè vetuſtius hoc fermentum fuit: à *Simone Mago* uſque Hæreſiarchâ primo & primario manavit virus hoc in *Valentinum*, *Cerdonem*, *Manetem*, eorumque ſequaces antiquos, quorum damnati diùque altiùs defoſſi cineres priore ſæculo infauſtè admodum in *Johanne Agricolâ Iſlebio* reviviſcere cœperunt. *Quintini* poſteà *Coppini*, *Pocquii*, *Bertrandi*, *Perſevalli*, *Suenckfeldii*, *Davidis Georgii*, & noſtrâ tandem, proh dolor, ætate, *Libertinorum*, *Antinomorum*, aliorumque ejusdem fœcis infrunitorum hominum oculos animas perſtrinxerint, ut *Legem* ad *Curiam Romanam*, non *conſcientias Chriſtianorum* ſpectare dixerint, quam omni jam nos vel *obligandi* vel etiam *dirigendi*, poteſtate exuunt, adeòque eâ, eique obedientiâ debitâ omnes, præcipuè *Auditores*, electos, maximè omnium *Macaros* ſuos, (uti vocant) exemptos audacter pronuntiant. Fanaticorum horum maculam *Luthero*, *Calvino* & Reformatis reliquis affricare ſatagunt *Vaſquez* in 12^æ. q. 96. a. 5. Diſputatione 66. cap. 1. *Suarez* lib. 10. de Legibus cap. 1. *Bellarminus* de Juſtificatione lib. 4. cap. 1. quam hoc ipſo in loco aliquando ſatis abſterſimus. Agnoſco quidem à *Luthero* pro ingenio ſuo ſatis fervido (dum dulciſſimum illum de Juſtificatione ex ſolâ gratiâ ac fide articulum unicè ferè excoluit, ex quo cruentatus ejus priùs animus tantum ſolatium hauſerat) plura de *Lege quaſi abrogatâ* fortiùs, incautiùs, imò & *audacius* dicta eſſe; atque hoc ipſum eo ſolo nomine, ne ab eâ *juſtificatio* peccatoris expectanda foret, vel ejus *minis* verè pœnitentium *cruentarentur* conſcientiæ, hocque etiam nondum pullulante vel ſaltèm graſſante *Antinomorum* peſte. Cum primùm enim ea virus ſuum latiùs diffuderat, ille ſcriptis ſuis poſterioribus non ſolùm cautiùs locutus eſt, verùm *Legis authoritatem* acerrimè propugnavit. *Iſlebium* ipſum Palinodiam canere compulit, *Antinomorumque* reliquorum inſaniam (ut ipſius verbis utar) coercuit. *Bellarminus* ergo in *Lutherum* tam fœdè deturpando candorem deſiderarem & charitatem, niſi quod ex doctrinâ ſuâ *fides* (ſaltem *Pontificia*) à *charitate ſeparari* & poteſt & ſolet. At *Calvinum* (qui, ut *Auguſtinus* olim contra *Adverſarios Legis*, contra hos ipſos duos integros Libros ſcripſit) quaſi huic blaſphemiæ affinem calumniando mirer an deteſter potiùs impudentiam? Non ſolùm igitur ad *Antinomorum* hæreſin profligandam, ſed & *Pontificiorum* nobis immeritò factam contumeliam diluendam, adeòque verè *Proteſtantium* omnium tam *doctrinam* quàm *famam* illibatam ſartam tectam conſervandam Theſis hæc noſtra exertè dicit, *Credentes teneri* ad *legis obedientiam*.

Auguſtin. contra Adverſarium Legis &c. Lib. 1. c. 1. in initio. Tom. 6.

In Determinat. pro Gradu Doctoris, quam vide.

Ipſos (inquam) *credentes* vei fideles

Imò *quia* fideles: *Fides* enim qui nodum *ſtringit*, non ſolvit.

Imò fideles *ſub Evangelio*: de fidelibus enim *ſub Lege*, quibus Lex data fuit, nil dubii eſt. *Fideles* inquam, *ſub Evangelio*, teſte ejus præcone illo primario, νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. Rom. 3. 31.

Quidni & addam *verè credentes*; *Reformati* omnes, qui cum Paulo

1 Cor. 9. 21. „ ſubleges licèt Chriſto ſimus, *non* tamen *exleges Deo* Juſtificationem quidem ex obedientiâ Legi à nobismet ipſis præſtitiâ non expectamus; Legi tamen præſtandam obedientiam docemus, vovemus, conamur, & quò magis fideliter & alacriter.

Legi interim, non *Judæorum* olim *Ceremoniali* & *Leviticæ*; cujus *umbræ*, exorto jam Sole juſtitiæ, evanuerunt, quibus ſi etiamnum immorari velimus, *umbra mortis* forent. Heb. 10. 1. Gal. 5. 2. Col. 2. 17.

Neque *Politica* & *forenſi* illi (quam *judicialem* vocare ſolent) cum enim hujus Legis præcepta in duplici diſcrimine erant 1. vel *de rebus immutabilibus* & omnium *Gentium communibus*, vel ad *populi illius genium* & *politiam* externam accommodatis. 2. Quædam eorum *Legi Ceremoniali* pro *ſepimento* erant, quædam verò *Legi morali* & *Decalogo* muniendo, & ſarto tecto conſervando: quæ *Legi Ceremoniali* ſubſerviebant neceſſe eſt una cum *Ceremoniis* illis ſimul deſinant, quæ etiam populi illius politiæ & regimini externo famu-
Gen. 49. 10. labantur, cum jam olim *Sceptrum ablatum ſit de Judâ*, & *Dux de fœmore ejus*,
1 Pet. 2. 13. eo abolito, ut Chriſtiani (qui permittente, imò jubente *S. Petro πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει* in obſequium liberi ſunt) huic adhuc aſtringantur, minimè æquum cenſendum eſt. At quatenus eorum aliqua *Legem moralem* tutando erant, & de rebus immutabilibus atque omnium Gentium communibus Legem tulerunt, & *moralem æquitatem* in ſe habebant, non denegandum eſt quin *Fideles* etiam *ſub Evangelio* aliquatenus & ſpectent & *obligent*, atque ità in Chriſtiani hominis officio obeundo à Theologis quâ Antiquis quâ Recentioribus allegari & urgeri ſolent. At de obligationis hujus *ratione* & fundamento non eadem eſt omnium ſententia.

Quòd *vi materiæ* nos & omnes obligent (cum perpetui juris ſint) conſentiunt plures.

In Appendice ad Exodum. Aliqui verò ſunt, qui *Piſcatoria* aſtipulantur ſententiæ, qui tenet nos ad eorum obſervationem teneri non ſolùm ex vi materiæ, ſed etiam ex *ipſiſſimâ Legis illius authoritate*, quod non adeò incunctanter affirmare auſim, ne (cum Legis illius authoritas omnia illa ad populi illius regimen politicum & Ceremonias Eccleſiaſticas facientia æquè exigit, ac reliqua ad Legem moralem, adeòque gentes omnes ſpectantia) populus Chriſtianus illis æquè ac his obnoxius reddatur. Ipſis id ſufficiat, quod in Novis Legibus à Novo Principe condendis uſu venire ſolet, ubi quædam, quæ à priore Principe Lege ſancita erant in novo Legum Codice retinentur & injunguntur, eò quòd *in ſe bona* & populo proficua, non ex *antiquatæ prioris Legis authoritate*.

Sed de *Lege morali* in *Decalogo* ſummariè contentâ jam agitur; deque ejus jam *ſub Evangelio* obligandi authoritate.

At *in quibus* & *quantum* ab hâc Lege *liberantur* fideles ſub Evangelio plura hîc aliquando à me dicta ſunt, quæ jam lubens prætereo. Duo tantùm ad ulteriorem Theſeos explicationem prælibanda ſunt: unum de hâc ipsâ Lege, alterum de ejus obligatione.

II. Quod ad ipſam *Legem* attinet, ſpectari poteſt vel ſub ratione *fœderis* ad *obtinendam* indè *juſtificationem*, vel ſub ratione *Regulæ vitæ* ad *Sanctificationem* ex ejus obſervatione *promovendam*. Cumque etiam *Fœdus* à Deo cum hominibus initum duplex fuerit, *Operum* unum in *Adamo*, *Gratiæ* alterum in *Chriſto*, atque hoc *Gratiæ* inſuper *Fœdus* dupliciter *adminiſtratum* fuerit,

vel

vel *Legaliter* Genti *Iſraeliticæ*, vel *Evangelicè* populo *Chriſtiano*, quoad hæc omnia Lex moralis conſiderari poteſt.

Quatenus *Fœdus operum* ſpectat, juxta cujus obſervationem vel transgreſſionem juſtificatio vel condemnatio expectanda erat: Sic poſt *Adami* lapſum *non-credentes* omnes ei quidem obnoxii ſunt, atque ob ejus violationem peccati & *iræ* rei peraguntur Johan. 3. 36. At *verè Fideles* hactenus ità *ab eâ liberantur*, ut neque ex ejus *obſervatione* (cum in multis peccent) *juſtificentur*, quod (non Legis ſed noſtro vitio) ἀδύνατον eſt Rom. 8. 3. nec obſtante ejus *tranſgreſſione morti adjudicantur*, quia *Deus* ex gratuitâ in Chriſto miſericordiâ *juſtificat impios* Rom. 3. 5.

Quatenus etiam pars adminiſtrationis Fœderis gratiæ erat, veteris ſcilicet illius & Moſaicæ, ab eâ *tenebantur* quidem *fideles ſub lege*, at *liberantur credentes ſub Evangelio*. Sic enim de primo & *vetere Fœdere* ſeneſcente & *evaneſcente* legimus Heb. 8. quod non ſolùm primo-primum illud Fœdus operum nobiſcum in *Adamo* initum ſignificat, ſed & *Moſaicam* illam in veteri populo Iſraelitico οἰκονομίαν, atque hoc inſuper non tantum quoad Legem *Ceremonialem* & *Politicam*, ſed *moralem* etiam nam Apoſtolus 2 Cor. 3. cum de vetere Fœdere abolendo agit, *miniſterii in lapidibus informati* meminit v. 7. quod *Legis moralis*, *Decalogi* ſcilicet proprium erat. Διακονίαν ἐντετυπωμένην ἐν λίθοις.

Quatenus denique Lex moralis in οἰκονομίᾳ Fœderis gratiæ ſub Evangelio locum ſuum & ordinem habet (nimirum ut ejus obſervatio *gratitudinis* noſtræ ſpecimen ſit, & *ad gloriam via Regia*) nunquam nuſpiam tamen nos juſtificandi officium obtinet, quod *operibus omnibus* tam ante fidem quàm ex fide præſtitis ſuſè admodùm in Epiſtolâ cum ad *Romanos* tum ad *Galatas* ex inſtituto, atque alibi ſæpiùs obiter derogat Apoſtolus: nullo igitur modo *à Lege* ſub iſtâ *ratione fœderis*, & quatenus *juſtificationem noſtram ſpectat*, *tenentur fideles ſub Evangelio*.

Rectiſſimè tamen affirmat Theſis noſtra teneri eos ad *Legis obedientiam*. Nimirum quatenus Lex moralis *Legis Naturalis declarativa* eſt, & *vitæ* atque *obedientiæ* noſtræ *regula*, quæ omnes ubique ſemper obligat, & præ reliquis fideles ſub Evangelio. In hujuſmodi noſtrâ à Lege manumiſſione *Antinomi* libertatem Chriſtianam ponant, at non *Orthodoxi Reformati* ulli (licèt hoc mentiantur *Pontificii*) quorum tam ſcripta quàm facta (ringentibus Adverſariis) contrarium luculenter probant & demonſtrant.

Atque hoc nos rectà ducit ad ſecundum quod explicandum propoſuimus, *Legis* ſcilicet ad ſui obedientiam *obligationem*. De quâ hoc unicum quæritur, an obligatio iſta oriatur ex *vi materiæ*, an ex *ipſius Legis authoritate*. 2.

Nos utrumque aſſerimus:

Primò ex *vi materiæ*, & ipſâ *rerum* in Lege morali *mandatarum naturâ*, quæ in ſe adeò intrinſecè bona eſt, ut omnium omninò obligatoria ſit, quod vel *Antinomorum* aliqui non ægrè concedunt. At ex hâc fæce non deſunt alii tam projectæ impietatis & impudentiæ, ut ipſis ne phraſes illæ *bonorum operum* & *converſationis Chriſtianæ* ſemel audiendæ ſint, quibus etiam hæc in ore blaſphemo eſſe ſolent, „ Lex, bona opera & nova obedientia non ad „ regnum Chriſti, ſed ad mundum ſpectant, imò Chriſtiani cum omnibus „ ſuis bonis operibus ad Diabolum pertinent. Vah impietatem Diabolicam! 1.

At omnibus, qui non cum pietate humanitatem ſimul exuerunt, Legis moralis obligatio *ex vi materiæ* in propatulo eſt. Quod etiam invictè hinc probatur,

1. Quòd Divinæ bonitatis, ſapientiæ, ſanctitatis, juſtitiæ ἔκτυπον ſit, neque ſolam Dei *voluntatem* (ut cum P. *Martyre* loquar) ſed & *naturam & ingenium*, ipſiſſimamque *imaginem* ad vivum repræſentat. Hanc enim Dei imaginem *in ſanctitate & juſtitiâ* ſitam eſſe Apoſtolus affirmat Epheſ. 4. 24. quæ duæ ſunt ipſiſſima duarum Legis tabularum capita Lucæ 1. 75. Adeò, ut qui nos ſanctos & juſtos ex lege eſſe debere inficias ibunt, iidem vel Deum ipſum ſanctum & juſtum eſſe negent. Caveant igitur ne dum *Antinomi* eſſe volunt, tandem (quod ſæpè hodiè fit) *Athei* evadant.

2. Ut Divinæ Naturæ ἔκτυπον, ità & primordialis illius *humanæ naturæ legis* ἀπόγραφον eſt. Exceptâ enim ſolâ *diei ſeptimi* in quarto Præcepto aſſignatione, quæ *juris poſitivi* eſt, juſſa & vetita in Decalogo reliqua omnia ſunt de *Lege naturæ*, atque ex principiis juris naturalis per juſtam conſequentiam deduci poſſunt. Quod *Philippus* in Locis ſuis per ſingula præcepta proſequitur, ut & *Vaſquez* Diſp. 179. cap. 2. Lex iſta (quicquid *Socinus* contra blaſphemaverit) *Adamo* primitùs & in naturâ ſuâ integrâ data, lata eſt, quin & *cordi* ejus *inſcripta* eſt, cum *ad Dei imaginem* eum factum eſſe legimus, quæ in *ſanctitate & juſtitiâ*, duobus legis hujus capitibus conſtabat, ut in priori argumento diximus. Quod ex eo magis patet, quòd poſt lapſum inter primævæ naturæ rudera, in *cordibus* vel *Gentium* à Deo alienarum τὸ γραπτὸν ἐν νόμῳ *inſculptum* agnoſcit Apoſtolus. A *naturâ* igitur Lex iſta nobis inſita eſt. At *gratia naturam non deſtruit, ſed perficit*, & proinde qui *Legem hanc naturæ* ſub Evangelio gratiæ *abrogari* contenderit, ut *Dei naturam* (prout in priori argumento oſtendimus) ſic in hoc & *ſuam* eum *abnegare*, adeòque non ſolùm Dei gratiæque inimicum, ſed & *naturæ monſtrum* eſſe audacter aſſerimus. *Tenentur* ergo *credentes ad obedientiam Legis ex vi materiæ.* Atque hoc ad legis iſtius obligationem aſſerendam ſatis eſſe putat Doctiſſimus *Rivetus* noſter, atque ultrà contendere pro λογομαχίᾳ habet. Cum verò plures *Antinomi* Legem ex vi materiæ obligatoriam eſſe concedunt; at ex Legis ipſius authoritate etiam, id verò præfractè dejerant, quatenus quidem Lex *in manu Chriſti* eſt (uti loqui amant) ita eam nos obligare fatentur, ſed ut vel in *manu Moſis*, vel *in ſe* Lex eſt, ita credentes nil cum eâ commercii habere volunt. Quod ex eorum ſenſu hoc dicit, quòd quicquid obligatorii jam in ſe Lex habet, id totum *à vi materiæ* accipit, quoad *formale* verò *obligationis* hoc in ſolidum *Chriſti* ſolius *imperio*, *nil* prorſùs *Legis ipſius authoritati* tribuendum ſentiunt. In quo Suareſium, alios aſtipulatores habent.

Rom. 2. 15.

De Legibus lib. 9. cap 11. 2.

Nos ergo ſecundo in loco, licèt *Chriſti imperio*, ne vel minimum *imminutum iri* auſi ſimus, *Legi* tamen *in ſe authoritatem obligatoriam* adhuc ineſſe dicimus, eamque à Chriſto non ſublatam, imò confirmatam eſſe contendimus. Legis quidem *violatæ maledictionem* dum ipſe pro nobis *ſuſtulit* (quò gratis juſtificemur) nobis *abſtulit*: Sed *Legis ad obedientiam obligationem* (quâ ſanctificemur & in viâ ſtatutorum ejus ad gloriam tandem perducamur) tantum abeſt ut vel tantillum minuerit, ut firmiter eam injungendo, ad ejus etiam obſervantiam motiva efficaciſſima, vires etiam aliquales ſuppeditando, ipſi *Legis authoritati robur*, *vireſque* addiderit. Quod hinc probatur,

1. Chriſtus

1. Chriſtus ipſe hoc clarè pronuntiat, „ Non veni ut Legem diſſolvam, „ ſed ut impleam Matth. 5. 17. Quod Teſtimonium adeò in hanc rem appoſitum & illuſtre eſt, ut *Manichæi* cum vim ejus eludere nequiverint, eò redacti ſint ut *Chriſtum hoc unquam dixiſſe negarent*, atque hoc præcipuè nomine *Matthæi Evangelium* ſuppoſititium eſſe blaſphemè aſſererent. Nec quicquam in contrarium valet *Suareſii* vel hujus loci interpretatio, vel probatio, qui hoc καταλῦσαι, hanc Legis ſolutionem non de ejus in ſe *abrogatione* interpretatur, quia *Chriſtus reverâ Legem Ceremonialem abrogando diſſolvit*, ſed de ejus *in ſuâ perſonâ violatione* & *tranſgreſſione*, de quâ eum criminabantur Judæi, quod à ſe amolitur. Nam quamvis de Lege indefinitè loquitur, de *Lege* tamen *morali* præcipuè agit, quod ex ſequente ejus, eodem in capite, & explicatione & vindicatione apertè conſtat. ὐ καταλῦσαι ἀλλὰ πληρῶσαι.

Neque etiam *Judæi Chriſtum* Legem *vitæ* ſuæ *inſtituto* ſolùm *tranſgrediendi*, ſed & in *doctrinæ* ſuæ curſu eam *abrogandi* reum agebant.

2. Quid quòd *Paulus*, qui gratiæ Evangelicæ aſſertor fortiſſimus reverâ fuit, & pro Legis inimico acerrimo à Judæis (falſò id quidem) habebatur, hoc etiam ῥητῶς aſſerit Rom. 3. 31. „ Legem ergo irritam facimus per fi- „ dem? Abſit! imò legem ſtabilimus, ſtatuimus. At hoc *ſtatuere* (vel ipſo *Suareſio* interpretè) eſt „ ejus proprium ſtatum, conditionem & officium ei „ tribuere, & quomodo per fidem ſuffulciatur, exponere. At ut Lex vitæ regula ſit non ſolùm quatenus Legis Naturalis declarativa, ſed quatenus etiam de novo, de *ſuo*, & *authoritate propriâ* conſtitutiva & præceptiva erat, hoc utique *ejus officium, ſtatus* & *conditio* erat. Neque etiam *ſolam Legis materiam* ſe per fidem ſtabilire ait Apoſtolus, ſed *ipſam Legem*, quæ *authoritatem* ejus ſimul etiam complectitur. ἱστῶμεν. *De Legibus lib. 9. c. 11. num. 17.*

3. Quamvis duæ iſtæ probationes *Suareſio* minùs arrideant, ipſi tamen hæc ſententia meliùs ſuaderi videtur (imò neceſſariò inſertur) ex eo quòd *obligatio Decalogi* in *Lege novâ* ex *veteri Teſtamento confirmatur*. In Novo ſiquidem Teſtamento plura officia Chriſtianis injunguntur, non ſolùm ipſiſſimis *Decalogi* verbis, ſed ex ejus *authoritate* & *imperio*. Sic Epheſ. 6. 2. „ Honora Patrem tuum & matrem, quod eſt præceptum primum cum pro- „ miſſione. „ Si Legem Regiam præſtatis ſecundùm Scripturam, Diliges „ proximum tuum ſicut teipſum, benefacitis *Jacob.* 2. 8. & quæ apud eundem Apoſtolum ſequuntur ſimilia v. 9, 10, 11. cap. 4. 11, 12. ut apud *Paulum* Rom. 13. 8, 9. & plura alibi alia, quæ *Bellarminus* rectè urget de juſtif. lib. 4. cap. 6. & *Vaſquez* Diſput. 180. cap. 2. Neque valent quæ *Suarez* (loco priùs citato) affert in contrarium, quibus vel recitandis vel refutandis in præſentiarum non vacat.

Illud unicum addam: Dum *Evangelium* res prorſùs *eaſdem* immutabiles, cum *Lege*, vel vetat, vel jubet, Evangelii hæc authoritas & obligatio, authoritatis & obligationis quæ per ſe Legi ineſt, non eſt *abrogativa*, ſed *cumulativa* & *roborativa*. Nec valet illud *Suareſii*, quòd „ non oportet in „ Lege Evangelicâ eſſe duas obligationes Divinas circa eandem materiam. Quid verò impedit? cum hæ obligationes non ſint *contrariæ*, & mutuò ſui deſtructivæ, ſed *ſubordinatæ* & *corroborativæ*. Hoc uſu communi in rebus humanis ſæpiùs obvenit, in quibus quæ ad *corroborandum titulum* ex abundanti proferri ſolent, priùs allegata non deſtruunt, ut neque *ſecundus nodus*

primum ſolvit, ſed ſtringit arctiùs, imò „ funis triplicatus difficiliùs rum-
Heb. 6. 18. pitur Eccleſ. 4. 12. ut & *Dei juramentum* promiſſionem ejus non irritam, ſed confirmatiorem reddit; neque authoritas Dei, quatenus aliquid jubet in *Evangelio* ut *author gratiæ*, aliquid derogat de authoritate ejus, quatenus id ipſum in *Lege* jubet ut eſt *author naturæ*, ſed de fortiori urget. Ut nos mutuò diligere mandatum *non novum eſſe deſinat*, quin etiam *novum* ſit ob *nova* in Evangelio *motiva*, quibus magis adhuc premitur. *Comparatè* quidem priora atque exiliora quædam oblivioni danda ſunt, ad præſentiam longè majorum ſequentium Jer. 16. 14, 15: 23. 7, 8. ut ſtellarum lux jam exorto Sole. At non exinde extinguenda eſt *prorſus* eorum memoria; ut nec *Creationis* jam adeptâ *Redemptione* cujus utriuſque in *die Dominico* amicè continuatur & celebratur commemoratio.

QUÆST. XXIII.

Dominium temporale non fundatur in Gratiâ.

DE *Dominii* formali ratione, deque ab eo, quod *jus* dici ſolet differentiâ, an *ſuperioritatem* quin & tyrannidem quandam innuat uti voces illi conjugatæ *Dominatus* & *Dominatio* apud purioris Latinitatis Authores ferè ſolent) quæ à *jure* abeſſe poteſt, nil jam diſputo, ut neque de multiplice ipſius apud *Scholaſticos* & *Jurisperitos* diſtributione, in *Beatificum*, *gratificum*, *naturale*, *Evangelicum* & plura alia, quorum à *Gerſone ſex* genera, ab aliis *Novem*, à *Conrado viginti tria* numerantur. Ad noſtrum inſtitutum quod attinet parum refert utrùm à *jure*, vel ab *uſu* vel *uſufructu* diſtinguatur, vel cum iis confundatur; dummodò ſumatur (prout eam de-
De Juſtit. & jure lib. 4. *q.* 1. *art.* 1. finit *Dominicus Soto*) pro *poteſtate quâ quis fungitur in perſonam* vel *rem aliquam*, vel pro propriâ cujuſque facultate & jure in rem quamlibet, quàm in ſuum ipſius commodum uſurpare poteſt, quocunque uſu lege permiſſo.

At cum de Dominio *Temporali* hîc agitur, quod *Spirituali* opponitur, ſimul & *materiam* ei ſubſtratam & ipſius Dominii *ſpeciem* deſignat.

Materiam, quòd *res externas* & aliquo ſaltèm modo *temporales* ſpectat, non *purè ſpirituales*, in quas qualecunque demùm Dominium aſſignari vel fingi poſſit, non jam agitur.

Dominii etiam genus vel *ſpeciem* ſubindicat, ut ſicut in res ipſas temporales, ita ipſum *Dominium* etiam *temporale*, non *ſpirituale*, intelligatur. Nam *verè ſpirituale Dominium* in *Gratiâ fundari* quis negaverit? Per *verè ſpirituale* verò non intelligo tale, quale *Pontifex Romanus* ſacrilegè arrogat, qui lepido illo (de *in ordine ad bonum ſpirituale*) commento *ſub annulo Piſcatoris* Dominium omne *temporale* in naſſam ſuam corrogat vaferrimus ille technarum artifex: ſed *jus coram Deo in Chriſto Capite* & *Domino* in ejus Spiritu Sanctificatos, tanquam in filios & hæredes collatum: quo in ſenſu eorum *ſolorum omnia eſſe*, *iiſque in bonum operari* affirmat Apoſtolus 1 Cor. 3. 21. Rom 8. 28. De hujuſmodi *ſpirituali Dominio coram Deo*, inquam, non agimus, ſed de *Temporali quoad homines*, & in foro humano, quatenus jus licitum & facultatem in ſe continet habendi, & utendi rebus vel perſonis ſecundùm

cundùm Leges ritè inſtitutas. Imo hactenus in foro Divino, quatenus vel ex jure naturali, vel ex Dei naturæ authoris indulgentiâ, vel ex generali perſonarum & rerum omnium per Chriſti ſanguinem ſibi in poſſeſſionem acquiſitione & ipſius exinde munificentiâ, quoad ipſam hæc externa habendi iiſque utendi comprehendit facultatem, *jus* ſi minus *filiorum*, at *ſervorum*, vel (quod dici ſolet) *vaſallorum* ità legitimum habent à gratiâ alieni, ut licitè eorum poſſeſſionem & habere & retinere poſſint, & injuſtum foret ſi à *Pontifice Romano* vel quovis omninò homine *hoc ſolo nomine* ejicerentur, ſcilicet quia *Gratiâ careant. Temporale enim Dominium* aſſerimus *non fundari in Gratiâ.*

Ubi ultimo in loco *Gratiam genericè* ſumptam non intelligimus, quatenus pro *quovis Dei favore* ſæpè uſurpatur ut Ezræ 9. 8. *Gratia* à Deo facta eſſe dicitur *toti Iſraeli reduci:* ut & pro more ſolito & ſtylo Regio *Dei Gratiâ* ſe *Regem* in *Regno ſuo* agnoſcit vel peſſimus quiſque: ità qui à verâ gratiâ alieniſſimus eſt, cum Dominium omne ipſi à Deo conceſſum fuerit Rom. 13. 1. Prov. 8. 15, 16. ut in *Gratiâ* id ipſum *fundetur* fateri neceſſum habet. At *Gratia* hîc *ſpecialis*, *diſcriminans*, *ſalvifica* intelligitur, tum ea, quæ in Deo eſt, quâ *nos gratis acceptos fecit in Chriſto*, tum veræ *Sanctificationis gratia* nobis *inhærens.* Ut hic tandem Quæſtionis ſenſus ſit, jus legitimum bona temporalia habendi vel eis utendi vel in foro humano, vel etiam in foro Divino (quoad ipſam poſſeſſionem & uſum abſolutè & in ſe ſumptum) non ità dependere â *Gratia* Dei ſalvificâ vel *activè* vel *paſſivè* ſumptâ *in Deo gratis acceptante*, vel *nobis inhærente*, ut, *Epheſ.* 1. 6.

Vel qui hanc *gratiam* habeat, exinde & *Dominium temporale* in *omnia* omninò habeat:

Vel qui *eâ gratiâ careat*, hujuſmodi *Dominio* omninò *excidat.*

Tria igitur negat Theſis hæc noſtra.

I.

Dominium Temporale ità *fundari in Gratiâ*, ut qui *in Gratiâ* ſit, *rebus omnibus omnium uti* & *frui* integrum ſit, & quæ aliis *Dominis* maximè *propria* ſint, omnibus in *gratiâ hâc conſtitutis*, in *communem uſum* poſita ſint. Hoc primum factitârunt *Eſſeni*, imitabantur ex Apoſtolorum κανηζηλία *Apoſtolici* Hæretici, propugnant hodiè *Anabaptiſtæ*, & apud nos *Enthuſiaſtæ* aliqui. Hoc etiam *Waldenſis Wicklefo* noſtro impegit, & inter Concluſiones ejus à *Gregorio Papâ* Convocationi *Lambethanæ* exhibitas illa quarta eſt „ Omnis „ homo qui eſt in fide finaliter juſtificante jus habet ſuper omnia bona Dei, quam *Foxus* noſter de jure ad bona omnia in *Patriâ*, non *in viâ* exponit, atque ideò propugnat. De *Gerſonis* & *Richardi* hâc in re ſententiâ magis conſtat, qui cum de *Gratifico* (ut vocant *Dominio*) agunt, affirmant eos qui in amicitiam Dei per ejus gratiam recipiuntur, Dominio fungi in res quæ alio ab ipſis titulo non poſſidentur, cum ſecundùm *Armachanum* Charitas titulus ſit, quo homines rerum dominio donati ſunt. Quod ſi de altiore illo Titulo & Dominio per Chriſtum adepto intelligatur, jure concedi poteſt. Si verò (quod ipſa verba loquuntur) ſumatur de Dominio in ea quæ aliorum ſunt, vel quæ nullo alio niſi ſolo *charitatis* titulo ipſi poſſident, ut ex *eo ſolo aliorum bonis* ſeſe ingerere, iiſque *dominari*, & tanquam ſuis uti eis liberum, & licitum videretur, quod docent *Anabaptiſtæ*, & *Enthuſiaſtæ* noſtri factitant, multis nominibus improbandum eſt.

Aſſerebat Epiphanes Carpocratis filius apud Clem. Alexandr. Strom. lib. 3.

Vol. 1. *pag.* 564, 565, 566. *Richard. tract.* 1. *q.* 2. *Lib.* 10. *c.* 4.

1. Quod

Ameſ. Caſ. Conſc. l. 5. cap. 41. q. 2. §. 8.

1. Quòd *jus* in *res ſuas cuique proprium* tollat, quod (quò meliùs excolerentur & magis ordinatè tractentur, vitentur etiam contentiones quæ alioquin exorirentur innumeræ) *jure Gentium* ſancitum eſt, *Sacrâ* etiam *Paginâ* confirmatum accepimus Johan. 19. 27. Act. 5. 4: 28. 30. & lociis aliis plurimis.

Præceptum octavum expungit. Ubi enim non eſt *proprietas*, non dari poteſt *furtum*.

2. Quod etiam *Eleemoſynas* tollat, quæ ex Divino mandato irrogandæ ſunt, idque *ex proprio* Epheſ. 4. 28.

3. Quod *deſidiæ* & *ignaviæ* patrocinetur, prout apud μηδὲν ἐργαζομένους ἀλλὰ περιεργαζομένους *2 Theſſ. 3. 11:* noſtros invenire eſt: contra expreſſum Apoſtoli in contrarium præceptum. 2 Theſſ. 3. 12.

4. Quòd fomitem præberet mutuis inter homines contentionibus perpetuis, & pacem publicam turbaret, quibus ut mederi poſſet Apoſtolus ſeriò & in rem noſtram appoſitiſſimè monet imò & jubet ut μετὰ ἡσυχίας ἐργαζόμενοι „quiete operantes proprio ſuo pane veſcantur; loco priùs laudato. Nam ut rectè monet *Dominicus Soto* „Horum temporalium tituli debent es-
De juſtiſ. l. 4. q. 1. a. 1. „ſe in foro exteriori patentes ut quisque palàm ſciat quid à ſe jure, quidque injuriâ petatur, charitas autem in pectore deliteſcit: unde perpetuæ naſcantur lites neceſſe eſt, dum incerti illi ſint, an is verè in charitate & gratiâ ſit, qui eorum bona hoc ſolo titulo ſibi arrogat, ut ipſe ſolus Judex ſit, an rerum alienarum dominus ſit.

At hoc non ſolùm neque forſan ex mente Doctiſſimi Reſpondentis primarium eſt quod in Theſi negatur. *Dominium temporale non* ità *fundari in gratiâ*, ut qui in *gratiâ* fuerit, ex eo *Dominium* in res alienas *habeat*. Sed

Secundum & præcipuum hoc eſt, ut qui *hâc gratiâ caret*, non eo *nomine*
Waldenſis. Doctr. fid. l. 2. art. 3. cap. 81. continuò iſto *Dominio careat*. Dogma huic contrarium *Johannem Huſſum* olim defenſitâſſe *Romanenſes* affirmant, & in Concilio *Conſtantienſi* inter errores *Wicklefi* & *Huſſi* damnatos *Wicklefi* 15^tus^. *Huſſi* 30^mus^. hic numeratur quòd „nullus eſt Dominus Civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, „dum eſt in peccato mortali, quod quàm verè illis aſcriptum fuerit, Deo olim rationem daturi ſunt, ut & de hominis innocentiſſimi effuſo ſanguine,
Tract. de decimis. cum *Huſſus* Regem hujusmodi licèt æquivocâ ſolummodo denominatione Regem vocari putaverit, Deum tamen hujuſmodi Regem approbare quoad eſſe Principem exteriùs aſſeruerit. Agnoſco quidem *Bezam* in Heb. 2. 8. hæc habere „Quicquid iſti (Infideles) habent, id (Dei bonitate ad hoc con„nivente) ipſi velut ex manu principis hujus mundi (id eſt Satanæ) acci„piunt, itaque ſicut ille Tyrannus eſt & malæ fidei poſſeſſor, ità ipſi quo„que quod ad ſe non pertinet per rapinam & ſacrilegium uſurpant.
Calvin. in Heb. 1. 2. „Tunc incipimus jure frui Dei bonis, quum nos Chriſtus, qui eſt univerſa„lis hæres in ſocietatem ſuam admittit. Sic *Calvinus*. Et addit „legitimâ „cœli & terræ omniumque creaturarum poſſeſſione nos arceri, niſi Chriſto „communicemus. Unde apus Noſtrates paſſim tam in Concionibus quàm in Scriptis *impii* omnes quod ad bonorum externorum poſſeſſionem attinet *malæ fidei poſſeſſoribus*, pro *uſurpatoribus* habentur; ob quod *Pontificiis* & aliis haud prorſus immeritò vapulant.

Neque enim hoc adeò vel *cautè* vel etiam *verè* ab ipſis dictum exiſtimo,

nam

nam (ut *Ameſio* noſtro loquar) „ quamvis de jure obnoxii ſint hujus domi- *Caſ. Conſciem. l. 5. c. 41. §. 7.*
„ nii privationi, & deſtituuntur altiore illo titulo, quem fideles in Chriſto
„ ſunt conſecuti, quia tamen ſententia Legis adverſus ipſos nondum eſt exe-
„ cutioni mandata, & corporalium rerum dominium aliquod humanæ na-
„ turæ in iſtâ vitâ eſt debitum à Deo, in Lege & ordine naturæ annexum,
„ idcircò juſtum & liberum uſum habent iſtiusmodi rerum temporalium.
Ut diſtinctè magis agamus, tria dicimus,

1. Licet impii bonis his externis ut plurimùm & aliqualiter ſemper *malè utantur*, hoc tamen *ex accidente* & *ſuo vitio* fit, manente interim ipſo *uſu* abſolutè ſumpto *in ſe licito*, & *eatenus* jure etiam integro.

2. Quod ad *jus* attinet; quamvis ὑπερῶντω deſtituantur *jure filiali* in Chriſto *omnium hærede* Heb. 1. 2. atque ideò *hæreditario*, *ſervili* tamen gaudent: neque illud Chriſto acceptum referri negaverim, ut mortis ſuæ interventu jam omnium *Domino* facto. Matth. 28. 18.

3. Quoad jus iſtud, licèt ex primævâ Apoſtaſiâ & peccatis aliis propriis eo omninò privari meruerint; quouſque tamen ex *Creatoris indulgentiâ* (ſaltèm *Chriſti interventu*) *vita* ipſa manſerit, *jus* aliquod ad ea quæ *vitæ conſervandæ neceſſaria* ſunt non amittunt, niſi ex novo & inſigniori aliquo reatu eo excidant, quòd aliquando forſan maleficis quibusdam ex juſtiſſimo Dei quidem, at iniquiori forſan hominum judicio accidet. Cui contraria ſententia

1. Adversùs *ſextum Decalogi præceptum* (*non occides*) aperto Marte militat, nam impium quenquam ad ἀυτοφονίαν rectà ducit, imò adigit, dum jus licitum omne iis utendi quibus vita conſervari poſſit ei adimit, atque ità ne *furti* labem ſuſtineret, *homicidii peſſimi* (ἀυτοχειρίας ſcilicet) reatum incurrit. Agnoſco quidem tales à peccatis ſuis aliquando in tales anguſtias redigi, ut quocunque ſe verterint in præcipitium ruant: at hîc *deponenda* eſt *falſa ſententia*, & de facili patebit exitus.

2. Imò piis quibuſdam miſera conſcientiæ ſuæ timoratæ ferè uſque ad ſui internecionem aliquoties carnificina fuit, dum de gratiâ ſibi inhærente incerti, ab omni alimento (ipſis ex hâc ſententiâ indebito, illicito) abſtinendo certam ſibi mortem ferè conſciſcerent. Caveamus itaque ne dogmatibus hujuſmodi temerariè & periculosè aliquibus βρόχον ἐπιβάλωμεν monente Apoſtolo 1 Cor. 7. 35.

3. Omne cum *impiis* quidvis ab iis accipiendo, vel emendo, *commercium* tanquam omninò *illicitum* improbat. Quis enim à *fure* & *raptore* aliquid cujus verus Dominus non eſt vel *emere* vel *accipere juſtè* poterit? At *Abrahamum* à *Chittæis agrum*, *Jacobum* ab *Ægyptiis frumentum* coëmiſſe in Sacrâ Scripturâ minimè id improbante legimus. *Davenant. Determ. quæſt. 30. Gen. 23. 3, 4, &c. Gen. 42. 2, 3, &c.*

4. In *Dei Creatoris indulgentiam* & munificentiam impingit, quæ hominibus vel impiis ut vitam non denegat, ſic ad vitam conſervandam neceſſaria & aliquo modo debita non invidet. De quo in Sacrâ Paginâ hujuſmodi legimus „ Terram dedit filiis hominum (non ſolis filiis Dei) Pſal. 115. 16. „ Facit ut Sol ſuus exoriatur ſuper malos & bonos, & pluit ſuper juſtos & „ injuſtos. Matth. 5. 45. quod ſi quid in ſe mali habeat, ipſi Deo (quod nefas eſt) vitio vertendum foret; nunquid enim, ne mali iſti & injuſti hinc reatum contrahant, feneſtras occludere debent ne *Sol ipſis illuceat*, & domo

ſuâ ſe abdent, ne *in eos cælum pluat*? quin etiam ne hæc licitè poſſunt, cum nec domus nec feneſtra ex hâc ſententiâ *ſuæ legitimè* dici poſſunt.

5. In *Chriſtum* peccat, qui mortis ſuo pretio omnia (diverſimodè tamen) ſibi in peculium acquiſivit; electos in jus filiorum, vel reprobos ut ſibi ſuæque Eccleſiæ aliquo ſaltèm modo (licèt nil tale, imò contrarium forſan cogitantes) inſervirent: ità tamen ut omnium vel inimiciſſimorum *Dominus* ſit. Hinc ex ſuaviſſimi hujus Dominii largitate & clementiâ continuatur *vita*, ſubminiſtrantur etiam *vitæ adminicula*, quæ ſi quis præfractè reſpuat, ingratiſſimè Dei, Chriſtique Domini munificentiæ renuntiat. Ea verò tanta eſt, ut his externis longè majora vel impiis communicanda acquiſiverit, *dona* (dico) *politica*, quibus Reip. prodeſſent, χαρίσματα etiam, eàque aliquando *ſupernaturalia*, quibus Eccleſiæ ædificandæ inſervire poſſent, ut in *Judâ* & aliis Pſal. 68. 18. Epheſ. 4, 8, 11. 12.

Object. Si ergo objiciatur, Dominium hoc licet primævâ creatione hominibus omnibus indultum fuerit, ſecundùm illud Gen. 1. 28. „ Dominamini in piſces „ maris & in volucres cœli &c. Adami tamen apoſtaſiâ omninò deperditum eſſe, donec tandem reſtituatur nobis Chriſti jam gratiâ unitis ſecundùm illud *Joh. 5. 23.* Hoſeæ 2. 18, 19. ubi cum Deus *ſibi* primùm *Iſraelitas deſponſâſſet*, tum demùm *pro iis pangit fœdus cum beſtiis agri, & avibus cœli &c.*

Reſpondeo.

Sol. 1. *De jure & quoad meritum* noſtrum omni hujusmodi dominio *excidimus*: meritum ergo non obtendimus; at non ità *de facto*, quin ex *Creatoris indulgentiâ & Redemptoris interventu*, neque *uſum* nec etiam *jus omne licitum* amiſimus.

Quod vel hinc patet, quòd cum *Dei imago*, ad quàm primò conditi fuimus, in hoc *dominio*, licèt (non ſolo ut Sociniani volunt, ſed) ex parte conſtabat Gen. 1. 27, 28. quamvis ex lapſu imago iſta quoad *ſpiritualia* penitùs *obliterata* ſit, quoad *naturalia* tamen & *externa* (in quorum cenſum *Dominium* hoc venit) in homine lapſo, nondumque per gratiam reſtituto, rudera quædam adhuc & reliquiæ manent; cum ad ejus majeſtatem & præſentiam vel fera animalia percellantur, eique omnia ſubſint & ſubſerviant, non *penitùs* itaque *eorum dominio* actu *excidit*.

Huc etiam & illud facit, quod *impiis Deo* quoad externa opera *inſervientibus* ipſe ſub nomine *mercedis* bona externa ſubminiſtrat. Ezek. 29. 19, 20.

Illud etiam quòd hominibus mundanis mundana iſta *in portionem ſuam in hâc vitâ* cedere dicuntur Pſal. 17. 14. Neque inde tamen filiorum ſuorum hæreditati quicquam detrahitur: illis enim his omnibus longè illuſtriora, *In Pſal. 68.* ſpiritualia ſcilicet & æterna largitur, ſecundùm illud Auguſtini. „ Sunt „ dona quæ dat Deus inimicis ſuis, ſunt alia quæ ſervat ſolis amicis. *Panem filiorum* ſolis *renatis* apponit, at *micas catulis*, vel *porcis ſiliquas* indulget Deus Creator & Conſervator omnium: quibus ſi hoc ipſum, quòd *vivant*, peccatum non ſit, neque id ipſum quòd ea, *quæ ad vitam ſuſtentandam faciunt*, *habeant*, peccaminoſum erit.

Atque huc uſque *Bellarminum* & pleroſque *Pontificios* alios viæ comites habuimus. Ille enim Lib. 5. *de Pontifice Romano* cap. 2. exertè ſic loquitur, „ Dominium non fundatur in gratiâ, aut fide, ſed libero arbitrio & ratione: nec deſcendit ex jure Divino, ſed ex jure Gentium, ut patet ex eo

quòd

„ quòd Deus approbat Regna Gentilium in utroque Teſtamento Dan. 2.
„ & Matth. 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. *Reddite* dicit, non *dona-*
„ *te*, Et Rom. 13. jubet obedire propter Conſcientiam Principibus Ethni-
„ cis. At certè non tenemur in conſcientiâ obedire illi, qui non eſt verus
„ Princeps. Hæc ille. Ut tandem verò *ſorex* iſte *ſuo indicio pereat*

Tertium adhuc in aciem producendum erat, contra quod *Theſis* hæc noſtra æque militat. Non enim ſolùm quærimus, An qui *gratiâ caret*, *careat* etiam juſto in res temporales *dominio*, ſed etiam, an qui à *gratiâ* & *fide defecerit*, eo ipſo hujuſmodi *dominio excidat*. Theſis verò noſtra utrumque negat, & nos quidem obtuſi homines ſecundum hoc à priore neceſſariò ſequi putamus; quòd ſi quis eo ipſo quòd *gratiâ careat*, non *careat* & *Dominio*, tum qui à *gratiâ defecerit*, eo ipſo *dominio non excidat*. Sed longè naſuta magis & arguta eſt *Gens Lojolitica*, atque inde fit quòd *Bellarminus* licèt (ut profitetur) non dicere intendat quòd *Chriſtiani Principes* ſeu *Reges* ab *Eccleſiâ teneant terras ſuas ſive regna in feudum*, ſicut aliqui quandoque malè crediderunt, & *Durandum* hujus ſententiæ aſſertorem affert: Idem tamen cum aſſeclis ſuis reliquis mordicùs tenent, & probare acriter contendunt, ſi Rex aliquis fidei Romanæ, hoc eſt, Papæ Romano, ejuſque obedientiæ renuntiaverit, quòd hoc mortifero (ſcilicet) peccato regno ſuo omnique dominio ſpoliari meretur, eoque Pontificis Romani ſententiâ privari debet. Unde manifeſtò conſtat quòd (ſicut dum ille contra *Enthuſiaſtas* debacchatur, ipſe interim, qui ex *infallibili* ipſi factâ *inſpiratione* omnia determinari vult, eſt omnium *Enthuſiaſta* maximus, ita) dum iſti in eos invehi ſolent, qui *dominium in gratiâ fundari* ſtatuunt, ipſi idem inprimis faciunt, hoc ſolo diſcrimine, quòd cum alii id in *gratiâ* Dei fundari volunt, hi in *gratiâ Pontificis Romani*, qui licèt ex *Bellarmini* ſententiâ non ſit *totius mundi Dominus* cap. 2. *ne totius orbis Chriſtiani* cap. 3. imò verò *nullam omninò temporalem juriſdictionem habet directè jure Divino* cap. 4. 5. (quàm verax hucuſque & verè Catholicus eſt Cardinalis! Sed en tandem acumen, en artificium Jeſuiticum!) *ſummam tamen temporalem poteſtatem habet*, *indirectè* (ſi placet) *& in ordine ad bonum ſpirituale*, quâ Regem quemlibet, quem ipſe hæreticum ſemel judicaverit, tanquam invaſorem & *Dominio ſuo* prorſùs *indignum excommunicare*, *omnique poteſtate ſuâ exuere* & poteſt & debet cap. 6. & ſequentibus; Ita ſcilicet, ut cum *viâ rectâ* nihil efficere poſſit, *per ambages* omnia, cui *directè* (ut loquitur) nequicquam officere valet, *indirectè* tamen (hoc eſt, perverſiſſimè) eum *omni dominio privare* ipſi facilimum, imò inprimis legitimum & ex officio neceſſarium ſit: Dominium, quod primò à ſe amoliri & propellere viſus eſt, lepidæ hujus diſtinctionis unco retrahit, imò raptat omnia. Quis enim adeò *Tireſias* eſt, qui non clarè videat quàm hîc viſcatæ & hamatæ Pontificis Romani manus ſint? Cui nunquam defuerunt Sycophantæ vaferrimi, qui non adeò hebetes unquam fuerunt quin *in ordine ad bonum ſpirituale*, hoc eſt ad *ſpiritualis* hujus *viri* (quem *inſanum* eſſe Propheta dixit) compendium *temporalia omnia* corrogare facilimum fuerit. Sed hæc inter *pias* eorum *fraudes* numeranda venit, quæ adeò tamen *craſſa* & *rancida* eſt, ut ſi cui non *ſuboluerit*, næ ille *naris parùm emunctæ* ſed *obeſæ admodùm* cenſendus ſit. Si Rex aliquis huic fidem habuit unquam, id totum ad tremendum Dei judicium, & ἐνέργειαν πλάνης referendum eſt. Si quis ei

3. *De orig. juriſd. q. 3. ad 3.*

Hoſ. 9. 7.

2 Theſſ. 2. 11.

invitus morem geſſit, id ipſius vel virium vel animi imbecillitati, & immen-
2 *Theſſ.* 2.4. ſæ Papæ tyrannidi, quæ πᾶν τὸ λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα ſacrilegè ſe extu-
lerit deputandum eſt. At Principes hodiè omnes vel eam apertè rident, vel
ſubdolè ad ſuum eâ abutuntur compendium: quam cum *Theologi Evangelici*
præ cæteris (*in Cauſâ Regiâ* quæ aliquando apud nos gliſcebat admodùm)
Anglicani noſtri abundè ſatis detexerint, & profligaverint, eam ultrà per-
ſequi (ſi jam per tempus liceret) vix operæ pretium foret: illud unicum di-
Joh. 18. 36. cam: Chriſtum, qui *regnum ſuum ex hoc mundo* eſſe negaverit, cui jam nato
Luc. 2. 14. illud accinebat Angelorum chorus, „ Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ
„ pax, in homines benevolentia, nunquam per ſe vel ſuos Principum hujus
In Hymno. ſæculi regnis vel invidere vel inſidiari, ut *Sedulius Herodi* de hâc re malè me-
tuenti bonâ fide ſcrupulum omnem eximit, cum eum ita alloquitur:

Hoſtis Herodes impie,
Chriſtum venire cur times?
Non eripit mortalia
Qui regna dat cœleſtia.

QUÆST. XXIV.

Cognitio ſana neceſſariò credendorum eſt pars Religionis eſſentialis.

COgnitio neceſſariò credendorum eſt pars Religionis! At quis neget hoc? Quid ergò *nodum* in *ſcirpo* quærimus? Ut quid de eo diſputemus anxii, in quo omnes unanimiter conſentiunt?

At ſiſtamus pauliſper gradum, & diſpiciamus ſedulò annon aliqui (imò plures forſan) ex adverſo militent.

Mogol. vide Tarrey pag. 443. Annon *Theologi* noſtri *Philoſophici*? qui Gentes Chriſti penitùs inſcias ſervari poſſe contendunt? *Turci* etiam & reliqui alii, quos *Articulus* 18vus. *Confeſſionis* fidei *Anglicanæ* anathemate ferit, qui „ quemvis ex lege & ſe-
„ ctâ (quam profitetur) quâcunque ſalutem conſequi poſſe affirmare præ-
ſumunt?

Annon *Pontificii* etiam; qui *fidem implicitam*, *carbonariam* ita deprædicant, qui *ignorantiæ* caput adeò demulcent, ut eam religioſæ *devotionis matrem* eſſe dicant, *ex eâque* potiùs quàm ex ſcientiâ (quod *Bellarminus* facit lib. de juſtificat. lib. 1. cap. 7.) *fidem definiendam* eſſe ſtatuunt.

Annon *Pelagiani* & *Semi-Pelagiani* olim? ſic enim *Hyginus*, (ut vult *Hincmarus*) vel *Arnobius* junior (ut *Sirmondo* placet) qui librum ejus qui *Semi-Pelagianiſmum*, imò *Pelagianiſmum* totus ſpirat non ita pridem edidit) ſic inquam dicit, *ubi ignorantia eſt, crimen eſſe non poteſt.* Dogma etiam *Pelagianorum* fuit in *Concilio Paleſtinæ* damnatum *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*: quod ipſe *Pelagius* improbare & anathematizare adactus fuit tanquam *S. Concilio* & *S. Eccleſiæ Catholicæ* contrarium.

Annon denique *Sociniani* hodierni, eorumque ſequaces plurimi? qui doctrinâ fidei inſuper habitâ, vel potiùs corruptiſſimè depravatâ, Religionis to-

tiùs

tiùs proram & puppim ponunt in *animi probitate*, quam adeò evehit *Volkelius*, & definit eſſe *rectè agendi ſtudium, à recto rationis judicio profectum.* Quamvis enim *Crellius* in præfatione ſuâ ad librum illum primum de verâ Religione, in *cognitione* rerum ad veram Religionem pertinentium *multum poſitum* eſſe concedat, adeòquè eam omnibus, quibus ſua ſalus eſt cordi, ſedulò inquirendam eſſe pronuntiet, & *Catechiſmus Raccovienſis* plura agnoſcat ad ſalutem *cognitu* prorſus *neceſſaria*, & alia, quæ ad ſalutem vehementer conducunt: cum tamen *doctrinam* adeò blaſphemè *fœdârunt*, nil mirum eſt ſi *animi* & *morum probitatem* adeò crepent, venditent & præ ſe ferant; ut *vitam probam Socinianorum* (ſi placet) *characterem eſſe* non ita pridem pro concione accepimus; *Hæreſin* verò *non ex doctrinæ genere, ſed ex ſolâ animi pravitate æſtimandam.* Et ſi forſan *fundamentalia* quædam Chriſtianæ fidei dogmata verè religioſo omni & neceſſariò cognoſcenda & agnoſcenda eſſe conceſſerint, ea tamen ipſis adeò *pauca* ſunt (cum à piis interim requiritur ut πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ pleni ſint Col. 1. 9.) ut res tota huc ipſis tandem redeat, ut ſi modò *animo probo* ſint hoc eſt (ut priùs diximus deſiniente *Volkelio*) ſi *juxta rectum Rationis judicium rectè agendi ſtudio incumbant*, ſi non pro *Religioſiſſimis*, pro *verè* ſaltèm *Religioſis* habendi ſint.

De verâ Religione l. 4. c. 1.

De cognitione Dei Cap. 1. 2.

Vide Cartwright in Prov. 19. 2.

At non tam parvi nobis pendenda eſt *fides* Catholica *Sanctis ſemel tradita*, pro quâ adeò *decertandum* nobis eſſe dixit Apoſtolus Judæ 3. Non tantilli *veritas* Divina Chriſti ipſius ſanguine conſignata, non ejus *cognitio agnitio* ſana, ſalvifica, quam (ut his obviam eat) Doctiſſimus Reſpondens (ſi modò *neceſſariò credendorum* ſit) *Religionis partem eſſentialem* eſſe ſtatuit.

Non eſt quòd jam de voce *Religionis* pluribus agam, an à *Relegendo* dicatur, ut [a] *Ciceroni* placuit, an à *Religando*, ut [b] *Auguſtino*, [c] *Lactantio* & [d] *Hieronymo*, vel etiam *relinquendo*, ut [e] *Macrobio* vel à reeligendo Deum: (Auguſtin. de Civit. l. 10. c. 4.) de communi ejus ſignificatione conſtat quòd importat *ordinem ad Deum*, eique cultum & officium debitum ſignificatu ſuo comprehendat, idque maximè propriè quoad *actus* ejus *immediatos* & *elicitos*, vel internos, ut *Deum timere, amare* &c. vel *externos*, ut *ſacrificare, adorare.* Sed & extenditur ad actus ejus *mediatos* & *imperatos*, „ quos produ„ cit mediantibus virtutibus, quibus imperat, ordinans eos ad Divinam „ Reverentiam ut *Aquinas* rectè habet 22æ quæſt. 81. art. 1. Et ſic Apoſtolo *Jacobo* cap. 1. v. 26, 27. „ Religio mundo & immaculata eſt viſitare „ pupillos & viduas, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Et ſic etiam *Feſtus* ad vocem *Religioſus* hæc habet „ Religioſus eſt non modò Deorum „ ſanctitatem magni æſtimans, ſed etiam officioſus adverſus homines. Nil hîc dubii. Illud ſolum quæritur An hujus *pars eſſentialis* ſit *neceſſario credendorum ſana cognitio.* Ubi hæc breviter notanda,

[a] *Lib. 2. de Nat. Deorum.*
[b] *De verâ religione cap. 55. & Ret. 1. c. 15.*
[c] *Lib. 4. c. 21.*
[d] *In Cap. 9. Hoſew.*
[e] *Lib. 3. Saturn. Cap. 3. Religio nil eſt aliud quam cultus divinus. Auguſtin. de Civit. l. 10. c. 1.*

I.

Ut cauſam nos calumniandi (quod aliqui multoties faciunt) præripiamus, cum *partem* eſſe dicimus, *totam Religionem* eſſe negamus, ad quam *integrandam* cum iſtâ cognitione requieritur *affectuum & operationum concomitantia.* Unde fit ut Divinæ voluntatis executio non ſemel *cognitionis* nomine comprehendatur, iique Deum & Chriſtum nôſſe dicantur, qui ipſis ſunt dicto audientes, ii verò eos *ignorare* qui ipſorum *imperium detrectant*, quod ipſe *Volkelius* ſatis docet lib 4. cap. 2. Irreligioſiſſimè utique religioſi illi ſunt, qui cum Deum nôrint, tamen ut Deum non glorificant; imò *Rom. 1. 21.*

(ut plerunque fit) eò magis odio habent & contumeliâ afficiunt. Sic *Gentes* olim Rom. 1. Sic *Julianus* inter *Religioſos* recenſebitur cum illo ſuo ἀνέγνων ἔγνων, κατέγνων. Sic *Diaboli* omnium religioſiſſimi evaderent, cum ferè omnes rerum etiam Divinarum cognitione ſuperant. *Fides* ſanè *mortua* tandem *mortifera* erit. Cognitio etiam ſi *ſolius viſûs* ſit, non itidem & *guſtûs*, *Religionis integræ verum guſtum* non habet. *Cognitio* ergo *pars* tantùm *Religionis*, non tota *Religio*.

2. Imò ne vel *pars præcipua*: pars quidem magna eſt & præclara admodum, & quoad *aliqua* ſaltem parti *affectivæ*, *activæ præſtat*. Nota ſatis eſt *fælicitatis contemplativæ præ activâ* ab *Ariſtotele* facta prælatio; imò in *viſione beatificâ* ab ipſo Spiritu S. in Sacrâ Paginâ poſita eſt ſumma omnium beatitudo Chriſtiana. At in Religionis & Divini cultûs negotio cum officio noſtri cognitio ejus executioni ſubordinatur; cum etiam qui *affectu* & *actu* verè *pii* ſunt ſemper verè *religioſi* ſint, dum alii (*doctiſſimi* licèt fuerint) *irreligioſiſſimi* eſſe poſſunt, quoad *hoc* ſaltem cognitioni primas non deferimus, ſed nobis (ut *Philoni Judæo*) „ virtus Sara ſit, & Domina; Cognitio Hagar, & „ Ancilla.

3. Cum pars *eſſentialis* à Doctiſſ. Reſpondente dicitur, nihil hîc (ut opinor) moratur *Dialecticorum* minutias & argutias de differentiâ *partis eſſentialis* & *integralis*: Hoc ſolùm vult cognitionem hanc ità *de eſſentiâ Religionis* eſſe, ut qui eâ omninò caret, verè Religioſus eſſe nequeat.

4. Cum cognitionem *ſanam* dicit, veram, rectam intelligit, ità etiam ut cognitio hæc agnitionem etiam comprehendat, γνῶσις ἐπίγνωσιν: ità tamen ut ipſiſſima hæc cognitio ex parte ſuâ ad Religionem integrandam faciat, quæ agnitioni, affectui opera adjuncta Religionem compleat.

5. At quarum rerum hæc cognitio eſſe debet? Dicit *neceſſariò credendarum*. Num verò harum *omnium*? Hoc exertè non dicit, vel ſaltem non *eodem gradu* & *menſurâ*. Nam

Rom. 11.33. *Philip.* 4. 7. 1. Quædam neceſſariò credendorum adeò μυστηριώδη, ἀνεξερεύνητα, ἀνεξιχνίαστα ſunt, ità *omnem mentem, intellectum* (aſſerente Apoſtolo) *ex ſuperant*, (qualia ſunt *Trinitas Perſonarum in unâ Deitate*, *Chriſti Incarnatio*, & his ſimilia) ut quamvis *neceſſariò* ex fide Divini Teſtimonii *credenda* ſunt, *cognitione* tamen & intellectu noſtro *comprehendi* nequeant. Adeò ut in his ſat eſt ſi τὸ ὅτι nobis innoteſcat, & διότι vel & ὁποῖόν τι *docta*, *pia* nobis eſt *ignorantia*, perſcrutatio temeraria, ſuperba, periculoſa.

2. Cum etiam *neceſſitas* ſit vel *præcepti*, vel *medii*, quædam illa neceſſitate, quædam hâc neceſſariò credenda ſunt,

Sunt quædam, quæ *non adeò neceſſariò* cum *Dei cultu & obedientiâ*, adeòque neque cum *officio noſtro & ſalute conjuncta* ſunt; quæ quidem, ſi dum in Sacrâ Scripturâ revelantur, nobiſque in proclivi innoteſcere poſſint, *neceſſitate præcepti* neceſſariò credenda, imò cognoſcenda & agnoſcenda ſunt:

2 *Pet.* 3. 5. *Matt.* 13. 15. quæ *ſi nos volentes lateant* (ut Apoſtolus loquitur) ſi ad ea conſultò *oculis conniveamus*, læſæ Religionis, adeòque & ſalutis rei facti ſumus: at hoc non *ex rei revelatæ naturâ* fit, ſed à *Dei revelantis imperio*, adeò ut ſi in his aliqui *Religionis* ſuæ *ſummam* ponant, quod olim illi fecerunt, qui circa *genealogias*, *quæſtiones ſtultas*, & *verborum pugnas inſaniebant*, ut plures hodiè etiamnum faciunt, horum utique *vana eſt Religio*.

Jacobi. 1. 26.

Alia

Alia verò ſunt ità (ut Apoſtolos loquitur) σωτηρίας ἐχόμενα ut *neceſſitate medii* ad ſalutem credenda ſint, neque ſine ipſius ſalutis diſpendio ignorari poſſunt; adeòque neque ſine *fidei naufragio* & Religionis jacturâ, qualia hæc ſunt, *Deum eſſe*; *bonum, juſtum, omnipotentem* eſſe, *Chriſtum pro nobis natum, mortuum fuiſſe, pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe*, & his ſimilia; ſine quorum fide & cognitione vel *nulla* omninò *Religio* eſſe poteſt, vel *nulla* ſaltèm *Chriſtiana*; ut *horum cognitionem Religionis partem eſſentialem* eſſe meritiſſimè dixerit Doctiſſimus Reſpondens, id ipſum comprobante Sacræ Scripturæ, & ſanæ Rationis Teſtimonio. *Heb.* 6, 9.

Prov. 19. 21. בְּלֹא־דַעַת נֶפֶשׁ לֹא טוֹב „ Sine cognitione anima non eſt „ bona, ideòque neque religioſa, ſed bruta potiùs & in omne malorum genus „ proclivis, vel ſi (quod doctiſſimus *Mercerus* annotavit) טוֹב cum ſubſtantio נֶפֶשׁ genere non conveniat, ut ſic potiùs reddi debeat, *animam eſſe ſine ſcientiâ, non eſt bonum*, idem tamen omninò dicit: illud enim *non bonum* idem eſt ac *pietati, veræ Religioni & omni ſalutari bono contrarium.* Idem enim Deus, qui *vult omnes ſervari*, eoſdem etiam vult *ad cognitionem veritatis venire* 1 Tim. 2. 4. Quò etiam ſpectat illa Servatoris ratiocinatio Johan. 4. 22. „ Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus quia ſalus „ ex Judæis eſt. Ubi ergo *nulla ſcientia, nulla ſalus*, & per conſequens *nulla Religio.* *Mercerus.*

Hoc imprimis ſuadet, imò evincit ipſa *Intellectûs humani natura* & ratio. Cum enim inter animæ rationalis facultates emineat, & ſi non quoad omnia, quoad plura ſaltèm *primas teneat*, à ratione omni prorſùs alienum foret, ſi cum *Religione* (virtutum omnium optimâ) nullum commercium haberet, ut ex quo *homines* præcipuè ſumus, nil habeamus, ex quo *religioſi* & *beati* ſimus; imò verò ex cujus actu in beatificâ illâ viſione præcipuè *beati* olim futuri ſumus in *patriâ* 1 Cor. 13. 12. ex *eodem* hîc *tanquam in viâ religioſi* ut ſimus omninò neceſſarium eſt. *Argum.* 1.

Hinc ſecundò fit quod ἐν συνεκδοχῇ *Religio* pro *doctrinâ cognitâ & agnitâ*, & viciſſim *cognitio* pro *totâ Religione* Synecdochicῶs ponatur. 2.

Sic qui vocis hujus *Religionis* ſignificationes apud authores uſurpatas enumerant, inter reliquas *Doctrinam de Religione* unam faciunt: Sic *Phariſaismum* exquiſitiſſimam *Religionis* Judaicæ hæreſin dixit Paulus Act. 26. 5. Sic etiam hodiè vulgò *Religio Proteſtantium*, *Pontificiorum* & aliorum dicitur *fides* & *doctrina illa*, quam pro animi ſui ſententiâ quique *agnoſcunt* & *profitentur.* *Vide Martinium ad vocem Religio. Q. Quid eſt Religio Chriſtiana Sol. Doctrina Sancta de Deo &c. Cartwrighti Catechiſmus Cap.* 1.

Ut & vice verſâ *Cognitio* pro *totâ pietate* & *Religione* ponitur. Sic paſſim in *Proverbiorum* libro. Sic de Chriſto dixit Deus „ Cognitione ſui juſtificabit „ juſtus ſervus meus multos Iſai. 53. 11. Sic & Chriſtus ipſe de Deo „ Hæc „ eſt autem vita æterna ut te cognoſcant &c. Johan. 17. 3. ubi ad minimum eſt *Synecdoche partis.* Ergò ut *cognitio Religionis pars aliqua* ſit negari nequit, imò *primaria*: nam

Tertiò ſi (referente *Auguſtino de Civitate Dei* lib. 10. cap. 1.) *Religio* nihil aliud ſit quàm *Cultus Divinus*: vel (definitore priùs *Cicerone* lib. 2. de *Inventione*) „ quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam Divinam vocant, „ curam, ceremoniamque affert, certè *Cognitio* Dei, *eorumque* præſertim 3.

quæ

quæ ad *cultum* ejus magis ſpectant, *Religionis*, ipſiusque *cultûs Divini pars primaria* erit. Quæ ſcilicet *primo decalogi præcepto* exigitur, ut omnes ejus Interpretes unanimiter conſentiunt, neque id quidem immeritò, cum *non minor* (imò in aliquibus ſæpè *major*) *Divini numinis cultus* & *obedientia* eſt, *intellectum* noſtrum *Divini veritati* revelatæ ſubjugare, quàm *affectus Divinæ voluntati* in rebus agendis vel fugiendis captivos ducere. *Affectus enim* iſtos *reprimere* eſt tantum quaſi *bruta domare*, at *ratiocinationes* noſtras Divinæ Revelationi contrarias *averſari*, *ipſum hominem exuere* eſſe putamus. In veritates iſtas ſupernaturales intumeſcit, inſurgit *Ratio* noſtra, quam *rectam* dicimus, Helena illa compta & calamiſtrata, quam adeò blandè demulcemus: ejus dictata & præconceptas inde conceptiones noſtras tanquam *ingenii* noſtri prolem magis quàm *corporis* deperimus: hîc ὀχυρώματα ὑψώματα deturbanda, ad quòd ὅπλα σαρκικά, ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ adhibenda ſunt quando „ Ratiocinationes evertendæ ſunt, & omnis cogitatio „ captiva ducenda eſt in obſequium Chriſti 2 Cor. 10. 4, 5. Non minima imò (quidni dicam?) maxima & *religioſiſſima* eſt ſupremi Numinis *obedientia*, nec non *noſtri abnegatio* Evangelica, *rationis* noſtræ faſces *Divinæ Revelationis* authoritati *ſubmittere*.

4. Quartò, Hinc in primâ hominis ad veram Religionem & pietatem converſione Deus à ſalvificâ *intellectus illuminatione*, & *veræ* ſui noſtrique ſibi debiti officii *cognitionis* largitione incipit, ſecundùm illud Epheſ. 5. 14. „ Excitare qui dormis, & reſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus. Ut
Gen. 1. 3. enim *Creaturarum* factarum *Lux prima* fuit: Sic in *novâ* hâc *Creaturâ primogenita* eſt nova ac ſalutaris illa *illuminatio*. Sic Jer. 13. 19. שׁוּבִי & הוֹרֵעִי „ converſus ſum & edoctus ſum quaſi ἀντίστροφα, imò ἰσοδυναμοῦντα legimus.
Job. 38. 6, 7. Cum primùm utique hujus ædificii *fundamentum* & *lapidem angularem ponit Deus*, tum ſimul *canunt ſtellæ, iſtæ matutinæ*: at *fundamentum* domûs ejusdem *pars* certè una eſt, eaque *prima*, idque non ſolùm quoad *naturæ ordinem*, ſed

5. Quintò etiam quoad *operandi efficaciam*. *Salutaris* enim iſta *cognitio* reverâ *fundamentum*, *fons*, *radix* eſt omnis veræ pietatis & *Religionis*, unde pullulant & conſurgunt reliqua tam in *affectu* quam *opere* neque hoc ſolùm ex *naturali facultatum* aliarum ad *intellectûs* dictamen *ſequelâ*, ſed ex ſaluberrimâ *Divinioris* illius *Lucis* (in gratiæ οἰκονομίᾳ) *influentiâ*. Hîc, ſi uſpiam, *claritas intellectûs ardorem* parit in affectu & alacrem ad operandum promptitudinem, „ Sperabunt in te qui noverunt Nomen tuum. Pſal. 9. 10. Hinc etiam ſolennis illa & verè genuina docendi Methodus Apoſtolica, ut *primò doctrinam fidei* proponat & confirmet, atque ità demùm ad *vitæ praxin inſtituendam* ordine rectiſſimo deſcendat, prout in pluribus Epiſtolis Apoſtolicis videre eſt; eò quòd omnis vera pietas & Religio à verâ cognitione & rectâ fide originem ſumat & profectum, adeò ut *ſpuria* omninò ſit tota *Religio* & pietas *Ethnica*, & *probitas Sociniana*, quæ (vel negatâ vel fœdè corruptâ fundamentalium fide) *rationis judicio perverſo nititur*, non *Evangelicæ veritatis rectâ cognitione*.

6. Hinc enim ultimò fit quod ex adverſo *ignorantia infidelitas* & *fides perverſa malorum omnium* tam quoad *mores* quàm quoad *pœnas fons & ſcaturigo* in Sacrâ Scripturâ habeatur.

Ad

Ad *pœnas* quod attinet „ Excindetur populus meus eò quòd vacet ſcientiâ: „ quia tu repuliſti ſcientiam, ego repellam te Hoſeæ 4. 6. αἱρέσεις ἀπωλείας hæreſes exitiales dicuntur 2 Pet. 2. 1. ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati 2 Theſſ. 2. 12. „ partemque ejus cum incredulis ponet Lucæ 12. 46. „ Qui verò averterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſer- „ vabit animam à morte, Jacobi 5. 20. *contra* 2 *Theſſ.* 2. 13.

Ad *mores* verò quod ſpectat (quod quidem rem de quâ agimus magis ſpectat) cum „ non eſt ſcientia Dei in terrâ, tum maledictum & mendacium, „ & homicidium, & furtum & adulterium inundârunt, & ſanguis ſanguinem „ tetigit Hoſ. 4. 1, 2. Non in paſſione cupiditatis, ſicut Gentes, quæ non „ nôrunt Deum 1 Theſſ. 4. 5. Quin & *hæreſis* inter *opera carnis* reponitur Gal. 5. 20. ut *operibus ſpiritûs, vitæque ſpirituali*, adeòque & *veræ pietati* & *Religioni* contraria. Ut enim ex *pravis affectibus* aliquoties pravæ & *hæreticæ opiniones* oriuntur, ità viciſſim *pravas opiniones*, *mores* etiam *pejores* ſæpè *ſequuntur*, ut non magis *ab impio* fiat *hæreticus*, quam ex *hæretico impius*. Atque eo nomine Apoſtolus *Judas* magis ſeriò hortatur „ Sanctos pro fide „ ipſis ſemel traditâ decertare v. 3. ut vigiles facti ſibi meliùs caveant à *turpiſſimis* illis *ſomniatoribus*, qui ex quò *hæretici* facti eſſent in omnem *ſpurcitiem* prolapſi ſunt. Vel ſi aliqui hodiè ad evertendam Chriſti veritatem ſimul & Eccleſiam *magis ſobrii* acceſſerint, impensè tamen *ſuperbi* & *faſtuoſi* eſſe ſolent, ut *ſectæ ſuæ character* jure habeatur, non *bona vita*, ut alicui placuit, ſed *Jeſuitica*, *Sociniana animi elatio*, cum aliorum omnium contemptu & deſpicientiâ. Hoc indice lapide *Anachoreta* ille *Auguſtinum* monachum (*Angliæ Apoſtolum* dictum) probari voluit: quo ſi & iſti itidem probarentur, qui *Angelos fictâ probitate* ſimulant, *ſuperbiâ Luciferum* proderent. At hæc inter *opera carnis* numeranda eſt, non ſenſu quidem *vulgari*, qui per *carnem*, *corporalem* & magis craſſam *ſenſualitatem* intelligit, vel *Scholaſtico-Pontificio* (quem plures alii ſequuntur) qui carnem de *inferiorum animæ facultatum inordinatione* interpretatur, ſed verè *Apoſtolico*, qui *totam naturæ* vel *ſupremarum facultatum vitioſitatem carnis* nomine indigitat. Hoc in ſenſu *hæretici*, cum præ reliquis *ſuperbi* ſint, *carnales* erunt, atque eo nomine *parùm verè religioſi*. Hæc ſi more magis quàm pro ſolito declamatorio alicui dicta videantur, is facilè veniam dabit, qui Quæſtionem hanc pro concione ad *populum* potiùs quam in *Scholis* hiſce tractandam eſſe cogitaverit. Utcunque vel hîc concludo *veram* eſſe, & *verbo Dei conſentaneam*.

QUÆST. XXV.

Regnum Chriſti perſonale in terris non eſt expectandum.

IN *Propheticis nullus ſum* dixit aliquando doctiſſimus ſimul ac pientiſſimus *Bayneſius* noſter ὁ μακαρίτης. Hæc trepidè aggreditur *Pareus*. *Calvinus* ὁ πάνυ cum reliquos Sacri Codicis libros doctiſſimis Commentariis illuſtrâſſet omnes, ab *Apocalypſi* ſimiliter illuſtrandâ, utpote rerum Apocalypticarum obſcuritate deterritus deſtitit: quarum proinde me parùm, imò

nihil omninò pudeat vel palàm noſtram profiteri ignorantiam. Hæc quidem dum *nova* eſſe videntur, & *cerebrum* magis titillent quàm *cor* tangant, leviorum quorundam ingeniorum pruritum extimulant; dum *externum*, & qui in ſenſus ſe ingerit Eccleſiæ *ſplendorem* exhibent vel oſtentant, *carnalitati* noſtræ nimis *ſubblandiri*, atque aliquos à *rebus fidei* & *vitâ verè ſpirituali abducere* ſolent. Cum denique res omninò crepera ſit, vel denſis potiùs obducta tenebris (cum hæc, teſte *Auguſtino*, „ citius implentur quàm intelliguntur) hinc tot oppoſitarum his de rebus ſententiarum divortia, & totidem ferè hallucinationes, ipſo rerum ſæpiùs eventu (non ſine ſtrenuè utrinque aſſerentium pudore) improbatæ.

Cum igitur *futura*, non quidem ſemper incerta, ſæpiſſimè tamen *obſcura* fuerint, & Servator noſter jam in cœlum aſcenſurus vel Apoſtolis hâc de re ipſum ſciſcitantibus *Act. 1. 6, 7.* „ non veſtrum eſt nôſſe tempora & momenta, quæ „ Pater poſuit in ſuâ ipſius poteſtate, reſponderit: non cum ſciolis noſtris *cæco impetu illotis manibus* in hæc involandum, ſed *cautè* & *pedetentim* incedendum judico, ſatiuſque (cum *Prideauxio* noſtro) puto ἐπέχειν vel prorſùs ſilere, quàm vertiginoſas Theorias pro oraculis populo nimiùm credulo venditare: quâ in re Doctiſſimi Reſpondentis laudo modeſtiam, qui non timidè forſan, leniter *tamen* * *ſperamus*, imò vel adhuc leniùs & molliùs *probabiliter ſperamus* dixerit.

* *In priori Quæſtione de generali Judæorum ad fidem Chriſtianam converſione.*

Non quòd aliorum in hiſce eruendis ſobriam vitio vertam induſtriam, imò eſt quòd deprædicem. Cum enim ipſe Chriſtus Apoc. 1. 3. eos *beatos* pronuntiaverit, *qui legunt & audiunt verba prophetæ illius*, cum etiam Danielis 12. 4. legimus quòd *ad tempus determinatum diſcurrent multi*, & *augebitur cognitio*, ſecundum illud *Irenæi* *Lib. 4. c. 43.* „ Omnes Prophetiæ priùſquàm habent „ efficaciam, ænigmata & ambiguitates ſunt hominibus, cum autem vene„ rit tempus, & evenerit quod prophetatum eſt, tum habent liquidam & cer„ tam interpretationem: non de nihilo eſſe, imò magni aliquid pro foribus eſſe puto, ut *Eccleſia antiqua* ferè uſque ad *Hieronymum* Regni Chriſti *millennium* conſtanter credidit, ita plures pii doctique viri hoc ultimo, & proximè præterlapſo ſæculo de eo (ut cum *Petro* loquar) *1 Pet. 1. 10, 11.* ἐξεζήτησαν καὶ ἐξεραύνησαν, & ad fœliciſſima illa, quæ Prophetæ paſſim prædixerant noviſſimis diebus futura tempora præſtolanda evigilârunt. Ita ſcilicet res prædictæ non ita multùm ante earum exhibitionem *gliſcere* paulatim atque *illuceſcere* ſolent, non ſecus ac ante ſolis exortum matutina crepuſcula. Quocirca cum *Hieronymus* (qui ut in plurimis aliis pro ingenio ſuo concitatior, ita in hæc aliquantùm iniquior fuit) *Comment. 18. in Iſa. in præfat.* hæc habeat, „ Apollinarium, qui Chiliaſta fuit non „ ſolùm ſuæ ſectæ homines ſed & noſtrorum in hâc parte duntaxat plurima „ ſequitur multitudo, ut præſagâ mente jam cernam quantorum in me rabies „ concitanda ſit; Cavenda etiam nobis eſt plurium doctorum, piorumque virorum hâc in re diſſentientium offenſio: ideòque abſit modò *curioſa* harum rerum non-fundamentalium *indagatio*, audaxque nimis & *temeraria definitio* & aſſertio, *abundet quiſque ſuo ſenſu*; atque non tuta ſolùm, ſed & jucunda, imò utilis, pia etiam earum fieri poteſt inveſtigatio.

His ita (largiùs forſan quàm par erat) prælibatis, ad rem ipſam jam tandem propiùs accedamus.

Regnum Chriſti perſonale in terris non eſt expectandum.

Ad

Ad cujus explicationem hæc monenda.

Res *non expectanda* dupliciter dici poteſt, vel quæ jam præteriit, non in poſterum reditura, vel quæ nulla unquam ab initio ad finem uſque eſt vel erat futura. Secundus ſenſus hîc obtinet. Perſonale enim Chriſti in terris regnum non *ita futurum* negatur, ut *aliquando fuiſſe* concedatur. *Chriſtus* quidem dum in *terris* erat *perſonaliter Rex* fuit, & quædam Regii ſui officii opera edidit; at *externum* & *viſibile dominium*, quale volunt *Millenarii*, non exercuit, imò pro tum præſenti humiliationis ſuæ ſtatu averſabatur. Lucæ 12. 14. Johan. 18. 36. 1.

Cum hujuſmodi regnum *in terris* negat, *in cœlo* aſtruit, ubi Chriſtus in perſonâ propriâ viſibilis *ad dextram Patris* ſedens Regio officio fungitur, & moderatur omnia Pſal. 47. Epheſ. 4. 2.

Dum in terris regnum *Perſonale* abnuit, *ſpirituale* ponit, *in quod* credentes jam *traductos* agnoſcit Apoſtolus Col. 1. 13. 3.

Neque verò ſpirituali huic regno, quod adſtruit, *externum omnem ſplendorem adimit*, quem ultimis ſub Evangelio temporibus adeò eximium aliquando futurum Prophetæ ferè omnes ita paſſim 66. (quos aliqui enumerant) locis ita ῥητῶς prænuntiant, ut ad *ſenſum ſolùm ſpiritualem* eos omnes trahere, *Judæis ſcandalo*, imò ludibrio ſit, atque (ut verum fatear) mihi (ut & aliis longè doctioribus) nunquam perſuaſum eſſe poterit. 4.

Proinde neque de *Iſraelitarum* ad *patriam ſuam* poſtliminio *reditu* jam agitur, neque de ſplendidiſſimo ibidem rerum ſtatu; eorumque præ *Gentibus* prælatione, vel placidiſſimâ univerſæ Eccleſiæ poſt Antichriſti reliquorumque hoſtium interitum pace & gloriâ, quæ omnia aliqui ex Veteris & Novi Teſtamenti Prophetiis ſatis plauſibiliter eruere conantur. 5.

Illud ſolum negatur, quòd in terminis terminantibus *Regnum Chriſti in terris perſonale* ſcilicet quod ipſe *perſonaliter*, *corporaliter* & *viſibiliter præſens*, aliorum Regum more (non quidem vitioſo, quo illi ferè ſolent, ſed) ſanctiſſimo, *externè* tamen & *Monarchicè* adminiſtraturus ſit: *hoc*, inquam, ſolum *expectandum* negatur. Quod quale demùm futurum credunt aliqui, non ex putidis *Puccii*, *Davidis Georgii*, vel *Franciſci Davidis*, vel *Anabaptiſtarum*, vel *Quinto-Monarchicorum* noſtrorum lacunis hauriendum eſt, qui *Quinquatria* (ut ita dicam) quædam ſomniant, ubi cum inſano furore Eccleſiam ſimul & Rempublicam peſſum dederint, ſeipſos Regni ſui ſolium aſcenſuros, vel (cum *Zebedæi* filiis) „ ad Chriſti dextram, ſiniſtramque ſeſſuros, omnia ſcilicet pro libitu ſuo adminiſtraturos ſibi pollicentur: horum ineptias refutare vel etiam recitare nec libet nec vacat: Faxit Deus ne Eccleſia noſtra unquam eorum furores, (ut ſuperiori ſæculo *Germania* miſerè) experta ſentiat. His igitur lacunis relictis, ad hujus ſententiæ fontes potiùs aſſurgamus. Hunc verò errorem aliqui *Cerintho* primo omnium tribuunt, unde non defuerunt, qui librum *Apocalypſeôs* præcipuè quod de *Millennio* agat ut *parùm Canonicum*, ſed à *Cerintho* hæretico conſcriptum rejiciebant. Alii *Papiæ Hieropolitano* temporibus Apoſtolorum proximo acceptum ferunt, homini *pio* licèt at (ſecundùm *Euſebium*) *modico judicio prædito*, & qui *traditiones verbo Dei ſcripto prætulit* eodem *Euſebio* teſte, atteſtante etiam *Baronio*. At Doctiſſimus *Blondellus* eum ex carminibus *Sibyllinis* arceſſit, quæ dum de rebus hujuſmodi hîc illîc cecinerint, & à Patribus magni fierent, tantam de his apud 6.

Euſeb l. 3. c. 22, 23.

L. 1. c. 36.

De Sibyll. Orac.

eos fidem fecerunt, ut *Juſtinus Martyr*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, & reliqui ferè omnes (unico *Dionyſio Alexandrino*, qui contra *Irenæum* hac de re ſcripſit, excepto) uſque ad *Hieronymum* unanimiter crediderint Chriſtum in terras iterum ante judicium deſcenſurum, & poſt primam quorundam Sanctorum reſurrectionem unà cum iis mille annos Hieroſolymis maximo cum ſplendore regnaturum. Adeò ut *Juſtinus Martyr* in decantatiſſimo illo *Dialogi* ſui cum *Tryphone* loco ἐγὼ ὃ καὶ εἰ τινες εἰσιν ὀρθογνώμονες καὶ πάντα χελ-σιανοὶ &c. non ſolùm *ſeipſum* & *reliquos omnes orthodoxos per omnia Chriſtianos* hoc accuratè defendere profiteatur, ſed & *aliter ſentientes* tantùm *nominetenus Chriſtianos*, reverâ *Atheos* & *impios hæreticos* appellare non vereatur. Hinc *Auguſtinus* hanc ſententiam quamvis propter ἀβεβηλοφυάδας nimis carnales inter *hæreſes alicubi* * numerat, alibi † tamen (modo de *ſpiritualibus* deliciis intelligatur) *tolerabilem* eſſe judicat. *Hieronymus* etiam, quamvis paſſim in plurimis locis eam inſectetur, damnare verò auſus non eſt, quia multi Eccleſiaſticorum virorum & Martyrum eam aſſeruerant. Inter Recentiores noſtros *Piſcatorem* & *Alſtedium*, ex noſtratibus Doctiſſimum *Medum* & *Archerum* præcipuè conſuluiſſe mihi licuit, qui omnes poſt Antichriſti interitum, & Judæorum ad fidem Chriſtianam converſionem, florentiſſimum Eccleſiæ ſtatum, & Regnum Chriſti in terris millenarium futurum exiſtimant. *Alſtedius* verò *Chriſtum* hîc in terris *viſibiliter regnaturum negat*, quod *Archerus* ſtrenuè *propugnat*, non ita tamen ut per totum Millennium hîc moram tracturus ſit, ſed poſt res ſatis compoſitas, & Regnum (juxta *Danielis* Prophetiam) *Sanctis traditum*, ejuſque gubernacula in manus Apoſtolorum tanquam ſummorum rerum moderatorum data, ad cœlum ſecundò abeat, donec inde ad ultimum, atque univerſale omnium judicium peragendum tertiò venerit.

Juſtin. in Dialog.
Irenæus apud Euſeb. lib. 3. cap. 39.
Tertull. contra Marcion. l. 3. c. 24.
Nazianzenus ut deliram ridet.
* *Contra hæreſes.*
† *De civit. l. 20. c. 7.*
Com. 4. in Jer.

Doctiſſimus *Reſpondens* dum hanc Quæſtionem propoſuit, forſan pluribus aliis *Chiliaſtarum* hâc de re placitis obviare in animo habuit. *Mihi* ſat erit ipſa *Quæſtionis* verba & veſtigia premere, atque hoc ſolùm oſtendere, prævium aliquem corporalem Chriſti huc adventum ante illum ultimum, adeòque *perſonale*, *viſibile* & *externum ejus in terris regnum non eſſe expectandum*. Quod mihi ideò parùm perſuaſum eſt.

Argum. 1. Primò quòd carnale aliquid nimis ſapiat, & à *Spirituali Chriſti* ſub Evangelio *Regno* (prout ubique in Sacrâ Scripturâ deſcribitur) longiùs abſcedere videtur. Agnoſco quidem ejus Aſſertores hoc ſolicitè amoliri, non *Saturni novum Regnum*, non *paradiſum Mahometicum* ſomniare, non carnales voluptates in hoc *novo cœlo* & *novâ terrâ* (in quibus Chriſtus & *juſtitia inhabitant*) ſe ſpectare credi volunt: quo nomine hæc eorum ſententia ita deformata nunc ut olim quaſi anilis fabula, imò ut hæreſis peſtifera exploſa eſt. Interim verò

1. Malè tinnit, quòd hujus vindices acerrimi (non doctos & pios ex eorum numero aliquos volo) ſi non olim at hodiè certè *non* adeò *ſpirituales* compareant, ſed plus ſatis *carnem ſapiant*. Vel, ſi dicatur ex hominum moribus iniquum de eorum doctrinâ arripi præjudicium,

2. Dico ipſam *doctrinam temporalia* & carnalia plus æquo *ſapere*, dum non ſolùm inſignem omnium ſanctimoniam, ſed & *pacem* profundiſſimam, ſummam rerum omnium *affluentiam*, denique proſpera omnia, idque per *Millennium* de hoc regno prædicat, adeòque *Eccleſiam* non *militantem* ſed *triumphantem*

phantem in *terris* collocat, dum Eccleſiam nullam triumphantem (hominum ſaltem) in cœlo relinquit, (Beatas enim animas omnes inde tum evocat) in terris Eccleſiam triumphantem non militantem collocat. At Sacra Scriptura contra. „ Non eſt Regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium „ in Spiritu Sancto Rom. 14. 17. „ Non venit μετὰ παρατηρήσεως Lucæ 17. 20. cum externo quopiam ſcilicet Majeſtatis ſplendore, qualem expectabant Phariſæi; & nunc quoque Judæi expectant, prout plerique Interpretes eum locum exponunt. Sed longè aliter prædixerunt Apoſtoli „ Oportere per multas afflictiones nos ingredi in Regnum Dei. Act. 14. 22. ut „ & ipſe Chriſtus, in mundo afflictionem habebitis Johan. 16. 33. Non hîc omnia proſpera, ſaltèm per *Millennium*. *Beza, Piſcator, Grotius, alii.*

3, Dum *corporalem Chriſti* in terris *præſentiam* tum futuram dicunt, ſanè hoc *carnem* magis ſapit quàm *Pauli ſpiritum* qui 2 Cor. 5. 36. hæc habet, „ Quòd ſi etiam novimus Chriſtum ſecundùm carnem, nunc tamen non „ ampliùs novimus, *adverſus eos, qui ſe alius præferebant quòd Chriſtum ipſum corporaliter præſentem audiſſent, vidiſſent, familiariterque cognitum habuiſſent*, qui ideò δεισιδαιμονες dici voluerunt; at longè aliam jam poſt Chriſti in cœlum aſcenſum fidelibus eum conveniendi rationem affirmat Apoſtolus, *ſpiritualem* ſcilicet per *fidem*, non per *corporalem præſentiam*. „ Senſus eſt, „ etiamſi Chriſtus ad tempus verſatus fuit in hoc mundo, & agnitus hominibus in iis quæ ſpectant ad conditionem præſentis vitæ, nunc alio modo „ cognoſcendus eſt, nempe ſpiritualiter, ut nihil mundanum de ipſo cogitemus. Si *Calvinus* (uti ſolet) optimè: ac proinde ut *Pontificii* pro *Capernaitis carnalibus* habendi ſunt: qui *Chriſtum* (craſſo nimis commento) *corporaliter adeſſe* volunt *in Cænâ*, ità non multum ab iis abludunt, minùs ſpiritualiter ſaltèm ſapere videntur, qui (quouſque hîc *fide ambulamus*) ſimilem *præſentiam* hîc ei affingunt in *Regno*. *Grotius.*

4. Quod etiam ultrà magis patet ex eo quòd ut plurima Sacræ Scripturæ loca ad tum temporis Eccleſiam reſtringunt, quæ ipſo Sancto Spiritu Interprete ad totam ſub N. Teſtamento Eccleſiam referuntur, (V. G. illum Jer. 31. ſi cum Hebr. 8. conferatur) ità quæ in V. T. & à Prophetis de *ſpirituali Eccleſiæ ſub N. T. ſtatu Myſticè* ſed verbis & ſententiis *externam proſperitatem* κατὰ λέξιν dicentibus efferuntur, de eâdem craſſè nimis & *carnaliter* interpretantur: quidni & *Ceremonialia Legis* denuò revocanda exiſtiment, cum his *Ceremonialibus* æquè ac mundanis ille *myſticè* exprimantur? Quid etiam impedit quin hâc interpretandi ratione Sancti omnes non minùs propriè *Sacerdotes* quàm *Reges* futuri ſint? nam utrumque dicitur Apoc. 1. 6.

5. Quod ad hoc (quod volunt) Regnum attinet: cum Diſcipuli vulgato Judæorum de Meſſiâ & Regno mundano errore abrepti illud *ambiebant* Matth. 20. deque eo *Chriſtum ſciſcitabantur* Act. 1. ille aliorſum eorum oculos, animos flecti voluit, de afflictionum *poculo ebibendo* monuit, eosque non *Reges* ſed *Teſtes* vel *Martyres* futuros dixit: Et ut Apoſtolus *Chriſti Regnum* ἐπουράνιον *cæleſte* (non ſolùm ratione *ſtatûs*, ſed & *loci*) nominat, ſic ipſe Chriſtus *Regnum ſuum non ex hoc mundo eſſe* apertè profitetur. Johan. 18. 36. At erit tandem ex eorum ſententiâ, cum ſemel illud in terris *perſonaliter* & *viſibiliter* adminiſtraverit. Agnoſco quidem illius ſententiæ authores reſpondere, Chriſtum hoc dixiſſe ut diſcipulorum errori obviaret, qui- 2 Tim. 4. 18.

de regno externo *tunc illicò apparituro* (ut habetur Luc. 19. 11.) ſomniabant; ideòque non negâſſe illud *tandem* futurum, ſed non *tum ad fores* eſſe ut illi opinabantur; ad quod probandum illud adducunt quòd illo *Johannis* loco apponatur adverbium νῦν, *Nunc* autem Regnum meum non eſt hinc. Sed Reſpondeo, verum quidem eſt Chriſtum ibi non negâſſe ſe tandem regni ſui munia in hoc mundo perſonaliter viſibiliter obiturum: ſed quæ apud *Lucam* ſequuntur, apertè docent, hoc futurum quando ad *ultimum judicium* peragendum venturus ſit: non enim conveniunt *regno* illi (quod illi volunt) *antecedaneo*. Et quamvis νῦν in illo loco *Johannis* adjiciatur, ſatis tamen conſtat ibi non eſſe *Adverbium Temporis*, ſed *Conjunctionem* συλλογιστικὴν & *Adverſativam*, quæ in *aſſumptionibus* adhiberi ſolent, neque Servatoris mentem fuiſſe *ſolo* illo *Humiliationis* ſuæ tempore *regnum in terris viſibile & externum* à ſe abjudicare quod poſtea hîc adepturus & adminiſtraturus ſit per *Millennium* ante ultimum omnium judicium, ſed & *Regni ſui* à Deo promiſſi & à Prophetis prædicti *indolem* monſtrare, ſcilicet non κοσμικὸν καὶ ἐπίγειον, ἐπουράνιον ἢ καὶ ἀγγελικὸν, quod ille apud *Euſebium Domitiano* reſpondit, *cæleſte, angelicum & ſpirituale*, non terrenum, mundanum, vel quod *Cæſari* vel aliis Monarchis fraudi futurum ſit, quod *Herodes* priùs, *Domitianus* poſteâ, *Pilatus* hîc verebantur: Quod tamen ex *Chiliaſtarum* ſententiâ jure poſſent, quia *Regnum* hoc ſuum *Millennare omnia omnium imperia abolituru*m autumant.

Valla, Beza, Piſcator, Brugenſis.

Hæc quinque in primo hoc argumento ſatis probant hanc eorum ſententiam nimis *carnem*, minùs *ſpirituale Chriſti Regimen* ſapere, prout non ſemel ex his quidam profitetur *Sanctos* per hoc *Millennium* non adeò *fide* ſed *ſenſu victuros*. Ego verò magis *Paulo* credam, ubi dixit „ Per fidem ambulamus, „ non per adſpectum. 2 Cor. 5. 7.

Mr. Archer.

Argum. 2. Secundum Argumentum ex Act. 3. 21. deduci poteſt, ubi ſic legimus, „ Quem oportet cœli quidem capiant uſque ad tempora reſtitutionis omni- „ um, de quibus locutus eſt Deus à ſæculo per os omnium Sanctorum ſuo- „ rum Prophetarum. At hæc omnium reſtitutio *ultimo* tantùm *die* futura eſt. Ergo ante eum nullus Chriſti expectandus reditus. At hanc reſtitutionem in hoc *Millennio* futuram, ideò de eo hunc locum exponendum contendunt illi: atque ex eo inprimis quòd de iis loquatur, de quibus *omnes Prophetæ* locuti ſunt; At de iſto *Millenari Regno* locati ſunt *omnes*, non item de *extremo illo judicio*. Cui hæc quæ reponam habeo,

1. Num de hoc *omnes*? Quid de hoc Propheta *Nahum*? Quid ſaltèm *Jonah*? ne verbum quidem.

2. Id inprimis ægrè habemus quòd totidem inſignes de *ultimo judicio* prophetias ad hoc *Millennium* rapiant, ut magnum iſtum de *ultimo judicio fidei* noſtræ *Articulum* è V. T. ferè eraſum eant.

3. Num in illo Millennio reſtitutio *omnium* fiet? ubi *vita maximæ partis hominum* non reſtituta erit? cum *mors* ultimo die reſurrectionis abolenda ſit. 1 Cor. 15. 26.

4. Illud ἐφ' ᾧ non exponendum eſt de eis rebus quæ hoc *Millennio* (ſi quid tale fuerit) ſed de omninò omnibus quæ *ſub Evangelio* futura *à primo ad ultimum* prædicta ſunt, non à *quovis Propheta ſingula*, ſed *ab omnibus ſimul omnia*, quorum aliqua ante ultimum judicium effectum non ſortientur.

5. Si

5. Si iſte Locus *Actorum* hoc *Millennium* confirmet, malè certè *Millenariorum* aliqui cauſæ ſuæ conſuluerunt, qui nihil expreſsè de eo in Scripturis inveniri concedunt, niſi in ſolo *Apocalypſeôs* Capite *viteſimo*.

Tertium Argumentum inde ſumi poteſt, quòd ex Domini-*Archeri* ſaltèm ſententiâ *triplex* ſtatuendus ſit *Chriſti* ad terras *adventus* & in cœlum *aſcenſus*. *Argum. 3. Tres etiam Chriſti adventus ponit Hammondus in Matth. 24. Not. b. 1. in carne 2. in excidio civitatis Hieruſalem. 3. in ultimo judicio.*

Adventum primum in *incarnatione* ponit, ſecundum in *Millennii initio*, tertium poſtquam ad Cœlum redierit, in *ejuſdem Millennii fine*. At nos ſecundùm Scripturas *primum* quidem in *Incarnatione* læti gratulamur, *ſecundum die ultimo* futurum præſtolamur, at *tertium intermedium* non agnoſcimus. Ad *Hebræos* Cap. 9. v. 26. 28. legimus *Chriſtum* ſemel ad *abolitionem peccati* apparuiſſe, & *ſecundò abſque peccato denuò apparaturum*; at *tertiò* nec ibi nec alibi legimus. Legimus quidem de illuſtri illâ Domini noſtri φανερώσει, ἐπιφανείᾳ, παρουσίᾳ, ἀποκαλύψει, ſed ubique de eâ tanquam unicâ, quando *cœlum & terra diſſolventur* 2 Pet. 3. 10. *omnium finis erit* 1 Cor. 15. 24. quæ ex eorum ſententiâ non futura ſunt niſi poſt *Millennium*: quando *judicabuntur omnes* Matth. 25. 31. 2 Tim. 4, 1. *Sancti omnes ad Chriſtum aggregabuntur* 2 Theſſ. 2. 1. *cum eo ſemper erunt* 1 Theſſ. 4. 17. Johan. 14. 3. & Beatificâ Dei viſione fruentur 1 Johan. 3. 2. Quæ *diei ultimo*, non eorum *Millennio* conveniunt, quando *corpora noſtra humilia & vilia conformia fient Chriſti corpori glorioſo* Philipp. 3. 21. At ex eorum ſententiâ, aliquorum ſaltem, hujus ſui regni cives generabunt & ſoboleſcent.

Et quod ad Chriſti *aſcenſum in cœlum* attinet, *Sociniani* quidem eum item *triplicem* ſomniant, primum *ex deſerto*, „ in quod à Spiritu ut à Diabolo „ tentaretur, abductus fuit, ut Moſis & Pauli inſtar, ibi Myſteria, quæ nobis propalaret ipſe priùs diſceret, ex loco Johan. 3. 13. peſſimè ab ipſis expoſito. Secundum ex *monte Olivarum* poſt ſuam Reſurrectionem. Tertium poſt univerſalem omnium Reſurrectionem, & *finito judicio ultimo*, cum ipſe cum *Sanctis* omnibus triumphans *Capitolium* (*cœlum ſupremum* volo) *ultimò aſcendet*. Sed cum *Socinianis* jam non agimus.

Millennarii (ſaltèm ex iis aliqui, nominatim *Archerus*) *triplicem* itidem Chriſti in *cœlos aſcenſum* fingunt; *poſt ſuam reſurrectionem, poſt res in Millennio ſatis compoſitas*, & tandem *tranſacto ultimo omnium judicio*. At *Chiliaſtæ* tum demùm *ſecundum ſuum Aſcenſum* in *Scripturis* invenient, quando *Sociniani ſuum primum*.

Argumentum quartum duci poſſet ex præcipitiis & labyrinthis, quibus Chiliaſtæ ſe ingerunt, ex incertis, & decretoriè ab ipſis dictis, ex abſurdis & diſcrepantibus eorum de rebus hiſce ſententiis: ex eorum cum Judæis Syncretiſmo: certiſſimâ ſecundùm eorum opinionem (ac contra quàm ipſe Chriſtus dixerit) ultimi diei notitiâ; & aliis his gemellis, præcipuè ex *Archeri* placitis, qui cauſæ huic ſuæ ſuffulciendæ, de mortuorum animis tertio in loco ſervatis, de cœlo non ante ultimum judicium eis aperiendo, de duplice inferno, de Verbi & Sacramentorum in Eccleſiâ per illud Millennium ceſſatione philoſophatur. *Argum. 4.*

Sed hæc & alia hujus commatis miſſa facio omnia: & ut calculum noſtrum tandem apponam

Generalem Judæorum ad fidem Chriſtianam converſionem cum Doctiſſimo Reſpon-

Reſpondente) ut nil majus dicam *probabiliter ſpero*. *Perſonale* (hoc eſt corporale, externum, viſibile) *Chriſti in terris Regnum non expecto*. De aliis ἐπέχω, nihil certi ſtatuo, ſed (cum *Origene*) illud potiùs dico „ Hæc unus ſo„ lus novit, & Unigenitus ejus, & ſi qui fortè amici ejus ſunt.

QUÆST. XXVI.

Miniſtris Conjugium non eſt interdicendum.

Artic. 32. Eccleſ. Anglic.

CONcilium *Tridentinum* Seſſ. 24tâ. Canone nono hæc effulminat „ Si „ quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares „ caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, con„ tractumque validum eſſe non obſtante Lege Eccleſiaſticâ vel voto, Ana„ thema ſit. *Eccleſia* interim *Anglicana* brutum hoc fulmen nil metuens Articulo confeſſionis ſuæ 32do. contra ſtatuit in hæc verba, „ Epiſcopi, Preſ„ byteri, Diaconi non tenentur lege Divinâ vel vitam cœlibem vovere, vel à „ conjugio abſtinere. Eis itaque æquè ac Chriſtianis reliquis omnibus lici„ tum eſt Matrimonium contrahere pro animi ſui ſententiâ, in quantum id „ pietati meliùs inſervire judicaverint. Sic noſtri, ſic *Reformati* omnes. Hæ adverſæ acies, hæc, de quâ adeò digladiantur, Controverſia: ad cujus tamen ſtatum & ſenſum magis particulatim explicandum, hæc pauca notanda.

Cum enim *Miniſtris Conjugium interdicendum* eſſe *negamus*, contra *conceſſum* & *licitum* eſſe dicimus, hoc variè & quoad plura intelligi poteſt. Quæri ergo poteſt, *Quouſque Conjugium hiſce licitum* dici poſſit,

1. An eouſque ut qui jam Sacris ordinibus initiati ſunt Matrimonium *de futuro* contrahere poſſint. Hoc dejerant *Pontificii*, non admittunt etiam *Græci*.

2. An qui *priùs uxorati* ſint *poſteà ordinari* poſſint. Hoc *Græci* in *Clericis* omnibus (præter *Epiſcopos*) non ſolùm admittunt, ſed ſuadent potiùs; neque *Pontificii* prorſùs averſantur, ſed aliquouſque concedunt: cum ab ordine imò & profano ad ſuperiorem & ſanctiorem (à *conjugio* ſcilicet ad *Sacerdotium*) licitè aſcendi poſſit: benignâ manu hoc largientibus *Medinâ*, *Verveſio*, aliis, præſertim ſi *uxor* priùs ducta jam cum ordinatur maritus anteà *mortua* fuerit; quamvis enim juxta eos *Ordo indelebilem characterem imprimat*, priùs tamen conjugium, profanum ut fuerit, non talem inducit maculam quin tot, & tam ſacris poſteà ordinandi luſtrationibus elui poterit.

3. Si verò priùs ducta uxor adhuc *in vivis* ſit cum maritus jam ſacris addicendus ſit, quid demùm de eâ fiet? an *retinenda* eſt, vel dato repudii libello *ableganda*? Hoc ut aliis *Pontificiis* placuit, ità inprimis *Siricio* Papæ, maximè omnium *Gregorio Septimo*, Orbis Faci, Eccleſiæ peſti, *Hildebrando*; utpote quòd *conjugati in carne ſint*, *Deo placere non poſſint*. Hinc tot conjugum, imò & animorum divortia, unde tot etiam infanda ſtupra, ſacrorum profanationes, ſchiſmata, & contrà nitentium lanienæ, de quibus illorum temporum adeò conqueruntur Hiſtorici, licèt ipſi *Pontificii*. Orientales *Græcos* quod ſpectat, quamvis *Trullani* Patres primi de *Epiſcopis* (iiſque ſolis)

Sigbertus, Mutius, Lambertus.

lis) ante ordinationem uxoratis ſtatuant earum *uxores* ab iis *ſeparari* debere, & Monaſterium procul ab Epiſcoporum habitatione extructum inhabitare, *Clericis* tamen *reliquis* cum uxoribus *cohabitationem*, communem etiam & menſam & thorum concedunt. Quem morem (ut loquitur *Bellarminus*) Eccleſia Romana etſi non probat, & abuſum eſſe judicat, tamen permittit *Græcis*: ſcilicet ut *Domina*, & Regina ſuis ſubditis. Illud *beneficè* admodum quòd ex Regiâ ſuâ indulgentiâ (quam illi nullam agnoſcunt) tanta eis largiatur: At parùm interim (ut opinor) *piè*, quòd illud ipſum Græcis permittit *Siricio* quod pro *crimine*, facinore, obſcœnâ cupiditate, *Nicolao Secundo*, pro *Nicolaitarum hæreſi*, pro fornicatione, concubinatu, fœdo commercio, *Coſtero* pro *ſcortatione multis nominibus turpiore*, prout aliis paſſim pro *inceſtu*, & *ſacrilegio* habetur, ejus vindex ei eſt *ſectator libidinum*, *præceptorque vitiorum*: *Pia* utique *mater* eſt, quæ tam *impia permittit*, niſi *truculentam* potiùs dicerimus, quæ *Græcis* ſibi inviſis, quos ſubjugare nequit, *permiſſione* hâc ſuâ *ad inferos* viam parat. Sed *munificam* potiùs dicamus, quòd *Orientalibus* hoc *gratis* veniat cum *Romæ peſſima* quæque *charo venalia* ſint. *De Clericis l. 1. c. 21.*

4. *Uxor* hæc *Clerici* ità vel in Monaſterium detruſa, vel aliorſum ablegata num aliquando ad *thorum admittenda*? Minimè Gentium; aliter nt quid omnino ableganda erat? ejus tamen *cura minimè abjicienda*, hoc benignè largiente *Bellarmino*: quàm forſan minore ſolicitudine domi aleret, dum ea ibi *familiæ adminiſtrandæ* onere eum magnâ ex parte levaret. Quod quantùm argumento ejus contra *Clericorum conjugium* à *rerum ſæcularium curâ* deducto adimit, ipſe viderit.

5. Quod ad *Clericos*, quibus *Conjugium interdictum* volunt, non eos *omnes*, non primæ tonſuræ homines, non *ordines inferiores omnes*, ſed ſolos & *Epiſcoros*, *Presbyteros*, *Diaconos* & *Subdiaconos* intelligunt.

6. De his tamen hoc interdicto innexis non idem ſentiunt, fluctuant, diſputant, 1. An Conjugium & Ordo contrarientur *naturâ* & *formaliter*, ut *Verveſius* ſentit, an *virtualiter*, & *quoad effecta*, ut *Medina*, vel tantùm *accidentaliter* & *interpretativè*, ſcilicet ex voto, ut *Coſterus*, vel *diſpoſitivè*, ut *Durandus*, vel *de congruo*, ut dignè ſcilicet & liberè Sacra tractare poſſent, ut *Cajetanus*. 2. An Conjugium interdictum ſit Clericis ex decreto & *præcepto Divino*, quod *J. Major* apud *Bellarminum* aſſerit, contra quod ipſe *Bellarminus* ex profeſſo diſputat, & *in totâ Scripturâ tale præceptum extare negat* (quod grati accipimus) ſed ex *præcepto Apoſtolico*, & huc dicta quædam *Pauli* ad *Timotheum* & *Titum* trahit. Sed quomodo hæc cohærent? *Nulla talia præcepta in totâ Scripturâ invineri* dixerat, & tamen hîc *aliqua in Pauli ſcriptis* inventa producit. Annon *Pauli Scripta* in *Scripturâ* ſunt? Annon præceptum *Apoſtolicum Divinum* cenſebitur? Nobis utique: at *Pontificii* aliter ſapiunt, ut jus integrum *Papæ* conſervent, qui (iis fatentibus) traditiones *Divinas abrogare* nequit, at (iis propugnantibus) *Apoſtolicas* poteſt. Eorum plures hoc interdictum *juris poſitivi*, *humani*, *Eccleſiaſtici* eſſe volunt, ut inde pietatem eorum ſuſpicere, vel impiam potiùs audaciam deteſtari liceat, quòd Conjugium *jure Divino licitum jure* ſuo *Eccleſiaſtico illegitimum* fiat, & è contra *quos Deus conjunxit*, *ipſi* auſu temerario *ſeparent*. 3. Diſputant etiam an hoc Clericorum interdictum *diſpenſabile* vel *relaxabile* ſit, ut aliquando, vel in caſu aliquo, aliquibus ſaltem uxores ducendi vel *De cleric. l. 1. c. 18.*

jam ductas retinendi copia concedi poterit. Ἀποτόμως in univerſum *negant Coſterus*, alii. *Orientialibus Græcis* hoc *indultum* vult *Andradius*, nec ægrè concedit *Bellarminus*. Imò *Occidentalibus* veniam hîc aliquam indulgendam putant alii. Si legitimus ſcrupulus excruciet, ſic *Verveſius*. Si poſt nuptias Sacerdotii uſum abjecerit; ſic *Medina*. Si non maturâ deliberatione ſe voto aſtrinxerit. Sic *Pereſius*. Imò non ſolùm cum hujuſmodi hominibus diſpenſandum, verùm ipſam *Legem* relaxandam eſſe volunt alii. Celebre illud *Æneæ Sylvii* (qui & Papa fuit, *Pius Secundus* nomine) „ Sacerdotibus ma-
Lib. 2. de Concil. Baſil. „ gnâ ratione ſublatas nuptias majori reſtituendas videri; quàm mutationem
Platina. fieri poſſe & Papa *Pius Quartus* perſuaſum habuit, ſi *Galliarum Regis* apud eum *Legato* fidem habeamus. Certè de *Panormitano*, *Eraſmo*, *Caſſandro*, & *Pontificiis* aliis ità ſentientibus ſatis conſtat. Ità ſcilicet dum *turrem* hanc *Babylonicam* extruunt non *vox* iis *una*, non mens eadem.

At *Reformatis* interim omnibus hâc in re concors ſententia, atque hæc eſt

1. De *voto cœlibatûs* (quod Canoni ſuo immiſcuere *Patres Tridentini*, & citra quod plures Pontificii *conjugium Sacerdotio contrarium* eſſe negant), cum extra hanc cauſam ſit, nec explicitè, quòd ipſi fatentur, ad Sacerdotium ineundum requiratur, nihil hîc agimus: tantùm, cum æquè *illicitum* ſit, rejicimus: imò cum implicitè ſaltem ab ordinando neceſſariò exigatur, adeòque non *voluntarium* ſit, neque verè omninò *votum* eſſe contendimus.

2. Secundò non dicimus (quod tamen *Pontificii* falsò nobis impingunt) *conjugium Clericis omnibus neceſſitate præcepti injungi.* In ſe indifferens eſſe,
Coſterus. Salmero. Alphonſus. à Caſtro. ipſis licitum, & prout eorum res poſtulant, liberum, imò à Deo in remedium inſtitutum, atque idcircò Pontificiam ejus interdictionem iniquam, Diabolicam eſſe contendimus. Scripſit quidem *Calvinus* in 1 Tim. 3. 2. „ Apoſtolum eo in loco quaſi dixiſſe adeò non cogendos ad cœlibatum Epi-
„ ſcopos, ut maximè pios deceat conjugium. At *Decet* & *Neceſſarium* eſt
Tom. 3. l. 16. c. 3. 3. multùm differunt. Dixit etiam *Chamierus* „ Tantùm abeſt ut (Apoſtolus)
„ nominârit in vitio, ut potiùs virtutibus aſcripſerit, ſi quis ſit unius uxoris
„ vir. An verò *Potiùs* & *Omninò* idem ſonant? Minimè omnium dicimus Conjugii neceſſitatem omnibus imperari (& quod addit idem Author) ne-
l. 16. c. 3. §. 7. „ que iis quidem qui uruntur, tum quòd alia remedia adhiberi, tum quòd externa ejus impedimenta objici poſſint. Si verò in caſu uſtionis hujusmodi impedimenta conjugii abfuerint, & reliqua adverſus incontinentiam remedia inefficacia ſint, Apoſtoli *conſilium* de *conjugii remedio* adhibendo, tantùm non (quidni *omninò* dicam?) in *præcepti* rationem tranſit, cui *non obtemperare* multis nominibus *peccatum* eſt: at quanto pluribus, hoc ipſum (Apoſtoli adeòque Dei ipſius authoritate deſpectui habitâ) pro imperio (quod faciunt *Pontificii*) *interdicere*? Hoc in ſenſu dicimus *Miniſtris conjugium non eſt interdicendum.* At his rationibus,

Argum. 1. Quarum prima illa eſſe poteſt, quòd adeò exilibus & infirmis argumentorum tibicinibus nitatur hoc *Pontificium* interdictum. Ut eorum reliquos mittam, ſi eorum omnium ex uno, eoque non vulgari & levis armaturæ mi-
De Clericis lib. 1. c. 12. lite, ſed Achille & anteſignano *Bellarmino* æqua inſtituti poſſit æſtimatio, debilis omninò eorum probatio eſt. Nil de eâ dicam, quam ex *Conciliorum*

&

& *Patrum* teſtimoniis adornat, in quibus detorquendis (uti ſatis oſtenderunt *noſtri*) egregium (ut ferè ſolet) Prævaricatorem agit. Ex *S. Scripturâ* hæc ſola adducit teſtimonia, de quibus penes vos eſto judicium.

Ad *Titum Epiſcopum* debere eſſe σώφρονα, ἐγκρατῆ. Quid inde? Ergo cælibem. Sequela inepta, nulla, ac ſi nulli ἐγκρατεῖς eſſe poſſint præter *Encratitas Hæreticos* eiſque ſimiles nulli *ſobrii*, niſi *cælibes*, cum idem Apoſtolus 1 Tim. 2. 15. *fœminis* etiam τεκνογονίαις σωφροσύνῃ tribuat. *Sobrius* ille forſan magis eſt, qui *vino temperanter utitur*, quam *omninò abſtemius*.

Ex 2 Tim. 2. illud affert „ Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, inter quæ nuptiæ ſunt. Nugæ! quaſi vel *ſoli Clerici* Deo *militent*, vel in piâ & prudente familiæ adminiſtratione (quam Apoſtolus imperat) ea neceſſariò ineſſet ἐμπλοκὴ quam hîc vetat, cum *uxor* in *auxilium* data, *adjutrix*, non *inſidiatrix*. Sic *Chryſoſtomus*, „ Non nocuit tibi progenies, non „ obſtitit uxor, ut de *Hilario Mantuano*. Vel denique ſola *implicaret familiæ cura*, & non magis *carnis ſtimuli*, à quorum remedio à Deo inſtituto arcent, non *rerum politicarum*, *Regnorum*, *totius denique orbis adminiſtratio*, quam *Epiſcopis*, *Cardinalibus*, maximè omnium *Papæ* indulgent. Ad populum phaleras!

Sed à ludicris ad ſeria tandem *Bellarmine*: En tandem *ſeriò nugas agit*, dum illud 1 Cor. 7. adducit, ubi „ Conjuges ex conſenſu ad tempus ab opere „ nuptiarum vacare vult Apoſtolus, „ ut orationi inſtent. Ergò cum *Clerici* huic *ſemper inſtare* debent, debent etiam à *re uxoriâ ſemper abſtinere*, ut in V. T. Sacerdotes in Templo vices ſuas obituri, reliquique cum res ſacras tractârunt, vel Deo appropinquaverunt. Hem! quàm appoſitè! Nonne tamen vel *tum uxorati* erant? num *Miniſtri Evangelici Euchitæ* evadunt? nonne *vices*, ὅρος, *interſtitia* habent? ἔσαι, τοῦτον τὴ ὁμιλεῖν γυναικὶ ἐν δίκῃ προσέχειν. Nonne dixit *Chryſoſtomus*? vel annon *Bellarminus* malâ fide agit, dum in illo teſtimonio allato *orationis tantùm* meminit, ubi Apoſtolus *jejunium* etiam adjunxit? Num ergo Sacerdotibus ſemper *jejunandum* eſt æquè ac *ab uxoribus abſtinendum*? Apoſtolus ergo non *preces ordinarias*, ſed *extraordinarias* cum *jejuniis* conjunctas ibi intelligit, quo tempore Sancti à re uxoriâ abſtinent, dum plerique eorum Sacrificuli (*Zimri* inſtar) rem cum ſcortis habere non verentur. Sed harum ineptiarum jam ſatis ſuperque: eos velim pudeat deſperatæ cauſæ ſuæ (quæ tantas in Eccleſiâ, in orbe turbas dederit) ſtramineis adeò argumentis ſuffultæ.

Argumenta in adverſum noſtra nec tempus nec animus neque verò opus eſt proferre: in re tam tritâ cum nova vix ultra adduci poſſint, in veſtram patientiam æquè ac eruditionem peccarem, ſi ab aliis paſſim adducta, & cuivis obvia reponerem: qualia illa ſunt „ Honorabile in omnibus conjugium & „ κοίτη ἀμίαντος aſſerente Apoſtolo; „ omnes non capiunt hunc ſermonem, affirmante Domino, ne quidem *Clerici* omnes, qui cum aliis ὁμοιοπαθεῖς ſint, vel aſtipulatore *Salmerone*, „ ubi viget ratio & finis legiſlatoris, ipſa quoque „ Legis debet vigere diſpoſitio; at legem ſcriptam habemus 1 Cor. 7. Διὰ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι, quæ etiam Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Sanctiſſimorum licèt, uxoratorum tamen praxi & exemplo ſancita eſt. Cujus proinde (quæ apud *Pontificios* obtinet) *interdictio*, cum de Divino in creatione primitùs in-

Argum.

Heb. 13. 4.
Matth. 19. 15.

dulto minuat, pro audaci nimis in Deum *Sacrilegio*, cum libertati Evangelicæ Chriſti ſanguine partæ adverſetur, pro *Tyrannide Antichriſtianâ*, animarumque plurium Chriſtianarum carnificinâ meritò habenda eſt. Atque ut reliqua omnia (quæ vel dicuntur vel dici poſſint) taceam, hoc unicum ſemel dicam, ut *cauſas*, ex quibus primùm orta eſt, malas habuit, ita effecta peſſima.

Inter *cauſas* (unde originem traxit) hæ numerandæ;

1. Superſtitioſa nimis & Hypocritica *Clericorum affectata Sanctimonia*, quâ factum eſt, ut dum reliqui pro *Laicis* & puris putis impuris *brutis* ventrem ſolùm, & quæ ſub ventre ſunt curantibus, illi interim pro ſolo *Clero*, pro *Angelis* haberentur. Sic *Gratianus* hujus conſtitutionis cauſam *munditiam Sacerdotalem* agnovit, quam idcircò *Mantuanus* non immeritò *audacem pietatem* nominavit.

2. Nimia cœlibatûs & *virginitatis affectatio*, quam Sacra Scriptura non *imperat*, ſed ſolùm *commendat*, idque in *aliquibus* præcipuè *temporibus* & *caſibus*.

3. Inde audax & blaſphemus *conjugii contemptus*, quod Deus in primævo *innocentiæ* ſtatu juxta *naturæ Legem* in *bonum humani generis* inſtituit, ſub Lege ſancivit, in Evangelio *honorabile* eſſe cenſuit, quodque ipſi Servatori noſtro ſanctiſſimo præſentiâ ſuâ honeſtare, primoque miraculo ſuo decorare placuit, quod etiam *Pontificii* ſaltèm *Laicis* pro *Sacramento* haberi volunt.

4. His addatur non provida bonorum Eccleſiæ cura, ſed (quæ Apoſtolo „ malorum omnium radix eſt) *avaritia*. Hinc Eccleſiaſticis Conjugium interdicitur, ſcilicet ut poſſeſſionum vel recularum Eccleſiaſticarum in uxores & liberos dilapidationi obvietur. Quàm frugi homines! quàm cauti *æconomi!* Num verò *Pater-familias* & *Dominus* Chriſtus hoc ipſis in mandatis dedit? hoc diffitentur vel ipſorum plurimi; quin & *uxores* licèt non habeant, *concubinas* habent, ex iiſque prolem ſatis numeroſam, quam ſi non (quod ſæpiùs heu fit) enecant, alendam ſpero curabunt, ſaltèm ſi non liberos ex proſtipulis progenerent, at *Nepotes*, *Neptes* vel ipſe hodiè *Alexander ſeptimus* habet, quibus ditandis, dotandis (ſi non mentiatur fama) contra omnium quam primitùs alebat expectationem ſatis gnaviter ſatagit.

5. Unde ultimò *Tyrannis* in his proſequendis planè *Antichriſtiana*.

1. Quæ etiam primus inter effectus ejus teterrimos numerari poteſt; cum 1. audax & temeraria ſit *libertatis* tam naturalis quàm Evangelicæ *præjudicatio*, 2. miſera, 2dò. *conſcientiarum carnificina* iis, qui dum contra interdictum hoc ſuum peccare timent, in Deum peccant, dum cœco libidinum igne uſtulantur, 3. in alios verò qui Dei magis quàm hominum timore acti fuerunt jugum hoc δυσβάστακτον ejicere auſi ſunt, crudelem (ſi qua *Mutio*, aliiſque Hiſtoricis fides habenda ſit) exercuit lanienam.

2. Quid ſecundò dicam de fornicationibus, ſtupris, inceſtibus, omnis denique generis turpitudinibus hinc natis? Frontem ſuam hîc perfricet *Bellarminus* & reſpondeat, „ nec tamen admittimus; tot eſſe concubinarios, & „ impuros inter Eccleſiaſticos &c. At teſtetur *Viſitatio Bavarica*, *Anglicana*, clamat tota omnium ætatum hiſtoria, & experientia.

De Cleric. l. 1. c. 21.

3. Atque ut *homicidia* adulteria ſequi ſolent, huc accedunt innumera hinc orta *infanticidia*, cujus vel una *Gregorii piſcina* teſtis nimis locuples eſt. Cujus rei, atque de eâ *Udalrici* teſtimonii fides, (quamvis eam *Bellarminus*

Cap. 22.

operoſe

operoſè integro capite enervare conatur) cum à noſtris ſatis firmetur, immota manet, vel labaſcat licèt, plura hujuſmodi flagitia à votariis ſuis aliàs patrata tota clamat hiſtoria. *Gerhard. Loc. com. Tom. 6. pag. 389. 390.*

4. Taceo *Schiſmata* in Eccleſiâ hinc pullulantia, *Sacramentorum*, & rerum Sacrarum omnium *prophanationes* deteſtabiles, miſeras *familiarum everſiones*, & mala alia hinc nata plurima, de quibus ubique Hiſtorici. Cum igitur hoc *Conjugii interdictum* & quoad *originem* ſuam peſſimæ notæ fuerit, quoad *effecta* ejus genuina multifariàm pernicioſum extiterit, quid aliud cenſebitur niſi (quod dici ſolet) κακῆ κόρακι κακὸν ὠὸν? Quid ergo niſi εἰς κόρακας?

QUÆST. XXVII.

Intellectus vi ſolâ nativi luminis non percipit ſalutariter doctrinam Evangelii.

NOn *vi ſolius nativi luminis*. Imò ne vel acquiſiti cujuſvis citra Revelationem Divinam.

Solo hoc lumine naturali *non percipit doctrinam Evangelii*. Non jam agimus de κοιναῖς illis ἐννοίαις vel *ſpeculativis*, ut *Deum eſſe, omnipotentem, omniſcium, bonum eſſe*: quas Apoſtolus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ vocat Rom. 1. 19, 20. vel *practicis*, ut *Deum colendum, parentes honorandos* & his ſimilibus, quæ idem Apoſtolus τὰ τοῦ νόμου, & τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν τῇ καρδίαις nominat Rom. 2. 14, 15. „ Hæc enim manu formatoris noſtri in ipſis cordibus „ noſtris veritas ſcripſit, ut loquitur *Auguſtinus*. Hæc Theologiæ naturalis Theoremata (nominatim Divinitatis alicujus opinionem) licèt *Socinus* naturaliter nobis inſeri neget: in hoc tamen *Smalcius*, *Crellius*, & alii ipſius diſcipuli eum deſerunt, Orthodoxi omnes deteſtantur. Cum Lex *moralis Legis naturalis* ἀπόγραφον ſit, τὸ γραπτὸν τοῦ νόμου lumine naturali, quaſi radio ſolari cordibus omnium inſculptum fatentur. At *Evangelii* doctrinam de *Chriſti* Θεανθρώπου *Perſonâ*, *officiis*, in nos collatis *beneficiis*, nec primitùs naturâ nobis indi, nec ex principiis ſolis naturalibus erui, ſed Divinâ Revelatione niti, non ſolo lumine nativo percipi contendunt. „ Nos definimus Deum pri„ mò naturâ cognoſcendum, dehinc doctrinâ recognoſcendum: naturâ ex „ operibus: doctrinâ ex prædicatione. Sic *Tertullianus*. *Prælect. cap. 2.*

Minimè omnium *Salutariter*, non ſalvificè quod *radiis ſolis juſtitiæ ſanativis*, & *Spiritui ſapientiæ & Revelationis* in ſolidum debetur, non ſoli vel ipſius Evangelii *externæ Revelationi*, nedum *nativo intellectûs noſtri lumini*. *Nativum* quidem illud propriè dicitur, quod *primitùs à naturâ ipſâ nobis inditur*. At *Naturale* ampliùs patet, & ut *nativum* illud ambitu ſuo continet, ita & ultra tum *quicquid luminis & cognitionis ex principiis naturalibus per ratiocinationem acquiritur*; tum omne illud cujus *homo naturalis* hoc eſt gratiæ ſalvificæ expers, dum adhuc in ſtatu naturæ & peccati hæret, *capax* eſſe poterit: quæ triplex vocis hujus *Naturalis* ſignificatio Quæſtioni huic explicandæ applicari poteſt. Si enim de ſalvificâ doctrinæ Evangelicæ perceptio- *Mal. 4. Epheſ. 1. 17.*

ne præcipuè intelligatur, quod τὸ φῶς τ῀ ζωῆς *lumen vitæ* dicitur Johan. 8. 12. tum *lumen naturale* in tertio ſenſu ſumptum (ſcilicet cujus *homo naturalis* vel per externam Revelationem Evangelii *capax eſt*) huic *ſalvificæ perceptioni non ſufficit*, nam „ *animalis* (vel naturalis) *homo* ὁ δέχεται nec recipit „ nec percipit, non capax eſt eorum quæ ſunt Spiritûs Dei 1 Cor. 2. 14.

Si ſecundo ſenſu ſumatur pro *cognitione acquiſitâ*, quæ ex *principiis naturalibus ratiocinando addiſcitur*, hujuſmodi lumine naturali doctrina Evangelii & Chriſti nunquam primo excogitata & adinventa fuit, ſed *Divinitùs revelata*. „ Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & ſanguis hæc non retexit „ tibi; ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. Matth. 16. 17.

Si denique *Lumen nativum* propriiſſimè ſumatur pro *primordiali illo*, non ex diſcurſu & ſtudio acquiſito, ſed *naturaliter* quaſi *inſtinctu aliquo nobis inſito*, minimè omnium cœcâ hâc prælucente faculâ Evangelii adyta penetrare licet: Ad hæc Intellectus iſte *Nativus* planè (quod dici ſolet) ὄνου πῶλος λύθρον, cum Sacrâ atteſtante Paginâ „ ut pullus onagri homo naſcatur Jobi 11. 12. Sine Deo impoſſibile eſt diſcere Deum, ut piè admodum Sanctus *Irenæus*. *Lib. 4. c. 14.*

Hoc clamat Sacra Scriptura in Locis jam adductis, & paſſim alibi, ubi dicit „ Non eſt qui intelligat Rom. 3. 11. ubi ne „ intelligentiæ noſtræ in- „ nitamur vetat Prov. 3. 5. ubi *Jobum*, *Davidem*, *Salomonem*, *Jeremiam* in operibus *Creationis* & quotidianæ *Providentiæ* indagandis *ad incitas redactos* nobis exhibet: *Paulum* verò vel *ad cælum tertium raptum*, & Divinis Revelationibus præ cæteris illuſtratum; altitudine tamen myſteriorum Evangelicorum planè abſorptum, & ὦ βάθος *exclamantem*. Et quidem ſi in *Naturæ Arcanis* adeò cœcutiamus, ut in iis eruendis τὰ τ῀ νυκτερίδων ὄμματα in *Metaphyſicis* nobis tribuat *Philoſophus*, in *fidei myſteriis* indagandis quàm *Cimmerius* verſamur *tenebris*! ſi in rebus *Theologiæ naturalis* tanquam cœci *palpamus* Act. 17. 26. quam *toto cælo errare* neceſſe eſt à *viâ* quæ *rectà ad cælum ducit*? ut *Sodomitæ* olim *ſcotomate percuſſi defeſſi ſunt laborando ad inveniendum oſtium*; ità multò magis nos in inveniendo *Chriſtum*, qui *oſtium* eſt Johan. 10. 7. Si denique quæ *Legis* ſunt נִפְלָאוֹת *mirabilia* ſint Pſal. 119. 18. Si רָנֵי תוֹרָה *honorabilia præcipua Legis* pro *alienis*, *extraneis*, *habita* ſint Hoſ. 8. 11. quàm immensè captum merè humanum ſuperant, ut vel ab eo primitùs adinveniantur, vel ejus ſolâ trutinâ dijudicentur τὰ μεγαλεῖα τ῀ Θεοῦ *Evangelii magnalia*? „ Juſtitia tua, Domine, ſicut montes Dei „ judicia tua abyſſus multa, adeò ut in ſolo lumine tuo viſuri ſimus lumen. Pſal. 36. 7. 10.

Fob. c. 38, 39, 40, 41. Pſal. 73. 16, 17. Prov. 24. 7. Eccleſ. 1. 13: 7. 23, 24: 8. 17. Jer. 12. 1. Rom. 11. 33. Gen. 19. 11. Act. 2. 11.

Argum. 1. Et primò quidem quod ad τὸ ὅτι ſpectat, de facto conſtat. Ut enim de vulgi fœce τ῀ς πολλοὺς miſſos faciam, „ ſi quidem pauperes ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, judicium Dei ſui, ut loquitur Propheta, quia „ magnifica ſunt opera tua, „ Domine, nimis, & profundæ cogitationes tuæ, vix „ brutus non agnoſcit, & ſtultus non animadvertit illud Pſal. 92. 5, 6. Cum Prophetâ ergo *adeamus magnates*, optimates, Philoſophos, Naturæ primogenitos, oculatiſſimos, & quid de his tandem pronunciandum reſtat? Hæc ſcilicet *Jer. 5. 4, 5.*

1. Omnes à veritate Evangelicâ devios erraſſe, οὐκ ἔστιν ὁ συνιῶν, πάντα ἐξέκλιναν

ἐξέκλιναν ἅμα ἠχρειώθησαν, καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν Rom 3. 11, 12, 17. בְּאַחַת יִבְעֲרוּ וְיִכְסָלוּ unà pariter *obbruteſcunt* & *ſtulti fiunt Idololatræ* Jer. 10. 8. quales fuerunt *Philoſophi Ethnici.* ἐμωράνθησαν, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία dixit Apoſtolus Rom. 1. 21, 22. idque non de Ethnicorum Gregariis, ſed *Primipilis*, *Philoſophis*, imò Philoſophorum cordatiſſimis *Pythagoreis*, *Platonicis*, *Stoicis*, ut rectè annotavit *Grotius*; atque ideò cum Pſalmographus dixit Κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων ὅτι εἰσὶ μάταιοι, Apoſtolus pro τῶν ἀνθρώπων τῶν σοφῶν poſuit, eò quòd de hujuſmodi *hominum ſapientiſſimis* veriſſimè dici potuit. Hinc in primariis Theologiæ naturalis principiis adeò errarunt, ut vel de *ſummo bono* in *ducentas octoginta octo ſententias* abierint, ut ex *Varrone Auguſtinus*. Quod ad veritatem verò Evangelicam attinet. Vel de eâ ne fando quid audierunt, vel ad eam tanquam rem novam & incredibilem obſtuperunt: Sic vel Philoſophis Athenienſibus cum Paulus *Jeſum* & *Reſurrectionem* evangelizâſſet, καινὴ διδαχὴ, *nova hæc Doctrina* fuit, & Apoſtolus ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς *peregrinorum Deorum annunciator* ipſis viſus eſt dum (ut conjectat *Seldenus* noſter) *Jeſum* quaſi *novum Deum* Ἀνάσιν *fœmininam novam Deaſtram* à *Paulo* adinventam autumârunt: ſanè de Doctrinâ Evangelicâ nihil omninò ſapiebant eorum ſapientiſſimi. Hoc primum eſt. *in Rom. 1. 19.* *Pſal. 94. 11.* *de Civit. Dei lib. 19. c. 1.*

2. Secundum hoc ſit, quò *ſapientiores* eſſe, & in quibus ſapientiſſimè dictâſſe vel egiſſe, vel ſibi vel aliis viſi ſunt, in *eis magis delirârunt*. Sic olim Propheta de *Idololatris* (quales, ut priùs dixi fuerunt *Philoſophi Ethnici* omnes) נִבְעַר כָּל-אָדָם מִדַּעַת Jer. 10. 14. *obbruteſcit*, vel *ſtultius factus eſt omnis homo* à *ſcientiâ*; & (quod in certiſſimis fieri ſolet) ipſiſſima verba repetit Cap. 51. 17. quaſi ipſa eorum ſcientia ſtultitiæ ſuæ materiam præbuerit, ut ὦδε φρονεῖ *Lud. de Dieu*, „ex eo ipſo quod magnâ ſcientiâ ſe egiſſe arbitratur ſtultus ſit. Cui Loco *Aquinas*, & idem *Ludovicus*, illud Apoſtoli parallelum eſſe vult Rom 1. 22. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν „cum ſe dictitent vel profiteantur „ſapientes, vel tum maximè inſipiebant, vel inſaniebant potiùs, ut *Gallorum Druides*, *Tuſcorum Aruſpices*, *Græcorum Philoſophi*, *Ægyptiorum Sacerdotes*, *Perſarum Magi*, *Indorum Gymnoſophiſtæ*, & hujuſmodi alii, dum quò magis ingenioſi & Religioſi videri vellent, eò magis in Deorum ſuorum cultu ſuperſtitionum ineptias comminiſci atque adornare ſatagebant. Quò & illud ſpectat, quod de *Ariſtotele* rectè obſervat *Grotius*, eum nempe meliùs de Deo docere in ἐξωτερικοῖς λόγοις quàm in ἀκροαματικοῖς, quia in illis *ſenſum* ſequebatur, *communem*, in his *ſuum*. Ità ſcilicet ea minimè videbant, in quibus videri vellent occulatiſſimi. Nil *ex ſe* de *Evangelio ſapiebant*. *Vide Bezam in Locum.* *in Rom. 1. 22.*

3. Quod peſſimum erat, cum aliquouſque ipſis revelata erant Evangelii myſteria, hi maximè omnium infideles, increduli, contumaces ea averſabantur, imò & perſequebantur infenſiùs. *Julianos* dico, *Porphyrios*, *Libanios*, *Creſcentes*: Philoſophos reliquos Ethnicos, quos ut *Tertullianus hæreticorum patriarchas* rectè nominat, ità Orthodoxæ fidei præ reliquis hoſtes infenſiſſimos, primitiva illa ſuo damno novit & experta eſt Eccleſia, quibus „Chriſtus crucifixus ſcandalum & ſtultitia fuit 1 Cor. 1. 23. qui ideò ejus Evan-

Evangelium, ejusque ſequaces omnes non minùs ludibrio quàm odio excipiebant & perſequebantur; qui cum *gloriæ animalia* fuerint, invidiâ percìti, ſibi tantis, tam doctis, tantâ ſcientiæ & ſapientiæ gloriâ fulgentibus & turgentibus à miſellis piſcatoribus famam præreptam, impenſiùs indignabantur; ut *Zedekias* olim accedens percuſſit *Micheæ* maxillam dicens „ Quà„ nam tranſivit Spiritus Domini à me, ut alloqueretur te? 1 Reg. 22. 24. Ità ſcilicet τὸ φρόνημα τ᾽ σαρκὸς, ἐχθρα εἰς Θεόν Rom. 8. 7. *Legi enim Dei non ſubiicitur, ne poteſt quidem.* Legem averſatur, Evangelium non recipit, imò ne percipit. Atque hæc ad τὸ ὅτι confirmandum ſufficiant.

Argum. 2. Quod ad τὸ διότι ſpectat, ex his deducitur

1. Ex ratione *objecti.* Ex doctrinæ ſcilicet Evangelicæ *ſublimitate*, quæ plura in ſe continet, quæ non ſolum *ſupra rationem* ſunt, ſed & *contra carnis ſapientiam. Triplex perſona in unitate eſſentiæ Divinæ, duplex natura in unicâ Chriſti perſonâ, Deus incarnatus, crucifixus: mortuorum reſurrectio*, & his ſimilia *fidei Evangelicæ myſteria* non ſolùm quoad *modum* (ut aliqui volunt) ſed quoad *res* ipſas rationem noſtram ſuperant, neque, ut ejus decomptores noſtri logodædali audaciùs affirmant, adeò *perceptu facilia* ſunt ut Rationis ſuæ decempedâ tam in promptu commenſurari poterint: Quid enim aliàs opus eſſet *miraculis*, quæ ſunt *ſupra naturam*, niſi ut *ſublevando intellectûs* noſtri *defectum fides* his adhibeatur quæ ſunt *ſupra rationem*? ut quid ipſi 1 *Pet.* 1. 12. *Angeli* humiles *obſtipo capite* (ut *Cherubin* olim *propitiatorium* intuentes) in hæc ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι, quæ elati iſti quaſi ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ vel primo intuitu perſpicere poſſint? Exulet jam tandem quod hucuſque apud Theologos obtinuit, *fidem* à *ſcientiâ* in hoc differre quòd quoad objectum vel rem creditam *obſcuritatem* admittit: deſinat fides ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων definiri; deſinat Evangelium *myſterium* dici, quod tamen vigeſies ſepties fit in Novo Teſtamento: Deſinat denique *Deus in carne manifeſtatus* *Vide Auguſtinum de Civit. Dei lib. 22. cap. 4.* 1 *Tim.* 3. 16. eſſe μυστήριον vel ſaltèm μέγα μυστήριον, ut *Paulus* hebes nimis autumavit cum *Philip.* 3. 8. ἱεροφάνταις ſciolis noſtris adeò ſit in propatulo. Nos interim τὸ ὑπερέχον τ᾽ *Philip.* 4. 7. γνώσεως Χριστοῦ piè & humlliter veneremur. Ἡ εἰρήνη τ᾽ Θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν ſemper apud nos audiat. Ea, (revelante Chriſto) credimus, „ quæ 1 *Cor.* 2. 9. oculus non vidit, nec aurus audivit, οὐδὲ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων οὐκ ἀνέβη. Hæc non *in mentem humanam aſcenderunt*, ſed *à cœlo deſcendunt*, non γενῇ ſed *Rom.* 16. 25, 26. διοπετῆ ſunt; atque etiamnum (ſi per illos liceat) nobis *myſteria* ſunt: quo 1 *Cor.* 2. 7. in cenſu ſæpiùs in Sacrâ Paginâ audiunt; *occulta ſapientiæ* Pſal. 51. 6. *abſcon-* *Col.* 1. 26. *dita à ſapientibus & prudentibus*, adeòque *revelata parvulis* Matth. 11. 25, 26. *obſignata* etiam *ſcientibus literas* Iſai. 29. 11. niſi à *ſolo Leone ex Tribu Judæ reſerata* Apocal. 5. 2, 5. non *vi nativi luminis* percipienda.

Arg. 3. 2. Quoad ultrà conſtat, ut ex *altitudine objecti*, ità & *debilitate ſenſorii*, *intellectûs* ſcilicet humani, vel integri, nedum poſt lapſum vitiati, ubi jam (ſi quid **Illud paſſim affirmanti* S. Scripturæ * credimus) *cæci* ſumus, in *tenebris* poſiti, *erroribus obnoxii*, *Pſ.* 119. 18. adeò ut (Apoſtolo teſte) „ non idonei ſimus tanquam ex nobis ipſis quic- *Ap.* 3 17. 18. quam vel cogitare 2 Cor. 3. 5. atque proinde (ſi rectè ex eo inferat † *Aqui-* *Iſai.* 60. 2. *nas*) neque *intelligere*, cum mens humana *intelligere* nequeat niſi *cogitando*. *Act.* 17. 27. Hinc eſt quòd pii in Sacrâ Scripturâ nativæ ſuæ inſcitiæ conſcii Prov. 30. 2, 3. † 12ª. q. 109. *art.* 1. enixè ut à Deo inſtruantur petunt Pſal. 86. 11: 119. 26, 27: 143. 10. & ſi qua lux præſertim (ſi ſalutaris fuerit) ipſis affulſerit, hanc totam *Patri Luminum*

minum in ſolidum acceptam ferunt, atque eo nomine ei humilimas gratias agunt, non (ut aliqui) *rationem* crepant, non ingrato κοκκυσμῷ κραξισμῷ *Facultates Facultates* noſtras ingeminant, dum Facultates has ſuas doctrinam Evangelicam vel primitùs indagandi vel revelatam perluſtrandi facultatem non habere nimis experti humiliter agnoſcant: atque hoc ſolùm certò ſciant ſe (in his præſertim myſteriis) ex ſeipſis omnino nihil, imò (vel factâ Revelatione) heu *nimis parùm* cognoſcere מַה־שֶּׁמַע דָּבָר *Quàm parùm rei,* quàm parvam ſtillam audimus! dixit *Job* de rebus *naturalibus*; quid demùm eum dicturum putabimus de *Divinis* & *Evangelicis*? Si verò dicant Adverſarii ſe hoc ultrò fateri intellectum noſtrum ex ſe & nativo ſuo lumine in his Evangelicis percipiendis nihil vel parùm valere niſi accedat Spiritûs illuminatio, ſed hoc ſolùm velle, non hîc nobiſcum quaſi *ſtipitibus* vel θεολήπτοις agi, ſed *mediante Rationis* ac intellectûs noſtri *operatione.*

Jac. 1. 17. *Dan.* 2. 23. *Pſal.* 119. 98, 99, 100.

Cap. 26. 14.

Reſpondeo.

1. Hoc tamen quod diximus, ſufficere ad Theſeôs hujus noſtræ confirmationem ſcilicet *nativum lumen non ſufficere ad Doctrinæ Evangelicæ perceptionem.*

2. Si hoc ſolùm vellent *Deum* & *fidem* in converſione, & *myſteriis Evangelicis percipiendis* uti *Rationis* vel intellectûs noſtri tanquam *inſtrumenti neceſſarii miniſterio,* quid opus eſſet tam frequenti & importunâ hujus rei apud nos inculcatione cum prior noſtra Theſis * quam animitùs approbamus hoc aſſerat, in quo nullos præter deliros *Enthuſiaſtas* adverſarios habeant, apud quos eandem ſemper cantilenam canere per nos liceat; at *nobis* interim parcant, quos (ſpero) hujus inſaniæ reos non peragent.

* *Dictamen intellectus ſpiritualiter illuminati eſt immediatum motivum in Converſione.*

3. Si verò (quod forſan res eſt) *rectam ſuam rationem* myſteriorum Evangelicorum ita *judicem* conſtituant, ut quod *ipſis* non adeò *rectum* videtur, pro rejectitio, *Deo indigno* (ut loqui ſolent) adeòque & *blaſphemo* habeatur, hoc certè & *Deo* incomprehenſibili & *veritate Evangelicâ* rationem longè excedente *indigniſſimum* eſt, & ſeriò caveant (velim) ne illi, qui liberaliter adeò *blaſphemias aliis* intentant, ipſi olim ἐν ἡμέρᾳ ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ cum arcana Decretorum & Providentiæ ſuæ retecturus, & hujuſmodi omnia indignè jam in eum facta convicia facile abſterſurus eſt, vel hoc nomine *poſtulentur blaſphemiæ.* Nos interim (dum in ſtatu hoc lapſo adeò *curvæ in terris animæ* ſint) nullam ex parte noſtrâ adeò *rectam rationem* agnoſcimus, quin citra Scripturam & S. Spiritûs ductum in his arcanis perſcrutandis *deficere* & *hallucinari* aliquoties poſſit, imò & ſemper in eorum aliquibus *in immenſum ſubſidat,* quæ ſi ſolium tandem aſcenderit, *judicem* agat, *Deique judicia* pro *mudulo ſuo formet,* fingat, coarguat, pervertat, affirmare non veremur eam non *rectam* eſſe, ſed *erectam* nimis, *elatam, ſuperbam,* ſuæque cum tenuitatis tum proterviæ neſciam. Qui aliter ſentiunt, ſi nos non audiant, ſaltem *Bellarminum* adeant, (cui magis fortè favent) qui de morbis & vulneribus mentis humanæ in ſtatu lapſo eos meliùs inſtruere poterit.

Rom. 2. 5.

De Amiſſ. Gratiæ lib. 6. *cap.* 9.

Ultimò Theſeôs hujus veritas apparet ex *modo* & *mediis præceptionis* & cognitionis *doctrinæ Evangelicæ,* quæ non *ſagacitati noſtræ* in Sacrâ Paginâ defertur, ſed *dationi* & *Revelationi Divinæ.* Δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν 1 Joh. 5. 20. Ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ Lucæ

Argum. 4.

Deut. 29. 4. *Jer.* 24. 7.

8. 10. δέδωκε. De *Chriſto* ut *Redemptore*, non ut Creatore loquitur. *Dedit.* *Gratiæ* ergo *donum* eſt, non *naturæ requiſitum.* Διάνοιαν. Intelligit ſpiritua-
Rom. 12. 2. lem τῦ νοὸς ἀνακαίνωσιν, *non facultatem animæ naturalem*, omnibus hominibus communem, nam priore loco ἡμῖν dicitur diſtinctivè de *fidelibus*, excluſivè aliorum, in poſteriore ὑμῖν, ἀντιθετικῶς, & τοῖς λοιποῖς appoſitè. *Donum* ergò *Dei* eſt: (*Cathedram enim in cœlo habet, qui corda docet*); idque per *revelationem* ὅτι δὲ δέδοκησιν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτῦ ἐν ἐμοί. Gal. 1. 16. ὅλη κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνώρισέ μοι τὸ μυστήριον Eph. 3. 3. καὶ τῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψῃ Philip. 3. 15. ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις Matth. 11. 25. καὶ ᾧ ἐὰν βέληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι Comm. 27. Quod ergò patefit *ſolâ Revelatione* Divinâ, nunquam innoteſcit ex *ſolo nativo lumine.*

Quod adhuc magis patet ex ſalutaris hujus cognitionis *cauſis* & *mediis*, quæ omnia non *naturam* loquuntur, ſed *gratiam.*

1. Primum & præcipuum *Chriſtus* eſt, qui cum „ in ſinu Patris fuit, ipſe „ ſolus eum nobis expoſuit Johan. 1. 18. qui, cum *Dei ſapientia* ſit, atque ipſiſſima *Sapientia* Proverb. 8. ipſe „ à Deo nobis Sapientia factus eſt 1 Cor. 1. 30. ipſe omnis ſapientiæ promus condus Col. 2. 3. Propheta, *Angelus fœderis*, *Petra* illa, in quâ nos *poſiti* (ut *Moſes* olim) *Deum videre* poſſumus.
Exod. 33. 21, 22, 23. „ Lux Gentium ad aperiendum oculos cœcorum Iſa. 42. 6, 7. Hic adventûs Chriſti finis *Socinianis* ferè *ſolus* eſt, nobis inter reliquos unus iſque neceſſarius, qui alioquin ad exteras tenebras damnati, ſi *Sol* iſte *juſtitiæ* exortus non eſſet, in perpetuis ignorantiæ tenebris ſepulti jacuiſſemus: unde *Jovius* apud *Photium* rationem hanc reddit quare *ſecunda Perſona Redemptor* extitit, nimirum ut ὁ λόγος τὴν ἀλογισίαν noſtram ſanaret, ob quod licèt * *Caſaubono* vapulet, † *Montacutium* tamen noſtrum vindicem habet.

* *Exercit* 1. *in Baron.*
‡ *Analect. pag.* 27.

Secundum eſt *Spiritus Chriſti*, quem ideò miſit Chriſtus, ut diſcipulos ſuos *doceret* omnia Johan. 14. 26. & *dux viæ* eſſet *in omnem veritatem*, inprimis Evangelicam Johan. 16. 13. cujus quidem cognitio nobis minimè innata eſt, vel à nobis ipſis acquiſita, ſed Divinitùs revelata & infuſa: „ non e-
Job. 32. 8. *Prov.* 28. 5. *Joel.* 2. 28, 29. *Nehem.* 9. 20. *Epiſt.* 108. „ nim hæc lectio docet, ſed unctio, non litera, ſed ſpiritus, non eruditio, ſed „ exercitatio in mandatis Dei; ut more ſuo piè admodùm *Bernardus*; vel potiùs ut authenticè Apoſtolus „ Nobis autem Deus ea retexit per ſpiritum „ ſuum 1 Cor. 2. 10. idque partim per *illuminationem ſpiritûs*, quæ τῦ νοὸς μεταμόρφωσις & ἀνακαίνωσις dicitur Rom. 12. 2. Epheſ. 3. 5. quatenus *ſpiritus* eſt σοφίας *ſapientiæ*, *illuminando* & confortando *intellectum*, & *ſpiritus* etiam ἀποκαλύψεως *revelationis* Epheſ. 1. 17. *retegendo objectum* vel rem cognitam; partim etiam per ejuſdem ſpiritûs *ſanctificationem.* Sic *unctio docet*
Hoſea 2. 20. *omnia* 1 Johan. 2. 27. „ Cum ſemel Deus nos deſponſaverit in fide, tum de-
„ mùm eum ſalutariter cognoſcimus. „ Seminate vobis in juſtitiâ, atque „ ita illuminate vobis lumen ſcientiæ, ut LXX reddunt illud Hoſeæ 10. 12.

His ſubordinantur *preces* & *ſupplex oratio* Prov. 2. 3, 4, 5. „ Si cui deſit ſa-
„ pientia, petito à Deo Jacobi 1. 5. non ergo inter *facultates* vel κειμήλια noſtra, ſed inter *Dei dona* numeranda eſt.

Quibus adjungamus *verbi & Sacramentorum miniſterium* & *Miniſtros Apoſtolos*, & *Paſtores*, & *Doctores* reliquos, per quos myſteria hæc *priùs abſcondita*, primò poſt Chriſtum *innotuerunt* Epheſ. 3. 5. quos „ ipſe Chriſtus *mi-*
„ *ſit* ad Gentes ut aperiant eorum oculos & convertant à tenebris ad lucem

Act.

Act. 26. 18. & gratuitò *dedit* „ ad ædificationem corporis Chriſti, donec „ perveniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei Epheſ. 4. 11, 12, 13. Θεοδίδακτοι itaque ſumus, non αὐτοδίδακτοι 1 Theſſ. 4. 11. לִמּוּדֵי יְהוָה Iſa. 54. 13. Ad hæc ſalutariter addiſcenda *ſpiritu infuſo, verbo revelato*, præceptoribus uti neceſſe eſt. Non hoc præſtat ἀγχίνοια vel δεινότης ulla noſtra, conſummatiſſima licèt, non *Plato*, *Ariſtoteles*, non *Sol*, *Luna*, *Stellæ*, *totius cœli exercitus*, quod quidem nuperus quidam temerè aſſeruit, at longè aliter *Auguſtinus* in præfatione ad Pſalm. 31. ubi hæc habet „ Si putas „ te ad vitam æternam poſſe pervenire per militiam cœli, per ſolem & lunam „ & poteſtates aeris & maris & terræ, & ſiderum, impius es. Act 8. 31.

QUÆST. XXVIII.

Fides juſtificans ab operibus bonis ſejungi nequit.

IN Controverſiis etiam Theologicis heu! quantum eſt Logomachiarum? Quod tamen non ita vel dici, vel intelligi velim, ac ſi in iſtâ de juſtificatione controverſiâ circa harum vocum (*Fidei* & *Juſtificationis*) ſignificationem, rerumque ipſarum *naturam*, *materiam*, *formam*, *objectum*, & his ſimilia inter *Pontificios*, *Socinianos*, *Remonſtrantes*, eorumque ſequaces *Orthodoxos Evangelicos* ingens non ſit diſcrimen & πόλεμος ἄπονος: Sed quòd demptis ſemel ab utriuſque hodiernæ Quæſtionis † terminis *homonymiis* quibuſdam res tota expedita & confecta erit protinus. Si enim quid per *juſtificationem*, quid per *fidem juſtificantem*, eamque *ſolam* utrinque conſtiterit; nihil (quoad hæc ſaltèm) reſtabit, quod illinc *Heterodoxi* in contrarium opponere poſſint, vel hinc quod negare vellent *Orthodoxi*.

† *Prior erat Sola fide juſtificantur fideles.*

Nam primò, ſi per *Juſtificationem* Pontificii (illud malè & falsò quidem) intelligant *inhærentem juſtitiam juſti-conſtitutionem*; Quis Proteſtantium unquam *ſolam fidem* formaliter & immediatè hominem *hoc in ſenſu juſtificare* dixerit? Quis *ſpem*, *charitatem*, & gemellas reliquas è *gratiarum inhærentium* albo expunxerit, vel *Sanctificationem* (quæ *Pontificiorum juſtificatio* eſt) ab *inhærente juſtitiâ* diſſociavit uſpiam? In hoc, illud potius *Romanenſibus*, *Grotio* & reliquis eorum aſſeclis vitio vertimus, quòd vocem *juſtificationis* in *ſenſu forenſi* (quod in ſuâ de eâ diſputatione fecit *Paulus*) non ſumant, & præcipuè quòd omnium peſſimè, abrenuntiatâ *Chriſti juſtitiâ imputatâ juſtitiam ſuam inhærentem* adeò perfectam eſſe poſſe jactitent, ut eâ freti tremendo *Dei tribunali* ſe *juſtos ſiſti* poſſe non majore audaciâ quàm ſummo animarum ſuarum periculo contendant. 1.

Secundò ſi per *ſolam fidem* ſolitariam intelligant, toto ſcilicet illo *ſpei*, *charitatis*, reliquarumque *Gratiarum inhærentium* choragio & ſatellitio nudatam, & quæ earum *præſentiam* vel *homini juſtificato* vel *fidei juſtificanti* negat, quo nomine nobis *Soli-fidianorum* appellationem iniquiſſimè impingunt; candidè & apertè profitemur & proteſtamur fidem *juſtificantem ſolam*, *nunquam eſſe hoc modo ſolitariam*, ſed *ſpe*, *reliquiſque* illis (quas illi præparationes ſeu anteambulones vocant) verâ etiam & ſalvificâ Spiritûs Sancti *gratiâ*, comite 2.

comite indivulſâ, *bonis* etiam & ſanctis *operibus* tanquam pediſſequis & aſſeclis perpetuò ſtipatam. Hoc contendit Theſis noſtra, atteſtante etiam (Deo gratias) vere Evangelicorum *Reformatorum* vitâ & praxi *Pontificiorum* non ſolùm *æmulâ* ſed eam longè (præfiſcinè) hoc in genere *ſuperante*, cujus locuples ſatis teſtis eſſe poteſt noſtra *Anglia*, in quâ hoc ultimo poſt *Reformationem* ſæculo, plura *Xenodochia*, *Noſocomia*, *Ptochotrophia*, & donaria hujusmodi alia (quæ ipſa inter proprii nominis bona opera numerant) Deo, Eccleſiæ, Reipublicæ ſacrata ſunt, quàm ſub *Papatu* antelapſis pluribus, adeò ut optimo jure conqueramur non ſine ſummâ injuriâ nobis *Solifidianorum* nomenclaturam, quo nigro Theta *Pontificii* potiùs notari debent, certè dignoſci poſſunt, qui fidem verè juſtificantem bonis operibus viduatam nobis venditant.

Tertiò hâc in re minùs diſſentire poterimus, ſi in hoc quid ſcilicet per *fidem juſtificantem* intelligimus, conveniamus. Si enim juxa *Pontificios*, (quod eorum hâc in re erroris, noſtræque cum illis Controverſiæ fons & caput eſt) ea *juſtificans fides* erit, quæ ex eorum ſententiâ ad juſtificationem tantùm præparatio antecedanea, eaque ſeparabilis eſt, quæ *fides* illa eſt *ſine operibus* Jacobi 2. 14. Si pro fide *Catholicâ*, *hiſtoricâ*, *dogmaticâ*, pro *nudo aſſenſu* veritati Divinitùs revelatæ, quem vel ipſis *Dæmonibus* communem A-
Cap. 2. poſtolus *Jacobus* aſſerit: vel ſi (quod vulgò fit) pro inani & præpoſterâ Divinæ miſericordiæ *præſumptione* ſumatur, quis adeò vecors eſt (certè ex noſtris nemo) qui *hujuſmodi finem ſine operibus bonis* poſſe eſſe negaverit, niſi etiam profligatiſſimos omnium ἀλάστορας, hominum nequiſſimos, (qui tamen *talem fidem* & habent & palàm profitentur) ipſumque etiam *Diabolum* τὸν πονηρὸν inter *bonos operarios* numeraverit? Si verò ea demùm *verè juſtificans fides* ſit, quæ per pœnitentiam renuntiatis in univerſum peccatis, ipſisque (quoad *acceptationem Divinam*) *meritis noſtris* & *operibus omnibus*,
Joh. 1. 12. *Chriſtum* ejuſque *juſtitiam nobis imputandam* gratanter *accipit*, eique ſoli
Act. 11. 13. innititur, incumbit, confidit, πεποιθᾶτω, τῇ πεποιθήσει τῆς καρδίας προσμένει, quam ſolam pro *fide juſtificante* juxta Sacras Scripturas agnoſcimus, *hanc* utique *fidem*, atque *hoc ſenſu & modo* nos *juſtificantem*, vix ipſi *Pontificii* (credo) *bonis operibus vacuam* ſentient, nos utcunque ab iis minimè ſejungi aſſeveranter dicimus, & cum *Auguſtino* dicimus, „qui fidem habet ſine ſpe &
De verbis Domini Serm. 61. „dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit; hoc eſt fidem Hiſtoricam, dogmaticam habet, ſalvificam & verè juſtificantem non habet: qui etiam fidem hanc Catholicam palàm profitetur, & ex innatâ φιλαυτίᾳ Deum ſibi propitium eſſe pro perſuaſiſſimo habet, dum interim ποιεῖ ἁμαρτίαν *peccatum operatur*, (ut cùm *Aquinate* loquar) licèt *videatur* habere fidem,
1 Tim. 5. 8. non tamen *habet veram*, imò ſecundum Apoſtolum „fidem abnegat, & eſt infideli deterior, dum „profitetur ſe ſcire, ſed factis negat, reverâ abomi-
Tit. 1. 16. „nandus eſt & ἀπειθὴς, incredibilis, incredulus, cum ad omne bonum opus reprobus.

Apertus ſatis eſt Controverſiæ hujus ſtatus inter nos & *Pontificios*. Illi dum *fidem* in *informem*, & *charitate formatam* diſtinguunt, *informem* illam, *veram* & proprii nominis *fidem* eſſe aſſerunt, & *Bellarminus fidem juſtificantem* eſſe affirmat, quam tamen cum ex nudo aſſenſu veritati Divinitùs revelatæ definiunt, non ſolùm à charitate & virtutibus aliis Theologicis

naturâ,

naturâ, objecto, & ſubjecto eâdem ſcilicet facultate diſtinctam, ſed & *ſubjecto*, homine, ità omninò *ſeperabilem* & ſejunctam eſſe ſtatuunt, ut idem homo *hanc fidem* verè habere poſſit, qui interim *verâ charitate* deſtitui poteſt & *bonis operibus*, non minùs ac *idem verus homo* manet & *veſtitus* & *veſtibus exutus*: corpus idem verè corpus eſt, & vivens, & vitâ orbatum. *Altenſtaig. Mr. Biſhop.*

Nos contra, quamvis vocem *Fidei* πολύσημον eſſe, & aliquando pro *verâ, vivâ & juſtificante fide* ſumi; aliquando æquivocè pro *nudo aſſenſu interno*, vel *externâ profeſſione* vel ſeriâ vel hypocriticâ, quam *fidem informem* dici non gravamur, & à *charitate* & *bonis operibus ſeparabilem*, & ſæpiſſimè actu ſeparatam & ſejunctam facilè agnoſcimus; at *veram*, ſaltem *juſtificantem, fidem* in *Sacrâ Scripturâ* dici, vel verè dici poſſe pernegamus, quia *fidem juſtificantem* à *charitate*, *gratiâ ſanctificante*, ſi non antecedente, concomitante tamen & ſubſequente, imò *& bonis operibus* (ſi modò detur tempus & occaſio) nunquam ſejungi contendimus. Quod his argumentis porrò confirmatum damus,

Primò, quia fides juſtificans nos *Dei Filios* efficit. „ Quotquot recepe- *Argum. 1.*
„ runt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen „ ejus Johan. 1. 12. „ Omnis qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt. 1 Johan. 5. 1. At *Dei filii* à *bonis operibus* omninò *ſejungi* nequeunt. „ Quiſquis enim natus eſt ex Deo peccatum non committit, quoniam ſemen „ ipſius in eo manet 1 Johan. 3. 9. ac proinde tanti parentis filii ſteriles non ſunt Iſai. 61. 9. non degeneres; qui cum *ad imaginem* ejus facti & *renovati* ſint Col. 3. 10. ei pietate, charitate conformes fiunt 1 Pet. 1. 15. Lucæ 6. 36. Sic prodigo filio reduci pater δακτύλιον, hoc eſt *Heinſio* interprete, apud Atticos σφραγίδιον, *paternâ* vel *teſſerâ* vel *imagine inſculptum* dono dedit, ut quemadmodum Servator de Judæis Johan. 8. 41. „ vos facitis opera patris veſtri, Diaboli (אֲבִיכֶם הַשָּׂטָן „ in filiis ſuis agnoſcetur vir dixit *Siracides*, quin & ipſe Deus nam) ità de *verè fidelibus* dici poteſt quod *opera Patris ſui*, (id eſt) Dei *faciunt*, qui cum ſpurii non ſint ſed per fidem Chriſti *Divinæ Naturæ participes* fiant 2 Pet. 1. 4. Patrem ſuum cœleſtem ingenio & moribus quantum fieri poteſt, referunt. *Exercit. in Lucam c. 14. v. 38. Ezek. 16. 44. Eccleſiaſtici c. 11. 30.*

Quid ad hoc argumentum *Bellarminus*? Hoc tantùm ſcilicet, quòd de *fide formatâ* loquatur. *De Juſtif. lib. 1. cap. 15.*

At ô bone! Nos ſi modò illam *fidei formatæ* Phraſeologiam admitteremus omnem fidem verè juſtificantem ità informatam & ex Divina hâc Regeneratione ità animatam ex his locis ſatis probari contendimus, ac proinde à charitate & bonis operibus nunquam disjungendam.

Secundò per fidem juſtificantem *Chriſtum Dominum recipimus* Johan. 1. 12. *Chriſto inſerimur* Rom. 11, 17. 20. *Chriſtus in cordibus noſtris* non παροικεῖ ſed κατοικεῖ, non quaſi in tranſitu diverſatur, ſed quaſi in fixo domicilio *inhabitat* Epheſ. 3. 17. qui nunquam ſolus ſed ſemper gratiarum omnium ſatellitio ſtipatus procedit, vel ſedem figit, nec veriùs *Regiam* in *cœlis gloriâ* quàm *atrium* in *fidelium cordibus gratiâ* replet, variis licèt modis & gradibus. Nec magis Sol ubi *radios ſuos* ſpargit, *lucem & calorem* impertit, quàm *Sol juſtitiæ* beatam, cui exoritur, animam ſalvificâ *ſui cognitione* illuſtrat, *amore ac charitate* accendit, ejuſque *morbos ſanat* omnes Malac. 2. 4. *Argum. 2.*

Neque hinc excludenda eſt tertia Sacroſanctæ Triados Perſona: Fides enim *Argum. 3.*

enim hæc *Sanctum Spiritum* Authorem, conſervatorem, Actorem agnoſcit & vendicat: hoc ſenſu *Spiritus fidei* dicitur 2 Cor. 4. 13. & *fides* inter *fructus Spiritûs* numeratur Gal. 5. 22. neque inter communes illos, quorum reprobi fieri poſſunt participes, nam *fides electorum* Dei dicitur Tit. 1. 1. Idem *Stephanus plenus fidei & ſpiritûs* dicitur Act. 6. 5. unde qui *ſanctiſſimæ fidei ſuæ ſe ſuperſtruere vellent in Spiritu Sancto orare* debent Judæ v. 20. at *ubi Spiritus*
2 Cor. 3. 17. *eſt, ibi libertas*; ubi *Sanctus Spiritus* adeſt, ibi abeſſe nequit *vera Sanctitas*, præcipuè ſi *fidem* operetur *ſolis electis propriam*: non ergò talis eſt, quæ *reprobis* etiam communis eſt, à *charitate* ſcilicet & *bonis operibus ſeparabilis*.

Sed nil opus eſt ut in veſtram vel fidem vel patientiam peccem longiore rei ſatis in ſe manifeſtæ & in Sacrâ Scripturâ teſtatiſſimæ vel explicatione vel confirmatione. Quæ reſtant punctim & per συναθροϊσμὸν ſic habete omnia.

Fidem veram cum *charitate* & reliquis virtutibus Theologicis conjunctam habemus Gal. 5. 6, 22. 1 Tim. 4. 12: 6. 11. 2 Pet. 1. 5. Philem. 5. *Quæ ergò conjunxit Deus, Papa ne ſeparet.*

Hab. 2. 4. Rom. 1. 17. Gal. 3. 11. Heb. 10. 38. *Per fidem juſtus vivere* ſæpiùs dicitur: quæ vita vel *gratiæ*, vel *pacis internæ*, vel *æternæ gloriæ* eſt; at nullum ex his vitæ generibus vivere eſt ſine *charitate & bonis operibus*: non *gratiæ*, cum enim *arbor malos fructus fert*, ipſa *bona* eſſe nequit Matth. 7. non *pacis* (quam fides juſtificans conciliat Rom. 5. 1.) quia *nulla pax impio* Iſa. 57. 21. non denique *gloriæ*, cum ob bonorum operum carentiam plurimos in infernum detrudendos legimus Matth. 25. Cum ergò *per fidem* omnibus his modis *vivitur*, ut *fides* iſta *bonis hiſce operibus careat*, fieri nequit.

Præterea hæc *veræ & juſtificantis fidei* ἀνδραγαθήματα in S. Scripturâ legimus quòd *cor purificet* Act. 15. 9. quòd *mundum vincat* 1 Johan. 5. 4. quòd *ignita Diaboli tela extinguat* Epheſ. 6. 16. hoc eſt, nos contra omnes ſalutis noſtræ hoſtes muniat & ſoſpitet: an verò hæc omnia ex *bonorum operum* cenſu eliminanda ſunt?

Denique *fides per charitatem operatur* Gal. 5. 6. an ergò ei deſunt opera?

Neque his refellendis ſufficit, ſi reſpondeant

1. Hæc omnia de *fide formatâ* intelligi, huic enim jam priùs reſponſum eſt.

2. Neque ſi hoc regerant, hæc allata *cauſam* notare, non *effectum*, vel *eventum*, nimirum hæc omnia quæ de fide dicuntur, ubicunque fiunt, à fide tanquam ex cauſâ profluere, non effectum vel eventum, ac ſi ubicunque vera fides ſit, hæc perpetuò ſequantur. Nam hoc etiam loca adducta (ſi inſpiciantur) liquidò demonſtrant, quòd etiam *quoad eventum*, ubi *vera fides* adeſt, *hoc effectum* ſortiatur. Et ſi bona opera adfuerint, vel adſint contraria, vel ex toto, vel ex parte, vel quoad gradum, id totum conſimili fidei vel abſentiæ vel deliquio tribuitur 2 Theſſ. 3. 2. Matth. 8. 26: 16. 8: 14. 31. Marci 4. 40. ac propterea Apoſtoli ut ipſis *fides adaugeatur* orant Lucæ 17. 5. & ipſe Chriſtus pro *Petro* in periculo conſtituto tantùm precatus eſt, *ne deficeret fides* ejus Lucæ 22. 32. ac ſi fide modò munitus, ad quidvis vel difficillimum vel agendum vel patiendum ſatis inſtructus eſſet.

Ultimò *Fides*, quæ *charitate & bonis operibus deſtituitur.*

1. *Fides mortua* eſt, hoc affirmante Apoſtolo, Jacobi 2. 17. At *fides mortua*, non *verè* ſed *æquivocè fides* dicitur. *Homo mortuus* non eſt *homo*, nec pro

verâ

verâ fide habenda eſt, quæ *mortua* eſt. *Biſhoppus* noſtras Pontificius, ut & *Bellarminus* (contra) *mortuam fidem veram* eſſe ex hoc probare conatur, quia *corpus hominis mortuum verum corpus* eſt licèt non *vivum*. At mala eſt probatio. Licèt enim verum corpus ſit *naturale*, non tamen verum corpus *humanum*: ac proinde *fides mortua*, veritatem licèt aliquam aliam in ſe habeat, *cognitionis* ſcilicet vel *aſſenſûs*, at neutiquam *verè juſtificans* erit. *de Juſtif. l. 1. c. 15.*

2. Fides à charitate & bonis operibus *diſjuncta Diabolica* eſt: talis enim fidei capacem & compotem ipſum *Diabolum* eſſe clarè affirmat Jacobus cap. 2. 19. ut, ſi hæc fides Catholica, verè juſtificans ſit, *Diabolus* tandem prodibit *Catholicus Papiſticus* ſcilicet, ſed *nunquam juſtificandus*, quaſi *verâ fide* præditus.

Quod enim hîc regerunt *Pontificii*, nihil eſt.

Nimirum quòd *Diabolus* hæc ex *irreſiſtibili* tantùm *veritatis* revelatæ *luce* & *efficaciâ*, idque *invitò* credit, cum vera fides *devotam & humilem veritati animi ſubmiſſionem* in ſe continet. Hæc enim *humilis animi devotio & ſubmiſſio charitatis* eſt, non propriè *fidei* & *aſſenſûs*. At *Charitas* ad habitûs *fidei conſtitutionem* vel *mutationem* nil magis facit, quàm *veſtimenti* acceſſio ad *mutationem corporis*, ſi rectè autumavit *Altenſtajus*; vel ſi hæc *devotio & ſubmiſſio animi* conjunctior ſit ipſi naturæ & *eſſentiæ fidei* (prout etiam communiter *charitatem fidei formam* eſſe dicunt *Pontificii*) tum nunquam à veri & proprii nominis fide ſejungenda, vel divellenda eſt. Hoc ergò non obſtante, *nudus aſſenſus* ſine charitate & operibus *Fides mortua* eſt & *Diabolica*, vel ut mitiùs dicam, *Pontificia*, non noſtra, non verè juſtificans; nam, ut cum *Cypriano* concludam, „ Credere ſe in Chriſtum quomodo dicit, quum non fa- „ cit, quod Chriſtus facere præcepit? *De ſimplicitat. prælatorum.*

Quæst. XXIX.

Præcepta Evangelica de vitâ inſtituendâ ſunt rectæ rationi conſentanea.

Natura, *Liberum Arbitrium*, *Ratio*, prout olim hodièque decompta ſunt; *Triada* efficiunt *ſanctiſſimæ Triados*, *gratiæ*, & *fidei inimiciſſimam*.

Naturam à *Philoſophis* pro *Deâ* habitam *Pelagius* ejuſque ſequaces pro *gratiâ* venditârunt, de quibus ita S. *Auguſtinus* „ Sub laudibus Naturæ la- „ tent inimici Gratiæ.

Liberum Arbitrium ab *Ariſtotelis* αὐτεξουσίῳ traductum (etiam circa *bonum ſpirituale*) *Pontificius*, *Remonſtrantibus*, aliis *Helena* eſt, ut unicè in deliciis.

Ratio, quam *rectam*, *ſanam*, *ſobriam* vocant, (ita enim eam ὑπερεύζεσθαι amant) juxta *Melanchthonis* ſententiam ex *Platonis Academiâ* prodiit, cujus miros exploratores & ſponſores *Manichæos* olim fuiſſe prodidit *Auguſtinus* lib. de utilitate credendi. Cap. 6. 11. † Hanc *Sociniani*, & alii hodierni *Platonici* ita depereunt & venerantur, ut quum eam in ſolio collocaverint, eique in rebus etiam Theologicis ſententiam ferendi jus & imperium officioſe *Loc. Com. 1ma Edit.*

† *Et cap. 14. Fide Chriſtus ſtultos ducebat, vos ratione ducitis.*

Jer. 7. 4. *Act.* 19. 34. sè nimis contulerint; si quis contra vel mutire ausit; ut Judæi olim *Templum Domini, Templum Domini,* & *Ephesii, magna est Diana Ephesiorum*; ita hi *Rationem, Rationem* jugiter strenuè ingeminant, clamitant; hanc (ac si *fortunas Priami, Cæsaris*, totiusque adeò *Religionis* aliter scilicet perituræ veheret) *Templa, Scholæ, Pulpita, Subsellia* (cum nimio interim de *fide* & *gratiâ* silentio) resonant. Huic *fidem non contrariam* esse (illud modestius quidem primò excepimus,) posteà verò & *consentaneam*: (tandem verò eò scilicet provecta est confidentia) ita obviam, ut altissima Evangelii mysteria ei *perceptu facilia* habeantur eâ si placet de causâ, quoniam „ paratos nos esse voluit A-

1 Pet. 3. 15. postolus „ ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus, quæ in nobis „ est spei. Quasi verò Divina testimonia, promissiones, præcepta, fideli cuilibet credendi, sperandi, obtemperandi *sufficiens ratio* non essent, quam cuilibet eam *poscenti reddere* possit, licèt *rationem* rei ipsius *demonstrativam*, quam afferat, non habeat. Quo in casu rectissimè *Lactantius*, „ Si credis, cur ergò

Lib. 2. *cap.* 7. *De simpl. prælat.* „ rationem requiris, quæ potest efficere ne credas? & pientissimè *Cyprianus*, „ Vah! quàm negotiosum est rationis humanæ Quomodo? quod certissi„ mum est incredulitatis indicium. Ita tamen nos sapimus, ut *pro ratione* sine modo peroremus. At quid tanto opus est fervore? Forsan ad *Enthusiastas* debellandos, qui hodiè numero aucti sunt, & omninò *sine ratione* insaniunt: sunt quidem hujus furfuris multi nimis, at indocti, fungi, atque ex nobis (uti spero) nulli. At sunt & *Sociniani*, qui *Rationi* omnia tribuunt, homines docti, cati, qui (ut ille ad *evertendam Rempub.* ita hi) ad *deturbandam fidem Christianam sobrii accedunt*, à quibus longè magis Religioni metuendum est, quibus idcircò non adeò velificandum esset, à nobis saltèm qui ab eorum blasphemiis alieniissimi sumus, hoc præsertim tempore quum de ἐπροδοξίᾳ non ita benè audiat Academia.

Hæc in antecessum dicenda necessum habui, ne quæ de *præceptorum Evangelicorum cum rectâ ratione convenientia* jam dicturus sum eò trahantur, ac si ab iis, quæ sæpiùs contra *rationis* in *fidei articulis* & *mysteriis Evangelicis* ἀυτοκρατορίαν & ἀυθενλίαν docuerim jam tandem abscesserim: quod firmè spero nunquam futurum: Neque sanè aliquid in præsenti Quæstione continetur quod ad hoc vel cogat vel etiam suadeat; nam (ùt ad illam explicandam & confirmandam tandem accedam) tantùm de *præceptis Evangelicis, de vitâ instituendâ* agit, de *agendis*, non de *credendis*: præsertim non de *sublimioribus* fidei Evangelicæ *mysteriis*, de Dei incomprehensibili, prout in se est, Naturâ, subsistentiâ, Decretis, Providentiæ actibus abstrusioribus, de Christo Θεανθρώπῳ & his similibus, nam ipse Deus ἀσύντακτος, ἀνυπόδυτος, ἀνεξέτας-

Rom. 11. est, *judicia ejus*, teste Apostolo, ἀνεξερεύνητα, ἀνεξιχνίαστα, quæ venerari & suspicere oportet, non rimari ausu temerario, ut *Cato* olim ad *Cæsaris* super *Pompejo* victoriam suspiciens ad cœlum exclamavit, „ in rebus Divinis ma„ gnam esse caliginem; nam „ ut alti sunt cœli supra terram, ita altæ sunt „ viæ meæ supra vias vestras, & cogitationes meæ supra cogitationes vestras, dicit Dominus Isa. 55. 8, 9. adeòque „ arcanum summi Dei ingenio ac pro„ priis non potest sensibus comprehendi, alioqui nihil inter Deum, homi„ nemque distaret, si consilia & dispositiones illius majestatis æternæ cogita-

Lib. 1. *cap.* 1. „ tio assequeretur humana, ut optimè *Lactantius*. In quibus

Si quid *minùs æquum* primâ facie videretur, per Prolepsin cum Psalmistâ dicimus,

dicimus, „ Atqui bonus eſt Deus, cum Prophetâ „ Juſtus es Domine, & (ut nos monet P. *Martyr*) „ relinquamus Deo defenſionem ſuam, non e- „ get patrocinio noſtro, quò minùs aut injuſtus, aut crudelis habeatur. *Pſal.* 73. 1. *Jer.* 12. 1. *Loc. Com. claſſ.* 2. *cap.* 1. § 10.

Si quid *obſcurum*, creditu difficile, factu penè impoſſibile tibi viſum fuerit, cum *Tertulliano* dicas, „ Credo, quia impoſſibile eſt; cum *Hilario* „ Maxi- „ mum ſtipendium fidei eſt ſperare quæ neſcis: cum *Auguſtino* „ Conſidera „ quòd voceris Fidelis, non Rationalis, quòd accepto Baptiſmo dicimus „ Fidelis ſum factus, credo quod neſcio. *Lib.* 8. *de Trinit.* *De Temp. Serm.* 189.

Si *Rationem in contrarium* Sophiſtæ objiciant, reſponde cum *Clemente*, „ Irrationabili fidem noſtram ratione diſcutiunt; cum *Ambroſio*, „ Noli, „ Ariane, ex noſtris æſtimare Divina, ſed Divina crede, ubi humana non in- „ venis. Atque equidem ſi *Plinius* de *Naturâ* agens illud rectè dixerit „ Nec „ quærenda in illâ parte Naturæ Ratio, ſed voluntas, quantò magis de ipſo *Deo*, ejuſque decretis, judiciis, operibus dici poterit? Quo argumento *Auguſtinus* infideles redarguit, quòd cum rerum plurimarum in *Philoſophiâ rationem non capiant*, plura tamen in *Theologiâ* ob hujuſmodi *rationis carentiam* non *credant*, de Civit. Dei lib. 21. cap. 5. Si quid *Lutherus* de hâc re ſenſit velletis, ita habete, „ Qui vult ſapiens fieri in Ariſtotele, ſtultificetur in „ Chriſto, ut Catechiſmus regat Philoſophiam, non regatur ab eâ. *Epiſt.* 1. *ad Jacobum fratrem Dom. Tom.* 2. *de fide cap.* 1. *Lib. alt. cap.* 4.

Sed de his non agit Quæſtio, ſed de *Evangelicis de vitâ inſtituendâ præceptis*, *rectæ rationi* (ut vult) *conſentaneis*.

Quæ *præcepta Evangelica* licèt non ita ſuper præcepta Legis moralis *ſublimiora*, *perfectiora*, & nova ſunt, uti volunt *Pontificii*, *Sociniani* & *Grotius*, ut plura (quæ paſſim enumerant) jam ſub *Evangelio* illicita ſint, quæ priùs ſub Lege & per *Legem* (juxta literalem vel ſpiritualem ſaltèm ejus ſenſum) licita fuerint, cum tamen (quod Theſi noſtræ explicandæ inſervit) hæc Præcepta Evangelica duplicis generis ſint, in utroque Evangelicis præeminentiæ aliquid lubenter concedimus.

Vel enim ſunt *Evangelio cum Lege communia*, quæ ea jubent quæ etiam à *Lege* quoad rerum ſpecies, imperantur, in quibus *Evangelica Legalibus* eatenus præcellunt, quatenus pro *auctiore* jam effuſâ *gratiâ gradum ſublimiorem* expoſcunt, & *motivis* longè *fortioribus* urgentur, qualia illa ferè ſunt, quæ *Servator* noſter dat in *concione illâ in monte* Matth. 5. 6. 7. *Paulus* in *Epiſtolarum* ſuarum penè omnium *Epilogis* & *Apoſtoli* reliqui per totas ferè *Epiſtolas*. 1.

Vel alia ſunt *Evangelio magis propria*, qualia illa ſunt de *fide ad ſalutem*, & de *pœnitentiâ Evangelicâ in ordine ad peccatorum remiſſionem*: nam creatura peccatrix & miſera de offenſâ in Deum Creatorem *dolere* & pœnitentiam agere ex *Lege Creaturæ*, adeòque & morali tenetur, ſed ut *hinc peccatorum condonationem* habeat, quòd ex mortis Chriſti conſideratione *acriùs* pungeret, hoc Chriſto debetur, in hoc præeminet *Evangelium*. *Fides* etiam (ut optimè *Calvinus*) „ primum gradum in Lege habet, nimirum, quatenus Deo credere, adhærere, incumbere, quocunque demùm modo vel medio hoc à nobis fieri velle ipſe revelaverit, Lex imperat: at *credere in Deum per Chriſtum*, *ad ſalutem inde obtinendam*, hoc iterum *Evangelii* eſt, & *opus Dei* in Evangelio vocatur Johan. 6. 29. 2.

Quod ad *Rationem* attinet, ea etiam duplex eſt, *objectiva*, vel *ſubjectiva*. Objectiva eſt *Ratio rei* quæ ipſa Dei Sapientia & ordinatio eſt rerum naturis,

connexionibus & habitudinibus indita, quæ rerum in ſeipſis eſſentiam ac erga alias reſpectum denotat; ac proindè idem eſt quod *rei cauſa*, cauſa, inquam vel *eſſentiæ*, & ſic de cauſâ *efficiente, finali, materiali* dicitur, & præcipuè *formali* (*per quam res eſt id quod eſt*, & ita intelligitur quæ ideò à Græcis λόγος ἰδιώδης à Latinis *formalis Ratio* appellatur) vel etiam ſæpè pro *cauſâ conſequentiæ* vel *argumento* ponitur, per quod reſponderi poteſt quæſtioni quare res ita ſe habeat, quo in ſenſu ſumitur 1 Pet. 3. 15. ubi hortatur Apoſtolus ut *parati ſimus rationem reddere ejus quæ in nobis eſt ſpei*. Et *Gallio* Act. 18. 14. dicit κατὰ λόγον prout *Ratio ferat* ſe acturum. Atque hæc *Ratio rei*, vel *objectiva*, cum ex *Dei ſapientiâ & ordinatione* ſit, ſemper *recta* eſt, licèt ex hujus Quæſtionis ſenſu excludenda non ſit.

Vide Martinii Lexic. Philol. in voce Ratio.

It. Ratio Recta.

Secunda tamen illa *Ratio*, nimirum *ſubjectiva* hominis vel *intellectûs ratiocinantis* præcipuè (ut opinior) intenditur, cum in quæſtione *recta* dicitur, quatenus opponitur falſæ depravatæ & perverſæ, quæ ſæpiùs occurrit ex hominis ratiocinantis vel ignorantiâ vel præjudicio vel denique malitiâ. Atque hæc *Ratio* eſt vel ipſe *Intellectus*, vel *ejus Ratiocinatio*, quæ tum demum *recta* eſt, quando *convenit* cum *rei* ipſius quæ intelligitur, *ratione* & *veritate*.

Cum denique in Theſi hâc præcepta Evangelica rectæ rationi *conſentanea* eſſe dicuntur, per *conſentanea* non intelligimus ὁμογενῆ, ut præcepta Evangelica intelligantur eſſe ejuſdem cum Ratione naturæ, vel ordinis; ſed tantùm talia eſſe, quæ Rationi rectæ non ſolùm non contradicunt vel contrariantur, ſed contrà, quibus recta ratio aſſentitur, vel ſaltèm aſſentiri & debet & poteſt.

Adeòque (ut omnia in faſciculum colligam,) cum Theſis affirmat *Præcepta Evangelica eſſe rectæ rationi conſentanea*: hoc dicit, Præcepta Evangelica tam quæ *Legi* cum *Evangelio communia* ſunt, ut de *amore Dei & proximi* & aliis *moralibus*, quàm quæ *Evangelio* magis *propria* ſunt, ut de *fide* & *pœnitentiâ* ità conſentanea ſunt *Rationi rei objectivæ*, ut *Ratio ſubjectiva* vel intelligentia humana, (ſi modò *recta* ſit) eis facilè *aſſentiatur*.

Ad totum verò (quæ ei ineſt) veritatem magis explicandam & confirmandam hæ ponantur concluſiones.

Concluſio 1. Prima hæc ſit Præcepta Evangelica *Rationi Rei* vel *Rationi objectivæ omninò conſentanea* ſunt: Cum enim *Rationes rerum* (ut priùs dictum eſt) ſint ipſa *Dei Sapientia rebus indita*, præcepta Divina à Sapientiâ Divinâ diſſentire omninò nequeunt. Creatura fallibilis, inſtabilis ſibimet ipſi contrariari poteſt; at Deus æternùm immutabilis ſibi ſemper & per omnia conſtat.

Concluſio 2. Secunda ſit, Quia tantùm *rectæ* rationi conſentanea dicuntur, idcircò in quantum *Ratio ſubjectiva minùs recta* eſt, in tantum eis *minùs conſentit*. Si verò tota *depravetur*, tantum abeſt ut eis conſentiat, ut penitùs *contrarietur*.

„ Hominem quidem Deus primitùs rectum condidit, cum rectiſſimâ ratione præcepta omnia Divina approbante Eccleſiaſtis 7. 29. ſed continuò additur וְהֵמָּה בִּקְשׁוּ חִשְׁבֹּנוֹת רַבִּים at illi quæſiverunt ratiocinia plurima, vel Ratiocinationes multas, quæ vel ex toto, vel ſaltem ex parte minùs rectæ ſunt, imò ut plurimùm falſæ curvæ & depravatæ.

Si enim homines in ſtatu peccati manentes ſpectemus, ni eis non ſolùm voluntas refractaria eſt, ſed & intellectus *Tenebræ*, ut „ τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς

inimicitia

„ inimicitia ſit adverſus Deum, neque Legi ejus ſubjiciatur, imò ne poſſit „ quidem Rom. 8. 7. „ Animalis homo non capit ea quæ ſunt Spiritûs Dei. 1 Cor. 2. 14. ſi verò non tantùm *animalis* ſit, ſed apertè, præcipuè ſi malitioſè impius & penè diabolicus, quòd ſæpius accidit, præſertim ſi mandata Dei magis ſpiritualia ſint, vel ſpirituali ſuo ſenſu ſumantur, non ſolùm ignorantiâ *puræ negationis*, ſed & *pravæ* etiam *diſpoſitionis* laborat, ut ea non ſolùm non capiat, ſed repellat & adverſetur: & *quò quæque flagitia atrociora ſint, eò magis ea deperit*, ut annotârunt aliqui: „ dicunt malum bonum, & bo- „ num malum, ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum in dul- „ ce, & dulce in amarum Iſa. 5. 20. ut tanden εἰς ἀδόκιμον νοῦν „ in mentem „ omnis judicii expertem tradantur Rom. 1. 28. quàm inepta & à ratione omni abhorrentia ipſis videntur, ut Juliano olim præcepta Chriſti de *obvertendâ maxillâ altera*, de *crucetollendâ*, de *ſui abnegatione*, & hujuſmodi aliis; quibus ipſe „ Chriſtus ſcandalum eſt & ſtultitia. Ut ſummatim dicam, cum præcepta Evangelica [1] non *humanæ inventionis* ſint [2] in aliquibus *ſupra Rationis animalis apprehenſionem* imò [3] *contra depravatam ejus indolem*, cum ſancta & *ſpiritualia* ſint, hominum impiorum & *carnalium* rationi æquè conveniunt, ac radii ſolares ægris lippientium oculis.

Vide D. Capellum de Tentationibus.

Matth. 5. 39. Matth. 16. 24. 1 Cor. 1. 23.

Atque ut impiorum irregenitorum omnium ratio corrupta eſt, ita vel *Renatorum*, quamdiù hîc agant, imperfecta, & ex parte tantùm renovata, „ ex parte enim tantùm cognoſcimus 1 Cor. 13. 9. & cum eatenus tantùm Paulus *renovatus* fuit, „ præceptum ſanctum, bonum eſſe dicere potuit, „ & conſentire Legi quod bona fuit Rom. 7. 12, 16. in quantum *non renovatus* fuit, certè dolens „ ſenſit aliam Legem in membris ſuis (hoc eſt in parte non-renatâ) „ belligerantem adverſus legem mentis ſuæ (quatenus renovatæ) commate 23. Atque hæc de ſecundâ Concluſione.

Cum verò inter has naturæ noſtræ ruinas quædam in *moralibus* nativi luminis rudera relicta ſint, vel potiùs à Chriſto (qui „ Lux eſt illuminans o- „ mnem hominem venientem in mundum) omnibus ex communi dono indulta, regenitis verò omnibus nova ac ſalutaris lux ex parte ſuperaddita ſit,

Johan. 1. 9.

Hæc tertia ſit Concluſio, quòd in genere *Deo teſtanti, præcipienti credere & obtemperare ſumma ratio* eſt, licèt rerum harum credendarum vel agendarum nulla ex *earum naturis* ducta *ratio* nobis conſtiterit. Sic *Auguſtino* „ Fides eſt inclinatio intellectûs, quatenus intellectus Deo dicenti faſces ſubdit; atque hoc in ſenſu *Damaſcenus* negat *fidem* eſſe *inquiſitivum aſſenſum*, quod *Aquinas* ſic rectè explicare videtur, ſcilicet fidem non habere inquiſitionem *rationis naturalis demonſtrantis* id quod creditur, habere tamen inquiſitionem quandam eorum per quæ inducitur homo ad credendum, quia ſunt *dicta à Deo, & miraculis confirmata*. Nam (ut rectiſſimè *Auguſtinus*) „ Rationem in ſenſu Scripturæ eruendo teſtem accerſimus, judicem non appellamus. Prout hodiè apud *Gallos Parliamenta* Regia edicta *verificare* non *confirmare* dici ſolent, ita *Ratione* noſtrâ uti debemus tanquam *inſtrumento*, quo *certores fiamus quòd* hæc *Deus* in Scripturâ vel aliàs *dixerit*, vel *juſſerit*, in quo indagando rationis *oculum* quantum poſſumus *apertum*, imò *attentiſſimum* habere oportet, at ſimul ac hoc certò conſtiterit, rectæ rationi maximè conſentaneum vel *clauſis oculis Deum vocantem præeuntem ſequi*, ut *Abrahamus* olim (*Pater fidelium*, cujus veſtigiis fideles omnes inſiſtere debent)

Concluſio 3.

Lib. 4. 22æ. q. 2. a. 1. ad 1mum.

bent) „ vocatus à Deo auſcultavit, & exiit, neſciens quò iret Heb. 11. 8 *clauſis* inquam *oculis*, non ad *viam*, vel *procedendi modum*, ſed ad *carnales ratiocinationes in contrarium*. „ Promptiſſima enim ad ἀπιστίαν via eſt credere, „ (vel agere) nolle quòd non poſſis ratione attingere, ut rectè ille, vel ut optimè *Juſtinus Martyr* δεῖ πρὸς τὰς τῆς ἐκκλησίας τροφίμους μὴ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις δίδυνειν τὰ Θεῖα. ἀλλὰ πρὸς τὸ βέλημα τῆς διδασκαλίας καὶ πνεύματος τῶν λόγων πείθεσθαι τὴν ἔκθεσιν. Cum enim fides ſit ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων, „ Beati qui non viderunt, & crediderunt Johan. 20. 29. adeò ut hoc in caſu peccet omninò curioſa de ratione à rei naturâ deducendâ ſolicitudo, juxta illud *Chryſoſtomi* ἡνίκαν ἀποφαίνηται ἡμῖν Θεὸς μὴ δεῖ πολυπραγμονεῖσθαι πίστει παραδέχεσθαι χρή. τὸ γὰρ πεῖσαι τοιούτων πειρᾶσθαι τὰς αἰτίας, καὶ ἀπαιτεῖν τὰς δίκας καὶ τὸν τρόπον ἐπιζητεῖν, τολμηρωτάτης καὶ ῥιψοκινδύνου ψυχῆς. *Omnis* quidem *homo mendax*, vel injuſtus, vel ſaltèm fallibilis eſt, & falſa dicere & injuſta in mandatis dare de facili poterit: atque idcircò *cæca* votariorum *obedientia pietatem* ſimul & *hominem* exuit. Cum verò militi ducis ſui juſſorum rationes exigere fas non ſit quantò minùs fidelibus ἐξ ἀρχηγοῦ τῆς σωτηρίας αὐτῶν. „ Majoribus noſtris etiam nullâ ratione redditâ, rationis eſt credere dixit apud *Ciceronem Cotta*; multò magis de *Antiquo dierum* dicendum. Quamvis enim non conſtat ratio *credendorum*, eſt tamen ratio *credendi* & agendi ſi vel juſſerit Deus juſtus verax atque omninò infallibilis. Licèt ergò *Ariſtoteles* (quod fertur) *Moſis Legem* abjecerit, quia ſolùm *dicit*, nil probat, ut etiam *Galenus* id ei vitio vertit quòd *Leges* ejus fuerint νόμοι ἀναπόδεικτοι; at longè aliter animatos vult Deus regni ſui ſubditos, qui ob hoc ipſum per dicterium olim *Credentes* vocabantur, quibus cum nulla alia adfuit demonſtratio, abundè ſat erat ἀπόδειξις πνεύματος, & Teſtimonium Divinum. Sic Lucæ 1. 18, 19. cum *Zecharias* Angelo nuntium penè incredibile ei afferenti dixerat, „ Quo argumento illud noſcam? hoc ſolum reſponſum retulit „ Ego „ ſum Gabriel, qui adſto in conſpectu Dei, miſſuſque ſum loqui ad te, & „ hæc tibi evangelizare. Quo clarè innuebat quòd ſine ratione licèt & omninò improbabile videretur, locuples tamen id credendi argumentum & ratio fuit, ſi modò de ſolâ revelatione Divinâ conſtiterit. Atque ita ſub *hâc formalitate Revelationis Divinæ* omnia præcepta Evangelica illud in ſe habent, ob quod recta Ratio eis credat & obtemperet.

Gerhard. Loc. Com. Tom. 1. cap. 4. §. 146.

Heb. 11. 1.

De incomprehenſibili Dei naturâ.

Heb. 2. 10.

Lactantius lib. 2. cap. 7.

1 Cor. 2. 4.

Concluſio 4.

Quartò quodvis præceptum Evangelicum in particulari quoad ejus *materiale* aliquid in ſe habet, cui *Ratio humana* lubens conſentiret, ſi juxta rationem Rei de eo judicium faceret.

Cum enim (ut priùs diximus) duplicis ſint generis, vel *Legi* cum *Evangelio communia*, & in Evangelio de novo fortiùs ſtabilita, ut de rebus *moralibus*; vel *Evangelio* magis *propria*, ut quæ de *fide* ſunt & *pœnitentiâ*;

1. Ad *priora* quod attinet minùs dubium eſt, imò manifeſtè certum *ea rectæ rationi conſentanea* eſſe; tum quoad τὸ ὅτι, quia ſolo *naturæ lumine* eorum ratio & *innotuit* & *placuit Ethnicis* plurimis fide ſupernaturali deſtitutis: tum quoad τὸ διότι, quia ſunt de *jure naturali*, ergò & *rationi naturali* (quatenus *recta* eſt) congrua. Si verò aliter eveniat (quod quidem heu nimis ſæpè fit) non ideò eſt quòd ipſa non ita ſint, ſed quòd *nos cæci* ſimus, non quòd ea *rationi congrua* non ſint, ſed quia *nos* præ inſcitiâ, impietate, malitiâ *rectâ ratione deſtituti* ſimus; nam vel ſecundùm Philoſophum τυφλώττει ἡ πονηρία, &

τῶν

τῶν ἀρχῶν φθαρτικὴ ἐστι. Aliàs enim cum præcepta Divina vel חֻקִּים vel פְּקוּדִים ſint, licèt priorum ratio ignoretur, poſteriora tamen illa (ex vi ſignificationis vocis) in *corde humano* quaſi *depoſita* ſunt, ut rectè *Kimchius*, has voces interpretatur & diſtinguit; In Theologiâ enim naturali valet illud Philoſophi ταυτόν ἐστιν ἕπεσθαι τῷ Θεῷ καὶ τῷ λόγῳ. Quamvis in ſupernaturalibus δεῖ ἄλλον ὀφθαλμὸν ἐγείρειν ἢ ἀναβαίνειν ἐπὶ σπηλαίου. At in naturalibus & moralibus tamen illud *Lactantii*, ſi ſanè & ſobriè explicetur, obtinet „ Oportet in eâ re maximè in quâ vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, „ ſuoque judicio, & propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quàm credentes alienis erroribus decipi, tanquam ipſum „ rationis expertem.

Vide Muis in præfat. ad Pſal. 119.

Lib. 2. cap. 8.

2. Quod ad ſecundi generis præcepta Evangelica, ea ſcilicet quæ ſunt *Evangelio* magis *propria*, quamvis *pœnitere* ad *abſolutionem*, *credere* ad *ſalutem* omninò fidei ſint, & *ſoli revelationi Divinæ* in Evangelio factæ innitantur, & rationem ſuperent;

Duo tamen dico

1. *Pœnitentia* quatenus in genere *dolorem* de *offenſâ in Deum* & irâ Divinâ continet; *fides* etiam quatenus in genere in *Deo fiduciam* ſignificat, ſunt de *Lege Creaturæ*, ipſiuſque naturæ, adeòque lumine naturæ innoteſcunt: atque ita ut *rectæ rationi conſentiant* omninò neceſſe eſt.

2. Et illud etiam ultra addatur quòd *præſuppoſitâ* illâ per Evangelium *revelatione* quòd propter Chriſtum natum, crucifixum remiſſio peccatorum pœnitentiæ, vita æterna fidei à Deo veraci certò promittatur, ſub eâ ratione *pœnitere* & *credere rectæ rationi* maximè *conſentanea* ſunt, ut qui *factâ* hâc ſibi *Revelatione* non *pœnitentiam* agit, & in *Chriſtum non credit*, non ſolùm contra *Deum*, *gratiam* & *fidem* peccet, ſed etiam contra *ſeipſum*, *ipſam naturam* & *rectam rationem*.

Hoc ſolùm *Coronidis* loco apponi vellem quòd in præceptis omnibus utriuſque generis Evangelicis obedientiâ præſtitâ, quamvis *rationis æquè* ac *fidei* ratio habenda eſt, non tamen *æqualiter*, ut ideò obtemperemus non tam quòd id ſuadet *Ratio*, quàm quòd præceperit *Chriſtus*; nè *rationi* quà *homines* magis *obedire* videremur, quàm *Deo* ut *Chriſtiani*, magis ſcilicet Rationis ſuaſu quàm fidei obſequio: quod & nobis & Chriſto indignum foret, & ab Evangelii οἰκονομίᾳ planè alienum, in quâ Apoſtolos (ejus Nuntios) non *Philoſophos*, qui *ratione* pollerent, eâque homines ad Chriſtum diſputando adducerent, eſſe voluit; ſed *Piſcatores*, qui *fidem imperent*. Aſperè & ſeverè forſan, at verè ab illo dictum puto „ Qui à peccato abſtinet, quia contra ra„ tionem eſt, non quia contra Deum, magis rationi quàm Deo obtemperat; „ & qui ita Rationis diſcipulus eſt, ſtultum pro magiſtro habet. Quod ſi quis paulò duriùs dictum judicauerit, illud ſaltèm Sancti *Auguſtini* * (uti ſpero) omnibus arridebit, „ Hoc tamen dicendum, quatenus attinet ad ho„ minis naturam, nihil eſt in eo melius quàm mens & ratio, ſed non ſecun„ dùm ipſam debet vivere qui beatè vult vivere; alioquin ſecundùm homi„ nem vivit, cum ſecundùm Deum vivendum ſit, ut poſſit ad beatitudinem „ pervenire, propter quam conſequendam non ſeipſâ debet eſſe contenta, „ ſed Deo mens noſtra ſubdenda eſt.

Capel. de Tentationibus Angl. Edit. 2. cap. 3. ad finem.
** Retract. lib. 1. cap. 1.*

QUÆST. XXX.

Renati in hâc vitâ non poſſunt perfectè Legem Dei adimplere.

DUo ſunt, eaque conjunctiſſima, quæ hâc in re à noſtris contra *Pontificios* & alios defendi ſolent. Primum, totam *Legem* Dei in genere *à viatoribus adimpleri* non poſſe: Secundum, in hoc ſtatu *optima* quæque *Renatorum opera aliquid fæcis admixtum habere*, adeòque ab exactâ Legis Regulâ aliquatenus deflectere: quorum poſterius validiſſima prioris confirmatio eſt: qui enim in *omnibus*, in *optimis* ſuis *operibus* aliquatenus *peccant*, à *perfectâ Legis per omnia adimpletione* procul non abeſſe non poſſunt. Nobis inpræſentiarum priùs hoc explicandum & confirmandum venit, atque eò diligentiùs quòd contraria Adverſariorum ſententia, ut in ſe falſiſſima eſt, ita errorum aliorum de *naturæ viribus*, de *juſtificatione ex operibus*, de *operum meritis*, de *operibus ſupererogatoriis*, atque exinde *Indulgentiarum nundinationibus*, & his ſimilibus longum poſt ſe Syrma trahat, atque plurimos pluriumque generum propugnatores eoſque ſtrenuos habeat; antiquos *Catharos Novatianos*, præ cæteris *Pelagianos*, qui pro ſuâ ſententiâ ea ferè omnia argumenta attulerunt (uti apud *Hieronymum*, & paſſim apud *Auguſtinum* occurrunt) quibus eorum poſtea ſequaces uſi ſunt, atque etiamnum utuntur,

Pontificios dico, qui pro *perfectâ Legis adimpletione*, & *operibus* inſuper *ſupererogatoriis* acerrimè pugnant, non dixerim tanquam, ſed reipſâ *pro aris & focis*, ſcilicet ne quid detrimenti nundinationes ſuæ capiant? His accedunt (quamvis ex *Pontificiorum* caſtris tranſiiſſe videri vellent) *Libertini*, *Antinomi*, *Anabaptiſtæ*, *Enthuſiaſtæ* noſtri; neque in multis hujus Doctrinæ apicibus ab eis abſcedunt *Sociniani*, uti videre eſt apud *Sclichtingium* in Diſputatione ſuâ pro *Socino* contra *Meiſnerum*. Sed omnium (quantum mihi videtur) petulantiſſimè *Caſtellio* in Diſſertatione ſuâ de obedientiâ Deo præſtandâ, in Libello etiam de juſtificatione & aliis ſuis ejuſdem commatis Tractatibus, dignis ſcilicet qui ità avidè a plurimis coemerentur, ut *ſimiles haberent labra lactucas*.

At contra hos omnes, eorumque ὁμοψήφους univerſos non veretur D. Reſpondens aſſerere *Renatos in hâc vitâ non poſſe perfectè Legem Dei adimplere*.

Renatos dicit non primitùs in *integritate* creatos, nec *denatos* vel *nondum regenitos*. *Illis* enim potentiam *non peccandi* adeòque Legem perfectè adimplendi cum *Auguſtino* ultrò concedimus. Hos vero (*irregenitos* dico) minimè omnium hoc poſſe extra dubium ponimus, cum vix ſit qui contrarium affirmare auſit. Quamvis enim *Pelagius* primò hoc *naturæ* & *liberi arbitrii* viribus tribuit, poſtea tamen (non dicam meliùs edoctus, ſed potiùs Paulo cautior, vel *aſtutior* factus) *adjutricem S. Spiritûs gratiam* ad hoc præſtandum, cum libero arbitrio conjungendam, ad amoliendam invidiam verbotenus agnovit. Quin & licèt impurus Rabùla *Cochlæus* hoc *naturæ viribus poſſibile* pro impudentiâ ſuâ affirmare non erubuit; at modeſtiores fuerunt *Patres Tridentini*, qui hoc *ſoli homini juſtificato* & *Dei filiis* indultum volunt, Seſſ. 6. Cap. 11. ac proinde Canone 18. eum ſolum, qui dixerit Dei præcepta

homi-

homini etiam *juſtificato* & *ſub gratiâ conſtituto* eſſe ad obſervandum impoſſibilia Anathemate feriunt. Sic *Bellarminus* Quæſtionem iſtam ità inſtituit „ utrum homines juſtificati & gratia Dei adjuvante poſſint Legem Divinam implere de *juſtificat.* lib. 4. c. 10. ut & *D. Soto* „ utrum juſtus, qui per fidem juſtificantem non abſolvitur à Lege, poſſit per gratiam adjuvantem „ Legi ſatisfacere. At ubi? Quando? Reſpondet Theſis *in hâc vitâ.* Rectè enim *Auguſtinus* in Libro *de perfectione juſtitiæ* annotavit non verſari in quæſtione an poſſit homo omni prorſus culpâ vacare, ſed quando & per quem, neque in hâc vitâ, neque naturæ, ſed ſolùm Divinæ gratiæ viribus.

In hâc vitâ. De illâ enim in cœlis olim futurâ nihil utrinque ambigitur: quin licèt pro illius ſtatûs incompoſſibilitate plura officia quæ vi mandati Legis nobis jam incumbunt ibi præſtari non poſſint, cum tamen *charitas* quæ (teſtibus * Chriſto & Apoſtolo) *ſumma Legis* eſt, in cœlo (atteſtante Apoſtolo †) *permanſura* ſit, cum „ ibi ſemel adoleverimus in virum perfectum, „ in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, tum demùm *plenaria* erit Divinæ *Legis adimpletio:* „ ad cujus conſummationem (dicit *Auguſtinus* Epiſt. 200.) „ quandoque veniemus, ubi peccati concupiſcentia non cohibenda & fœnanda, ſed nulla ſit.

* *Matth.* 22. 40. *Rom.* 13. 9. † 1 *Cor.* 13. 8. *Eph.* 4. 13.

At in hâc vitâ interim *adimpleri*, *perfectè adimpleri* negat Theſis noſtra.

Plenariam & *perfectam Legi ſatisfactionem* noſtrâ vice per *Chriſtum* factam grati agnoſcimus, & in *eâ ſolâ* (quod ad *juſtificationem* attinet) ejuſque gratuitâ nobis applicatione toti acquieſcimus. Quo in ſenſu τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου ἐν ἡμῖν πληρωθῆναι dicit Apoſtolus Rom. 8. 4. ità illum locum interpretante *Ambroſio* juxta illud *Auguſtini* „ omnia Dei mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoſcitur. Quod licèt non ut *putatitium, pro nihilo deputandum* ſit, ut blaſphemant *Pontificii*, *Caſtellio*, alii, non tamen hoc *totum* eſt, quod volumus. Quamvis enim ad *juſtificationem* ipſam *ſoli imputatæ* nobis Chriſti juſtitiæ innitamur, in *homine* tamen *juſtificato juſtitiam infuſam inhærentem* individuo ſemper nexu conjunctam agnoſcimus, aſſerimus, expoſcimus.

Retract. l. 1. *c.* 19.

Inchoatam ſcilicet: neque hoc nihil eſt „ Quis enim ſprevit diem rerum „ parvarum præter *Caſtellionem*, qui de hoc tam contemptim loquitur? At non ſic Propheta, non Chriſtus, non Apoſtolus. Neque porrò *ſemper incipimus vivere.* 1. *Zech.* 4. 10. *Matth.* 18. *Philip.* 1.

Ut inchoatam, ità ad *perfectionem conatum*, *progreſſum* aſſerimus flagitante Apoſtolo, ἐπιπλῆσσειν ἀγωσύνῃ „ continuo progreſſu perficientes ſanctimoniam 2 Cor. 7. 1. cujus etiam ſeipſum exemplum exhibuit; qui quamvis „ nondum apprehenderet, vel perfectus eſſet perſequebatur tamen ſi quo „ modo apprehenderet, cujus etiam rei causâ apprehenſus fuit à Chriſto Je„ ſu, ea quæ à tergo erant obliviſcens, ad ea verò quæ à fronte erant conten„ dens Philip. 3. 12, 13, 14. Hunc *conatum* & ad *perfectionem* ſummam *anhelationem* vilipendat licèt *Caſtellio*, magnificerunt tamen *Nehemias* Cap. 1. 11. *David* Pſalm. *Paulus* loco jam laudato, deque eo lætantur, & meritiſſimas Deo agunt gratias: præſertim quòd conatus iſte nequaquam irritus ſit. Nam 2.

Ita conando, anhelando perfectionem in cœlis tandem aſſecuturi ſunt conſummatiſſimam, quin & hîc multiplicem. 3.

1. Etſi

1. Etſi non *graduum*, at *partium* tamen, ità ut tum ex parte *ſubjecti* gratia totàm animam perfundat, & opus gratiæ *novus homo* vocetur, hactenus ſcilicet integer & ὁλόκληρος, tum

Ex parte *objecti*, dum *intuentur in omnia Dei præcepta* Pſal. 119. 6. & *ſtant completi & perfecti in omni voluntate Dei*, quod *Paulus Coloſſenſibus* precatur Cap. 4. 12.

2. Licèt non legalem & omnibus numeris abſolutam; *Evangelicàm* tamen, quam lapſus, de quibus ſeriò pœnitentiam agunt, non deſtruunt, cum ex animæ ſinceritate & vitæ tenore æſtimanda ſit quo in ſenſu *non peccare* dicuntur, quiâ non datâ operâ 1 Johan. 3. 6. quo etiam *Job perfectus* (quia *rectus*) dicitur Cap. 1. 1. & *Hezekias* ſe „ coram Deo corde perfecto „ ambulâſſe teſtatus eſt Iſai. 38. 3. atque ità Legem *obſervant*, הִבִּיטוּ adeòque & *ſervant*, licèt non perfectè *adimpleant*.

תם וישר

3. Neque ſolam *poſitivam*, verùm & *comparativam*, & præ aliis adultiorem perfectionem aliquoties conſequuntur, quæ pro *ſtatu viatoris perfecta* dici poteſt *obedientia*, ut loquitur *Auguſtinus* ad Bonifac. lib. 3. cap. 7. Quo in ſenſu vox *perfecti*, ut & *perfectionis* in Sacrâ Paginâ occurrit Lucæ 6. 40. 1 Cor. 2. 6. Phil. 3. 15. quamvis (ut rectiſſimè *Auguſtinus*) nemo in hâc vitâ perveniat ad tantam perfectionem charitatis, ſeu inhærentis juſtitiæ, ut perfectâ & abſolutâ impletione ſatisfaciat. Imò ne *poteſt* quidem.

Lib. de Perfectione juſtitiæ.

Quod ultimum & præcipuum eſt quod in Theſi explicatione indiget. Dicit enim Renatos in hâc vitâ *non poſſe* Legem perfectè adimplere. Ad hoc verò ſtomachatur humana ratio, & *Phariſaica* nobis innata ſuperbia, quæ plurimorum *actualem Legis adimpletionem*, imò (ut *Pontificii* volunt) & *ſupererogationem* jactat. „ Hæc omnia obſervavi à juventute dixit Aretalogus ille in Evangelio, ut illi olim, „ Quicquid dixerit Dominus, facie„ mus Exod. 19. 8. ad quam retundendam arrogantiam opus habuit Deus, ut *fulgetris*, *tonitrubus* & *denſâ nube* καπνοπώλαις illis *timorem* & tremorem incuteret v. 16. quem ſolâ Meſſiæ promiſſione ſedavit Deut 18. 15, 16.

Matth. 19. 20. Lucæ 18. 21.

At non ſolùm *actualem* Legis *adimpletionem* denegare, verùm & ipſam *potentiam*, hoc maximè omnium indigniſſimè ferunt, & quum re verâ ferre nequeant, ad in nos convicia & calumnias, in Deum blaſphemias ſe convertunt. Hanc ſcilicet noſtram de adimplendæ Legis ut rei impoſſibilis ſententiam hinc ad officii noſtri *incuriam*, illinc (ut de re quæ fieri non poteſt) *deſperationem* rectà ducere, quin & inſuper Deo (cujus opus perfectum eſt) Chriſto, Spiritui Sancto injuriam facere, nimirum

Deut. 32. 4.

Potentiæ ſuæ detrahere, ac ſi „ penes ſolem tantùm eſſet noctem enervare & diminuere, non abolere. Sic *Caſtellio*.

De Obed. Deo præſtand.

Bonitati etiam: ac ſi vellet Deus ut in nobis ſuperſint peccati reliquiæ. At „ talem medicum *Caſtellio* nec vellet nec laudaret, qui in eo curando vellet ſupereſſe morbi reliquias.

Ibid. p. 237.

Imò & *juſtitiæ*. Cum enim in omni Republicâ rectè inſtitutâ πολυθρύλητον illud obtineat Δεῖ κεῖσθαι τὸ δυνατὸν ὑπὸ τῶν νόμων: Deum omni Tyranno crudeliorem & ſtultiorem faceret, qui ab „ ipſis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo ſolvere poſſet. Sic *Bellarminus*. Imò „ amantem & cu„ pidum noxarum & errorum noſtrorum, dum prudens ſciens Legem nobi

Plutarch. in Solone.

De Juſtif. lib. 4. cap. 13.

dede

dederit quo peccemus, quoniam obſervari nullo modo poſſit. Sic *Calvinum* blaſphemantem inducere voluit *Panigarolla* ipſe hoc nomine inprimis blaſphemus, ſed, *ne ſævi, magne Sacerdos.* Saltèm antequam nos blaſphemiæ condemnes, nobis cauſam noſtram agere, & ſententiam clarè & ſine fuco exponere permittas. Ità ſcilicet, ut *Auguſtinus* ob *Pelagianorum* cavillationes à voce *impoſſibilitatis* hâc in causâ abſtinuit, ſic & nos vellemus libentiſſimè, ejuſque loco *impotentiæ* vocabulum ſupponimus, cum illa *rei poſſibilitatem* negat, quam nos aſſerimus, hæc *noſtram poteſtatem* vel *facultatem*, quam ſolam negamus, cum dicimus, *nos non poſſe Legem perfectè adimplere.* Cum verò *Bellarminus* diſputat *An Lex poſſibilis ſit*; illius Philoſophi meminerit τὸ ἀδύνατον λέγεται πολυσαχῶς: atque ità pro variâ impoſſibilis ſignificatione hanc *Legis adimpletionem* vel *poſſibilem* vel *impoſſibilem* eſſe pronunciabimus. V. G. *De mot. animal. cap. 4.*

1. Secundùm *Averroëm impoſſibile* definitur, quod *nunquam factum* eſt. Quo in ſenſu *Pontificius* licèt multùm refragantibus *Legis adimpletionem nobis lapſis impoſſibilem* utpote *nunquam in hâc vitâ præſtitam* aſſerimus. Huc illud refert *Hieronymi* ad *Cteſiphontem*, „ Quæ eſt argumentatio iſta poſſe eſſe „ quod nunquam fuerit? poſſe fieri quod nullum feciſſe teſteris? dare „ neſcio cui, quod in Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis fuiſſe nequeas approbare? *De cælo lib. 1. Text. 137.*

2dò *Impoſſibile Ariſtoteli* eſt vel *ſimpliciter*, quod fieri *omninò* nequit, vel quod *difficulter* fit. *Pontificii* Legis impletionem neutro hoc modo impoſſibilem eſſe volunt. Licèt enim *Biſhoppus* noſtras alicubi eam difficilem eſſe concedat, alibi tamen (quia Chriſtus *onus ſuum leve* eſſe dixerit) *facilem* eſſe aſſerit. Quia Apoſtolus *Dei mandata non gravia* eſſe dixerat, *Bellarminus* ea „ parvo negotio cuſtodiri affirmare auſus eſt de Juſtificat. lib. 4. cap. 11. At nobis *perfecta* iſta *Legis impletio* utroque modo impoſſibilis eſt quòd non ſolùm *difficulter* fiat, ſed ne *omninò* quidem. Quod quò rectiùs intelligatur *1. De cæl. Text. 3.*

3tiò. Cum *impoſſibile* (ſecundùm *Averroëm*) non accidit niſi „ cum aliquid dicitur contraria habere, „ ſimul ſecundùm totum, ſecundùm particulas verò non eſt impoſſibile, dicimus hanc Legis adimpletionem nobis viatoribus *ſecundùm totum* eſſe *impoſſibilem*, atque ideò Theſis negat eam à nobis *perfectè* adimpleri poſſe; at *quoad partes*, vel *gradus inferiores*, eam, idque ex officio, non ſolùm *poſſe*, ſed & *actu* à Renatis obſervari; adeò ut licèt ſæpiùs peccent, *peccati* tamen *ſervi* non ſint, nec „ adhuc impudici, ut ante, nec adulteri ut ante &c. ut invidiosè ſubinnuere & calumniari vult *Caſtellio*, non in peccato vivunt, licèt in ipſis vivat peccatum; non toti in peccatum feruntur, non ἁμαρτίαν ποιῶσι ſenſu Apoſtolico: „ carne licèt ſerviant Legi Dei. *Phyſic. 6. Text. 82.* *Pag. 232. 239.* *Rom. 7. 25.*

4tò (Ut plures *impoſſibilis* diſtinctiones in unum faſciculum compingam) impoſſibile *Aquinati* eſt vel *per ſe* & *ſimpliciter*, vel *ſecundùm quid* & *per accidens*, vel *ſimpliciter*, aut *ex ſuppoſitione*. Sic *Ariſtoteli. Aphrodiſæo* † impoſſibile eſt vel *per naturam*, vel per *impedimentum*, quando quidem naturalis habitudo eſt ut res fiat, ab aliquo caſu tamen impeditur. Et ſic dicimus *Legis adimpletionem non eſſe impoſſibilem ſimpliciter* & *per ſe*, ſed *per accidens* & *ſecundum quid*, propter *infirmitatem* ſcilicet *carnis* noſtræ: ob quod impedimentum *De animal. motu.* *De cælo Text. 119.* † *Natur. Quæſt. lib. 1. cap. 18.*

pace *Pontificiorum* Apoſtolus illud τὸ ἀδύνατον τ νόμ vocet Rom. 8. 3. non ex *naturâ Legis*, non *noſtrâ*, *integrâ*, *glorificatâ*, *Deitati unitâ*; ſic enim neque Adamo, nec Sanctis in cœlo, ne ipſi Chriſto naturâ noſtrâ induto poſſibilis fuiſſet, quæ enim naturâ ſuâ impoſſibilia ſunt, *ipſi Deo* impoſſibiliâ ſunt ut rectè aſſerunt *Scholaſtici.* Et ſi quis dicat Deum obligare ad hoc modo impoſſibilia; hoc *Baſilius* (quod objicit *Bellarminus*) impium eſſe dicat per nos licet, imò hoc Patres (ut fulminant *Patres Tridentini*) Anathemate feriant; nil enim inde nobis periculi. Dicimus enim non eſſe impoſſibilem naturâ ſuâ, ſed noſtræ, noſtræ etiam non integræ, ſed lapſæ; non potentiæ & gratiæ Divinæ, ſi modò „ vellet corruptionem hîc „ induere corruptionem, „ quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed „ ad judicium Dei pertinet, ut ait *Auguſtinus*; „ eſt aliquid in abdito & „ profundo judiciorum Dei, ut etiam juſtorum omne os obſtruatur in laude „ ſuâ, & non aperiatur, niſi in laudem Dei, (de Spiritu & Literâ cap. 35, 36.) Impoſſibilitas ergò iſta eſt tantùm ex ſuppoſitione *ſtatûs noſtri præſentis*, lapſûs ſcilicet, imperfectionis, imfirmitatis, ubi gratia non perficitur, peccatum adhuc inhabitat, caro infirmat, & quamdiu infirmat, τὸ ἀδύνατον τ νόμ manebit Rom. 8. 3. Neque eſt quòd objiciant Adverſarii, licèt *carni* ſit impoſſibile; *gratiæ* tamen non item, quia eodem loco illa addat Apoſtolus, non obſtante illâ τ σαρκὸς ἀδυναμίᾳ, imò ut eam planè tolleret „ Deus miſſo Fi- „ lio pro peccato condemnavit peccatum in carne ἵνα τὸ δικαίωμα τ νόμ πλη- „ ρωθῇ ἐν ἡμῖν ut juſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm „ carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum; nam illa *juſtificationis Legis impletio* authore *Ambroſio* in *remiſſione peccatorum* conſiſtit, & ad propriè dictam *juſtificationem* ſpectat, ut noſtri evicerunt; vel ſi etiam de gratiâ *ſanctificante* intelligeretur, quamvis *Legem* hîc *non perfectè adimpleamus*, veriſſimè tamen dici poteſt, Chriſtum ità *carne*, *morte*, ſuâ *peccatum condemnâſſe*, *ut impleretur in nobis jus Legis*, quatenus hoc reverâ exequitur, ſed *paulatim*, *gradatim*, per *continuas* ſcilicet noſtras ad *perfectionem* omnimodam *tendentias*, *conatus*, *progreſſus*, donec tandem in cœlis ejus in ſolidum fiamus compotes.

De Juſtif. l. 4. 12.

Seſſ. 6. cap. 11.

Abbat. pag. 556. 557.

His in Theſeôs explicationem poſitis, evaneſcunt protinus ei, nobiſque à *Pontificiis* & *Caſtellione* impactæ *calumniæ* & *blaſphemiæ.*

1. Nulla hinc *officii* noſtri *incuria* vel *deſperatio*, ſed acriores ad ulteriores conatus & progreſſus adduntur ſtimuli. Quamvis enim illud *Aquinatis* veriſſimum ſit, neminem aliquod quod vel ſibi vel ſimpliciter impoſſibile putat aggredi; cur enim *conere* quod non *ſperes*? ut objicit *Caſtellio*: Cum tamen non ita impoſſibile ſit, quin ſtrenuè *conando* continui *progreſſus* fiant, & ad finem perſeverando ſe illud fœliciter *adepturos* pro certo habeant, ad illud allaborandum & perficiendum incitatiores fiunt, dum illi qui ſe jam *metam attigiſſe* ſomniant, *ignavi* deſident, vel potiùs (quod *Perfectioniſtis* noſtris palàm paſſim accidit) „ ut canes ad vomitum ſuum redeunt; contra *Paulus*, quia ſentiebat ſe nondum *perfectionem aſſecutum* eſſe, non niſi in *reſurrectione mortuorum* apprehendendam, eò *majore contentione ad ſcopum fertur* Phil. 3. 11. 12, 13. 14. Quod verò ad *deſperationem* attinet, ea potiùs ex *Perfectioniſtarum* doctrinâ quàm noſtrâ ſequi magis apta nata eſt: Nam quamvis pro perfectione hujuſmodi diſputent, cum tamen ſuâ conſcientiâ & miſerâ experientiâ edocti ad eam humanam infirmitatem hîc aſſurgere non poſſe didicerint,

3. Politis. Lect. 9.

Pag. 227.

2 Pet. 2. 22.

rint, hinc fit (annotante *Schlichtingio*) ut deſperato officio, non deſperatâ tamen ſalute, etiam neceſſarium non putent quod fieri non poſſe vident. *In præfat. ad diſput. contra Meiſnerum.*

Nulla hinc (quam fingunt & nobis affingunt) Dei vel *potentiæ*, vel *bonitati*, vel *juſtitiæ* facta eſt injuria. 2.

Non *potentiæ*: poſſe enim Deum nos in hâc vitâ perfectos reddere ſi modò vellet priùs conceſſimus:

Non *bonitati:* quod enim *Paulus Corinthiis* optavit 2 Cor. 13. 9. idem Sanctis omnibus vult Deus, *noſtram* ſcilicet *perfectionem*, ſed ſuis mediis, ordine, tempore conſummandam: in viâ progreſſum, ad metam apprehenſionem plenariam: hîc *Spiritûs primitias* illîc *meſſem*. Et quamvis † *Caſtellio* ſubſannans dicat, „ Ego verò medicum nec velim nec laudem, qui in me curando velit ſupereſſe morbi reliquias: nos tamen utpote magis indigni ex animo ſummas gratias ſummo medico agimus, ſi ut *cæco* illi *viſum* Marc. 8. 24, 25. ità nobis ſanitatem animarum paulatim reſtituat, & ὁλοκληρίαν ad ultimum ſuum adventum diſtulerit, tum demùm *ultimus hoſtis* noſter *abolebitur*. Quod nil interim Chriſti vel *potentiæ* vel *miſericordiæ*, vel noſtræ à *morte liberationi* detrahit. Et quamvis ad *redemptionem* illam *corporum*, *plenariam* noſtram *adoptionem* expectamus, non minimæ interim gratiæ debetur, hæc quâ *jam filii Dei ſumus*, adoptio. Et ut noluit olim Deus ſubitò fugare omnes *Cananæos* Iſraëlitis, ſic vel ipſe *Caſtellio negare* non audet *peccata paulatim fugari*, *ſicut & nox adventu diei paulatim fugatur*. At quare hoc non ſemel ſimul ſubitò fieri debuit, ſi hoc *paulatim* Dei vel potentiæ, vel bonitati, vel operis ſui perfectioni detraheret? Aut quid impedit quin hoc *paulatim* ad totum vitæ hujus curſum extendatur, donec in cœlo *Deus* futurus ſit *omnia in omnibus*?

Rom. 8. 23. *Matth.* 13. 39. † *Pag.* 237. *1 Cor.* 15. 26. *Rom.* 8. 23. *Pag.* 238.

Non denique *juſtitiæ Divinæ*; ac ſi quia Deus nobis jam impoſſibilia im- 3.
„ peret, quovis Tyranno crudelior & ſtultior foret, dum Legem nobis de-
„ derit quò peccemus, quoniam obſervari nullo modo poſſit; Sic enim blaſphemantem *Bellarminum*, ſic *Panigarollam* audivimus. Sed „ increpet te *Zechar.* 3.
„ Dominus, Satana. In nos ſit iniquitas, Deus autem & thronus ejus ſit in- *2 Sam.* 14. 9.
„ nocens, ut juſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum judicatur. Sarta tecta perſtabit incommutabilis Dei juſtitia, prout his rationum momentis conſtabit. *Rom.* 3. 4.

Quorum primum hoc ſit ipſi Dei juſtitiæ & Sanctitati conveniebat ut *Legem primitùs* daret, quæ *omne omninò peccatum vetaret*, & *perfectam* exigeret *obedientiam*, ut inde ſcilicet innoteſceret ſe omne bonum amare, omne verò peccatum odio proſequi unde lex Dei *lata valde*, imò *perfecta* dicitur. 1. *Pſal* 119. 96: 19. 7.

Secundò hæc *Legis adimpletio* nobis primitùs in *ſtatu integritatis* creatis *non erat impoſſibilis*. Hîc enim illud *Chryſoſtomi* obtinet, εἰ γὰρ ἀδυνάτους ἡμᾶς ἐποίησεν, εἶτα ἐπιτάττει, κατηγορία αὐτῷ ἐστι. At *Deus hominem rectum condidit*, ac proinde niſi ipſe ſibi defuiſſet, Legem ipſi impoſitam implere potuiſſet. 2. *In Hebræos Orat.* 10. *Eccleſ.* 7. 29.

Tertiò Quamvis ex peccato & lapſu nobis adnata ſit impotentia, non æ- 3.
quum tamen eſt, ut Deus Legislator ità *ſuo jure* excideret, vel Legis δικαίωμα ità minuendum ſit, ut injuſtum & Tyrannicum foret, ſi *debitum* ab iis, qui ſuo vitio non ſolvendo ſunt, in ſolidum *exigat*; ità ut ea „ quæ in hâc
„ vitâ præſtare nequimus, ad nos hîc non pertinerent, ut *Andradio* placuit:
„ vel ut „ Deus agnoſcens noſtram infirmitatem, abſolutam Legis ſuæ im-

Pag. 267. „ pletionem non requireret, ut voluerunt collocutores *Ratisbonenſes Pontifi-cii.* Sed „ in æternum Domine verbum tuum in cælo permanet Pſal. 119. 89. Non propter depravationem noſtram ità mutanda & inflectenda eſt Legis Divinæ Regula, ut propter impotentiam noſtram peccato contractam, perfectam obedientiam non exigat, ut ſi hoc faceret Deus Legislator, *crudelis*, *Tyrannicus* audiat. Ità enim *potior* eſſet *impiorum* quàm *piorum ratio. Illi* enim cum *ſine gratiâ* ſint (vel ipſis *Pontificiis* fatentibus) *Legem implere non poſſunt*, ideòque (ex eorum ſententiâ) ad hoc ipſis impoſſibile non obligarentur, non peccarent, propter Legis non-adimpletionem damnationi obnoxii non eſſent: atque ità gratiâ omninò carere, utpote magis tutum præoptandum foret. At meritò eo nomine damnantur, & ſine omni vel crudelitatis, vel Tyrannidis ſpecie exactam Legi obedientiam, utpote debitam, ab iis licèt vitio ſuo impotentibus juſtiſſimus Legislator exigit, ſi quidem eis ità lapſis & impotentibus majus aliquid de novo imponeret, aliqua appareret crudelitatis ſpecies. At obſtruat ſibi os blaſphema omnis petulantia, ſi quod priùs & ſemper debitum fuerit ex chirographo, id totum repoſcat.

Chamier. Tom. 3. lib. 11. cap. 8.

4. Præſertim, quia 4to in loco (quod ad electos præcipuè attinet) hic rigoris Legis finis ſit, ut ſuæ impotentiæ, peccati & miſeriæ conſcios ad Chriſtum Sponſorem, Redemptorem ducat Rom. 10. 4. imò *pædagogi* inſtar adigat Gal. 3. 24. ut per eum defectuum ſuorum veniam obtineant, atque eo in ſenſu (ſi *Ambroſium* interpretem ſequi velimus) τὸ δικαίωμα τ̃ νόμ πληρωθῇ ἐν ἡμῖν Rom. 8. 4. atque ità *Legi* in plenum *ſatisfieret*, ut ex hâc Legis exactione conſtaret non ſolùm *illibata juſtitia*, ſed *ſumma* inſuper *miſericordia*, quæ in hoc longè illuſtrior elucet, quòd ità reos, impotes abſolvat, juſtificet, roboret, perſeveranter provehat, donec tandem coronaverit, & „ impleverit „ omnem voluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei cum virtute.

2 *Theſſ.* 1. 11.

Nam quod ad Sanctificationem etiam attinet, hoc ità ſe habere Deo placuit,

5. 5^tò^ Ut quum quantum gratiæ nos adeò debiles peccatores debemus expertò cognoſcimus, ſuperbiæ typhum nobis adimeret, & *humiles*, *gratoſque* redderet. Hoc quidem *Caſtellio* ridet, ſed non ſic *Bernardus*, ubi dicit „ Man„ dando impoſſibilia, non prævaricatores homines fecit, ſed humiles. Non ſic *Auguſtinus*, qui Lib. 3. de peccat merit & remiſſ. hæc habet „ in quibus„ dam etiam juſtos ſuos, quoniam adhuc extolli poſſunt Deus non adjuvat „ ad perficiendam juſtitiam, ut dum non juſtificatur in conſpectu ejus om„ nis vivens, actionem gratiarum indulgentiæ ipſius ſemper debeamus & à „ tumore ſuperbiæ ſanctâ humilitate ſanemur.

Serm. 50. in Cantic.

6. 6^tò^ Ut hoc calcare incirati ardentiùs cum Apoſtolo Rom. 7. 24. oremus & contentionibus tam *votis* quàm *conatibus ad perfectionem anhelemus.* Sic rurſus ibidem *Bernardus* „ Non latuit præceptorem præcepti pondus excedere „ hominum vires, ſed judicavit utile ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ ad„ moneri, ut ſcirent ad quem juſtitiæ finem niti pro viribus oporteret; ac„ cipientes quippe mandatum, & ſentientes defectum, clamabimus in cœ„ lum, & miſerebitur noſtri Deus &c. Ut & *Auguſtinus* „ Ideò jubet aliqua „ quæ non poſſumus, ut ſciamus quid ab illo petere debeamus &c. „ Ideò „ nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, ut admoneremur quid fide expoſce-

De gratiâ & lib. arbitr. cap. 36. De Spir. & lit. cap. 36.

re,

„ re, quò ſpem præmittere, & obliviſcendo quæ retrò ſunt in quæ anterio-
„ ra nos extendere debeamus. Neque irriti futuri ſunt hi conatus. Nam

Ultimò poſtquam εἰς ἄνδρα τέλειον paulatim hîc adolevimus, exuto tandem *corpore mortis hujus* primum præceptum juſtitiæ, quo „ jubemur dili- 7.
„ gere Deum ex toto corde &c. in illâ vitâ complebimus affirmante *Auguſtino de ſpiritu & Literâ* Cap. 36.„. Tunc erit plena juſtitia quum plena ſanitas;
„ tunc plena ſanitas, quando plena charitas, tunc plena charitas quando
„ videbimus ſicuti eſt. *Lib. de perfectione juſtitiæ.*

Non iniquè ergo illud Lege ſuâ exigit Deus, ad quod hîc paulatim aſcendendo, nos in cœlo tandem planè aſſurgere facit; ſecundum illud *Auguſtini de nupt. & concupiſc.* l. 1. c. 29. „Ad hoc ergò dixit lex, non concupiſces,
„ ut nos in hoc morbo jacere invenientes medicinam gratiæ quæreremus,
„ & in eo præcepto ſciremus & quò debeamus in hâc mortalitate proficiendo
„ conari, & quò poſſit à nobis in illâ immortalitate beatiſſimâ perveniri;
„ niſi enim quodcunque perficiendum eſſet, nunquam jubendum eſſet.

Reliquis, quæ ad Theſeos hujus Confirmationem ſpectant lubens ſuperſedeo.

QUÆST. XXXI.

Externus Judex infallibilis in Controverſiis fidei nec datur nec requiritur in Eccleſiâ.

ADverſarii, quos in hâc Controverſiâ habemus, duplicis generis ſunt. Primò ii, qui hujuſmodi *externum Judicem infallibilem requiri* quidem affirmant, ſed jam *dari* ſummoperè contendunt.

Prioris generis ſunt hujus atque proximè elapſi ſæculi fanatici aliqui, *Coornhertus Amſtelodamenſis*, *Meiſnerus Baſilienſis*, *Radecius*, *Puccius*, *Sebaſtianus Franck*, atque omnium nuperrimus Anonymus quidam, qui libellum ſub Titulo (*ad Legem & Teſtimonium*) & poſtea *pacis Eccleſiaſticæ Propemptticum* ſuum edidit. Hi omnes, eorumque ſequaces apud nos plures, quos *Quærentes* vel *Quæriſtas* dicimus, Judicem talem externum infallibilem *requirunt*, atque etiamnum quærunt. Sed *datum* fuiſſe negant, ex quo Apoſtoli è vivis exceſſerunt, neque dandum ultrà donec ſub *Regimine Spiritûs* & in *novâ Jeruſalem novi Apoſtoli* æquè ac primævi illi *infallibiles* excitandi ſunt, dum totam interim, quæ intermedii eſt temporis Eccleſiam *Apoſtaticam* & *Antichriſtianam* eſſe clamitant, ad cujus defectum reſarciendum & infirmos adverſus lupos defendendos *Interimiſticam* ſuam *Eccleſiam* (quam *conniventiæ* vocant) ſubſtituunt.

Vide Hoornbeek in Summâ Controverſ. lib 6. p. 429. 430. &c. & in Apologiâ pro Eccleſiâ Chriſtianâ &c.

Ex adverſo *Pontificii Judicem* talem *infallibilem* ad componendas & determinandas *omnes fidei Controverſias* in Eccleſiâ non ſolùm *requiri*, ſed & *dari* & ſemper continuari ſtatuunt, *Judicem* inquam, *externum*, *viſibilem*, adeòque *infallibilem*, ut ei omnes Chriſtiani abſque omni dubitatione, imò (quod εὐγενέστεροι *Beræenſes* ipſo *Paulo* docente non indignum judicârunt) ſine omni etiam examine *fidem* ſuam *ſubmittere* & tutò poſſint & ex officio debeant. Et licèt in hoc, quiſnam ſcilicet iſte Ju- *Act. 17. 11.*

dex ſit non adeò inter ſe conveniant, dum eorum ſaniores alii *Concilium Oecumenicum* hoc honore dignantur, ut *Gerſon*, *Cuſanus*, *Abulenſis*, & alii ipſo fatente *Bellarmino* de Conciliis Lib. 2. Cap. 14. alii verò & præ reliquis *Jeſuitæ & Papiſtarum* vulgo plurimi *Cathedræ Petri, eique ſoli S. Spiritûs aſſiſtentiæ annexæ*, adeòque *Pontifici Romano* Dictatori perpetuo in ſolidum cedere contendunt acerrimè, uno tamen ore clamant omnes talem Judicem externum infallibilem (quicunque is demùm fuerit) & dari & neceſſariò requiri ad totius Eccleſiæ & ſingulorum fidelium tam pacem quàm fidem ſtatuminandam.

Nos contra talem Judicem externum nec *dari*, nec etiam neceſſariò *requiri* in *Eccleſiâ* contendimus.

Dum verò *externum* talem & viſibilem Judicem infallibilem negamus, eo ipſo *Chriſtum Judicem infallibilem* eſſe credimus & pronunciamus, qui licèt in *cælo viſibilis* ſit, *nobis* tamen in *terrâ inviſibiliter* tantùm *adeſt* Matth. 28. 20. pro imperio ſuo moderator omnium, quem lætigratique

Iſa. 33. 22. שֹׁפְטֵנוּ יְהוָה מְחֹקְקֵנוּ יְהוָה מַלְכֵּנוּ „ Judicem, Legiſlatorem, Regem noſtrum, † Αμὴν,

Apoc. 1. 5: 3. 14. † μάρτυρα † πιστὸν καὶ ἀληθινὸν teſtem, imò & Judicem, „ fidelem, verum adeòque & infallibilem agnoſcimus.

Simili etiam elogio inſignimus *Sacram Scripturam*, quam non ſolùm Controverſiarum *regulam*, ſed & *Judicem* affirmamus, vel (ut *Collocutores Ratisbonenſes Lutherani*) *vocem Judicis*. Hoc quidem indignantur *Pontificii: non eſſe planum eſt*, imò *non poteſt* eſſe *Bellarminus* de verbo Dei lib 3. cap. 9. *impoſſibile eſt*, ſic *Lorichius*. At eorum pace & *poſſe* & *eſſe* nos aſſerimus: non verò literas intelligimus calamo & atramento efformatas, neque novum & creatum judicem à Creatore diverſum; ſed *ipſam mentem & voluntatem Dei* hiſce *externis ſignis* humano generi *declaratam*, non denique talem judicem eſſe volumus, qualem fingunt *Pontificii*, qui *pro tribunali litigantium rationes audiat expendat*, & vel dicto vel ſcripto judiciario *dirimat*: Hoc enim Papa (quem illi hunc judicem eſſe volunt) æquè nequit facere, ac totam Eccleſiam pro concione docere, vel Commentariis in Sacras Literas inſtituere, quod minimè neceſſarium eſſe agnoſcit *Bellarminus* de verbo Dei lib. 3. cap. 5. nec immeritò; aliter enim væ Pontificibus Romanis plurimis, qui (ipſo ibidem fatente) nil tale fecerunt, vel attentârunt unquam: Sed judiciariam hanc poteſtatem intelligi vult de *ſingulari officio docendi totam Eccleſiam conſtituendo & decernendo quid ab omnibus ſit credendum*. At *tale judicium S. Scripturæ* aſſerimus, idque *infallibile*, quatenus mentem Dei ſummi Legiſlatoris authoritativè declarat, & per quam *Deus* de *toto jure Fidei* & *Religionis pronuntiat*; atque eo in ſenſu *Metonymicè* at *veriſſimè Judicem* appellari poſſe contendimus, aſtipulantibus *Patrum* plurium, imò *Pontificiorum* aliquorum atque *Philoſophorum* phraſeologiâ, ſententiâ, & rationibus ſatis validis è Sacrâ Scripturâ petitis, ubi verbum Dei in Sacris Scripturis contentum ipſaque etiam Scripturâ κριτικὸς dicitur, ubi *Scripturam loquentem, dicentem* Rom. 4. 3: 9. 17. *judicantem* Johan. 12. 48. Rom. 3. 19. *arguentem, errores refellentem, reos condemnantem, pœnitentes abſolventem*, omnia denique ſpiritualis judicii officia peragentem legimus, quidni pro *Judice* habebimus? neque eo *muto*, ut blaſphemârunt *Collocutores Ratisbonenſes*, *Jeſuitæ*; Cum enim hujuſmodi

In fortalitio. Hæreſi 5. *de Scripturâ.*

Vide Davenantium de judice ac normâ fidei cap. 13.

Impropriè Chamierus Tom. 1. *lib.* 1.

Heb. 4. 12.

juſmodi occurrant τι γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραὼ ſatis nobis *vocalis* eſt, ut is planè *ſurdus* ſit qui eam *mutam* eſſe dixerit.

Deum ergo, *Chriſtum*, *Scripturam Judicem infallibilem* credimus, ut & *Spiritum Dei in Scripturis* loquentem, neget licet *Gregorius de Valentiâ*. *Analyſ. Fidei lib. 5. cap. 1.*

Quin & *Prophetas* & *Apoſtolos* (qui dum verbum Dei prædicârunt & ſcripſerunt Θεοφορέμενοι erant) judices fidei *miniſteriales*, eosque *infallibiles* agnoſcimus, cum hoc nomine fidei noſtræ ſuo in genere & loco *fundamenta* dici legimus Eph. 2. 20. *2 Pet. 1. 21.*

Neque etiam hâc noſtrâ Sententiâ vel *fidelibus privatis judicium diſcretionis* adimimus, neque *Magiſtratui judicium* de re Religionis *politicum*, & *coërctionis temporalis*: Minimè omnium Eccleſiæ *Paſtoribus* ac *Doctoribus* vel ſingularibus vel in Synodis congregatis *judicium miniſteriale directionis* & *coërctionis ſpiritualis*; quibus ex officio incumbere affirmamus verbum Dei tanquam ſummi Legislatoris Legem propalare, atque juxta illud fidei controverſias definire, ut & populo ipſis tanquam Dei Legatis & Præconibus attendere, cumque quatenùs verbo Dei adhæreſcunt nec fallant nec fallantur, eatenùs ipſis fidem habere, & morem gerere. *2 Theſſ. 2. 13.*

At non interim *fide* Pontificiâ *implicitâ* & *carbonariâ*, ſed *Beræenſium* exèmplo *Scripturas ſcrutari*, neque in eorum nudo teſtimonio vel imperio acquieſcere; cum enim *homines* ſint, quatenùs à Scripturâ abſcedunt deviabiles ſunt, adeòque, & *falli* & *fallere* poſſunt, quod etiam aliquoties accidit. Imò quamvis infallibilem veritatem doceant, adeòque fideles ex *parte Doctrinæ traditæ* eam tanquam *infallibile* verbum Dei, non hominis certitudine fidei recipere debent, cum tamen *ex parte Doctorum* infallibilem Doctrinam ipſi *fallibiles fallibiliter* doceant, non eſt quòd in eorum teſtimonio *quâ tali*, ſed quatenus cum *infallibili Scripturarum veritate* convenit, acquieſcant.

Ad quod prætera requiritur non ſolùm ut Doctor vel Judex iſte in ſe ſit infallibilis, verùm inſuper ut *quis* ipſe ſit & *quòd infallibilis* etiam ſit *fidelibus innoteſcat*, quò tutò ac indubiè atque extra omnem erroris aleam ei fidem habere, vel certitudine fidei ejus ſententiâ niti poterit.

At *talem externum judicem* (ſcilicet qui & ipſe infallibilis ſit, & de cujus infallibilitate ità conſtat) vel jam *dari* vel etiam *requiri* in Eccleſiâ negat Theſis noſtra.

Primò non dari. Quod hoc unico conficitur argumento. Si talis detur infallibilis Judex, tum vel in ſe atque *ex ſe* ità infallibilis eſt, vel ex Divino eique *ſpecialiter indulto privilegio*. At neutro modo.

Non *ex ſe*; nam „ omnis homo mendax Rom. 3. 4. qui falli & fallere poteſt; atque quum labi & *errare humanum* ſit, nil tale *humanum à ſe alienum* eſſe, niſi admodum ſui ſuffenus ſit, judicare poteſt. Sed hoc apud omnes in confeſſo eſt. Non etiam πεφύκασιν ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν καὶ οὐκ ἔστι νόμῳ ὅς ἀπείρξει τοῦτο. *Thucydid. lib. 3.*

Secundò ex ſpeciali ei indulto privilegio Prophetas quidem & *Apoſtolos* ſuo loco & ordine Controverſiarum arbitros fuiſſe, atque pro *extraordinario* ſuo *officio* ritè fungendo extraordinario iſthoc *infallibilitatis* in munere ſuo peragendo dono donatos & inſtructos fuiſſe ultrò concedimus: quod verò in iſto *infallibilitatis* dono *ſucceſſores* habuerint, qui *perpetuò* & *ordinariè* in Eccleſiâ Controverſias omnes fidei *infallibiliter* dirimere & determinare poterint, deſiderantur adhuc argumenta, quæ hoc cogant atque ità manifeſtò probent:

probent (tales ſcilicet vel jam eſſe, vel poſt Apoſtolos fuiſſe, vel unquam futuros eſſe) ut liquidò fidelibus conſtet.

Ad hoc conficiendum neceſſariò opus habent, ut primò *Judices* hoſce *coràm ſiſtant*, ut *quinam* ſint intelligamus, ne pro *Junone nubem* pro *Smerde magum* amplexemur, veneremur. Secundò etiam ut ſignatis tabulis agant, & diploma ex *Sacris Scripturis* exhibeant, ex cujus indultu hoc *infallibilitatis* privilegio gaudeant. Plura quidem huc afferre ſolent, à noſtris centies refutata, in quibus ultrà refellendis non operæ pretium erit, quorum nonnullis inter diſputandum hodiè reſponſum eſt. Hoc unicum hîc dixerim, ſi de *primo* illo planè conſtiterit, de *ſecundo* anxiè diſquirere ſupervacaneum erit. Hoc eſt, ſi *Judices*, quos aſſignant reverâ *non infallibiles* eſſe ſimul probatum fuerit, nil morabimur *ementita diplomata illa* omnia, quibus *fucum facere* & quod *nuſquam* eſt, in *Eccleſiâ eſſe* probare ſatagunt. Veritas enim Divina nunquam mendacio patrocinatur, neque in Sacris Literis rectè expoſitis diplomata rei nunquam futuræ ulpiam occurrere ſanus unquam cogitaverit, à Chriſto ſcilicet *Judici* alicui *externo* promiſſum & indultum eſſe, eum *infallibilem* futurum quem *eventus*, & *experientia* reverâ *fallibilem*, imò aliquoties, ſæpiùs *actu* vel ex *ignorantiâ* hallucinatum? vel ex *pravo affectu falſum* & fallacem demonſtraverit.

Quod ut meliùs innoteſcat, hunc *Judicem externum coram ſiſtant* ſi placet, *infallibilem*.

Hîc verò ſtatim uno ore *Pontificii* omnes clamitant *Eccleſiam*, *Eccleſiam*. Ad populum Phaleras! At quamnam demùm Eccleſiam ità vultis infallibilem? Non credo *particularem* aliquam; qualem ullam infallibilem (demptâ ſolâ, ſi placet, *Romanâ*) ne ipſi *Pontificii* dixerint, certè *Corinthiacam* in articulo *Reſurrectionis*, *Galaticam* in articulo *Juſtificationis*, *errâſſe*, ut reliquas non enumerem, *Orientales* plures *apoſtatâſſe*, imò *deſiiſſe* conſtat: ad *Romanam* quod attinet, ſi ex fide *Tridentinâ* æſtimanda ſit, quàm accuratè fidem verè Chriſtianam retinuerit, vel ab eâ potiùs immane quantum deviaverit non eſt hujus temporis quòd demonſtrem, retectâ ſatis jam diu Proſtibuli illius ſpurcitiâ.

Sylveſt. Prierias in Luth. Tom. 1. pag. 159. fundam. 1.

Cum etiam ipſi *Pontificii* hoc *infallibilitatis* privilegio *Eccleſiam* univerſalem & *Catholicam* inſignitam volunt: At hæc (vel ex eorum ſententiâ) tripliciter ſumi poteſt,

Vel *Eſſentialiter*, pro *toto fidelium omnium cœtu*;

Vel *Repræſentativè* in *Concilio Oecumenico*;

Vel *Virtualiter* & *cumulativè* in *Pontifice Romano*.

Ecquam harum Eccleſiarum Judicem hunc externum eſſe vultis infallibilem?

1. *Sylveſter ad vocem Eccleſia: Eccleſia quæ errare non poteſt dicitur non Papa ſed omnis populus fidelis per totum orbem.*

Gratiani quidem *Gloſſator* in Cauſ. 24. q. 1. hæc habet, Quæro, de quâ Eccleſiâ intelligas quod hîc dicitur quòd non poſſit errare? Reſpondeo ipſa congregatio fidelium hîc dicitur Eccleſia. At *Eccleſiam hoc modo* ſumptam non noſtri ſolùm, ſed & *Pontificii* ferè omnes *Judicem* hunc *infallibilem* eſſe negant. Nec immeritò. Nam

1. Cum Eccleſia Catholica hoc ſenſu ſumpta fideles omnium locorum & temporum ambitu ſuo contineat: niſi quis *defunctos* omnes reſuſcitaverit, *nondum natos* coram ſtiterit, atque omnes per univerſum orbem *diſperſos*

ſos in unum coegerit, nunquam pro Tribunali *communi ſuffragio* Eccleſia hæc *ſententiam judicialem feret*, ut *Controverſias fidei* dirimat, atque ità (prout *Pontificii* volunt) *Judicem externum* agat. Ad talem enim conventum integrandum ad unum omnes convenire & conſentire neceſſe eſt. Neque (quod in *Conciliis* & *Synodis* fieri ſolet) *major pars* ſufficit: cum vel ipſo fatente *Gregorio de Valentiâ*, „ major talis pars errare poteſt, atque teſtante ex- *In Thom. Tom. 3. diſp. 1. q. 1. §. 47.*
„ perientiâ *melior* pars à *majore* ſeparari ſolet. Atque ſi eos ſolos, qui in vivis ſunt, per orbem terrarum pro Judice competente ſumi poſſe concedatur, ut ipſi *omnes unà conveniant* fieri poſſe idem negat *Valentianus*, adeò ut ſenſu *Pontificio*, ne *Judex externus* eſſe poſſunt.

2. Nedum *infallibilis*: nam licèt Eccleſia hæc univerſalis ſecundùm *Bellarminum* de Rom. Pontifice Lib. 4. cap. 4. errare nequeat *errore perſonali*: nobis tamen requirendus eſt talis Judex qui *errore judiciali* errare non poſſit. Nos potiùs non tam de errore quàm de rebus in quibus errari poſſit diſtinguimus, minirum de *rebus* vel *fundamentalibus* vel non *fundamentalibus*: in *fundamentalibus articulis totam Eccleſiam Catholicam, ſalvâ fide & ſalute, errare non poſſe* credimus: at de *his*, cum in Scripturâ clarè ponuntur, *minores Controverſiæ* eſſe ſolent: majores & *uſitatiores* ſunt circa *non fundamentalia*, in quibus dirimendis maximè *Judice* opus eſt; at in *his* vel *univerſalem Eccleſiam* pro tempore *errare poſſe* non negat *Scriptura*, & ſatis apertè demonſtrârunt *noſtri*. *Eccleſia* ergò *univerſalis eſſentialiter ſumpta* nequit eſſe *Judex iſte externus infallibilis*.

At quid ſecundò ſentiendum eſt de *Eccleſiâ Repræſentativâ* in *Concilio Oecumenico*? de particularibus enim Synodis, vel Conciliis, eorumque fallibilitate minor lis eſt, cum minùs diffiteantur Adverſarii. At *Concilium Oecumenicum* Pontificium illi omnes qui ejusdem ſuper *Papam* ſuperioritatem aſtruunt (quod quidem faciunt non ſolùm *Doctores* Pontificii plurimi, ſed duo (ut illi volunt) *univerſalia Concilia*, (*Conſtantienſe* ſcilicet & *Baſilienſe*) hi, inquam, omnes *Concilium tale* & *Judicem externum*, eumque *infallibilem* eſſe contendunt & pronuntiant. At contrà 2.

1. Per *tria prima* Eccleſiæ Evangelicæ *ſæcula*, nullum tale (quod vel dici ſolet) univerſale *Concilium* ante *Nicænum* coactum fuit. Ergo per totum illud tempus Eccleſia tali externo Judice infallibili caruit; imò in perpetuum carere poteſt, ſi modò ſecularis poteſtas Concilii hujuſmodi generalis coitionem in ditionibus ſuis non ſineret, ſine cujus *forti favore* debitam terminationem Controverſiarum haberi non poſſe dixit *Gerſon* in *Dialogo* ſuo *Apologetico*.

2. *Concilium* verè *Oecumenicum* cui adeſſe debent omnium per totum orbem Eccleſiarum Legati, *nunquam* hactenus *fuit*, neque etiam videtur deinceps *futurum*, ut *Pontificii* aliqui objiciunt apud *Bellarminum* de *Conciliis* lib. 1. cap. 17. ubi (ut ipſe fatetur) in *Concilio primo* omnium *generali* ex *Occidente* ſolùm fuerunt duo *Presbyteri* miſſi ex *Italiâ*, *unus Epiſcopus* ex *Galliâ*, *unus ex Hiſpaniâ*, *unus ex Africâ*: in ſecundo & tertio Concilio ex *Occidente* nulli erant, & in quarto ſoli *Leonis* Legati, cum tamen ex plurium *Pontificiorum* ſententiâ *Papæ infallibilitas* alteri *delegari* nequit: ac proinde cautè monent ad *Generale Concilium* conſtituendum non requiri ut omnes vel adveniant, vel etiam citentur; ſed hæc quatuor ſufficere, ſi omnibus innoteſcat, *Turrecremata, Cani, Valentia.*

ſi nullus verè Epiſcopus excludatur, ſi Papa Romanus & quatuor Patriarchæ ſummi per ſe vel per alios adſint, ſi ex majori parte Chriſtianarum Provinciarum aliqui adveniant. At quam ψευδωνύμως *Concilium tale* dicetur *Oecumenicum*, cum (vel ipſo fatente *Bellarmino Concilium*) aliquod *Natianale* eo *majus* quoad *Epiſcoporum numerum* eſſe poſſit.

3. *Concilia hæc falli & errare poſſe Pontificii* illi probant, qui pro Papæ præ Concilio generali *præeminentiâ* militant: nos melioribus fulti argumentis *& errare poſſe*, adeòque & *errâſſe* aſſerimus, quòd non rationum pondere, ſed ſuffragiorum majore numero, non veritatis, ſed partium ſtudio ambitione, ſuperbiâ, ſpe, timore, atque (quod in nuperis ſaltèm inolevit) *Romani Pontificis* dictamine, res ibi peragi ſolent. *Errâſſe* dicit *Bellarminus Syriacenſe, Mediolanenſe, Ariminenſe* & alia plura, utpote à *Papa* non approbata: nos etiam ipſius pace dicamus in longè pluribus omnium turpiſſimè *errâſſe Tridentinum, Papæ* licèt *approbatiſſimum.*

Ego Synodum non accuſo, quam reveror, ſed plurimos in Synodo converſantes excuſare non valeo, quos animæ paſſiones, & peſtes improbæ, quibus mos eſt Cathedram humani ſubvertere judicii, fefellerunt Gerſon parte 3. Dial. Apologet.

Tertiò & ultimò *Eccleſia virtualiter & cumulativè* in *Pontifice Romano* ad examen venit, quem reverâ *Jeſuitæ* præcipuè, & cum eis *Pontificiorum* plurimi ſolùm hunc *infallibilem Judicem* conſtituunt. Quamvis enim ut fucum faciant ipſi *Concilium generale* hâc in re adjungant, Concilium tamen hoc in *Cardinalium Conſiſtorium* compingunt, tandem tamen in ſolum *Papam* refundunt omnia, quem ſolum in *infallibilitatis* (peſtilentiæ dixeram) *Cathedrâ* collocant; ſine quo Concilia omnia errare poſſe, neque magis infallibiliter decernere quàm corporis truncus ſine animâ & capite rectus ſtare, poterint. Et quamvis *Conciliis generalibus* in unum coactis *Spiritûs Sancti præſentiam* & aſſiſtentiam, præcipuè in ferendâ ſententiâ attribuant, talem verò eſſe volunt, quæ ſemper *comfirmatione*, quandoque etiam *emendatione* Pontificis Romani indigeat. Mirandam ſcilicet *Jeſuitarum* pietatem! quæ ipſum *Spiritum Sanctum Papæ* ferulæ ſubjicit, & egregium *Conciliorum* Patrocinium, quod eis (ut rectè annotavit Cl. Davenantius) „ illam infallibi-
De Jud. & Norma fidei, cap. 20. p. 112. „ litatem tribuit, quam cuivis puero, aniculæ, imò hæretico, denegare non „ audent; nam vel horum judicia à Papâ confirmata, quis Pontificius indubia infallibilia eſſe dubitaverit.

At Papam hunc infallibilem Judicem tandem prodiiſſe *credat Judæus apella*, non ego; cum ne ipſe Papa (credo) ſibi meliùs conſciùs, non Gnathones ſui omnium ſordidiſſimi, quem ſi minùs præ *ignorantiâ falli* dicere poſſumus, at *falſum* eſſe, (quatenus vox hæc *impudicum* & *adulterum* aliquoties ſignificat) quis negaverit? At *falſiloquum* omnium maximum, falſarium nequiſſimum, ſeductorem peſſimum totus orbis jam ſatis novit, cujus utpote adventum *2 Theſſ. 2. 9, 10.* ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας Apoſtolus futurum prædixerat, ut quicquid veterator iſte nobis numeraverit, ad Sacræ Scripturæ Lydium lapidem exigat prudens quivis & fidelis neceſſum habeat, ne pro legitimo χίβδηλον vel ſubæratum accipiat; tantum abeſt ut eum bonâ fide ſemper agere, nedum *infallibilem* eſſe pro certo habeat. Ut (digito ad fontes) ſummatim agam,

1. Ex his (ne diffitentibus ſuis) plurimi *ſcortatores*, ἀρσενοκοῖται, *veneficî, Necromantici*, ἀλάστορες, *Athei*, bipedum nequiſſimi fuerunt. An ergò ità infallibiles habendi, ut errare non poſſint? cum „ in malevolam animam
Sap. 1. 4. non introeat Sapientia, cum κακοήθει οὐ κατοικήσει teſte Philoſopho, cum ἐνέρ-

γειαν

γενεν πλάνης τοῖς ἀδοκήτοις ἐν τῇ ἀδικίᾳ mittendam prædixerat Apoſtolus. 2 *Theſſ.* 11. 12.

2. Ex his aliqui (fruſtrà licèt reclamantibus Paraſitis ſuis) manifeſtò *hæretici* fuerint: adeòque *actu*, idque perniciosiſſimè, *errarunt*: an hoc non obſtante etiamnum infallibiles erunt?

Papa Adrianus ſextus hoc agnoſcit de Sacramento Confirm. art. 4.

3. Cum atteſtante Bellarmino (de Pontif. Rom. lib. 4. cap. 2.) in hoc omnes Pontificii conveniant Papam ut Pontificem, vel Conciliariis ſuis, imò Concilio Univerſali ſtipatum errare poſſe in quæſtione *facti*; extrâne omnem fallibilitatis aleam conſtituetur in *Controverſius fidei* longè abſtruſioribus, & à ſenſibus omnique notitiâ naturali longè magis remotis? Sed ſingula quid perſequar?

4. Illud unicum adjiciam. Cum ità ſibi ſuisque placuit, ſit *in ſe* (uti volunt) *infallibilis*: quò minùs verò ità manifeſtò infallibilis evadat ut fideles omnes omni procul dubio in eo acquieſcant atque oracula ejus omni omninò remotâ hæſitatione & examine proni & venerabundi acciperent, hæc ſcrupulum ſaltèm injicere poſſint dum cogitant,

1. Quàm *infirmis* hæc ejus *infallibilitas* nitatur *fundamentis*, qualia inter cætera hæc ſunt: *Petrum Eccleſiarum, Apoſtolorumque omnium ſummum Paſtorem fuiſſe, ſedem Epiſcopalem Romæ fixiſſe, Papam Romanum Succeſſorem* ſuum, imò quoad *infallibilitatem* reliquiſſe, ut omnia quæ de *Petro* in S. Scripturâ *dicuntur*, imò quæ de eo (ſenſu ſaltem *Pontificio*) *non dicuntur*, *Pontifici Romano* tribuenda ſint.

2. Dum etiam hoc cogitant, quòd etiamſi *verus Papa* prorſus *infallibilis* ſit, non tamen *infallibiliter* conſtare poteſt, utrùm *præſens Papa* ſit *legitimus*. Nam definitore *Bellarmino* dubius Papæ habetur pro Non-Papâ. Jam verò etſi *Franc. Longus** pronuntiet *de Fide* eſſe dicere *hunc numero Papam* videlicet *Gregorum XV. eſſe verum Succeſſorem Petri* &c. hoc tamen *certitudine fidei* credi nequit, quia juxta ipſorum *Pontificiorum* ſententiam ſi *Papa præſens Simoniacus* ſit, ſi *ſequioris ſexûs*, ſi non *ritè baptizatus* & *ordinatus* ſit, ſi in *mentalem hæreſin* inciderit, verus Papa non eſt: atqui ſecundùm *Aquinatem, Papa* poteſt incurrere vitium *Simoniæ* ſicut quilibet alius, nullumque Papam actu in id incuriſſe, quis certitudine fidei affirmare auſit, præcipuè qui Curiæ Romanæ mores noverit? *Fœminam Papam* aliquando fuiſſe diſputant plures, probant noſtri, fatentur ex *Pontificius* aliqui, ſaltèm poſſe (non obſtante ſellâ exploratoriâ) vix negabunt ulli. Papam hunc ritè *baptizatum*, niſi cui Sacerdotis baptizantis *intentio* certò explorata ſit quis noverit? An *mentalis hæreſeos* contagio infectus ſit præter unicum cordis ſcrutatorem indubiè nemo perſpectum habet. Si ergò eum *verum Papam* eſſe non certò noverim, quomodo *infallibilem* eſſe certò certiùs cognoſcerem? ut ſine ſcrupulo & examine omni placitis ejus omnibus fidem haberem, vel morem gererem? Non ergò *in ſe*, non *mihi* ſaltèm *Judex* eſſe poteſt *infallibilis*.

De Concil. lib. 2. cap. 19. * *Sum. Concil. Prælud. 10. aſſert. 2.*

22a. q. 100

Atque hactenus contra *Pontificios* egimus, & talem judicem *non dari* probavimus.

2.

Quod ad *Enthuſiaſtarum* hâc in re ſententiam priùs dictam attinet, ſcilicet non jam *dari* quidem judicem infallibilem in Eccleſiâ, ſed *requiri* tamen, atque tandem dandum fore cum in Novâ ſuâ Hieruſalem novi exorituri ſunt Apoſtoli, eam refellere nec libet nec per tempus licèt. Ad ejus refutationem ſatis eſt dixiſſe,

1. Quòd immani auſu *totam Eccleſiam* ab *Apoſtolorum exceſſu Apoſtaticam* & *Antichriſtianam* fuiſſe blaſphemant.

2. Quòd Chimæricum *novorum Apoſtolorum infallibilium* exortum, cujus in S. Scripturâ nec vola nec veſtigium, fingunt, ſomniant. Quorum demen, tatas affanias, inſanias Clariſſimus *Hoornbecius* in Apologiâ ſuâ pro Eccleſiâ Chriſtianâ &c. nec non in Summâ ſuâ Controverſiarum Religionis lib 6. egregiè detexit & profligavit, quem adeat, qui hâc de re plura vellet. Verbo expediamus.

1. *Non requiritur* quod *non datur*. Deus enim non deficit ſaltèm Eccleſiæ in neceſſariis. At *non dari* jam probavimus. Ergò.

2. Quia judicium ferendum eſt vel de *neceſſariis ad ſalutem*, vel de *non neceſſariis*: at circa neutra requiritur *Judex externus infallibilis*. Non circa *neceſſaria*, quia *clarè ponuntur in Scripturis*. Non neceſſariò circa *non neceſſaria*, quia cum non neceſſaria ſint ad ſalutem, non neceſſariò de iis ferenda eſt ſententia.

Concludimus ergò cum D. Reſpondente quòd externus Judex infallibilis in Controverſiis fidei nec datur nec requiritur in Eccleſiâ.

QUÆST. XXXII.

Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem.

CONtra *Antinomos* & *Libertinos* à D. Reſpondente inſtituitur hodierna Controverſia; contra *Antinomos*, inquam qui tam Doctrinâ quàm praxi *bona opera* ad ſalutem ità minimè *neceſſaria* eſſe ſomniant, ut ei *impedimento* eſſe blaſphemando aſſerant. Non diffitendum quidem eſt *Proteſtantes* (ſi verè tales ſint) ad unum omnes *talem bonorum operum neceſſitatem* negare, qualem volunt *Pontificii* qui contra nos hâc in re tantùm Sophiſticâ & calumniis agunt. Et dolendum porrò quòd ex *Lutheranis* inter *Majoriſtas* & *Flacianos* adeò acris priore ſæculo hâc de re lis intentata fuit, quam puram puram λογομαχίαν fuiſſe audacter dixerim; *de verbis* pugnabant, dum de *rei ſummâ* unanimis fuit omnium ſententiâ.

Quò meliùs itaque detegatur *Pontificiorum* Sophiſtica, tollatur verborum ambiguitas, atque ità demùm ſine fuco inſtituatur ſtatus Controverſiæ, in ipſo explicationis noſtræ limine proponendæ, atque dein ad præſens inſtitutum applicandæ ſunt diſtinctiones aliquot 1. de *bonis operibus*. 2. de *ſalute*. 3. de *neceſſitate* atque 4. ultimò de *perſonis* quibus vel *neceſſaria* vel *non neceſſaria* eſſe dici poſſunt.

1. Et quod ad *bona opera* attinet ſunt vel *externa* quæ foràs in dicta vel facta prodeunt, vel *interna*, quæ intellectûs, voluntatis, affectuum operationibus conſtant, quibus congener eſt ipſe internus Sanctitatis habitus, ex quo profluunt.

2. *Salutis* vox ſæpius & vulgò totius rei *ἀκυλιῶ* & *cæleſtis gloriæ* faſtigium magis propriè denotat: ſæpe etiam totam *gratiæ* ad gloriam uſque

ἐικονομίαν, adeòque ipſam *primam juſtificationem* in ſe comprehendit Matth. 1. 21.

3. Cum *Neceſſitas* multipliciter dicatur, non huc corrogândæ ſunt ſignificationes ejus omnes, ſed quæ inſtituto noſtro propiùs inſerviunt. Inter illas hæ notentur,

Primò Ἀναγκαῖον vel ἐκουσίῳ vel ἀδιαφόρῳ opponitur, eſtque neceſſitas vel *coactionis*, quæ invitum cogit ad agendum, vel *debiti*, ut actio pro non arbitrariâ habeatur.

Secundò eſt neceſſitas *præcepti*, vel *medii*: illa ejus eſt, quod ad finem aliquem conſequendum Deus quovis modo jubet; hæc illius, ſine quo finem illum aſſequi omninò non datur. Act. 14. 22. 1 Cor. 9. 16.

Tertiò aliquid alteri neceſſariò annectitur, vel *antecedenter*, vel *conſequenter*, vel *concomitanter*.

Quartò Proinde Neceſſitas iſta poteſt eſſe vel ſolius *præſentiæ*, vel ſimul etiam *efficientiæ*. Illa, quâ aliquid rei quam aſſequimur adeſſe neceſſe eſt, hæc illius eſt quòd neceſſariam efficaciam impertit ad ipſam rei acquiſitionem.

Quintò *neceſſaria* hæc *efficientia* vel largè & impropriè ſumitur pro *quâvis* eâque impropriè dictâ *cauſalitate*, qualis eſt *cauſæ ſine quâ non*, *diſpoſitionis* & *habilitatis ſubjecti*, *conditionis*, *medii*, *adminiſtrantis*, & *viæ* ad rem aſſequendam: vel ſtrictè ac propriè quæ efficientiam & *cauſalitatem propriè dictam* denotat, quæ rem vel *Phyſicè producit* & efficit, vel *moraliter movet*, *cogit*, & præ reliquis, *ex merito* ſuo rem in eſſe ponit.

Hæc de *Neceſſitatis* (quantum ad hanc cauſam ſat eſt) differentiis.

4. Et ultimò, Aliquid prælibandum eſt de *perſonis*, ad quarum *ſalutem bona opera*, *neceſſaria* eſſe vel *non* eſſe cenſenda ſunt. Hæ verò, vel *infantes* ſunt, & *ſtatim poſt regenerationem mortem oppetentes* vel ii qui *rationis uſum adepti* & adultiores facti ſunt, qui etiam poſt novæ vitæ exordia *aliquandiu lucis uſurâ perfruuntur*, & *benè operandi* idoneas *opportunitates* habent.

His ità præmiſſis atque ad cauſam quam agimus ritè applicatis prona atque expedita erunt omnia.

At quoniam *Bellarminus* Lib. 4. de juſtificatione hanc de bonorum operum neceſſitate Controverſiam à calumniis immeritò nobis impactis orditur: ad amoliendam nobis hanc ſuam atque aliorum συκοφαντίαν, juxta præceptum Apoſtolicum Tit. 3. 14. μανθανέτωσαν δὲ καὶ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας in limine, & in genere bonâ fide dicimus & palàm profitemur tantùm abeſſe ut bona opera vel averſemur vel prohibeamus, ut contrà ea facienda, imò *neceſſariò* facienda eſſe conſtanter aſſeramus. Hoc Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones *Auguſtana* (Art. 6.) reliquæ omnes apertè clamant. Hoc Proteſtantium (quicquid *Bellarminus* † in contrarium blaterat) vitæ, moreſque (*Pontificiorum* utique longè Sanctiores) reſtantur. Hoc Scriptores & Concionatores noſtri ſeriò, ſedulò, inceſſanter docent, urgent, imperant, neceſſitatem *mandati*, *debiti*, *ordinis*, *conſequentiæ*, *hypotheſeôs* inculcant. Mulripliciter neceſſaria hæc opera eſſe quoad *Deum*, *proximos*, *moſmet ipſos* variis ex rationibus apud Theologorum noſtrorum vulgus paſſim occurrit.* Hoc etiam aliqui ex intuitu *Angelorum* ipſius-

Ut æternam ſalutem conſequaris & ſis ſanctus, aiunt omnes Proteſtantes, nihil eſt neceſſe boni aliquid moliaris, aut facias, Chriſto fidas, impunè quidvis audias, & ad extremum perducas, ſic mentitur Bzovius de ſignis Eccleſiæ Lib. 6. c. 5.

† *de juſtif. lib. 4. cap. 1. §. quintò probamus &c.* * *Vide Pareum de juſt. fid. lib. 4. cap. 5.*

ipſiusque etiam *Diaboli* efflagitant. Ipſe *Amsdorfius*, licèt ineptè ſatis, temerariè nimis ſtolidum illud bona opera *ad ſalutem noxia & periculoſa* eſſe, *agenda* tamen agnovit. Et *Lutherus* quamvis pro grandi illo (ut *Chemnitius* id vocat, quidni audaciori dicamus?) loquendi genere quo ipſe uti ſolet, pro fervido nimis ſuo ingenio, & ferventiſſimo in negotio gratuitæ juſtificationis (ex *fide* non ex *operibus*) zelo plura (quod ad loquendi modos) inconſideratiùs dixerit, *extra illam* tamen *Controverſiam honoroficè* admodùm de *bonis operibus* & ſcripſit & locutus eſt, & (ipſo *Greg. de Valentiâ* teſte) facienda & neceſſaria eſſe deprædicat in Viſitatione ſua Saxonicâ, in quâ *Antinomos* & *Libertinos* contrà blaſphemè ſententies & turpiter agentes (ipſo *Bellarmino* fatente) coercuit. Et in Cap. 3. ad Galat. extra cauſam juſtificationis bona opera nunquam ſatis magnificè commendari poſſe pronuntiat. Neque hoc ſolùm *Lutherus* & *Lutherani*, ſed (ipſo *Stapletono* teſte) *Proteſtantes* ad unum omnes dicunt *fidem* & *vivam* eſſe & *operantem* per *charitatem* aliaque opera, quibus tamen vacuam eſſe poſſe fidem ſuam juſtificantem Pontificii contendunt, & *fideles fornicatores*, *fideles adulteros* &c. agnoſcunt. Ex quo ſolo, noſne an illi bonorum operum patroni magis habendi ſatis dignoſci poteſt.

Gerhard. Loc. com. Tom. 4. cap. 7.

Tom 2. diſp. 7. q. 6.

De juſtif. 9. cap. 7.

Concil. Tridentin. Seſſ. 6. cap 15.

Calumniatorem ergò, eumque mendaciſſimum agit *Bellarminus*, cum hæc nobis affingit, quaſi omninò exiſtimemus „ *poſſe hominem ſalvari*, etiam„ ſi *nulla opera bona* faciat, nec mandata Divina conſtodiat, ac ſi diceremus „ *bona opera non neceſſaria eſſe ad ſalutem*, ſed perinde eſſe utrum quis amet „ conjugem ſuam an alienam, utrùm furetur an donet, imò juſtificari & „ ſalvari etiam eos qui voluntariè in ſceleribus perſeverant. Hæc in nos mentitur de juſtific. lib. 4. cap. 1. & cap. 7. nos tenere vult *bona opera nullam revelationem* habere ad *ſalutem*: ac proinde *Simonianis* & *Eunomianis* ſimiles pronuntiat, qui (ut ex *Irenæo*, *Auguſtino* & *Epiphanio* conſtat) omni boni malique diſcrimine ſublato fidem crepabant, liberant interim ſequacibus ſuis quidvis patrandi indulgebant licentiam.

Hæc *Antinomos* & *Libertinos* (qui eadem ſenſerunt & patrârunt) configant licèt convitia, Nos, verè *Reformatorum* vel *Lutheri* vel *Calvini* ſequacium, nullos feriunt: uno enim animo & ore clarè, ſonorè clamamus (cum *ſolâ fide vitâ operatrice juſtificemur* & *ſalvandis* ſuo loco & ſenſu *neceſſaria* eſſe. Ad Phraſin quidem iſtam *neceſſaria eſſe ad ſalutem* ambigebant, hæſitabant *Lutheranorum* aliqui, atque etiamnum hæſitant.

Vide Hoornbeeck ſummâ controverſ. de Lutheranis p. 524.

Neque ex *Evangelicis* deſunt, qui ab eâ tûtiùs abſtinendum eſſe judicant: ne *Pontificiis* cum Eccleſiæ ſcandalo gratificari videamur, qui hocidem dicunt, premunt ut *juſtificationem* ſuam *ex operibus*, & *ſalutem ex operum merito* ſtatuminent.

Gerhard. Tom 4. cap. 9

At his & ſimilibus ſemel præternavigatis ſcopulis, de his modò res ſalva ſit, ipſum *Lutherum** ità loquentem audire poſſimus „ Neceſſarium eſt ut „ Doctores tam diligenter urgeant doctrinam de bonis operibus quàm do„ ctrinam de fide. „ Libertas Evangelica eſt libertas conſcientiæ, quâ ſolvi„ vitur ab operibus, non ut nulla fiant, ſed ut in nullis confidat. *Bona opera* ſtudio quantùm poſſumus maximo profitemur, colimus, vitæ praxi præſtamus, Concionibus, diſputationibus, ſcriptis docemus, urgemus, propugnamus, & facienda eſſe, idque *neceſſariò*, idque in *ordine ſuo ad ſalutem*, aſſerimus.

Pareus de juſtif. lib. 4. cap. 1.

* *Tom. 4. pag. 195. De votis Monaſt.*

At

At quinam iſte *ordo* ſit, & quonam in ſenſu ad ſalutem *neceſſaria* ſint, ex prædictarum diſtinctionum explicatione, & ad præſens negotium applicatione oſtendendum reſtat.

Atque ut ab ultimâ primò incipiamus, nimirum *perſonarum*, ad *quarum ſalutem bona opera neceſſaria* cenſenda ſunt; hoc primò ſtatuendum eſt, hoc de *adultis* intelligi, vel ſaltèm *rationis uſum adeptis*, & qui inſuper poſt primam regenerationem tam diu vivunt, ut *benè operandi tempus* & *occaſionem* habeant. Nam *Bellarminus*, qui adeò operum neceſſitatem urget, *infantes* excipit, atque *adultos* etiam *recens baptizatos*, quos ſalvari concedit, ſi continuò ex hâc vitâ decedant, quia „ cenſentur totam legem implere, qui poſt „ juſtificationem eam non violaverunt, & qui *charitatem*, quæ eſt *Legis ple-* „ *nitudo* ſaltem habitualiter in corde gerunt. Hæc habet de Juſtif. lib. 4. c. 7. & iis gemella lib. 1. c. 25. Atque ità *Aquinas* & *Alphonſus à Caſtro* illud Apoſtoli exponunt Rom. 4. 4, 5. „ Operanti merces imputatur ſecundùm debitum, ei verò qui non operatur (ſi modò operandi tempus & oppurtunitatem non „ habuerit) fides ejus ſine operibus ei ſufficit, & reputatur in juſtitiam. Quam quidem *Bellarminis* conceſſionem noſtrorum aliqui nimis liberalem judicant; tantum abeſt ut bonorum operum inimici ſint, ut hâc in re eorum præ ipſo *Bellarmino* rigidi exactores evadant. Ad quòd ritè expediendum, ad eunda nobis eſt, quàm ſecundo in loco propoſuimus, 1. *Chamier Tom. 3. lib. 15. cap. 1. §. 3.*

Bonorum operum diſtinctio, eſſe nimirum vel *externa*, vel *interna*, ad quæ interna reducendus eſt *infuſus gratiæ* ſanctificantis *habitus*, in quo præcipuè ipſe *Bellarminus juſtificationem* conſiſtere vult, ubi tamen pro *juſtificatione ex operibus* diſputat: quo dato, ſecundò dicimus 2.

Opera externa (ſi modò concedatur *operandi* tempus & *opportunitas*, & aliquando etiam neceſſitas) neceſſaria eſſe ad ſalutem. Sic enim apud Apoſtolum legimus (quod & ipſe urget Bellarminus) non ſolùm „ corde creditur ad juſtitiam, ſed „ ore confeſſio fieri debet ad ſalutem. Rom. 10. 10.

Quod verò ad *interna opera* ſpectat (in quorum cenſu habendi ſunt omnes boni motus animi interni, adeòque ipſe credendi actus) non omninò abeſſe concedimus, imò *neceſſariò* adeſſe debere affirmamus omnibus *rationis uſum habentibus*, licèt continuò poſt Regenerationem morte abreptis: non *bono & fideli latroni* licèt continuò poſt converſionem animam jam efflaturo, deeſſe conſtat.

Quin vel *infantibus rationis uſum nondum adeptis*, adeòque bona opera, vel interna, nondum propriè operari valentibus, ſi modò tum *juſtificati* ſint, ut cum *Jobo* loquar, *radicem rei*, cum S. *Johanne ſemen Dei*, cum ipſo *Bellarmino*, *infuſum gratiæ habitum* (qui, ipſo judice, ex bonorum operum cenſu minimè expungendus eſt) abeſſe nemo dixerit. Adeoque huc uſque, hoc vario ſcilicet intelligendi modo, *bona opera* omnibus ad ſalutem *neceſſaria* ſunt. *Job. 19. 28.* *1 Joh. 3. 9.*

At cum multiplex ſit *neceſſitas*, prædictæ ejus diſtinctiones huc advocandæ ſunt, & cautiùs applicandæ. 3.

1. Quod ad primam, nulla hæc *coactionis* neceſſitas eſt, quæ ἑκουσίῳ & *voluntario* opponitur; cum populi Dei נְדָבוֹת ſpontanei, ingenui, oblatio voluntaria ſint Pſal. 110, 3. Sed neceſſitas hæc ἀπροαιρέτῳ opponitur. Ut

cum

cum neceſſaria eſſe dicimus, volumus *non indifferentia* eſſe, nec præcepta, nec prohibita, ut pro arbitrio noſtro ſalvâ ſalute ea vel facto exequi, vel negligere nobis integrum ſit. Hoc quidem nobis affricare vult *Bellarminus* loco priùs citato, ac ſi in hoc poſitam libertatem Evangelicam diceremus. Sed pro more ſuo mentitur ſplendidè ; voluntaria eſſe debere aſſerimus, at non inde arbitraria: ipſum *Bellarminum* appellamus judicem, ſi modò æquè noſtrûm candidus Judex eſſe velit, ac ſe Sancti *Leonis* præſtat ejuſdem Libri Cap. 5. ubi cum *voluntariam obſervantiam* dixiſſet *Leo*, ità interpretem agit *Bellarminus* „ Vox illa voluntaria non opponitur debitæ, ſed aſperæ & ſervili. *Voluntariam* & nos volumus, at non interim *arbitrariam*, ſed omninò *debitam*, adeòque ut ex parte Dei *neceſſitate præcepti*, ſic ex parte noſtrâ *neceſſitate debiti* neceſſariam.

De juſtific. lib. 4. cap. 4. §. quartò probamus.

Neceßitatem præcepti clamant illa „Ità ſplendeat Lux veſtrà coràm hominibus, ut videant veſtra bona opera Matth. 5. 16. „ Fidelis ſermo eſt, „ & de his volo te confirmare ut curent bonis operibus præeſſe Tit. 3. 8, 14. his gemella plurima. Ut & *neceßitatem debiti:* quod quamdiu Dei Creaturæ, Chriſti etiam Domini Sanguine redempti manemus, nunquam expungi queat. „ Si pater ſum, ubi eſt honor meus? ſi Dominus, ubi reverentia? Mal. 1. 6. „ Quod debuimus facere fecimus Lucæ. 17. 10.

An verò æquè ac neceſſitas præcepti & debiti & ordinis, etiam & *medii ad ſalutem* aſſerenda eſt?

4. Ad hoc expediendum reſumenda eſt prior illa *ſalutis* diſtinctio, quæ conſiderari poteſt vel ut in ſui *initio*, vel *progreſſu*, vel *fine* & *perfectione* ultimâ. *Salus*, inquam, incipit à *primâ vocatione*, *juſtificatione*, *adoptione*, quæ *beatitudinis* & *ſalutis* nomine in Sacrâ Scripturâ ſæpè veniunt Rom. 4. 6. Epheſ. 2. 6. quam ideò hîc adeptam ſalutem vocem, deſinit tandem & perficitur in gloriâ, quæ κατ' ἐξοχὴν *ſalus* dicitur Rom. 8. 24. 1 Pet. 1. 5. in cœlis olim adeunda.

Si *Salutem* in Juſtificatione & Adoptione adeptam velimus, ei bona opera ità antecedenter neceſſaria eſſe, ut ex iis juſtificemur, quod imprimis volunt *Pontificii*, pernegamus; improbavit Apoſtolus in totâ illâ ſuâ de gratuitâ juſtificatione Diſputatione; rem totam definivit *Auguſtinus* lib. de Fide & Operibus cap. 14. „ Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur tamen juſtificatum.

At *conſequenter* (atque eo in ſenſu concomitanter) ſaluti in juſtificatione adeptæ neceſſaria ſunt, ex indivulſo fidei & charitatis, juſtificationis & ſanctificationis nexu, quem aſſerit Apoſtolus Rom. 6. 1. Propugnamus nos, negant Pontificii: nos tamen bonorum operum *inimici* cenſendi ſumus, ipſi *Patroni* ſcilicet; at penes æquos rerum æſtimatores ſit judicium.

Quin & ſi *Sanctificatio* (uti debet) in hujus *adeptæ ſalutis* cenſum veniat, *bona opera* ſi *internum gratiæ habitum* ſignificatu ſuo comprehendant, de ipſâ hujus ſalutis *formalitate* ſunt, adeòque ab eâ ſeparari nequeunt: ſi ejus *operationes* denotent, Divinæ huic naturæ æquè inſeparabiliter *neceſſaria* ſunt, ac effecta cauſis ſuis propriis.

Sed ad *ſalutem olim adipiſcendam* neceſſaria eſſe credimus, contendimus,

Neceſſitate præſentiæ, nam „ ſine ſanctimoniâ nemo videbit Dominum Heb. 12. 14. „ in novam Hieruſalem non intrabit aliquid coinquinatum. Apoc. 21. 27.

Ne-

Neceſſitate etiam *antecedentiæ*. Per Sanctum ad Sanctum Sanctorum nobis tranſeundum eſt: hîc ſancti eſſe omninò debent, qui in cœlis tandem beati futuri ſunt. Matth. 5. 8.

Num verò & neceſſitate *cauſalitatis* & *efficientiæ*? At hoc diverſimodè dicitur.

Cauſalitas enim & *efficientia* largè & *impropriè* ſumi poteſt pro *quâlibet* vi, *tendentiâ* vel *affectione*, quæ rei alicui ineſt ad *rem aliam conſequendam*, vel etiam adeundam: quo in numero ſunt *cauſæ* quæ *ſine quibus non* vulgò dici ſolent.

Atque ità *D. Zanchius* non veretur hæc affirmare „Non ſimpliciter ne- „gamus bona opera eſſe cauſam ſalutis nempè inſtrumentalem potiùs quàm „efficientem, & ut cauſam, quam vocant, ſine quâ non. *5. De naturâ Dei cap. 2.*

Imò & rationem aliquam cauſæ *efficientis* habere agnoſcit *Piſcator* in Eph. 1. 4. at qualem demum?

1. Ut ſunt *qualificationes* in *perſonâ ſalvandâ* requiſitæ adeòque habilitates ſubjecti ad ſalutem conſequendam, juxta illud Apoſtoli Col. 1. 12. „Gratias agentes Patri τῷ ἱκανώσαντι qui idoneos nos fecit ad participandam „ſortem Sanctorum in luce. At hæ *qualitates* ſunt *ſalvandorum*, non *propriæ ſalutis*.

2. Ut ſunt *conditiones ſalutis aſſequendæ*: hoc ſenſu ſcilicet, ut ſine quibus ſalutem non aſſequimur, licèt non ſint tales *conditiones effectivæ*, ex *quarum efficientiâ propriâ* ſalus acquiritur: cum enim conditiones in contractibus duplicis ſint generis, vel *antecedentes*, quæ *cauſam* dant *contractui*, ejuſque fundamentum & eſſentiam conſtituunt: vel *conſequentes*, quæ adduntur præcedentibus, quæ contractûs eſſentiam non conſtituunt, & mutuæ licèt ſint, alterutram tamen partem obligant: *priore ſenſu*, *bona opera* ſalutis aſſequendæ *conditiones* dici nequeunt, cum *ſalutis pactum* non adeò *conſtituant*, ut *ob hæc præſtita* ſalus obveniat: at nil impedit quin *conditiones* ſint *ſecundi generis*, quarum hæc natura & vis eſt, ut licèt earum præſentia *ſalutem* non efficiat, *abſentia* tamen eam *impedire* queat; *temperantia* non *efficit ſapientiam*, aliter omnis temperans ſapiens foret, at *ejus abſentia ſapientiam impedit*: ſic cum *ſoli fidei* tanquam inſtrumento Salvatorem apprehendenti promittatur *ſalus* (unde „gratiâ per fidem non operibus ſalvari dicimur Epheſ. 2. 8.) per eam ſolam *ſalus effeitur*, cum verò *fides ſalvifica ſanctitate* & *bonis operibus* ſemper & *neceſſariò ſtipata* ſit, ex *horum* tanquam conditionum *abſentiâ ipſa fides omninò abeſſe neceſſariò intelligitur*, unde *nulla ſalus* eſſe poteſt, ſed certa perditio. *Chamier. Tom. 3. lib. 15. cap. 3. §. 27, 28, 29.* *Pareus de Juſtif. lib. 4. p. 1029.*

3. Quod eôdem ferè redit, ut ſunt *media ſalutis adminiſtrantia* (ut noſtrorum aliqui ea vocant) quæ *nequaquam nullam omninò ad ſalutem affectionem habent* (quod quaſi à nobis affirmatum mentitur *Bellarminus* *) ſed veram ad eam relationem habent *viæ*, per quam ducere vult Deus in *poſſeſſionem* vitæ æternæ; juxta illud *Bernardi* † decantatiſſimum „ſunt via ad Regnum, „ſed non cauſa regnandi. Quo in ſenſu (ut opinor) *Zanchius* ea cauſas vult inſtrumentales non ipſius ſalutis per ea efficiendæ ſed poſſeſſionis vitæ æternæ hâc viâ ſolâ adeundæ; ut *veſtis nuptialis convivium adeundi*, non *ipſas conficiendi nuptias*, ut & calcei conficiendi itineris, quod tamen ipſi non conficiunt. Ut ſummatim dicam, Relationem habent ordinis, qualem habent *media* *Ames. Bellarmin. Enervat. Tom. 4. lib. 6. cap. 6.* * *de Juſtif. lib. 4. cap. 7.* † *de Gratiâ & lib. arbitr.* *Pareus.* *Chamierus Tom. 3. lib. 15. cap. 1.*

Gerhard. Loc. Com. Tom. 4.

media ad *finem*, *antecedens* ad *conſequens*, *cauſâ ſine quâ non*, ad *effectum*, at non *cauſæ propriè effectivæ* ſalutis vel retinendæ, ut aliqui volunt, multò minùs vel phyſicè efficiendæ, vel moraliter, h. e. meritoriè acquirendæ. At hoc volunt *Pontificii*, cum *bona opera* ad *ſalutem neceſſaria* eſſe adeò acriter contendunt,

De Juſtif. lib 4 à cap. 1. ad cap. 10.

1. Quod ex his *juſtificemur*, atque ideò *Bellarminus* de *bonorum operum neceſſitate* diſputationem controverſiis *de juſtificatione* immiſcuit.

2. Quòd ex *eorum merito glorificemur*.

Cui duplici ſenſui *Pontificio* ſeſe oppoſuere olim, atque etiamnum ſe opponunt veri nominis *Proteſtantes* omnes, qui Legem cum Evangelio confundere, Fœdus gratiæ in Fœdus operum tranſmutare, qui gratuitæ juſtificationi & ſaluti nuntium remittere nolunt.

In quibus aſſerendis ſi *Lutherus* inconſideratiùs aliquid dixerit, pro zelo laudem, pro fervore nimio veniam habeat: atque in rebus hujuſmodi *Hilarii* regula illa obtineat, „ ut ex cauſis dicendi dictorum intelligentia ſumatur, & (ſi *Pontificorum* pace liceat) illud etiam *Lutheri* „ ſceleratum eſt, cum nove„ris pium & ſanum eſſe alicujus ſenſum, ex verbis incommodè dictis ſtatuere errorem, adeòque cum hoc tantùm voluit, nos neque *juſtificari* ex *operibus*, vel *ſalvari ex merito operum*, non adeò exagitandæ ſunt aliquot minùs commodæ ejus loquendi formulæ.

Si verò modeſtior *P. Melanchthon*, ne ſcandalo eſſet Orthodoxis, & *Pontificiis* (hoc ad ſententiam ſuam detorquentibus) velificare videretur, *bona opera ad ſalutem neceſſaria* aſſerere non auſus ſit, ſi D. *Gerhardus* hanc loquendi formulam τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὑποτυπώσει non ſatis congruam judicaverit, atque ideò contra eam diſputaverit; ſi ipſe *Georgius Major*, qui primò eam propoſitionem contra *Illyricum* & *Flacianos* reliquos propugnaverat, eò quòd propter ambiguitatem aliquos offenderat, *eâ deinceps non uſurum* ſpoponderit; ſi denique inter *Calvinianos Pareus* idem ſentiens dixerit „ quid juvat cum Sophiſtis periculosè loqui, & poſtea gloſſis incruſtare, „ cum non deſint Phraſes tutiores, quibus perſpicuè veram Scripturæ ſen„ tentiam exprimamus, vel falſum Sophiſtarum ſenſum caveamus: mihi quidem non tam improbandi, quàm *approbandi imitandi* ſunt, etiam à *nobis* hodiè, quibus non ſolum cum *Antinomis* res agitur, contra quos bonorum operum, & veræ Sanctimoniæ neceſſitas ſtrenuè aſſerenda eſt, ſed (ex quo *Grotianus* συγκεχυμένος plus nimis apud nos obtinuit) non minus imò (turbatis præſertim hiſce temporibus *Romæ* emiſſariorum feraciſſimis) majus à *Pontificiis* impendet periculum. Caveamus itaque ne dum ità toti in *Antinomos* inſurgamus, in *Pontificiorum* caſtra ſenſim tranſire, vel ſaltèm iis *faventiores* eſſe videamur; à quibus ſi minùs nobis hodiè metuendum eſſet, major verborum noſtrorum incuria minùs improbanda foret, ut ſine ullo vel gratiæ Divinæ vel gratuitæ juſtificationis, Chriſtique præjudicio liberè & intrepidè aſſerere & poſſimus & debeamus, & facienda bona opera, & neceſſariò, idque ad ſalutem non eorum merito acquirendam, & promerendam, ſed eorum interventu tanquam Dei viâ Regiâ gratis adeundam.

De Juſtif. lib. 4. c. 1.

QUÆST. XXXIII.

Concupiſcentia in renatis eſt peccatum.

Eccleſ. Anglic. Artic. 9.

Concupiſcentia vox ſenſu vel *Phyſico* vel *morali* ſumitur, atque in utroque vel *potentiam* vel *actum* denotat. In ſenſu *Phyſico* quatenus à Philoſopho Rhetor. lib. 1. cap. 11. ὄρεξις ἡδέος *appetitus rei delectabilis* definitur, in hâc quæſtione non ſpectatur. Ipſa enim & *appetendi potentia* naturalis & actualis *appetitio*, cum *Deum authorem* habeant (qui *peccati author* eſſe nequit) quà tales *peccatum* eſſe, vel *peccaminoſi* aliquid in ſe habere non poſſunt. Cum enim Deus pro ſummâ ſanctiſſimâque ejus ſapientiâ qualitates objectivas *appetibiles* & *delectabiles* rebus indidit facultatibus noſtris æquè internis ac externis accommodas, nil magis in ſe *peccati* habet *res delectabiles* in genere *concupiſcere*, quàm *res pulchras intuendi* deſiderio teneri, vel *dulciſſimæ harmoniæ delectatione* capi. *Lucæ* 15. 16. 16 21.

Senſum ergò *moralem* hujus vocis *Concupiſcentiæ* in hâc Theſi ſpectamus, qui hîc ſequior eſſe ſolet.

Quamvis enim aliquando *ſpiritualem* ſanctumque appetitum ſignificet, ut cum Chriſtus ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα dixerit Lucæ 22. 15. & *ſpiritus contra carnem concupiſcere* dicitur Gal. 5. 17 ſæpiſſimè tamen in Scripturâ pro *carnali* ſumitur, & *deordinationem potentiæ* vel *actûs* hujus naturalis vel quoad *objectum* vel *modum indebitum* denotat: quatenus ſcilicet in ſe continet *averſionem à Deo* tanquam *ſummo bono*, & *maximè appetibili*, & *converſionem* vel ad id quod *ſuâ naturâ verè malum* eſt, vel ſaltèm ad *creaturam ordine*, *menſurâ*, *modo*, & reliquis *circumſtantiis indebitis*. 1 *Cor.* 10. 6. *Rom.* 1. 24. 1 *Cor.* 10. 6.

Quæ conſiderari poteſt.

Vel quatenus *potentiæ* adhæret, & ſic eſſe *facultatis* iſtius deordinatio quâ jam poſt lapſum à Deo averſa vel ex innatâ labe, vel contrario vitioſo habitu proclivis & prona eſt ad hæc aut *indebita*, aut *indebitè* concupiſcendum, juxta illud Prophetæ עַמִּי תְלוּאִים לְמְשׁוּבָתִי „Populus meus ſuſpenſi hærent averſioni à me. Hoſ. 11. 7.

Vel quatenus *actu* exeritur, idque vel *poſt voluntatis conſenſum*, vel *ante plenarium* omnem *voluntatis delectum*, vel etiam rationis & judicii *deliberationem* & *propoſitum*, quod Apoſtolus illis verbis complexus eſt ἕκαστος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος, εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν Jacobi 1. 14, 15.

Hæc illa *concupiſcentia* eſt, de quâ jam quæritur utrùm *peccatum* ſit veri & proprii nominis,

Saltem in *Renatis*?

Quâ in re *Sociniani* & *Remonſtrantes* parùm ſani ut fuerint, apertos tamen & ex profeſſo adverſarios præ reliquis habemus *Pontificios*, & inprimis *Jeſuitas*: quorum ex his, quæ ſequuntur, effatis aſſurgit & conſtat ſententia.

1. *Concupiſcentiam* hanc ſedem ſuam habere ἐν ἀλόγῳ in inferiori & *ſenſuali* parte animæ, adeòque (utpote *irrationali*) *peccati non* propriè *capaci*; *Intellectu* & *voluntate* interim licèt poſt lapſum non omninò integris, *iſto*

tamen *contagio non ità infectis*. Unde quamvis *Concupiſcentia* iſta *animæ inferiori* inſit, *homini* tamen ità *concupiſcenti peccatum abeſſe* poſſe ſtatuunt. Quod ut meliùs ſuadeant,

De gratiâ primi hominis cap. 7.

2. *Concupiſcentiam* hanc atque ad *ſenſualia pronitatem* (quam ex *conditione*, vel *neceſſitate materiæ* ſequi volunt) *Adamo* in *ſtatu integro* & *à Deo primitùs creato* (licèt præter Dei intentionem) *innatam* fuiſſe *Bellarminus* aſſerit, & niſi ad eam cohibendam adhibitum fuiſſet *originalis juſtitia* (quam *ſupernaturalem* fuiſſe vult) *frænum aureum*, nullâ ratione colligi poſſe pura naturalia fuiſſe ſaniora & puriora ante peccatum quàm nunc ſunt poſt peccatum, quin potiùs apertiſſimam rationem docere, talem omninò fuiſſe futurum hominem in puris naturalibus, ut in eo eſſet præceps illa in vitia inclinatio. Quam ergò *in Adamo nondum peccato inquinato* fuiſſe dicunt, nil mirum ſi eam in *ſeipſâ peccatum* eſſe negaverint.

3. Ergò *Concupiſcentiam* in ſe *materiale peccati* quoad *converſionem ad creaturam* concedunt, at non *formale*, quod in *averſione à Deo* conſiſtere volunt, atque inde *propriè peccatum* non eſſe colligunt.

4. Proinde *peccati fomitem*, cauſam incitantem, illicientem fatentur, & *effectivè* ad peccatum conferre, ſed non *formaliter*, ut formaliter peccatum ſit.

5. Etiam vice verſâ *effectum* & *pœnam peccati* eſſe ſtatuunt, prout naturæ atque *animæ languor*, *morbus*, *vitium* eſt, at non itidem *propriè peccatum*.

6. Saltèm non in *baptizatis*, vel *renatis*. In irregenitis agnoſcunt eſſe vitium mortiferum cum *averſione mentis* à Deo (quam *peccati formalem rationem* faciunt) conjunctam; at in *regenitis*, in quibus nil odit Deus, per baptiſmum non ſolùm reatum remitti, ſed etiam tolli totum illud quod *veram* & *propriam rationem peccati* habet, *Concilii Tridentini* effatum eſt Seſſ. 5.

7. Et quod ad *motus* & *actus* ſuos attinet, non *omnes peccaminoſos* & Legi Divinæ contrarios eſſe concedent.

Non *primo-primos*, qui rationis deliberationem & voluntatis electionem prævertunt. Sic *Pontificii* (quantum opinor) omnes. Sic *Bellarminus Concupiſcentiam*, *Suggeſtionem* omni *peccati* ratione vacuas eſſe pronuntiat, ſi *delectatio* acceſſerit, reatum forſan *peccati venialis* admittit: at ſine pleno conſenſu, vel peccati propriè dicti partum, vel reatum mortiferum eſſe negat.

Diſtinct. 32.

Quin & *Bonaventura* altiùs inſurgit, & dicit immoderatum hunc appetitum habere rationem *culpæ*, & *gratiæ opponi* in quantum *voluntatem captivat*; ſed quatenus *ſenſualitas* ſolùm *non perfectè obtemperat rationi*, eatenus *pœnæ* ſolius, non culpæ rationem habere, fruſtrà licèt reclamante *Aquinate*, & aſſerente „ ut concupiſcentia feratur in delectabile ſenſûs præter ordinem „ rationis, eſſe contra naturam hominis, quatenus homo eſt.

Quæſt. diſp. de peccat. Orig. 1^a in Reſp. ad 1.

Ità ſecum conveniunt ſcilicet: in rei verò ſummâ ut conveniant neceſſe eſt, cum *Concilium Tridentinum* ex tripode pronuntiaverit „ Eccleſiam Ca- „ tholicam nunquam intellexiſſe Concupiſcentiam hanc Peccatum apellari, „ quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt & ad „ peccatum inclinet & ſi quis contrarium ſenſerit, ipſis *Anathema* eſt.

Seſſ. 5. Decret. 1.

Nos contrà.

Et ad primùm duo dicimus.

Concupiſcentiam hanc de quâ diſputamus non in *ſolo* τῷ ἀλόγῳ vel *facultatibus inferioribus* & quaſi ſuburbanis ſedem habere, ſed & ſuperiores, *intellectum* & *voluntatem*, ipſamque animæ arcem & ἀκρόπολιν *tenere*. A Sophiſtis quidem *Pontificiis*, eorumque ſequacibus pro *ſenſuali*, *carnali* & *venereo* præcipuè appetitu ſumitur, prout apud *Auguſtinum ei caſtitas* ſæpe numerò opponitur: Sed cum Lex Divina non ſolùm *proximi uxorem*, ſed & *domum*, *ſervum*, *bovem*, *aſinum concupiſcere* vetat, cum Apoſtolus Rom. 7. 8. πᾶσαν ἐπιθυμίαν dixerit, non ſolùm *concupiſcentiam carnis*, ſed & *concupiſcentiam oculorum*, & *vitæ faſtum* hâc nomenclaturâ includi conſtat. Et quamvis concupiſcentia hæc voce *carnis* ſæpè in Sacrâ Paginâ ſignificetur, quia *carne* & facultatibus inferioribus ſenſitivis in *ſui expletione* ſæpiùs *utatur*, & in iis maximè conſpicua ſit: cum tamen φρόνημα *carni* tribuitur Rom. 8. 7. cum de *concupiſcentiis Diaboli* legimus Johan. 8. 44. quæ non ſolùm (ſi omninò) *carnales* & ſenſitivæ, ſed præcipuè *ſpirituales* ſunt; cum mentio fiat *concupiſcentiæ cordis* Matth. 5. 28. Rom. 1. 24. (at quis ex Scripturæ uſu *cordis* nomine *voluntatem* (ſaltem ex parte) intelligi negaverit?) Cum denique inter *carnis opera* ab ejus *concupiſcentiâ* profecta *Idololatriæ* & *Hæreſes* numerentur Gal. 5. 17, 18, 19, 20. quæ ἐν τῷ λογικῷ præcipuè ſedem habent: Quis niſi pervicaciter impudens *concupiſcentiam* vel *carnem* in *ſolo* τῷ ἀλόγῳ inveniri dixerit? cum vel ipſe *Bellarminus* ultrò fateatur in multis locis Divinæ Scripturæ per *carnem* ſine dubio intelligi *omnes potentias* tum ſuperiores tum inferiores per peccatum corruptas, & *Altiſiodorenſis* concupiſcentiam *voluntatem* improbam eſſe dixerit. Neque hîc attendenda eſt *Bonaventuræ* λεπτολογία, qui diſtinguendo dicit *peccatum* in *ſenſitivo* eſſe *cauſaliter* in *ratione formaliter*, cum ipſa *cauſatio* ſæpiſſimè à parte *intellectuali* incipiat, quæ ſenſitivâ quaſi inſtrumento ad ejus concupiſcentias explendas utitur: dum ipſæ concupiſcentiæ in utriſque conjunctim ſedem habere inveniuntur. Nam

1. 1 *Johan.* 2. 15. *Lib.* 3. *fol.* 330.

2. Illud ſecundum eſt quod hîc dictum velim, facultates illas *ſenſitivas* inferiores *in homine* (contra quàm philoſophantur *Pontificii*) *peccati capaces* eſſe; nam *ſenſitivus appetitus* in *homine* non eſt *potentia animæ brutæ*, ſed *animæ rationalis*; cujus actus (*Durando* aſſerente) natus eſt menſurari per actum rationis, cui ſi contra nitatur (ut jam ab *Aquinate* accepimus) eſt „ contra „ naturam hominis quatenus eſt homo, adeòque *propriè nominis peccatum*, „ Neque enim eſt nulla iniquitas, cum in uno homine vel ſuperiora inferio„ ribus turpiter ſerviunt, vel inferiora ſuperioribus contumaciter reluctan„ tur, ut optimè *Auguſtinus* contra *Julianum* lib. 6. cap. 8. *Quod de actibus potentiæ vegetativæ dici non poteſt.*

Ad ſecundum quod attinet, fuiſſe ſcilicet hanc Concupiſcentiam in *Adamo integro* ex *neceſſitate materiæ*; ut niſi cohibita fuiſſet ſupernaturalis gratiæ frœno, æquè præceps ac jam poſt lapſum in omne vitium ruitura fuiſſet, dicimus 2.

1. *Pelagianum* eſſe: dum *naturalia non minùs ſana* & pura *poſt lapſum* eſſe ſtatuit, quàm *ante lapſum*, ità ſcilicet „ ut naturam lapſam demulceant, „ accuſant integram. Ut

2. Contra *Deum naturæ autherem* blaſphemum ſit, eumque *peccati autherem* faciat, quod nobis immerentibus impingere ſolent. Nam ſi hæc

concupiſcentia verè *peccatum* ſit (quod mox probaturi ſumus) & ex *neceſſitate materiæ* (quod *Bellarminus* affirmat) oriatur, cum hæc materia, ejuſque neceſſitas Deum authorem per ſe habeat, eum hujus concupiſcentiæ peccaminoſæ (quæ ex hac materiæ neceſſitate ſecundùm eum oritur) authorem conſtituet; Quod enim *Bellarminus* addit, eam fuiſſe *præter Dei intentionem*, nugatorium eſt; nulla enim naturalis propenſio creaturæ indita præter intentionem omniſcii & ſapientiſſimi Creatoris eſſe potuit. Reſpondet quidem *Bellarminus*, licèt Deus potuiſſet creare hominem in puris naturalibus ſine originali juſtitiâ, quæ iſtam concupiſcentiam refrœnaret, actu tamen ſine eâ eum non creavit, adeòque ejus author non fuit. Reponimus 1. blaſphemum eſſe dicere, non ſolùm Deum *authorem peccati actu eſſe*, ſed vel *poſſe eſſe*. 2. Ex ejus ſententiâ *Deus* actu creavit Adamum cum hâc *concupiſcentiâ*, cujus ad malum pronitas verè peccaminoſa erat, licèt per juſtitiæ originalis frœnum in actum non erupit. 3. In nobis lapſis idem eandem concupiſcentiam (ſecundùm eum) ingenerabit, non adhibito illo *fræno aureo*; dum ergò malignam hanc concupiſcentiam materiæ ab eo creatæ indat, nec obicem ponat, & concupiſcentiæ ejuſque motuum naturalium verè cauſa erit.

De Gratiâ primi hom. cap. 7.

3. Ad Tertium quod dicunt, in concupiſcentiâ eſſe tantùm *materiale peccati*, *converſionem* ſcilicet *ad Creaturam*, non *formale*, quod in *averſione à Deo conſiſtit*: dicimus

1. Nobis non licere tam argutis eſſe & de *materiali* & *formali* priatationis (quale peccatum eſt) λεπτολογῆσαι.

2. *Formale* hoc potiùs in *converſione indebitâ* ad *creaturam* conſiſtere, quæ *concupiſcentiam* ſpecificat: & quam homo cum peccat propriè & per ſe intendit, dum de *averſione à Deo* forſan nil cogitat.

3. In concupiſcentiâ iſtâ, quâ *peccaminoſa* eſt, ſemper eſſe *averſionem à Deo*: *debitè* enim & *Deo ſubordinatè convertere ſe ad creaturam* nil *peccati* in ſe habet, quod tum ſolùm obvenit, quando in hâc converſione & appetitione *à Deo*, ejuſque verbo aliquatenus *deflectimus*, qui *unus* idemque ipſiſſimus *motus* eſt, ſoliusque *termini* à *quo* & *ad quem* variâ conſideratione notificatus.

4. Quartò cum peccati *cauſam*, *fomitem*, ad peccatum *efficienter* non *formaliter* operantem dicunt, dicimus.

1. *Concupiſcentiam*, quatenus *naturalem potentiam* ſignificat, *efficienter* tantùm peccatum eſſe ſed quatenus vel *potentialem pronitatem* ad malum, vel ejus *actualem appetitionem* denotat, *formaliter* peccatum eſſe.

2. Nil obeſt quin idem & *cauſa peccati*, & ſimul ipſum *peccatum* eſſe poſſit, ut *originale* & *habituale actualum*, *priora poſteriorum* (*Auguſtinus* ſanè concupiſcentiam & cauſam & pœnam peccati, atque etiam ipſum peccatum eſſe agnovit contra *Julian.* lib. 5. cap. 3. Imò vel hoc nomine potiſſimùm *majus peccatum* eſt, καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία ut Apoſtolus loquitur Rom. 7. 13. *peccatum peccans*, in ſe mala, & aliorum peccatorum ferax, eò pejor, adeòque & *peſſima*, ut *Jeroboamus* ideò omnium deterrimus quòd non ſolùm ipſe *peccavit*, ſed *Iſraelem etiam peccare fecerit*, ut rectè *Gregorius* „ Quia ergò ex originali culpâ ſit peccatum motionis carnis, matrem ejus primam culpam nominamus; *prima* cum ſit, tantum abeſt ut *nulla* ſit, ut potiùs *primaria* ſit. Si *radix* ſit, quis *malæ arboris radicem malam* eſſe

In cap. 15. 1 Regum l. 6. c. 2.

esse negaverit? In quo peccatum est, tanquam in radice & habitu, et quoad vim maximam inest. Nota satis apud Theologos regula est, „ quod per se „ impellit ad malum eâdem lege prohibetur, quâ ipsum malum; & quod per se, peccatum producit, peccati expers esse omninò nequit.

Ad quintum ubi dicunt non esse peccatum, sed *effectum* & *pœnam peccati*, atque eo in sensu *vitium*, *languorem*, *morbum*, *vulnus*, atque eo nomine Deo Sanctisque odiosum, & crucifigendum. 5.

Hæc dicimus,

1. Esse quidem effectum & pœnam peccati Adami, &, in eo, nostri, peccati scilicet *originalis originantis:* id verò non omninò impedit, quin sit proprii nominis *peccatum*, peccatum scilicet *originale originatum*; cujus (*Aquinate* judice) pars affirmativa est, attestante etiam Lombardo ubi hæc dicit, Originale peccatum est fomes peccati scilicet concupiscentia, quæ dicitur Lex membrorum. Lib. 2. dist. 30. 12ª q. 82. a. 1. ad 1m. *In originali peccato est* 1. *defectus.* 2. *malus habitus, qui concupiscentia dicitur.*

2. *Vulnus*, *morbum*, *languorem* & *vitium* animæ esse concedimus, affirmamus, sed tale vitium, quod etiam verè *peccatum* est, ut idem *Augustinus* eadem loco utroque nomine eam indigitat. Nil enim præter *peccatum* vel *Deo odiosum* est, vel *Sanctis crucifigendum.*

3. At quomodo *Pontificii* eam *peccati effectum* & *pœnam*, *animæ morbum* & *vulnus* esse dicere possunt non video, cum in *Adamo integro* fuisse perhibent. An *peccati effectum* esse potest, quæ fuit *nondum existente peccato*, nisi effectum causam antecedere possit? An *morbus* aut *vulnus animæ* deputabitur, cum in *Adamo* fuit adhuc *integro*?

Ad sextum quod dicunt „ Concupiscentiam in irregenitis esse vitium „ mortiferum, at in Baptizatis (in quibus nil odit Deus) per Baptismum „ non solùm reatum tolli, sed & quicquid peccati veram & propriam ratio„ nem habet; Hæc dicta sunto, 6.

1. In verè regenitis per gratiam Baptismo obsignatam tolli quoad reatum, *quoad reatum* nempè *ad personam redundantem.* Ex *naturâ* quidem & *demerito* suo vel in ipsis *regenitis* habet *condignitatem*, sed ex gratiâ non habet *deputationem* & *ordinationem* ad *pœnam*; atque hoc nomine & sensu apud *Augustinum* aliquoties *negatur* esse *peccatum*, quatenus peccatum sumit pro malo *cum reatu* ad *personam redundante* conjuncto, per *justificationem gratuitam* condonatur ut *non imputetur* Rom. 8. 1.

2. In iis per *gratiam infusam* & inhærentem minuitur, infirmatur, ut *non regnet*, Rom. 6. 12. 14.

3. Ut verò ipsis *non insit*, reclamat idem Apostolus ejusdem Epistolæ Cap. 7. idque sub verâ & propriâ *ratione peccati.* (Hoc probat Augustinus contra Julianum lib. 6. cap. 1.) ut eodem loco atque argumentis aliis mox constabit. Nam quamvis condonetur quoad *reatum*, quod extrinsecum est, *natura* tamen ejus non eo *variatur*, atque insuper, *minuatur* licèt quoad *gradum*, non inde *diversificatur* quoad *speciem.*

4. Quòd in *irregenitis* peccatum esse agnoscant, id verò grati accipimus, attamen quomodo juxta principia sua hoc fateri possunt non videmus: cum enim eam in ipso Adamo integro fuisse contendunt, cui peccatum tum non inerat, cum etiam ex Cap. 1. Jacobi disputent de generali ejus naturâ & in se ante consensum neutiquam *peccatum* esse; certè justa sua placita in nullis,

ne

ne in *irregenitis*, peccatum erit, niſi naturam ſuam exueret: *conditio* tantùm eſſet *fluens ex neceſſitate materiæ*: at neque in renatis neque in irregenitis verè peccatum eſſet, quod peccatum originale tolleret, & rancidè minis Pelagianiſmum ſaperet.

7. Quod ad ultimum de concupiſcentiæ *primis motibus* ante plenum *conſenſum* juxta eorum ſententiam *peccati* nec *rationem* nec *reatum* habentibus: dicimus,

Omnem *Concupiſcentiam* in ſe *complacentiam* aliquam continere: at quævis complacentia in *objecto indebito* & illicito, ipſa *illicita* & *Deo diſplicens* non eſſe poteſt.

Contrariatur præcepto, *Non concupiſces.*

Eſt contra *plenum* illum, quem lex exigit, *Dei timorem*, qui, ut timorem ejicit, ſic animam totam ità occuparet, ut hujusmodi *motus* præverteret.

Contra etiam accuratam illam *cordis cuſtodiam*, quam Salomon imperat Prov. 4. 23. quæ vagis iſtis motibus aditum obſtrueret, qui igitur habendi ſunt, non ut *naturæ paſſiones* niſi *vitiatæ vitioſi* & negationes actuum debitorum. Quod & *Pontificii* ſaniores agnoſcunt.

„ Motus concupiſcibilis humanæ eſt voluntarius, & peccatum etiam
Lib. 2. Tract. 28. c. 1. „ quando movetur ante judicium rationis. Sic *Altiſiodorenſis.*

„ Omnes primi motus, qui apti ſunt inſequi rationem & per eam regu-
„ lari, ſi eam præveniant, dici poſſunt peccata etiam in parvulis & fatuis,
De regulis moral. p. 128. „ quia ſunt præter ordinem naturæ primitùs inſtitutæ. Sic *Gerſon.*

„ Senſualitas in homine corrupta eſt per originale peccatum, & inordinata
„ delectatio, quæ ex eâ procedit, in quantum corrupta dicitur primus mo-
„ tus, & eſt peccatum, quia debuit ſubdita eſſe rationi, & ipſa movetur in-
„ debitè præter rationem, & attingitur aliquo modo à ratione, non favente,
Parte 2. q. 108. membr. 2. „ ſed permittente, & radicem ejus non opprimente. Sic *Alenſis.*

Hæc ſigillatim de eorum placitis: in univerſum *concupiſcentiam* vel in *renatis eſſe peccatum Eccleſia Anglicana* Articulo 6. clarè aſſerit, σύμψηφοι ſunt *Reformatæ* reliquæ omnes: hoc ῥητῶς loquitur *Scriptura*, ἀναντῤῥήτως probant *argumenta* ex eâ petita.

Argum. 1. Quid clarius illo Rom. 7. 7. „ Peccatum non cognovi niſi per Legem:
„ nam concupiſcentiam non nôſſem (ſcilicet eſſe peccatum: quod *Beza* ad
„ dit) niſi lex dixiſſet, Non concupiſces. Imò, ut noſtri obſervârunt, in
Cap. 6. quinquies. cap. 7. ſexies. cap. 8. ter. tribus Epiſtolæ illius Capitibus quatuor-decies *peccatum* dicitur: adeóque ſi non *ſemel*, at *toties* dicenti affirmanti credamus Apoſtolo; cum ipſum *Concilium Tridentinum* fateatur concupiſcentiam ab Apoſtolo peccatum appellari, cui quidem σοφὸν φάρμακον continuò adhibet, & declarat „ Eccleſiam
„ Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari quòd verè & propriè
„ in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. *Falſiſſimè* & (quod tot tantoſque Patres parùm decuit) *malignè*, ac ſi tota Eccleſia Apoſtolum eſſe mentitum, vel toties impropriè tantùm locutum fuiſſe aſſeruiſſet. Sed rationibus agamus.

Argum. 2. Ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, Id peccatum eſt quod Legis tranſgreſſio eſt affirmante Apoſtolo 1 Johan. 3. 4. At concupiſcentia ἀνομία, *Legis tranſgreſſio* eſt. *Peccatum* eſt igitur. Minor per inductionem probatur. Eſt *contra Legem*

1. Ori-

1. *Originalis juſtitiæ*, & *naturæ integræ*, ubi cum *Deus hominem rectum fecerat* Eccleſiaſtis 7. 29. omnia ordinata & inferiora ſuperioribus ritè ſubjecta erant: at in iſtâ concupiſcentiâ ἀπαξία, obliquitas, vitioſitas eſt; quæ licet in corpore & facultatibus brutis & omninò ἀλόγοις ad peccati rationem non aſſurgit, in iis tamen, quæ intellectui & voluntati obedire aptæ ſunt, peccato non caret, ſic priùs ab *Alenſi ſenſualitatem* in homine *corruptam* eſſe per originale peccatum didicimus. Cui concinit *Pariſienſis* in hæc verba, „ quia propria rectitudo eſt bona diſpoſitio primitivæ inſtitutionis, perver- „ ſitas originalis huic repugnans propriè peccatum dicitur. Quibus utriſque præivit *Auguſtinus* ut alibi pluries, ità longè clariſſimè in decantatiſſimo illo ſuo effato „ Neque enim nulla eſt iniquitas, cum in uno homine vel ſuperio- „ ra inferioribus turpiter ſerviunt, vel inferiora ſuperioribus contumaciter „ reluctantur *contra Julian.* lib. 6. cap. 8. A quo quàm immanè diſtat *Gregorius de Valentiâ*, qui dicit „ rationem originalis juſtitiæ non eſſe in eo quod corpus animæ, ſenſualitas rationi ſubjiciebatur, ſed præcisè mentem Deo, „ neque illud etiam perfectè, ſed per quam mortalia peccata vitare poſſit. At quàm incohærenter falsè, quidni dicam impiè? ac ſi rectitudo illa primæva hanc obliquitatem admittere, vel *Adam* manente juſtitiâ originali venialiter peccare, vel corpore, animo, *ſenſualitate rationi repugnantibus* & prædominantibus, *mens & anima* rectè *Deo ſubjici* poterat.

De vitiis & peccatis c. 2. ad finem. De peccato Original. cap. 12.

2. Contra *Legem moralem ſcriptam*: „ Sancti eſtote, quia ego ſanctus „ ſum Levit. 19. 2. at *Concupiſcentia* nil in ſe *ſancti* habet, ſed animam maculat, contra *primum mandatum* de *diligendo Deo toto corde & totâ animâ* Deut. 10. 12. de quo concupiſcentia aliquid ſaltèm minuit, & „ quod minus eſt quàm debet, vitium eſt, peccatum eſt. *Auguſtin.* Contra *mandatum* etiàm *ultimum*, *Non concupiſces.* Cui ex adverſo & in terminis opponitur. Nec hîc audiendus *Bellarminus*, qui de *actu voluntario* interdictum illud exponit; vel *Schlichtingius*, qui intelligi dicit de *concupiſcentiâ* quæ *actu externo* proditur; vel *Smalcius*, qui omnia alia præcepta *externa* tantùm ſpectare vult, atque hoc ipſum de *non concupiſcendo* ex parte, & ſuo modo. Quod expoſitioni Legis ab ipſo Chriſto factæ apertè contradicit Matth. 5. 22, 28. quæ docet in aliis præceptis (utpote *ſpiritualibus*) non ſolùm *actus externos* prohiberi, ſed & *internas concupiſcentias* cum ſemel *ad conſenſum* pervenerint, in *ultimo* verò concupiſcentiam vel *ante conſenſum*, ipſum fomitem, *peccatum inhabitans* Rom. 7. 17. per quod *malum facit* v. 20. & *captivus* tenetur v. 23. hoc eſt, hanc ipſiſſimam concupiſcentiam, cujus actus nihil aliud ſunt quàm actuales concupiſcentiæ.

cap. 11. 13. 30. 6. Contra Frantzium diſp. 12.

3. Contra Legem *mentis*, quæ contrarium ſuadet Rom. 7. 23. *Spiritûs*, cui ex adverſo repugnat Gal. 5. 17. *Fidei*, quæ *cor* ipſum *purificat*. Act. 15. 9.

Tertiò, ut reliqua in unum faſciculum compingam omnia; Res *Deo* & *Sanctis odioſa* eſt, vel ipſis Adverſariis fatentibus: at præter *peccatum* nihil tale, quàm pœnitendo confiteri debemus, quæ veniâ omninò opus habet; tantum, taleque malum eſt, ut „ ſolummodò quia ineſt, pertraheret in „ mortem, niſi ejus vinculum in Baptiſmo ſolveretur, affirmante *Auguſtino* contra *Julianum* lib. 6. cap. 5. *Proprii* ergò *nominis peccatum* eſt, ipſiſſimum ſcilicet *peccatum originale*, vel ſaltem pars ejus, vel medium quid, prout *Illyrico* placuit.

Argum. 3.

Ad quod evincendum non tam argumenta producenda quàm appellanda conſcientia, quæ ob has concupiſcentiæ reliquias non ſæpiùs furcillat & fodicat.

QUÆST. XXXIV.

Quintum Danielis Imperium non reſtat adhuc expectandum.

Lib. 4. c. 43. CUm *omnes Prophetiæ* (teſte *Irenæo*) *priuſquàm efficaciam habeant*, *ænigmata* & *ambiguitates* ſint; nil mirum ſi qui hæ tenebræ quantæ ſint, quamque ipſi cœcutiant probè cogitant, timidè admodum & cunctanter labyrinthis hiſce ſe ingerant. Hinc erat quòd *Calvinus* poſtquam Sacri Codicis libros cæteros Commentariis ſatis luculentis illuſtraverit, ab *Apocalypſi* porrò explicandâ abſtinuit, quod *Pareus* eam timidè aggreſſus ſit, *Junius* myſteria illa valdè obſcura, *Diodatus* eorum aliqua ſecreto Dei ſigillo obſignata eſſe, *Caſtellio* ſe vix milleſimam eorum partem intelligere, ultrò & ingenuè faſſi ſint. Ut & ex noſtris Præſul Reverendiſſimus cuidam eum de ſenſu alicujus in eo libro dicti ſciſcitanti, *ſe non eouſque provectum eſſe* reſponderit, *Bayneſius* noſter *ſe in Propheticis planè nullum* eſſe dixerit. Neque hæc ità dicta velim, acſi in hiſce eruendis viris doctis piis ſobriam vitio vertam induſtriam; imò eſt quòd deprædicem: neque de nihilo eſſe (magni potiùs aliquid pro foribus eſſe) putaverim, quòd (ut primò jam adventante Chriſto de *pluribus redemptionem Hieroſolymis expectantibus* legimus, ità) pii doctique viri plurimi hoc ultimo & proximè elapſo ſæculo, his enucleandis ſedulam adeò operam impenderint. Rectè interim *Origenes*, „Hæc u„nus (Deus) ſolus novit, & unigenitus ejus, & ſi qui forte ejus amici ſunt: *Solomoni* ſcilicet, in *Canticis*, qui *Jedidiah Deo dilectus* fuit, *Danieli*, in *Prophetiis* ſuis, qui *vir deſideriorum* fuit, *Johanni* in *Apocalypſi*, *diſcipulorum omnium Chriſto dilectiſſimo*, & his gemellis aliis hoc quicquid privilegii eſt citra invidiam noſtram indultum eſto. Reliquos, τὰς πολλὰς præſertim quod attinet cum *Prideauxio* noſtro „ſatius ἐπέχειν vel prorſus ſilere judi„co, quàm vertiginoſas Theorias pro oraculis populo nimiùm credulo venditare. Cum huc tamen, invinitus quidem, hodie trahar, agamus pauliſper (ſi placet) ſed pauciſſimis, & (quod rei tam creperæ convenit) cautè, timidè, conjectando potiùs quàm temerè & audacter aliquid definiendo tanquam ex Tripode.

Androſius Epiſcopus Elienſis.

Luc. 2. 38.

2 Sam. 12. 25. Dan. 9. 23. Joh. 13. 23. 20. 2. 21. 20.

Quintum Danielis Imperium non reſtat adhuc expectandum.

Pro cujus Theſeos explicatione hæc breviter præmonenda.

1. Aliquid *non adhuc expectandum* dicitur vel quia nunquam adhuc *fuit*, aut in poſterùm *futurum* eſt: vel quia aut jam adeſt, aut priùs aliquando advenerit. Quorum ſecundum hîc obtinet.

2. Hoc *Imperium* quodcunque demùm fuerit, ſoliùs *Meſſiæ promiſſi Chriſti* noſtri eſt. Quòd enim Judæi Chriſtum hunc *quartæ beſtiæ* tranſcribant, & cornu ejus monſtroſum illud Dan. 8. 9. faciant, id pro more & ingenio ſuo faciunt, hoc eſt blaſphemè nimis & ridiculè.

3. Da-

3. *Danielis* dicitur, quia de eo in *Danielis* prophetiis, Capitibus præcipuè ſecundo & ſeptimo agitur.

4. Cum *Quintum* Imperium dicitur, & *Quintum* ordinale ſit, quod *quartum* proximè ſequitur, ſi quodnam *quartum* illud fuerit, conſtaret, quodnam etiam hoc *Quintum* ſit, an etiam jam advenerit, vel adhuc expectandum ſit, clariùs enoteſceret.

At de *quarto* hoc Imperio magna Conjectationum diſcrepantia eſt; ut Iudæorum illud *Turcicum* eſſe ſtatuentium, & *Romanum* cum *Græco* confundentium delirum commentum miſſum faciam, tres præcipuæ de eo notatu magis dignæ ſunt ſententiæ. *Junius in Dan. 2.*

Prima eorum, qui cum *Danielis* Prophetias vix ultra Chriſtum vel natum vel paſſum pertingere exiſtiment, quartum hoc Imperium Seleucidarum & Ptolomæorum regnum, idque à Græcorum (cum Porphyrio) diſtinctum eſſe ſtatuunt. Quæ ſententia præter Porphyrium Atheum, ex Chriſtianis inter Antiquos Polychronium, inter recentiores Polanum, Junium, Broughtonum, Willettum noſtrates, aliòsque doctiſſimos viros aſſertores habet; qui concinnè admodùm omnia de 4. Imperio à Daniele prænuntiata Lagidarum, Seleucidarumque regno adaptant. Hæc verò ſi obtineat ſententia, res tota ex facili ſtatim confecta erit. Cum enim Daniel Regnum hoc quintum in diebus Regum illorum exoriturum, & eorum regna debellaturum, iiſque proximè & continuò ſucceſſurum Cap. 2. 44, 45. prædixerat; anni verò mille & octingenti ab Antiochi morte, à devictâ etiam Cleopatrâ mille ſexcenti ſeptuaginta novem jam effluxerint, omni ratione caret, ut poſt tot immenſa tot annorum, vel potiùs ſæculorum ſpatia etiamnùm expectandum maneret. 1.

At Seleucidarum, Ptolomæorumque hoc Imperium quartum illud Danielis non eſſe alii multis, iiſque (ut videtur) ſolidis admodùm argumentis diſputant. Et

Primò quidem à temporis ratione, quòd cum Quintum hoc Imperium juxta Danielis vaticinium tempore quarti exoriturum erat, idque comminuturum, Macedonicum contra Imperium in Perſio, ab Æmilio Conſule devicto per ducentos ferè annos deſiit ante Chriſtum natum, atque Antiochus Epiphanes per totidem circiter annos obiit ante Chriſtum paſſum.

Præterea à figuris & imaginibus hæc Imperia apud Danielem exhibentibus rectè arguunt malè à prioris ſententiæ authoribus Seleucidarum Regnum, quod *quartum* eſſe volunt, à *tertio* illo *Græco*, vel *Macedonico* avulſum eſſe: Cum enim *una beſtia* Prophetica *unum* tantùm *Imperium* repræſentare videatur, hi verò *Lagidæ* & *Seleucidæ* ex *quatuor alis* ſunt *Pardi* cap. 7. Ex *quatuor* etiam *cornibus Hirci Macedonici* (pùtà *Alexandri*) Capite 8. quis *alas* à *Pardo*, *cornua* ab *Hirco* ità diſcerpſerit, ut ex iis duo diſtincta Imperia faceret cum unà cum reliquo corpore unicam eandemque beſtiam conſtituant, idemque proinde Imperium? Cujus ideò etiam Alexander Magnus *Rex primus* dicitur Dan. 8. 21. atque ideò qui ſequebantur reliqui *Secundi* vel *Tertii*, ut fuerint, *ejusdem* tamen *Imperii* ut ſint neceſſe eſt.

Quartum idcircò aliud aliquod *Imperium* inveſtigandum eſt, quod *Romanum* eſſe Chriſtiani Authores tam antiqui quàm nuperi ferè omnes aſſerunt. Quòd typicè (præcipuè quoad Antichriſti tyrannidem) *Antiochi* feritate

præadumbratum fuiſſe vel ipſi prioris ſententiæ Patroni fatentur.

Cum verò *Romanum* hoc Imperium, vel quoad initia ejus ante Chriſtum natum vel quoad ſe totum per varia ſui regiminis & genera, & ſecula deductum conſiderari poteſt.

2. Hinc ſecunda *Calvini* hâc de re orta eſt ſententia, *Quartum* ſcilicet illud *Danielis Imperium* fuiſſe *Romanum* quidem, ſed *ante Chriſtum natum*, ubi ſucceſſit *Quintum* hoc, & *Julium Cæſarem cornu* illud *parvum Hirci* fuiſſe, ſcilicet quia *Rex* dici noluit.

Quæ ſententia, ſi firma eſſet, perfacilis etiam eſſet hujus Theſeôs determinatio, *non adhuc* nimirum *expectandum* eſſe *hoc quintum Imperium*, cum jam anni mille ſexcenti quinquaginta novem elapſi ſint, ex quo, Rex Chriſtus natus, hujus Imperii habenas moderatus eſt.

At exilis admodum eſt *Julii Cæſaris* ad *cornu* illud *parvum* analogia; ut & diſſimilis prorſus beſtiarum quartum illud imperium deſignantium, & *Imperii Romani ante Chriſtum* ratio; cum Reſp. Romana ante Chriſtum nil adeò diri in populum Judaicum patraverit, ut feris illis repræſentaretur,
Cap. 7. & 8. quæ omnium in eum ex *Danielis* vaticinio infeſtiſſimæ futuræ erant. Neque etiam *Romanum Imperium* omninò infirmavit *Chriſtus natus ſub Auguſto*, quod tum florentiſſimum erat, vel etiam Evangelii prædicatione Rex promulgatus ſub *Caligulâ*, *Claudio* & *Nerone*.

3. Reſtat igitur ut per *quartum Imperium* intelligatur *Romanum* magis indefinitè ſumptum: & quò meliùs diſpiciamus & quatenus *Chriſti Regnum* ut *quintum*, *quarto* illi ſuccedaneum vel jam advenerit, vel adhuc expectandum, & quouſque quartum illud diuturnum ſit,

1. Primò de utroque hoc Imperio tam *quarto* quàm *quinto* diſtinguendum eſt.

De Quarto, aut primò quatenus vel *Draconi* vel *Beſtiæ*, vel *Chriſto* faſces ſubmiſit: aut ſecundò vel aliquando *integrum* fuit, vel poſtea magis *inclinatum*, vel denique olim penitùs *diruendum*.

De *Quinto* etiam, quatenus vel primò à *Chriſto nato inchoatum* fuit, vel ſecundò uberiori poſtea Evangelii prædicatione quoad ſpiritualia *auctum*, vel tertiò *externo* in terris *ſplendore* aliquando *illuſtratum*, aut in poſterum *illuſtrandum*, vel denique ad ultimum judicii diem in cœlo tandem *conſummandum*.

Secundò dicimus Chriſti Imperium hoc *quintum* ad *omnia* hæc progreſſuum ejus *intervalla* & momenta ex hujus vaticinii etiam ſenſu extendi poſſe: per ea enim omnia à primùm inito Imperio *Rex* fuit, atque (aſſerente
1 Cor. 15. 25. Apoſtolo) „ eum regnare oportet uſque dum in die noviſſimo „ omnes inimicos ſuos pedibus ſuis ſuppoſuerit. Proinde cum horum intervallorum aliæ atque aliæ æræ ſint, ſi ea ſigillatim ſpectemus, alio atque alio reſpectu *Imperium* hoc & jam *advenisſe*, & adhuc tamen *expectandum* eſſe tutò dicere poſſumus. Cum enim aliarum Prophetiarum *gradualis adimpletio* neceſſariò
Cap. 37. admittenda eſt (prout in eâ de *reſurrectione oſſium mortuorum* apud *Ezekielem* manifeſtò conſtat) quare huic de *Chriſti Regno* quod *augmenta* ſua itidem habet, neganda eſt? Adeò ut quæ unâ periodo inchoativè, in aliâ magis auctè, in aliâ perfectè & ex vaticinii ſcopo præcipuè & maximè intento effectum ſuum ſortiantur; vel etiam ſi quædam de hoc *Imperio* dicta ad

quas-

quasdam ejus *Epochas* minùs quadrent, ea non univerſaliter de toto, ſed reſpectivè de *partibus* quibus conveniunt intelligi debent.

His ità præmiſſis, res tota magis expedita erit.

Primò enim ſi *quintum* hoc *Imperium* à *Chriſto* primùm *nato* ordiamur, vaticinio reſpondet eventus. Quamprimùm enim „ nobis parvulus natus eſt, do- „ minatus ſuper humerum ejus factus eſt Iſa. 9.6. tum Magi Mat. 2. ipſi etiam Angeli Lucæ 2. Regem Θεάνθρωπον venerantur. En *imperium*! En & *quintum* è medio ſublato *quarto*, ſive *Seleucidarum*, ſive *Regum & Conſulum Romanorum* imperio. At florente adhuc (dices) nedum exciſo *Imperatorum Romanorum* dominatu, cui ſuccedaneum à *Daniele* hoc Chriſti *quintum* ponitur. 1.

Cui ſic reſpondeo.

Non τῇ λέξιν à Daniele dici *quintum* hoc *Imperium* ita *poſt* quartum futurum, ut non *inciperet* niſi priori priùs omninò *abolito*. Verba enim ſunt בימי הנון „ In diebus Regum illorum: vel unius ex illis, ut *Hugo* reddit Dan. 2. 44. hoc eſt (*Medo* noſtro interprete) conſtanter adhuc & nondum abſolutâ & exactâ quatuor regnorum illorum ſerie. Et quidem *poſt ea* ſatis propriè dici poteſt, quamvis ipſis licèt exiſtentibus, primum naſceretur, ſi modò *poſt ea* primitùs *inceperat*, & *poſt* ea paulatim infirmata, & tandem penitùs abolita *duraverit*, quod de *Chriſti Imperio* reſpectu *Romani univerſaliter ſumpti* veriſſimum eſt. Atque ita *quintum hoc Chriſti Regnum* quatenus à *nativitate* initium ſumit *non* eſt adhuc *expectandum*. *Judæi* truſtra *ſuum* adhuc expectent *Meſſiam*, nos *noſtrum adveniſſe* certiſſimè credimus, ejuſque ſecundum tandem adventum anheli præſtolamur. Phil. 3. 20.

At à *Chriſti* in cœlos *aſcenſione* ſecunda Imperii ſui ſumenda eſt Epoche. Tum enim juxta *Danielis* vaticinium c. 7. 13, 14. „ ad Antiquum dierum per- „ venit, tum ei dato Regno & Dominatu: tum „ judicato & foràs ejecto Prin- „ cipe hujus mundi Joh. 12. 31: 16. 11. Ipſe Rex ſolium conſcendit Pſ. 47. 6, 7. Epheſ. 4. 10, 11. miſſo Spiritu & verbi ſceptro „ in die illo virtutis ſuæ „ populum voluntarium ſibi aggregavit, hoſtes edomuit Pſalmis 2. 45. 110. (tum „ lapis è monte ex- iſus terram implevit.*) Tum eum in regnum ſuum veniſſe, „ regnumque Dei cum potentiâ veniſſe legimus Matth. 16. 28. Marci 9. 1. Hoc *poſt Romanum inchoatum* fuiſſe conſtat, hoc *ſpirituale* licèt fuerit, veriſſimi tamen nominis *regnum* fuiſſe qui negaverit, ne Chriſtianus audiat: & quidni *quintum* dici poteſt *poſt quartum* ſcilicet Romanum, nondum quidem (ſaltèm nomine tenus) planè abolitum, jamdiu tamen ita inclinatum, hodiè præſertim ita transformatum, ut poſtquam à *Romanis* ad *Francos* & *Germanos* tranſlatum fuit, - - *ſtet magni nominis umbra*, vixque alio nomine *Romanum Imperium* audit, niſi quatenus à *Romano Pontifice* (ſi placet) confirmatum. Hanc ſecundam Imperii hujus Periodum *continuandam* credimus: at non ut *nondum inchoatam expectamus*. 2.

* *Vide Auguſtinum Tom. 6. in orat. contra Judæos & Paganos cap. 12.*

Tertiò, majus adhuc Regni Chriſti incrementum eſt, quando Principes jam Chriſtiani facti illud legibus firmant, armis protegunt, quod cum *Conſtantinus* Imperatorum omnium primus fecit, ab eo aliqui hujus regni æram ſumunt, deque eo illud Apocalypſeôs 12mo 5. exponunt, „ Peperit mulier „ filium maſculum recturum omnes Gentes virgâ ferreâ, & raptus eſt filius „ ejus ad Deum in thronum ejus: qui quidem Romanum Imperium deſtruxit non quà *Romanum* ſed quà *Draconicolam*, juxta illud quod loco jam di- 3.

cto ſequitur „ Et in terram projectus eſt Draco ille magnus, unde illa in cœ-
v. 8, 9. lo doxologia „ Nunc facta eſt ſalus & potentia, & Regnum Dei noſtri, &
Sic etiam cap. 6.15,16. „ poteſtas Chriſti ejus. Quod cum diu antehac præteriit, non adhuc expe-
ctandum eſt.

4. Quartò ulterior adhuc Regni Chriſti Epoche aſſignari poteſt ab *Antichriſto revelato*, & de ſolio ſuo aliquantùm *deturbato*. Is enim pleriſque *cornu*
Cap. 8.8. illud monſtroſum eſt, apud *Danielem*. Ad quam Antichriſti Revelationem
Medus. *anno milleſimo centeſimo viceſimo primo* factam refert ex noſtris doctiſſimus quidam Epocham illam dierum *mille ducentorum nonaginta* Dan. 12. 11. ut meritò pro ærâ haberi poſſit *Regni Chriſti inſtaurati*, quia initium *deturbati Regni Antichriſtiani*, adeòque & Romani in quantum Papicolæ.

Atque hactenus quoad omnes hujus Regni Quinti (Chriſti ſcilicet) periodos, cum Doctiſſimo Reſpondente aſſero, *quintum Danielis Imperium* (quod jamdiu advênit, obtinuit, floruit) *non reſtare adhuc expectandum*, niſi quatenus hoc idem quod jam inchoatum eſt, ultrà in poſterùm *provehendum* & ſecundo Chriſti adventu *conſummandum* manet, quod certò adhuc expectamus & anhelamus unicè. Ad ſecundum ſiquidem, illuſtremque illum ejus
contra Judæos. adventum *Tertullianus*, *Theodoretus*, & antiqui alii hoc *quintum Danielis Imperium*, & plurima de eo dicta referenda ſentiunt, quem ἀποκαραδοκίαν
Rom. 8. 19. omnes & præſtolamur avidè, juxta illud Heb. 9. 28. „ Secundò ſine pecca-
„ to apparebit omnibus eum expectantibus ad ſalutem.

At verò de ſecundo hoc Chriſti adventu diſcors admodùm eſt plurium ſententia, aliis tam antiquis quàm recentioribus plurimis non ante ultimam mundi conflagrationem, diemque univerſalis omnium reſurrectionis extremique judicii noviſſimum eum expectantibus, aliis (qui *tertium Chriſti adventum perſonalem* Scripturis ignotum fingunt) *ſecundum* quendam ultimo illi antecedaneum futurum ſtatuentibus, in quo hujus quinti Imperii æram ponunt, & omnia de eo dicta interpretantur.

5. Ad primam ſententiam quod attinet, quò minùs *quintum hoc Imperium*, & quæ de eo à *Daniele* dicuntur, ad *ultimum omnium judicium* referantur, multa facere videntur, quòd tum „ Chriſtus Regnum ſuum Patri traditurus ſit 1 Cor. 15. 24. non *ſimul* utique *inchoandum* & *finiendum*. Quod „ lapil-
„ lus è monte exciſus per continua incrementa „ in montem magnum eva-
Epheſ. 4. 13. „ ſurus ſit, cujus incrementi regnum hoc quod tum ad ἀνδρα adoleverit, parùm capax erit. Quòd denique regnum illud *in cœlo*, hoc verò Danielis *ſub cœlo* futurum prædicitur cap. 7. 27. quæ ſingula, iiſque ſimilia cum de hoc *Imperio quinto* indefinite dicantur, reſpectivè de *periodis prioribus*, quibus maximè conveniunt, intelligi debent.

Cum verò priorum ſententiarum Patroni plura, quæ de Periodis antecedaneis propriè intelligi volunt, de hâc *ultimâ analogicè* exponi poſſe concedant: Cum illa de *judicio conſidente*, & *apertis libris* huic ultimo conſeſſui aptiſſimè conveniant: cum denique Chriſtus Imperator tum demùm *Imperium* non ſolum *Romanum*, ſed *omne* pariter omnium *ſublaturus* eſt 1 Cor. 15. 24, non mihi incommodum videtur, quod *Pererio*, *Pappo*, aliisque placuit, ut quæ in aliis ejus *interſtitiis inchoativè* aliqualem effectum ſortita fuerint, in hoc ultimo *perfectè adimplenda* ſint, prout ad *ultimæ tubæ clangorem voces illæ audiendæ* ſunt „ Facta ſunt Regna mundi Domini noſtri, & Chri-

„ ſti

„ ſti ejus, qui regnabit in ſæcula ſæculorum; Gratias tibi agimus Domine,
„ quòd adeptus ſis potentiam tuam magnam & regnâſti Apoc. 11.15,16,17.

At hæc ipſiſſima *Chiliaſtæ* noſtri ad *intermedium Chriſti adventum* referunt, ad quem poſt dirutum Imperium Romanum, Antichriſtum, *cornu* illud *Danielis* monſtroſum radicitus evulſum *Judæorum* omnium vocationem, & *plenitudinis Gentium introitum*, non ſolùm ſanctiſſimum ordinatiſſimumque Eccleſiæ ſtatum futurum, ſed quoad externa etiam, omnia pacifica & proſpera futura ſatis liberaliter nobis pollicentur, à cujus *aurei ſæculi* primordiis *quinti* hujus *Imperii* æram & originem arceſſunt, cui omnia à *Daniele* prædicta ad amuſſim convenire affirmant, & probare ſatagunt. 6.

Ad me quod attinet, longè ab eo abſum, ut ea omnia, quæ ab horum doctioribus & modeſtioribus de his dicuntur pro falſis habeam, imò verò (ut quod ſentio fatear) eorum aliqua, plura etiam veriſſima eſſe judico. *Antichriſtum* puta Romanum *illuſtri Chriſti adventu abolendum* (exertè hoc atteſtante Apoſtolo) nullatenùs dubito. *Judæorum* ſi minùs univerſalem omnium, at ſaltem *plurimorum*, longèque quàm *antehâc* unquam *illuſtriorem converſionem* futuram piè credo: donec hæc eluceſcat aurora ſplendidiſſima, noctem tenebricoſam Eccleſiam obumbraturam, mox (vereor) ingruentem, immediatè verò ante exoriturum Solem aterrimam futuram malè metuo. Hoc aliqui ex illo Dan. 12. 1. colligunt: Hoc ex Apocalypſi adhuc magis conſtat. At exorto demùm Sole illo, diem videre mihi videor ſplendidiſſimum futurum, pietate ſimul ac pace externâ cumulatiſſimum. Hoc Apocalypſis mihi cœcutienti licèt ſatis evidenter revelare videtur. Citra hoc plurium Prophetarum ſententias, præſertim clauſulas vix appoſitè interpretari quenquam poſſe jam diù cogitavi, quod quidem affirmare, quamvis aliquibus Judæis rejectaneis plus ſatis velificare videtur, malè tamen metuo ne id ipſum negare ſit potiùs ipſis ſcandalum objicere: hunc *ſanctiorem pacatioremque* Eccleſiæ *ſtatum* poſt Antichriſtum debellatum, & converſos Judæos (cui quæ à *Daniele* & Prophetis reliquis prædicta ſunt mirè convenire videntur) adhuc, quoad rerum ſummam, expectandum ſentio. 2 *Theſſ.* 2. *Brightmannus.*

His verò ſi (quod aliqui faciunt) Paradoxa multa aſſuant; ſi promiſſiones plurimas de *Spirituali* Chriſti ſub Evangelio *Regno* ad *temporale* & *terrenum* aliquod omninò trahant; ſi prædictiones & deſcriptiones omnes *univerſalis* omnium *reſurrectionis* & *ultimi judicii* ad *myſticam* hanc Eccleſiæ *reſurrectionem* transferant; ſi *tertium Chriſti adventum* & *corporalem* hîc *præſentiam* fingant, unà cum *temporali* ejus *dominio* Reges omnes Magiſtratuſque ſeculares abolituro, idque per millennium, in quo Propheta „ Reges Eccleſiæ „ nutritios futuros & Reginas nutrices prædixerit; ſi denique hoc *novum cœlum* & *terram novam* omnibus ſi non *vitiis* (ut *Chiliaſtæ* aliqui antiqui) *delicius* ſaltèm externis affluentem in *campos* neſcio quos *Elyſios* & *Paradiſum Turcicum* transforment: *ſomnia ſua* (quod adagio dicitur) *ſibi*, per me licet, *narrent*; *tale* utique *imperium* terreſtre nimis & carnale, cum *Chriſtum* & *Evangelium* minimè ſapiat, mihi hoc *Danielis* nunquam erit, à vobis etiam, ut opinor, nunquam *expectabitur*. *Iſai.* 49. 23.

QUÆST. XXXV.

Interna Dei illuminatio non tollit uſum neceſſarium Miniſterii Evangelici.

DUo in ſe continet, 1. *Evangelii Miniſterium neceſſarium* eſſe. 2. *non tolli, internâ Dei illuminatione.* De his punctim, & breviſſimè.

1. *Uſus* hujus Miniſterii *neceſſarius* eſt.

1. Neceſſitate *præcepti*, quoad munia ejus omnia V. G. *verbi prædicandi* „Ite, docete: *Sacramenta* & *Diſciplinam* Eccleſiaſticam *adminiſtrandi* „Baptizate Matth. 28. 29. „Hoc in mei commemorationem facite Lucæ 22. 19 „ποιμάνατε, paſcite Dei gregem. 1 Pet. 5. 2. At illud ποιμᾶναι non ſolùm *paſcere* ſed & *Regere* eſt.

2. Neceſſitate *medii* ad ſalutem *ordinarii: ordinarii* dico, quia extraordinaria Deo permittenda, non à nobis in ordinem cogenda. *Medii* etiam dixi ſive inſtrumenti: cum enim tam *verbum* externum, quàm ejus *Miniſterium creaturæ* ſint, cauſæ efficientes *procreativæ* vel *gratiæ* vel *ſalutis* eſſe nequeunt; & ſi gratia à ſpiritu infundatur *actione Phyſicâ*, difficile admodum cognitu erit quomodo *verbum prædicatum* in hoc opere efficiendo inſtrumentum *activum* eſſe poſſit, ſed paſſivum tantùm, ad cujus ſcilicet præſentiam Spiritus gratiam operatur, prout Chriſtus ad vocem ſuam externam prolatam *Lazarum* excitavit è mortuis, & „adhuc loquente Petro illapſus eſt Spi„ritus S. in omnes qui audiebant ſermonem. Sed de inſtrumentalitatis ſuæ modo non diſputo. Ut à ſpiritu animatum & ſupra ſe elevatum, aliquale medium vel inſtrumentum (idque ordinariè neceſſarium fidei) & ſalutis eſſe illa evincunt: „Fides ex auditu. Verbum ſalutis, „potentia Dei ad ſalutem dicitur. „Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſervare credentes. Et his gemella. Miniſterium ergò hoc, ſaltem hoc ſenſu, neceſſarium eſt: & quia Neceſſaria (quà talia) perpetua ſunt.

Vide Rhetorfortum.

Johan. 11. *Act.* 10. 44.

Rom. 10. 17. *Act.* 13. 20. *Rom.* 1. 16.

2. Inde ſequitur *non tolli, ne internâ Spiritûs illuminatione*; quod ſecundum & præcipuum erat, contra *Swenkfeldium* & ejuſdem furfuris *Libertinos*, & *Enthuſiaſtas* reliquos, qui *verbum internum* crepant, omniaque ei deferunt: verbum verò *externum* vel ore prolatum, vel etiam Sacrâ Scripturâ exaratum ad *Abecedarios* ablegant: vel ſaltèm ad *externum* & *veterem* in Chriſtiano *hominem*, cum novus & internus hujus pædagogiâ non indigeat: præſertim quamprimùm eorum aliquis jam Deo plenus *perfectionis* apicem attigerit, ſcalam iſtam, per quam aliquantum forſan aſcenderat, altè dejicit: Deum ſine mediis hiſce (ſibi jam annihilatis) videt: ſic blaſphemando garriunt iſti. Sed mens longè magis ſobria *S. Auguſtino* * fuit, dum hæc monuit „Caveamus tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas, magisque cogitemus & ipſum Apoſtolum Paulum, „licèt Divinâ & cœleſti vo„ce proſtratum & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe ut Sacra„menta perciperet, & copularetur Eccleſiæ.

Swenckfeldii Epiſtola.

Stella fulgida c. 11. *p.* 108.

* *In prologo ad Lib de Doctrinâ Chriſtianâ.*

Agnoſcimus quidem

1. *Com-*

1. *Comparativè*, in Luce *Evangelii* non æquè ac ſub umbrosâ *Legis* Pædagogiâ opus eſſe externis doctoribus, quo in ſenſu illud *Jeremiæ* ſumendum eſt „ non docebit ultrà vir proximum ſuum Cap. 31. 34. *comparativè* ſcilicet 1. *Evangelii* cum *Lege*. 2. *Miniſtri* vel Doctoris cum *Spiritu*: non quòd exterius hominum Miniſterium excludatur, ſed quod interius, Dei magiſterium magis neceſſarium declaretur, *Brugenſ. in Joan. 6. 45.*

2. *Oppoſitè* ad *deceptorum fraudes*. Et ſic qui *unctionem Spiritûs* acceperunt, *non opus habent*, *ut quiſquam eos doceat* ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκῃ: non *præter*, vel *contra* id quod ab *Apoſtolis* edocti, & in quo ipsâ *Spiritûs unctione confirmati* erant 1 Johan. 2. 27. prout *Bellarminus* eum locum rectè interpretatur *de verbo Dei* Lib. 3. Cap. 3. & *Beza* in Locum optimè oſtendit eo dicto non tolli ſed maximè commendari verbi miniſterium, cujus ope & Spiritûs ſimul unctione contra deceptorum tela invulnerabiles facti ſint. *Non de novo, ac ſi non priùs cognoverint. Vid. Lud. de Dieu in Heb. 1. 11.*

Interna ergò Spiritûs unctio vel illuminatio non tollit externum verbi miniſterium.

Primò, quia ipſo atteſtante Spiritu non tolletur ἕως συντελείας τοῦ αἰῶνος Matth. 28. 20. μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς ἄνδρα τέλειον Eph. 4. Hoc hucuſque confirmavit ſtupenda planè Miniſterii hujus contra Satanæ & mundi furores conſervatio, futuræ etiam incolumitatis (jam in illud fremant licet inferorum portæ) prænuntia: Primò ergo *non tolletur*. 1. *v. 11, 12, 13.*

Secundò, Minimè ominum *Spiritûs* (qui illius author eſt) *illuminatione*: cum enim *illuminatio* hæc vel *ordinaria*, vel *extraordinaria* ſit; *ordinaria*, quæ in *mentis renovatione* conſiſtit, atque ad ſalutarem rerum Divinarum omnium intelligentiam neceſſaria, adeòque omnibus fidelibus communis eſt, qui ſimul ac baptizati erant φωτισθέντες olim dicti ſunt, *extraordinaria* verò, quam ſibi licèt indultam fingunt *Enthuſiaſtæ*, *Prophetis* tamen & *Apoſtolis* tantùm, & quibuſdam forſan aliis *viris Apoſtolicis* peculiaris eſt: Neutra *Evangelii Miniſterium* tollit. 2. *Rom. 12. 2. Epheſ. 4. 23.*

Non *ordinaria* illa: hæc enim minimè *pugnant*, ſed mutuò ſe *ponunt* & *promovent*. *Evangelii Miniſterium* ad hanc *illuminationem* facit. Sic „ ad „ Gentes & populum hunc te mitto, ut aperias oculos eorum, & conver„ tas eos à tenebris ad lucem Act. 26. 17, 18. *Illuminatio* viciſſim *verbi intelligentiam* parit, prout de Chriſto legimus, „ Tum aperuit eorum men„ tem, ut intelligerent Scripturas. Lucæ 24. 45. 1.

Non extraordinaria: nec quoad alios, nec quoad ſeipſos, qui ità illuminantur, 2.

Non quoad alios

Vel nondum illuminatos eorum miniſterio inſtruendos. „ Lucerna enim „ accenſa, non ſubter modium ponenda, ſed in candelabrum, ut omnibus qui ſunt in domo ſplendeat. Ità Apoſtoli jam *Spiritu repleti* cœperunt *loqui magnalia Dei* Act. 2. 1. *Matth. 5. 15.*

Neque *quoad* jam *illuminatos*. Nam *S. Johannes*, quos *unctionem* hanc *accepiſſe* dixerat, ſcriptis ſuis magis *inſtruit* 1 Johan. 2. 27. Quin & ipſi *Fanatici* in Conventiculis ſuis (ſi modò refertiſſimi eorum συναθροισμοὶ Conventicula dici poſſint) hoc ipſum factitant, ubi demegoras ſuos admodùm ſonorè reboantes audias, præſentibus quibusvis, imò ex ſuorum *illuminatiſſimis*.

mus. Si dicant, *ſolâ* tantùm *Neophytorum* inſtruendorum causâ; at (cum in Eccleſiâ plurimi minùs illuminati *Neophyti* ſint) horum ſaltem gratiâ cum Eccleſiâ mitiùs agant, atque *eo nomine Evangelii Miniſterium minimè tollendum* concedant: vel ſaltèm, ne ſibimet facto ſuo contradicant, *Auguſtini* interrogationi illi priùs reſpondeant „ cur ipſe aliis affectat exponere, ac „ non potiùs eos remittit Deo, ut ipſi quoque non per hominem, ſed illo „ intus docente intelligant.

Ubi priùs.

Apoſtoli interim, cum jam maximè *illuminati* erant, à prædicando, ſcribendo, adeòque *Evangelii miniſterio* fungendo minimè abſtinebant; non ſolùm ut auditores ſuos tum præſentes erudirent, ſed & ut τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσιν, ipſumque S. Scripturæ *Canonem* conficerent, qui poſteris omnibus tam credendi, quàm concionandi regula foret. *Illuminatio* ergò *Spiritûs non tollit Evangelii Miniſterium quoad alios nondum ità illuminatos*, qui rudimentis hiſce (ſi placet) iniriari poſſent.

1 Tim. 1. 13.

2. Imò neque quoad ipſiſſimos *illuminatos*, qui vel proprio vel aliorum Miniſterio Evangelico proficere queunt: neque enim omnes illuminatiſſimos vel ex ſuis eſſe dicent; imò cum *ex parte* tantùm hîc *cognoſcamus* omnes, ante beatificam in cœlis viſionem nulli (niſi ſuperbiâ nimis elati) eò altitudinis evecti erunt, quin vel *Evangelii Miniſterio altiùs* adhuc *aſſurgant.*

1 Cor. 13. 9.

Præterea, qui extraordinariarum illuminationum ſumma faſtigia aliquando conſcenderit, non in his perpes manet, quamdiu hîc manſerit: *Petrus* cum dixerit *Bonum eſt nobis hîc eſſe*, teſte Lucâ, *neſcivit quid diceret*, ſtatim enim de monte deſcendit. *Paulus* qui in *tertium uſque cœlum raptus* fuit, in cœlo non ſemper egit. *Prophetæ* (quibus Deus quædam aliquando occulta eſſe voluit, prout ex 2 Reg. 4. 27. Dan. 12. 9. manifeſtè conſtat) ab actuali Spiritûs afflatu aliquoties vacabant, ut neque *fanatici* noſtri œſtro ſuo continuò perciti ſunt. Certè Spiritus Sanctus non *ſemper* & perpetim vel ſanctiſſimos iiſdem *modo* & *gradu* illuminat: quibus ſaltèm intervallis, *verbo*, ejuſque *miniſterio* tanquam regulâ ad manum ſemper præſenti, & monitore aſſiduo opus habere poſſunt. Hinc, ut *Aquinas*, *quò certiùs* ac *convenientiùs ſalus nobis proveniret*, præter doctrinas Philoſophicas *verbo Divinitùs revelato* opus eſſe docuit, ità præter *Revelationes* illas olim *extraordinarias verbum ſcriptum* pro *Canone* certiſſimo miſericors Deus nobis ad manum eſſe voluit, idque (quoad hoc) ipſis Revelationibus Divinis prætulit 2 Pet. 1. 19. Cum enim *Regni Chriſti ſceptrum* ſit inflexibile, & per ejus juge Miniſterium veri bonique arbiter rectiſſimus nobis aderit, cum contra Revelationes, quas venditant, ſæpiùs impiæ, ſæpiſſimè ementitæ fuerint, ut apud *Pontificios* ſuperſtitionum nutriculæ, craſſæ ignorantiæ filiæ erant, unde ætates cœcis tenebris maximè obrutæ præcipuè viſiones oſtentare ſolitæ, ità *Enthuſiaſtarum* hodiernorum illuminationes *monſtra alunt*, dum monſtroſos errores cudunt, & facinora longè monſtroſiſſima machinantur: quibus cum *Verbum Dei* ejuſque *Miniſterium* larvam detrahit, atque illud Baptiſtæ οὐκ ἔξεις in os oggerere audeat, *hinc illæ lachrymæ*, rixæ, convitia, „ num inveniſti me inimice mi? *Decollandus* eſt *Johannes*, è medio *tollendum Evangelii Miniſterium.*

Parte 1â *q.* 1. *art.* 1.

Pſal. 45. 6.

Matth. 14. 4. *1 Reg.* 21. 29.

Ultimò; eorum unum non tollit alterum, quæ ſimul conſiſtere poſſunt, imò ſemper conjuncta eſſe Deus voluit, at hîc ita ſe res habet.

Simul

Simul conſiſtebant ſub V. Teſtamento *Prophetæ* & *Sacerdotes* ordinarii, ad quos ipſi Prophetæ remittebant populum, Haggæi, 2. 11. Malachiæ 2, 7. ut & ſub Novo *Apoſtolis* & *Evangeliſtis Paſtores* & *Doctores* adjuncti ſunt Epheſ. 4. 11. *Paulum* Divinâ licèt viſione coruſcum ad *Ananiam* mittit Chriſtus, *Philippum* ad *Eunuchum Spiritus*, *Cornelium* ad *Petrum* Angelus. *Act.* 9. 12. 8. 29. 10. 5.

Quòd verò hæc conjuncta eſſe voluit Deus ipſum loquentem audiamus, „ De me autem hoc erit fœdus meum cum illis, ait Jehovah, Spiritus meus „ qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, „ aut ex ore ſeminis tui &c. Iſa. 59. 21. Fœdifragus ergò eſt, qui quæ Deus ità conjunxit ſegregare audet. Lupus eſt, & gregi Dominico inhiat, qui ſpiritu anhelo paſtorem exſufflat, vel abigendum curat, cum à ſummo Paſtore Sponſa illud audiat „ Egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce „ hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum. „ Suſpecta ſit omnis Revelatio, „ quam non probat Lex cum Evangelio. Sic *Gerſon*. Tollatur illa illuminatio quæ tollit Evangelii Miniſterium. Nam interna Dei illuminatio non tollit uſum neceſſarium Miniſterii Evangelici. *Cant.* 1. 8.

QUÆST. XXXVI.

Officia Eccleſiaſtica Linguâ vulgò notâ ſunt celebranda.

Eccleſia Anglic. Artic. 24

POntificii (quibuſcum in hâc controverſiâ nobis res eſt) 1. per officia Eccleſiaſtica intelligi nolunt conciones ſacras, Divini verbi explicationes, vel mutuas Sanctorum de rebus ſacris collationes, quas Linguâ vernaculâ celebrari non adeò ægrè ferunt, ſed Eccleſiæ preces, Sacræ Scripturæ Lectiones, Leiturgias, præſertim Miſſæ ſuæ ſuperſtitiones, quas linguâ vulgò notâ peragi nolunt, niſi tribus illis ſolis Hebræâ, Græcâ, Latinâ: quæ S. Trinitatis (ut ipſis placet) veſtigium exhibent, & Titulo Servatoris noſtri cruci affixo conſecratæ ſunt: ut iis ſolis (ſi placet) Eccleſiæ ſacra perpetuò peragerentur. *Bellarmin. de verbo Dei lib.* 2. *cap.* 15.

2. Inter Miſſæ ſuæ Sacra paucula quædam vulgari linguâ privatim recitari & addiſci poſſe concedit *Le-Deſma*; fundamentalia ſcilicet & ad ſalutem neceſſaria, in quorum cenſu numerat Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Decem Mandata, & Beatæ Virginis Salutationem Angelicam: at reliqua non item; præſertim in conventu publico. Nam *Le Deſma cap.* 3. *Cap.* 14.

3. Diſtinguunt inter officia privata & publica: & privata quidem linguâ vernaculâ peragi concedunt prior Author, *Hardingus* noſtras, alii, præſertim ſi latinè ignorent, * aliter ab iis qui latinè ſciunt latinè potiùs diſcenda & recitanda ſunt, idque „ ob unionem arctiorem Eccleſiæ, & ſolidiorem „ compaginem inter omnia membra, non ſolùm in fide, ſed in omni cultu „ & in omnibus orationibus retinendam. *Hardingus* quidem duo nobis liberaliter concedit, 1mò. Eccleſiam primò primativam preces ſuas quà privatas quà publicas linguâ vernaculâ fudiſſe. 2dò. Quòd benè eſſet, ſi hodiè etiam populus preces ſuas intelligeret; quibus duobus cauſam ſuam omninò prodit: quam, ut ipſe & reliqui ſui utcunque reſarciant, aliam officiorum privatorum & publicorum rationem eſſe contendunt. Siquidem *Artic.* 3. * *Le deſma cap.* 14. *p.* 98. *pag.* 103. *Artic.* 3.

In *publicis officiis* ſumma *myſteria* reconduntur, quorum majeſtati convenit ne pandantur, ne ſimul vileſcerent, quod ex *Legis umbris*, *adytis*, imò ex
cap. 12. *Ethnicorum Sacris* (ne *Eleuſiniis* à *Le Deſmâ* omiſſis) ad nauſeam uſque huc corraſis, demonſtrant.

Dein in *Sacræ Scriptura* lectione plura occurrunt, quæ ſi linguâ vulgò notâ legantur, *rudes* & *idiotæ hæreſeôs*, *laſcivia*, *mendacii*, & *homicidii* anſam inde arrepturi eſſent.

Preces etiam *publicæ* aliquando contra *Tyrannos* & *perſecutores*, circa *peccata occulta*, & *neceſſitates ſecretiores* fiunt, quæ *vulgò* omnibus *linguâ vulgari* propalare non convenit.

In genere; in *ſacris officiis* cum Deo agitur, cultuſque ei ab Eccleſiâ offertur pro populo quidem, ità tamen ut non ejus magis interſit ut eum intelligat, quàm ut ego intelligam *quâ linguâ* (mihi licèt omninò ignotâ) *Patronus* meus in *Aulâ* à Principe mihi veniam impetrat, vel ad *Tribunal* coràm *Judice* cauſam meam agit. Sat' populo eſſe volunt, ut *in genere Eccleſia* (quæ ipſis *Clerus* eſt) *pro eo benè oret*, & cauſam ſuam apud Deum agat, cui ſi *Amen* ſuum implicitè apponat, dum ipſi procul à Sancto Sanctorum abſunt (ubi Sacerdotes & Clerici eorum nomine Sacra peragunt) ut olim ſub Lege Levit. 16. & Lucæ 1.) & preces ſuas tacitè ſibi obmurmurant, præclarè officio hoc ſuo Divino defunctos eſſe exiſtimant; ac proinde quamvis quibuſdam & quidem rariùs permiſſum fuit Sacra ſua linguâ vernaculâ peragere, ut aliquando id petente Methodio Cyrillo *Moravis* ab eo ad fidem converſis ut linguâ *Slavonicâ* ſua officia celebrarent tandem, idque ægrè, & non niſi è cœlo miſſâ voce illâ „ Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei „ (referente *Æneâ Sylvio* Hiſtoriæ Bohemicæ Cap. 13.) à Pontifice Romano indultum fuerat; ut hoc tamen cummuniter omnibus concedatur, nec commodum, nec legitimum, minimè omnium neceſſarium eſſe contendunt:
Le Deſma cap. 15. quod licèt *Moravis* indultum, tamen *Bohemiæ Duci* à *Clemente ſeptimo* negatum fuit: ob quod etiam *Abbas Ciſtercienſis* ejuſque Collegæ *Innocentio tertio* ſatis acriter vapulârunt: Atque ultimò tandem *Concilium Tridentinum* Seſſione 22dâ. cap. 8. ſic decrevit „ Etſi Miſſa magnam contineat populi „ fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus ut vulgari lin„ guâ paſſim celebretur: ac proinde *Canone nono* ità fulminant, „ Si quis di„ xerit, Linguâ tantùm vulgari Miſſam celebrari debere, Anathema ſit.

Exam. C. T. parte 2. pag. 367. Cui Kemnitius hoc meritò reponit „ Siqua ſpes Reformationis de Tri„ dentino Concilio eſſe potuiſſet, ipſa rei æquitas & evidentia hoc impetra„ re debuiſſet. Sanè ſi vel minimum, ſi non nobis at ſibimet ipſis, ſi rationi, ſi Scripturæ Sacræ donare voluiſſent, rem adeò abſurdam, ridiculam, ab omni verâ ratione alienam, Divinoque eloquio ita obverſâ facie contrariantem non adeò mordicus retinuiſſent. Sed (ut cum Rev. *Davenantio* noſtro
Determ. 41. pag. 185. loquar) „ haſce pœnas meritò luit illa Eccleſia, quæ jactitat ſe non poſſe „ errare, ut ex quo ſemel erravit, cogatur æternùm in ſuis erroribus perſe„ verare.

Nobis interim ad tantam lucem oculos occludere haud integrum eſt, ideòque cum *Calvino* dicimus „ Ex ſono non intellecto nullum penitùs fructum „ ad Eccleſiam redire: Cum *Beza* „ quòd quæcunque preces ab aliquo „ concipiuntur eo idiomate quo ipſe non intelligit, pro Dei ludibrio ſint

habendæ:

habendæ: cum *Eccleſiâ* denique *Anglicanâ* Articulo 24to clarè & apertè profitemur, „ Rem eſſe cum verbo Dei tum Eccleſiæ primitivæ conſuetu-„ dini planè repugnantem, ut preces publicæ in Eccleſiâ habeantur, vel ad-„ miniſtrentur Sacramenta in linguâ à populo non intellectâ.

Neque primò, quod *Pontificii* faciunt, inter *conciones* & *preces publicas* ita diſtinguendum cenſemus, ut *illæ linguâ vulgari* peragantur, at *hæ* non item: cùm utrarumque eadem (quoad hoc) omninò ſit ratio: Annon enim *verbi prædicatio* & *mutuæ Sanctorum* in ſacris conventibus olim (quas volunt) *collocutiones* inter *officia Divina* & cultûs Dei ab eo inſtituti partes connumerandæ ſunt? Ita ſanè ab Apoſtolo 1 Cor. 14. habitæ ſunt. Neque *verbi prædicatio* ab Eccleſiæ vel Paſtorum λειτουργία excludenda eſt. Act. 13. 22. λειτουργούντων αὐτῶν τῷ Κυρίῳ prædicationem continebat, ut Rom. 15. 16. εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ conjungitur cum ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον. Neque huic officit, quòd *preces* & *gratiarum actiones proprii nominis cultus* ſunt, & inter officia numerandæ quia *Deo offeruntur*, quod *concionibus*, quæ *nobis proponuntur*, non competit. Nam 1mò. ut Evangelium à Miniſtris prædicetur, atque à populo fideli audiatur, iis reſpectivè incumbit, atque in utroque proprii nominis cultum Deo exhibent. 2dò. In *Leiturgiis* Eccleſiaſticis & *Miſſâ* Pontificiâ non ſolæ *preces* habentur, ſed *Sacramenta* adminiſtrantur, in quibus licèt ipſi *Chriſtum Deo offerant*, nos tamen *Chriſtum à Deo per Miniſtrum oblatum* grati, devotique *accipimus*: quare ergò non linguâ vulgo notâ nobis hîc proponendus æquè ac in concione? variæ etiam *Sacræ Scripturæ Lectiones* in iis continentur, quæ non magis Deo quàm conciones ſacræ offeruntur, ſed æquè *populo* proponendæ ſunt: quid ergò eſt quòd cum *Conciones linguâ vernaculâ* fieri concedunt, *Lectiones* has *linguâ ſolâ ignotâ* recitari permittunt? Num majus errandi periculum ex lectione Scripturæ infallibilis, quàm ex concione, in quâ falli poteſt Miniſter fallibilis? at Hem illud eſt! Scriptura linguâ vernaculâ lecta & intellecta dum nil in ſe ſubdoli habeat, veritatem omnem ſine fuco aut fraude enuntiabit, atque ità eorum errores, blaſphemias, ſuperſtitiones propalaret, quod ipſis malè cederet, dum concionatores ſuos (quibus inter concionandum lingua vernacula indulta eſt) ſatis obſtrictos tenent ne tale quid vel muſſitare auſint. 1.

Secundò, quod ad ſecundam eorum diſtinctionem attinet de *neceſſariis* ſive *fundamentalibus*, & *aliis minus neceſſariis*, quorum illa, ut *Symbolum Apoſtolicum*, *decem Mandata* &c. à populo *linguâ vulgari* diſci & recitari concedunt, at non alia: Dico 1. quid eſt quòd vel ad *hæc* extra Eccleſiam *Latinè* (pſittacorum inſtar) *recitanda populum* indoctum (ut notoriè conſtat) aſſuefaciant? 2. Quid eſt quòd hæc *neceſſaria* cognitu in officiis publicis *linguâ ignotâ* recitent? quod, ſi inter concionandum fieret, vel ipſi infructuoſum futurum ultrò fatentur. 3. Quamvis *aliqua fundamentalia* ſint, & ad *ſalutem* cognitu magis *neceſſaria*, quæ celare magis iniquum foret: *alia* tamen, quæ pro munificentiâ ſuâ *Deus* in verbo ſuo nobis *cognoſcenda* exhibuit, ignotæ linguæ involucro obvolvere omninò *ſacrilegum* non eſſe non poteſt; præſertim, quum eorum plurima ea ſint, quæ eorum tam in doctrinâ quàm in praxi præſtigias detegere poterint. 2.

Cum inter officia *privata* & *publica* diſtinguunt, ut *illa* linguâ *vulgari* peragi poſſint, at *hæc* non item, hæc repono; 1. quare igitur ignarum vul- 3.

gus *preces* etiam privatas ſuas *Latinè* recitare docent? nam ſi *Latinè* aliqui noſcant, ità agendum multis rationibus ſuadent, ut priùs audivimus.

Deut. 17. 19. *Pſal.* 1. 2. *Job.* 31. 11. 2. Cum *Sacræ Scripturæ Lectio privata* inter hominis Chriſtiani officia ſit, utinam per eos liceret, ut *hoc* impunè *Linguâ vernaculâ* faciat. At hoc *ſcelus* eſt *à judicibus*, ab Inquiſitoribus flammis ultricibus piandum. 3. Quamvis inter *privatas* & *publicas* plures aliæ ſunt *differentiæ*, at in hoc omninò *conveniunt* quòd, ut in privatis, *homo quid orat intelligat*, (niſi, quod *Solomon* dicit, *ſtultorum victimam offerre* velit, vel, ut *Auguſtinus*, „ merularum vel pi-„ carum inſtar eſſe cupiant quæ ab hominibus docentur ſonare quæ neſciunt) ità in publicis Eccleſiæ Miniſtri & ipſi quod orant intelligere debent: & tali voce, linguâ, & loquendi formâ tam in orando quàm in concionando uti debent, ut *populus* qui adeſſe, audire, & *unà cum eo orare* tenetur, quid dicat, ſatis *intelligat*. Sic Apoſtolus 1 Cor. 14. 15. „ Orabo ſpiritu, ſed orabo e-„ tiam mente vel intelligentiâ i. e. non ſuâ ſolâ ſed & populi; ſic *Beza*; ità etiam ut ab aliis intelligar, velut *Piſcator*. „ Sed addam interpretationem ut à cœtu intelligar; ſic *Hammondus* noſter: Hoc ſatis *violentè* dici ait *Eſtius*, & *ne verbo hîc indicari* affirmat. Satis confidenter! vel potiùs nimis impudenter, quum omnia ibi præcedentia hoc clamant, & duo commata proximè ſequentia manifeſtè probant: „ Quomodo qui implet locum Idiotæ dicturus „ eſt Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quid dicas neſcit; nam tu „ quidem benè gratias agis, ſed alter non ædificatur. Ut magis adhuc apertè Com. 19. ubi Λαλῆσαι νοὸς μυ λαλῆσαι cum ἵνα καὶ ἄλλυς κατηχήσω ut mutuò ſe explicantia conjunguntur. Neque enim in precibus ſolùm *pro populo* orationes fiunt: (ad hoc enim *Laicis* ne adeſſe quidem, nedum quæ dicuntur *intelligere* neceſſarium foret, neque eorum magis refert *quâ linguâ*, *preces à Sacerdote* pro iis funduntur, quam *quâ linguâ*, licet *ipſis* penitus *ignotâ cauſidicus cauſam* ſuam pro tribunali *agat*) ſed *populus Chriſtianus* in officiis & precibus publicis *ſuas partes* ex Dei inſtituto habet, ſine quo ipſæ preces (ut rectè obſervat Calvinus) publicæ dici nequeunt: unà cum Miniſtro, dum ipſe verba profert, animas, petitiones ad Deum levare debent. „ Coimus in cœlum, ut ad Deum quaſi manu factâ ambiamus orantes. Sic *Tertullianus*. Omnes unam dicere orationem dixit Baſilius in *Hexam.** 4. Sed præ reliquis *Chryſtomus* Homil. 18. in 1 Cor. (ubi hoc latè perſequitur) Dicit quidem ἐ γὰ δὴ θέμις, ὅπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτειν ἅπαντα: non omnia, non-initatis pandenda: at vel populum fidelem non inter ἀμυήτυς recenſendos ducit: vel certè hæc (de quibus agimus) Divina officia non inter illa minimè eis revelanda ponit: non ipſa Cœnæ Dominicæ φρικτὰ (quæ vocat) μυσήρια. ὁμοίως γὰ πάντες ἀξιώμεθα τῶν αὐτῶν: multò minùs preces publicas ἐν αἷς πολὺ τὸν λαὸν ἴδοι τις ἂν συνεισφέροντα καὶ παρὰ ἐ ἱερέως ἢ παρ' αὐτῶν γίνονται αἱ ἀχαὶ, ἢ πάντες μίαν λέγυσιν ἀχήν. Et quæ ibi ſequuntur reliqua his (ut & noſtræ ſententiæ) omninò gemella: ubi ingens præterea inter populum *Judaicum* & *Chriſtianum* (quoad hoc) diſcrimen ponit, cum *Pontificii* contra populi *Judaici* exemplum in hoc nobis imitandum pro imperio obtrudant: quos etiam ſi in hoc nos ſequi neceſſum eſſet, & hoc nobis in lucro foret; nam & *plebs Judaica* ad *preces* & gratiarum actiones *publicas* (prout in veteri *Eccleſiâ Chriſtianâ* fieri ſolebat)

Funius Animadverſ. pag. 475.

In 1 *Cor.* 14. 15, 16.

Apologet. cap. 39.

* συμμιγὴς ἦχος ἀνδρῶν, καὶ γυναικῶν, καὶ νηπίων, κατὰ τὰς ἐυχὰς θεὸν ἡμῶν δεήσεις ἐκπέμπεται.

Et reſonaturis ferit æthera vocibus *Amen*, neque hoc

(prout

(prout in *Papatu* fit) *minimè intellectas*, quod per contemptum אָמֵן יְתוֹמִים *Amen pupillum* vocitare ſolebant: at tales *pupillos* Pontificii Chriſtianos omnes præter *Sacerdotes* ſuos & *Clericos* faciunt, quos Apoſtolus *non amplius ſub Pædagogo eſſe* pronuntiat. Neque verò hoc populi *Amen* in ſacris officiis *nihili* eſt, imò magni aliquid ſonat. Si minus cum *Judæis* dicamus גָּדוֹל הָעוֹנֶה אָמֵן יוֹתֵר מִן־הַמְבָרֵךְ *majorem eſſe qui reſpondet Amen, quàm qui benedicit:* non veremur tamen cum *Patribus* dicere, quòd benedictionem confirmat; orationem obſignat, adeòque in Sacris Locum ſuum habeat vel populo aſſignandum, qui licèt Amen *reboare* ab *Hieronymo* dicatur, *non* tamen quaſi *boum mugitum*, vel *Graculorum garritum* ſine ratione & intelligentiâ ederent, prout apud *Pontificios Laici*, & ſæpè etiam *Clerici* faciunt, ſed τῷ λογικῷ λατρείαν Deo offerre debent: ad quod neceſſariò requiritur, ut quid *preces* illæ (quibus illud acclamant) in ſe *contineant intelligant*: quod, dum ignotâ linguâ fiant, omninò nequeunt. Hoc exertè affirmat Apoſtolus 1 Cor. 14. 16. quod tamen perfrictâ fronte negant *Pontificii*: quâ in re mira ipſorum impudentia apparet, imò „ hoc luculentum eſt ſpecimen, unde „ diſcimus qualiter & quàm effrœni licentiâ graſſatus eſt Satan in Papatu, „ & quàm impunè eos ludat, ut rectè *Calvinus*. „ In his linguis quas non „ intelligimus *ſurdi* profectò ſumus dixit *Cicero*. *Mutus* utiquè *Sacerdos* eſt, & *ſurdus populus*; mutuò *ſibimetipſis Barbari*, ſi Apoſtolo fidem habemus comm. 11. imò comm. 23. eos quaſi pro *inſanis* haberi dicit qui hoc faciunt, ut non niſi obſtinatè cœci eſſe poſſint, qui poſt totum illud caput perlectum pro re tam abſurdâ, ridiculâ, à tam omni pietate quàm ratione alienâ, quod faciunt *Pontificii*, litigando diſputant. Ad noſtram confirmandam ſententiam parcam argumentis, res ipſa loquitur, clamat Apoſtolus: illius Capitis vel ſola lectio noſtræ confirmatio, Adverſariorum ſatis valida refutatio eſt ſententiæ: ibi enim datâ operâ ſacrorum ſolennium ignotâ linguâ celebrationem perſtringit, densâ argumentorum phalange repellit: ab ipsâ naturâ diſputat v. 7, 8, 9. à Lege v. 21, 22. ab hujus praxeôs inutilitate v. 9, 11, 14. imò & inſaniâ 23. ab Eccleſiæ pace, ordine, praxi, & præſertim ædificatione, quam per totum Caput premit & perſequitur; ipſis hanc in rem optionem ſuam v. 18, 19. propoſitum v. 15. mandatum 12, 13, 26. & ſequentibus proponit, quorum omnium tandem apponit ſanctionem triplicem 1. hanc eſſe *omnium Eccleſiarum praxin* v. 33. 2. *Domini mandatum* authoritate Apoſtolicâ ab ipſo promulgatum v. 37. 3. quæ omnia minando obſignat „ ſi quis ignorat, ignoret, v. 38. h. e. ſuo periculo, nam ſpretâ au- „ thoritate Apoſtolicâ Deum habet vindicem. Contra hæc tam apertè, diſertè, diſtrictè pronuntiata vel hiſcere auſit aliquis? Certè *Cajetano* hæc extorſerunt ingenuam hanc confeſſionem „ Melius ad ædificationem Eccleſiæ „ orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici linguâ communi „ Clericis & populo, quàm dici Latinè: quam *Cajetani* ſententiam formaliter & abſtractè conſideratam veram eſſe fatetur *Eſtius*, ſed non conſideratis (ſi placet) omnibus circumſtantiis. Aſſurgunt tamen audaces nimis Pontificii Θεομάχοι, & contrariam propugnant ſententiam. At quid ad hæc reſpondent interim? Hæc ſcilicet,

1mò. Apoſtolum non id velle ut *totus populus* intelligat, ſed ut is ſaltèm qui

Gal. 3. 25.

De Dieu in 1 Cor. 14. 16.

Ambroſ. in 1 Cor. 14. 16.

Lib. 2. Comment. in ad Galatas.

Rom. 12. 1.

in 1 Cor. 14. 16. Tuſcul. Quæſt.

vel ignorabitur ut V. Interpres habet. Grotius in Locum.

qui vicem populi ſupplet, quem cæteris doctiorem eſſe convenit. Sic *Eſtius inferiorem Miniſtrum*, ſive *Clericum* (quem vocant) intelligit, quem & Paulum intelligere vult in iis verbis „ qui ſupplet (vel potiùs implet) locum Idiotæ v. 16.

At regero,

In locum. 1. Utinam apud *Pontificios* (fortè & alios) uſu non veniret (quod *Eſtius* fatetur) ut ſæpenumerò *Idiota* locum *Idiotæ* ſuppleret, ut *Clerici* iſti non ſint ipſi *indoctiſſimi.*

2. Quaſi verò tempore Apoſtoli *Miſſæ* ſuæ confectus jam fuiſſet *Canon*, & tam manè exorti iſti (quos vocant) *Clerici.* Ad populum Phaleras!

3. Ἰδιώτην δὲ τὸν λαϊκὸν λέγει per *Idiotam Laicum* intelligit ſic *Chryſoſtomus*; ſic *Theophylactus*, *Oecumenius*, ſic alii: at *Clerici* hi ſui non pro *Laicis* ab ipſis habentur, ſed (ipſo fatente *Eſtio*) in *Clerum* aſcripti ſunt: neque eſt quòd ſe adeò *Criticum* exhibeat *Eſtius* (quod quidem in *Scholaſticis* mirum videri debet) ut ἀκυρολογίαν huic *Chryſoſtomi* interpretationi impingat, quaſi phraſis inſolens eſſet, cum Apoſtolus Idiotam ſignificare vellet, per hanc periphraſin (qui implet locum Idiotæ) efferret: Chryſoſtomus enim ſatis Græcè nôſſe exiſtimandus eſt, ut ipſi *Eſtii* (tam accurati jam Critici facti) virga cenſoria minimè metuenda ſit: vel, ſi *Paulum* minùs benè *Græcè* ſcripſiſſe dixerit, ei tamen *Hebraiſmi* bonam veniam dabit, qui *Hebræorum* מלא מקום per ἀναπληρῶν τὸν τόπον expreſſerit, & quidem ad rem aptè ſatis, cum alludit ad loca vel ſubſellia, in quibus in conventibus Eccleſiaſticis Laici ſedebant,* ab iis quæ Doctores occupârunt diſtincta. Per ἰδιώτην ergò *Laicum inter Laicos ſedentem* (ipſo *Bellarmino*† interprete) intelligit Apoſtolus, & non (ut vult *Eſtius*) ejus vicarium. Nam

Grotius in locum.

** Prout in ſcholis Philoſophorum fieri ſolebat.*

† De verbo Dei lib. 2. cap. 16.

4. Non ſolus Clericus unus aliquis, ſed *totus populi*, qui Sacris aderat, *cœtus* antiquitùs ad finem gratiarum actionis hanc ξ Ἀμὴν ἐπιφωνεῖν accinebat, uti ex* *Juſtino Martyre*, *Hieronymo*†, *Tertulliano* ſatis conſtat, præſertim ex Pſal. 106. 48 „ Benedictus Dominus Deus Iſraelis & dicat totus populus Amen Hallelujah.

** Apol. 2.*

† lib. 2. ad Galat.

5. Denique ipſe *Bellarminus* hujus tam ineptæ interpretationis pertæſus hanc non adeò ſolidam ſolutionem eſſe cenſet. Miſſam ergò faciamus.

Secundò. Quænam ergò magis ſolida eſt, cui ipſe cum ſuis tandem inſiſtet? hæc ſcilicet, Apoſtolum in illo capite loqui de *donis* tum temporis *extraordinariis* & *miraculoſis*, de exhortationibus ſpiritualibus, & collationibus, non de Lectione S. Scripturæ vel Divinis officiis, utcunque ergò *illæ linguâ notâ* (ut hîc vult Apoſtolus) fieri debuerant, ut populus audiat & dijudicet: at non eadem ratio *ſacrorum officiorum*, quæ linguâ ignotâ licèt peragantur, tamen cum ſatis cognoſcuntur ab Eccleſiâ comprobata eſſe, *nefas* eſt ut à *populo dijudicentur*, non neceſſe, imò periculoſum eſt ut intelligantur, adeòque ipſis ſatis eſt, ſi *generalem* & *confuſum conſenſum* iis tanquam optimè factis præbeant, dum ipſi ſeorſim preces ſuas privatas vel tacendo vel obmurmurando fundunt, & „ Spiritu orant, quamvis mens eorum ſine fructu ſit, uti illud commatis 14. exponi volunt. En cor *Zenodoti!* En jecur *Cratetis!* En medullam & animam devotionis *Pontificiæ.*

At Reſpondeo,

1. In *Officiis* ſuis *ignotâ linguâ* celebratis nil quidem miraculi eſt, niſi (ut

Juellus

Juellus noſter reponit) quòd aliqui ità inſenſati ſint, ut illis tam ineptis & ridiculis interſint & acquieſcant.

2. Fuerunt quidem illa *extraordinaria* & *miraculoſa noſtra non* item: at *utrorumque* quoad *hoc eadem* & communis eſt *ratio*; & ipſiſſima argumenta, quæ affert Apoſtolus ne *illa linguâ ignotâ* celebrarentur pari ratione, ſi non fortiore, militant contra *noſtra* jam Sacra *linguâ exoticâ* celebranda.

3. Loquitur in aliquâ parte illius capitis Apoſtolus de *exhortationibus* & *collationibus*: at quis eas è numero *Divinorum officiorum* ſolennium in Eccleſiâ jure eliminaverit?

4. Ut loquitur etiam ibidem de *orationibus*, *hymnis*, *gratiarum actionibus* vel *benedictionibus* v. 14, 15, 16. An verò & hæc è *Divinorum officiorum* cenſu eximet *Bellarminus*? cum frater ejus ſenior Jeſuita *Salmero* (reclamantibus quidem *Eſtio* & C. *à Lapide*) adeò multis probare nititur illam εὐχαριστίαν (de quâ ibi Apoſtolus) ad *Euchariſtiam*, ad *Miſſæ ſuæ* celebrationem pertinere. At omnia cum audeat *Bellarminus*, & hoc quoque. Sed quâ fronte? quo argumento? nimirum quia iſtæ gratiarum actiones & benedictiones erant *cantica ſpiritualia* per *donum linguarum linguâ extraneâ prolata*; at *Divina officia Græcis Græcè*, *Hebræis Hebraicè* celebrata erant. Optimè. Ergò ipſo Auctore *Bellarmino* fatente, Divina officia in primâ illâ Eccleſiâ linguâ vernaculâ celebrata erant, quod quidem fateri non ægrè ferunt *Hardingus*, *Le Deſma*, alii. Obtinuimus ergo! Quid igitur eſt, quod jam linguâ ignotâ celebrari volunt?

Annon etiam *Orationes* & *Benedictiones* illæ *Divini cultûs officia* ipſis fuerunt? Quid etiam ſi hymni illi & Cantica ad *finem Sacræ Cœnæ*, adeòque inter *officia Divina* canebantur, quod ex *Tertulliano* ſatis luculenter probat *Junius*? Annon eâdem ratione noſtra jam *officia linguâ vernaculâ* celebranda, quâ *Cantica illa cani* vult Apoſtolus?

Num enim *officiis* ab *Eccleſiâ approbatis* implicita fides magis habenda eſt quàm verbis & orationibus *immediato S. Spiritûs afflatu* ſuppeditatis? ut de *his dijudicare opus* eſſet, de illis *nefas*. Ut neceſſe ſit hæc, quæ ſint, intelligamus, illa verò cœcâ fide devoremus. Illud, illud utique eſt quod volunt, ut *Clerus* ſuus pro ſolâ Eccleſiâ habeatur, qui tyrannidem in populum *Chriſtianum* impunè exerceat, quem à Sacrorum conſortio vel quid in eis dicatur vel agatur intellectu arcerent, ut quicquid eis ſuperſtitioſi Idololatrici inſit, non magis ignotæ linguæ quàm ignorantiæ velo obtectum deliteſceret; ſicut apud Paganos quibus (ut loquitur Ambroſius) velantur oculi, ne quæ ſacra vocant perſpicientes, variis ſe vanitatibus cernant illudi: „ omnis enim impoſtura tenebras petit, quæ ideò linguis canitur, quia pudoris eſt, ſi reveletur. *In 1 Cor. 14*

QUÆST. XXXVII.

Verbum Dei externum eſt ordinarium medium converſionis ad ſalutem.

UT apud Hebræos דָּבָר ſic apud Eccleſiaſticos Scriptores Latinos *Verbum Rem* aliquoties ſignificat. At hîc contra diſtinctè ad res alias converſioni inſervientes ponitur, & *verbum Dei* propriè dictum denotat.

At cum *externum verbum* dicit, id primò diſtinguit à *Verbo Dei eſſentiali*, *Chriſto* ſcilicet, qui, ut *Mediator* verè dicatur, Converſionis tamen non tam propriè *medium* dicitur quàm *cauſa primaria efficiens* & *meritoria*. Sed ſecundò & præcipuè à *verbo interno*, quod jactitant *Enthuſiaſtæ* (contra quos inprimis inſtituitur hæc controverſia) per quod, ſi internam Spiritûs S. operationem intelligant, non eò audaciæ provecti ſumus ut in eum adeò blaſphemè peccemus, quin eum converſionis noſtræ non ita propriè item *Medium* (hoc minùs eſt) ſed *Authorem* immediatum internum agnoſcamus. Sed verbum extra nos, quòd ideò externum vocamus, ſcilicet in Sacrâ Scripturâ exaratum, à nobis vel lectum, vel præcipuè ex prædicatione auditum, vel quovis alio modo promulgatum, idque verbum vel Legis vel Evangelii.

De converſione nihil dicam, cum ex ſe ſatis conſtet; illud tantùm apponendum, quòd hoc non ſolùm de *primâ* ad Deum *converſione*, ſed de *toto* etiam pietatis & *gratiæ curſu* ad æternam ſalutem uſque intelligendum eſt.

Hujus converſionis hoc verbum *Medium* eſſe dicit, & cautè quidem, non *cauſam efficientem* propriè vel ſaltèm phyſicè *converſionem* ex ſe vel ſuâ vi *efficientem*, ſed *eo mediante*, ut cauſa prima agit mediante ſecundâ: vel ne ſic quidem. Cauſæ enim ſecundæ *propriè* cauſæ efficientes & conſtituentes effecti dici poſſunt: ſed *talis* cauſa converſionis *verbum* hoc *non* eſt: ſed ut medium, modum, occaſionem, conditionem, vel in genere τὸ πρός τι ſignificat; ſic hîc verbum *medium* dicitur, quale *Bonaventura medium congruentiæ* vocat, *Gabriel congruitatis*, *Gerſon medium deducens*.

Lib. 3. diſtinct. 2.
Lib. 3. diſt. 2. q. unicâ artic 1.

Cum denique medium *ordinarium* eſſe dicit, ordinarium id apud Juriſconſultos dicitur, quod rectè atque juris ordine, communique jure fit, vel uſitatum *, in quo ſervatur ordo: ſic *ordinaria conſilia* apud *Livium*: *ordinarium officium* apud *Senecam*: *ordinarii* etiam & legitimi *pugiles* apud *Suetonium*: *ordinaria* denique *judicia* apud Juriſconſultos, cum uſitatus & legitimus ordo, formulæque agendi & litigandi obſervantur; ad differentiam arbitraliium (ut loquuntur) atque etiam extraordinariorum, quæ ad certa perſonarum, rerum vel negotiorum genera extra ordinem reſpiciunt, quibus aliquo remedio ſubvenitur; ut Lex ordinaria quicquid jure ſcripto eatenus ſcriptum eſt ut ſit certa generalis uniformis Lex actus humanos generaliter obligans. Duo ergo hæc vox ſignificat 1. quod *uſitatò* & *frequenter* fit. 2. quod fit *ex inſtituto*, *jure* vel *lege communi*. Adeòque cum affirmat Theſis *verbum Dei* ſenſu prædicto *externum* eſſe *converſionis medium ordinarium*, hoc vult, eſſe nimirum *medium converſionis*, quo mediante *ex Dei inſtituto* vel *ordinatione*

**Tractat. 5. ſuper Magnificat.*
Vide Calvini Lexicon. Calepin.

dinatione uſitatò & ex lege communi & *primò* ad Deum *convertimur*, ac deinceps per *gratiam* ad *gloriam* tandem deducimur.

Ad cujus ſententiæ ſenſum porrò adhuc magis ſtatuendum ejuſque ſtatuminandam veritatem, ſequentes iſtæ concluſiones inſerviant.

Cum *ordinarium* (uti jam diximus) id ſignificet, quod *uſitatò* & *frequentiùs* fit, & *extraordinario* opponatur quod rarò evenit; Concedimus *Converſionem extraordinariè* aliquoties fieri poſſe *ſine verbo externo*, ſaltèm per Miniſtrum externum promulgato. Quamvis enim Apoſtolus Rom. 10. 14. dicat, „ Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo autem au- „ dient abſque prædicante? id tamen de *ordinariâ*, quâ in hominibus convertendis methodo Deus utitur intelligendum eſt. At quis *Deum* in *ordinem cogere* auſit, vel ipſi manus ità ligabit, ut extraordinarium ex ſe, & per ſe efficere non poterit? Cum enim de ratione *perfectionis* ſit (ſecundum *Aquinatem*) ut vel *nullis* vel pauciſſimis opus habeat *inſtrumentis*, manifeſtò conſtat Deum (cum abſolutè *perfectiſſimus* ſit) nullis inſtrumentis ad opus ſuum peragendum indigere, ſed *omninò independenter* ſe habere ut in *eſſe*, ità etiam & in *operari*, & qui per eſſentiam ſuam immediatè operatur, quoad poſſe ejus mediis non alligatur. Sic tacente Chriſto *virtus* ex eo ad hæmorrhoiſſam *ſanandam* exiit: Sic *Johanni* in inſulâ *Patmo* exuli (ſine *homine Interprete*) facta *Revelatio*. Sic *Paulus* antequam ad *Ananiam* miſſus erat, ipſo *Chriſto cœlitùs concionante* ad Deum *converſus* eſt. Ne verò *Enthuſiaſmis* nimis favere videamur, quod *Remonſtrantes* hâc in re nobis falsò impingere volunt, hoc *extraordinarium* eſſe dicimus, quod licèt fieri poſſe, imò & aliquando rarò atque extra ordinem actu fieri concedamus, nil hoc tamen impedit, quin *Verbum externum*, ejuſque *Miniſterium* ſit converſionis *medium ordinarium*, hoc eſt quatenus ordinarium *frequentiam* denotat. 1.

P. Martyr, & Pareus in Locum.

Marci. 5. 30. Apoc. 1. 9. &c. P. Martyr. in 1 Cor. 3. 6.

Secundò etiam quatenus deſignat *Dei ordinem* vel *Inſtitutionem*, quæ ab ejus *Providentiâ* diſcriminanda eſt; nam quoad Dei *Providentiam*, præter verbum hoc, *res plurimæ* ſunt, imò *res omnes* eſſe poſſunt, quibus ad *Converſionem* efficiendam (idque crebrò atque eo ſenſu ordinariè) Deus *occaſionaliter* & *objectivè*, tanquam *mediis* & motivis uti imò & abuti poteſt. Sic aliqui „ per uxorum converſationem abſque verbo lucrifieri poſſunt 1 Pet. 3. 1. Sic *inedia prodigum* ad domum patris mittit. „ Sanguis Martyrum ſemen Eccleſiæ fit: ab ipſo *peccato*, ejuſque *atrocitate*, neque à ſolo verbo externo, ſed ex ejus *defectu* & carentiâ, ſeriâque horum omnium *conſideratione* initium aliquoties ſumit peccatoris converſio Pſal. 119. 59. quæ tamen omnia minùs propriè Converſionis *media* dici poſſunt, nedum ordinaria; vel ſi hoc etiam dici poſſit, quoad frequentiam, non tamen quoad Dei inſtitutionem, vel ſi & hoc dicatur quoad inſtitutionem generalem, quâ *omnia* ex Dei Electione & Decreto electis in *bonum operantur* Rom. 8. 28. non tamen ex *particulari* eâ ad hoc *deſignatione*, quâ *Verbum Converſionis medium* eſſe conſtituitur. 2.

Medium rectè dicimus, quo *mediante*, vel etiam *inſtrumentum*, cujus *Miniſterio* Deus in convertendo peccatore utitur. Sic Johannis 15. 3. „ Jam mundi eſtis διὰ τὸν λόγον propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Joh. 17. 17. „ Sanctifica eos ἐν ἀληθείᾳ in veritate Epheſ. 5. 26. „ mundans „ eam lavacro aquæ ἐν ῥήματι in verbo vel per verbum, tanquam *per medium*,

vel *inſtrumentum*, non ex ſe vel vi propriâ hujus operis productivum: cum enim Converſio vel Regeneratio *creatio* ſit, & *verbum* in ſe præcisè ſumptum *creatura* ſit, *creare* vel creationis hujus cauſa efficiens propria & primaria eſſe *nequit*: hoc Deus Creator tanquam ſibi proprium vendicat: unde *Beza* locum illum ad *Epheſios* ità cautè reddit, *ab eo* purificatam lavacro aquæ per verbum, ut illud ſcilicet oſtenderet quod licèt his adminiculis in nobis ſanctificandis utatur Deus, rem ipſam tamen ipſe ſolus & in ſolidum efficit. Non quiſquis externum verbum audit, ſed „ qui audivit à Patre & didicit, „ venit ad me dicit Servator noſter Joan. 6. 45. nam „ valde remota eſt à „ ſenſibus carnis hæc Schola, in quâ Pater auditur, & docet ut veniatur ad Filium, ut *Auguſtinus*. Poſt *omnem* cum *lenitate eruditionem* præſtolandus eſt Deus, num is aliquando *daturus* eſt *reſipiſcentiam* 2 Tim. 2. 25. Verbum quidem *ſemen* 1 Pet. 1. 23. at *Spiritus* in hoc ſemine is eſt, qui illud *prolificum* reddit. *malleus* Jer. 23. 29. *gladius anceps* eſt Epheſ. 6. 17. At *Brachium Domini revelari* debet Iſa. 53. 1. ſi *contritum* reddat, ejuſque præputium reſecet: Evangelium potentia; at *Dei potentia* eſt *ad ſalutem* Rom. 1. 16. ejus Miniſtri dicuntur „ peccatores convertere à tenebris ad lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum Act. 26. 18. ob concomitantem vim Spiritûs, eorum tamen optimi *in ſe* conſiderati planè *nihil* ſunt 1 Cor. 3. 7. *Pelagianum* utique atque deteſtandum eſt illud *Vitalis Carthaginenſis* dogma apud *Auguſtinum*, quod ſtatuit Deum velle & perficere operari non niſi per verbum ſuum & Scripturas ſuas, quas vel legimus vel audimus; ut & illud *Cæleſtii*: „ Gratiam Dei in libero arbitrio eſſe, vel in Lege & doctrinâ, juxta illud Iſaiæ Legem Deus in adjutorium poſuit, „ ad hoc tantum Deo adjuvante, ut „ diſcamus quæ facere & ſperare debeamus, quod hæreſi *Pelagianæ* tribuit Auguſtinus Hæreſi 88. ubi diſertim dicit ſolam requiſiviſſe *gratiam doctrinæ*, hoc eſt (ut *Hieronymus* dicit) Legis præcepta. Atque hinc eſt quòd adeò in Scriptis ſuis liberum arbitrium & Legem laudibus efferunt; in quibus nimis peccant etiam *Remonſtrantes*, qui licèt internum Spiritûs opus ad converſionem neceſſarium eſſe aſſerant, at non item gratiæ infuſionem, quin verbum ità tempore & modis congruis proponi poſſit, ut ſuaſione morali convertere poterit: cum ipſe *Bellarminus* nobis ſaniora ſuadeat de gratiâ & lib. arbitr. lib. 6. cap. 15. ſed longè optima *Auguſtini de gratiâ Chriſti* cap. 24. eſt ſententia, ubi hæc habet „ Legant & intelligant, intueantur & fateantur, non Lege atque doctrinâ inſonante forinſecùs, ſed internâ atque occultâ mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates. *Verbum* ergò *Converſionis* non eſt cauſa primaria efficiens, ſed *medium* vel *inſtrumentum ſubſerviens*: hoc tertium erat.

Vide Bezæ Annot. in Locum.
Vide Calvinum in Locū.
Cartwright in Locum.
De Prædeſt. Sanct. c. 8.
Spiritus S. operatur intrinſecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinſecus.
Ameſii Coronis pag. 206 207.
Epiſt. 107.
Definit. cap 3.
Hieronym. ad Cteſiphontem.
Vide Corvinum contra Molinæum. cap. 36.

4. Ac proinde quartò inſtrumentum *ſeparabile* eſt, ut debitè licèt promulgetur verbum, non continuò ſemper ſequatur Converſio. Hoc ubique teſtatur S. Scriptura, cum ex quatuor *terræ* generibus, quæ *ſemen* verbi excipiunt *unicum* ſolùm *fructum fert ad ſalutem* Matth. 13. ſunt qui conſilium „ Dei adverſus ſemetipſos aſpernantur Luc. 7. 30. qui „ ſermonem Dei „ repellunt Act. 13. 46. quibus „ odor eſt non vitæ ad vitam, ſed mortis ad „ mortem 2 Cor. 2. 16. Neque diffitentur hoc ipſi *Remonſtrantes*. Quamvis enim ut dogma illud ſuum de *ſufficienti auxilio omnibus dato ad ſalutem* ſtatuminent:

minent, Spiritum internum cum verbo externo ſemper (in *primâ* ſaltem ejus *promulgatione*) conjunctum eſſe enixè, at fruſtrà & contra quotidianam experientiam contendant, fatentur tamen auditorum vitio & obſtinatione verbum ſæpiſſimè inutile reddi, ac proinde Converſionis inſtrumentum eſſe ſeparabile.

Quintò cum Deus in *convertendo* peccatore partim *moraliter* agit *ſuadendo, partim* & præcipuè *Phyſicè gratiam infundendo* (quorum illud ſolum fatentur, hoc verò negant *Remonſtrantes*) in *morali* & *ſuaſoriâ* illâ operatione verbum hoc ejuſque Miniſterium *medium* vel *inſtrumentum* eſt *activum*, cùm vel tonitru ſit, quo peccatores terret, vel ipſa ſuada, quâ allicit, ſibilus paſtoris, quo palantes oves ad caulam vocat juxta illud Apoſtoli 2 Cor. 5. 19, 20. „ Poſuit in nobis verbum reconciliationis, itaque nomine Chriſti „ legatione fungimur, & velut Deo vos rogante per nos, oramus Chriſti no- „ mine, reconciliamini Deo. 5.

At in *Phyſicâ* illâ gratiæ *infuſione*, quæ *Creatio* eſt, in quâ Deus inſtrumentis nec opus habet nec utitur, *verbum externum propriè inſtrumentum* vel *medium* dici non poteſt, niſi quatenus aliquid (ſatis impropriè) *inſtrumentum paſſivum* dicitur: ad cujus ſcilicet præſentiam, ſine omni tamen ejus propriâ in hoc influentiâ, aliquis per ſe in ſolidum id operatur & efficit; ut „ loquente Petro illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant ſermonem. Act 10. 44.

Verbum hoc externum eſt *Lex* & *Evangelium* quæ partitis operis & ſubordinatè ad converſionem efficiendam adhibentur, ut rectè *Arminius*. Lex *præparatoriè* & diſpoſitivè, quatenus *peccatum detegit* Rom. 3. 20 *pœnam* & *mortem* minatur 2 Cor. 3. 7. Gal. 3. 10. atque ità *pædagogus noſter eſt ad Chriſtum*, non ſolùm reſpiciens (uti Beza illud vertit) ſed & deducens, imò & impellens. 6. *Theſi* 42.

At Evangelium *conſummatoriè*, quatenus *viam ad ſalutem clarè oſtendit*, cujus neceſſitatem tantum Lex ſubindicavit, at exhibere non potuit Act. 13. 38, 39. quatenus etiam per ejus miniſterium Deus converſionem actu operatur, undè *miniſterium Reconciliationis* dicitur 2 Cor. 5. 18. *juſtitiæ* 2 Cor. 3. 9. *Spiritûs* v. 8. i. e. „ per quod Deus Spiritum offert, adeòque „ inſinuat; *Bezâ* interprete, vel „ quod vim Spiritûs adjunctam habet juxta *Piſcatoris* Paraphraſin; nam „ Spiritum accipimus per auditum fidei Gal. 3. 2. Verbum *ſemen* illud *immortale* eſt, ex quo regignimur 1 Pet. 1. 23. at verbum illud eſt τὸ ῥῆμα εὐαγγελισθὲν *per Evangelium* ſcilicet *nobis annuntiatum* v. 25. „ quo nos vocavit per Evangelium noſtrum dixit Paulus 2 Theſſ. 2. 14. nam quatenus *Evangelii* Præco fuit, „ ut converteret homi- „ nes à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum miſſus eſt Act. 26. 18. Lex enim peccati viam (quò minùs cœptum in eâ curſum perageremus) nobis obſtruit; at ſola Evangelii vox ſuada & πειθανάγκη illa eſt, quæ animam capit, atque ad Deum convertit, rapit, vel fortiter licèt, ſuaviter tamen trahit, allicit. Lex *ventus ille vehemens, commotio* & *ignis* eſt, in quibus tamen *Deus non eſt*: at Evangelium קוֹל דְּמָמָה דַקָּה *Sibilus auræ tenuis*, quo Deus cor blandè alloquitur, & trahit in obſequium. *Vox ſilentio tenuis Jun.*

Utrumque hoc verbum hoc efficit quocunque demùm modo promulgatum. De verbo *prædicato* magis apertè conſtat, cum Apoſtolo teſte „ Fides 7.

1 *Pet.* 1. *ult.* „ſit ex auditu Rom. 10. 17. & „placuit Deo per ſtultitiam prædicationis „ſalvos facere credentes 1 Cor. 1. 21. De *lecto* quidem non deſunt aliqui, qui an primæ Converſionis inſtrumentum ſit dubitant: ſed immeritò, cum ex Sanctorum quorundam experientiâ conſtet. In hoc quidem negotio primas verbo *prædicato* deferimus, utpote tum quoad tempus utriuſque Teſtamenti ſcriptioni *præcedaneo*, tum ex Dei inſtituto hujus converſionis inſtrumento *magis ordinario*, quo ſolo in ſenſu fides & ſalus ei tanquam medio unico in Locis jam laudatis tribuuntur. Cum verò ex *re ipſâ promulgatâ* fides oritur, non *alicui* eam promulgandi *modo* alligatur. Cum etiam hæc in Sacrâ Paginâ occurrunt „Scrutamini Scripturas quia vos putatis in ipſis vi„tam æternam habere Joan. 5. 39. „Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, & „credentes vitam habeatis Joan. 20. 31. „Sacræ literæ te poſſunt ſapien„tem reddere ad ſalutem 2 Tim. 3. 15. & hujuſmodi alia, quæ fidei ingenerandæ efficaciam, adeò *Lectioni* (quæ *Scripturæ* correlatum eſt) attribuant: cum denique *Rex Iſraelis* in mandatis habuit ut „in Libro Legis omnibus diebus „vitæ ſuæ legeret Deut. 17. 19. atque ex ejus lectione *Joſias* pœnitentiam egit, unàque cum eo populus *Iſraeliticus* cum Deo *fœdus pepigit* 2 Regum cap. 22. & 23. nil dubii eſt quin *verbum lectum converſionis medium* ex Dei inſtituto eſſe poterit.

Vide Cartwrightum in præfat. ad Teſtamentum Rhemenſ.

Apoc. 1. 3.

Cap. 22. 9, 10, 11. *Cap.* 23. 2, 3.

8. At non *verbum externum*, ſeu lectum ſive prædicatum, ſi *verbo interno* & *S. Spiritûs operatione internâ* deſtitutum. Hoc priùs probavimus. Ergo hîc miſſum facimus.

9. Nono igitur (quod hujus controverſiæ medullam pertingit) non *verbum internum* (quod crepant Enthuſiaſtæ) ità ab *externi verbi miniſterio* ordinariè, ab ipſo verbo omninò ſeparatum, nedum ei contrarium, ut vel *externum verbum* ejuſque *Miniſterium abroget*, vel (neſcio quæ) myſteria ei *contraria* excudat: quod utrumque impio & immani auſu moliuntur Enthuſiaſtæ.

1. Non ut *contraria verbo* externo expromat vel effutiat. Cum enim Sanctus Spiritus in Sacrâ Scripturâ loquatur, & Spiritus veritatis ſit, ſibi ipſi contradicere nequit. „Dilecti ne cuivis Spiritui credite, ſed probate Spiri„tus an ex Deo ſint; nam multi Pſeudoprophetæ venêrunt in mundum monente Apoſtolo 1 Joh. 4. 1. „Ad Legem & ad Teſtimonium, quòd ſi „non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux; vel (ut alii reddunt) non eſt eis lucis ſcintilla Iſa. 8. 20. prout priùs *Moſes*, „Si Propheta „aliquis ſibi arrogaverit eloqui aliquid in nomine meo quod non præcepe„ro ei eloqui, aut qui eloquetur in nomine Deorum alienorum, ne acquie„ſcito illi, neque auſcultato illi, neque parcito oculus tuus illi, neque cle„mentiâ utitor, neque celato illum, ſed omnino occidite illum Deut, 13. & 18. Hæc & hujuſmodi Teſtimonia alia manifeſtè oſtendunt *externum Dei verbum* jam in Sacrâ Scripturâ exaratum *Canonem*, Regulam, *Lydium lapidem* eſſe, ad quem doctrinæ omnes (Spiritum licèt crepent) exigendæ ſunt: adeòque *rejiciendæ* omnes, quæ ei *contrarium* aliquid venditant.

2. Ac proinde ſi externum illud verbum, ejuſque Miniſterium *abrogare* ſatagant: quod imprimis agunt *Enthuſiaſtæ*, cum Deus contra hæc ſemper in Eccleſiâ vigere uſque ad *conſummationem ſeculi* voluit Matth. 28. 20. Epheſ. 4. 11, 12, 13. Nunquam hîc abolenda, nunquam à *Spiritu* quovis excludenda, ſed cum eo ſemper *conjungenda* Iſa. 59. 21. Rectè *Corvinus*, „ut

verbum

„ verbum non eſt efficax ſine Spiritu, ſic Spiritus non eſt efficax ſine verbo, „ ſi modò ordinariam gratiæ & Evangelii οἰκονομίαν ſpectemus. Imò ſi quando extra ordinem Spiritus ſine externo verbi miniſterio gratiam in aliquibus operatur, non tamen *ſine verbo* hoc agit, ſed id ipſum verbum de peccato, irâ Dei, ejuſque in Chriſto miſericordiâ & Redemptione quod Scriptura loquitur, quod Miniſter ordinariè concionatur, illud ipſum (inquam) Spiritus Sanctus vel immediatè inſpirat, vel aliis (prout ipſi viſum eſt) mediis applicat, ut idem prorſùs ſit Spiritûs & verbi opus; variis tantùm in externi Miniſterii defectu adminiſtrandi, applicandi & operandi modus & ratio. *Contra Tilenum pag.* 454.

Reſtat itaque ultima Concluſio (quæ ipſa Theſis eſt) ut *verbum Dei externum* ſit *ordinarium converſionis medium*. Quod porrò conſtat ex 10.

1. Diſerto Pſalmiſtæ Teſtimonio. „ Lex (vel Doctrina) Domini im„ maculata (vel integra) eſt, convertens animam Pſalmo 19. 8. ubi תּוֹרַת *Lex* vel *Doctrina verbum externum* in toto ſacro Codice exaratum denotat; quam *animam convertere* dicit. Quamvis enim in verſibus prioribus oſtenderat totum humanum genus ſatis ex libro creaturarum, & à „ mutis illis „ Magiſtris doceri de unico Deo; cum tamen non „ eouſque deducunt „ homines, ut veram pietatem perdiſcant: in hoc commate & ſequentibus ad ſuperiorem verbi revelati ſcholam aſcendit, quæ ex Dei inſtituto hoc præſtet, & *animam convertat*. Agnoſco quidem phraſin illam מְשִׁיבַת נָפֶשׁ *Vide Calvinum in Locum.*

ſæpiùs in Sacrâ Paginâ (Ruth 4. 15. Pſal. 23. 3. Threnorum cap. 1. 11, 16, 19. corporis vel animæ *refocillationem* denotare; de quâ Locum iſtum interpretantur *Calvinus*, *Piſcator*, *Rivetus*, alii noſtri, ut non ſignificet *errantem reducere*, ſed *refocillare* & *reficere languentem*; atque „ eos nimis argutè phi„ loſophari putat *Calvinus*, qui locum de pœnitentiâ & reformatione ho„ minis exponunt, in quam tamen ipſe poſtea in ſuâ expoſitione delabitur, neque hanc animæ conſolationem ſine ejuſdem converſione haberi poſſe fatetur. Hanc Converſionem verba in priore parte commatis ἀνατολεξεὶ loquuntur: hanc ſequentia ibi verba („ Teſtimonium Domini fidele, ſapientem efficiens ſimplicem) ἐξηγητικῶς explicant; De hâc Locum interpretantur *Auguſtinus*, *Hieronymus*, *Janſenius*, *Muis*, alii: hanc non excludi volunt eorum qui priorem expoſitionem ſequuntur aliqui. *Pſal.* 35. 17. *Job.* 33. 30. *Prov.* 25. 13. *Mollerus*, *Ainſworth.*

2. Hoc etiam conſtat ex *Epithetis*, quæ *verbo* huic *externo* paſſim tribuuntur in Sacrâ Paginâ: *Sibilus Paſtoris* eſt, quo oves palantes in ovile revocat ſummus Paſtor Zech. 10. 8. Johannes *vox clamantis* erat Johan. 1. 23. „ ut „ multos filiorum Iſrael converteret ad Dominum Lucæ 1. 16. Quatenus peccatores nondum regeniti ſunt, verbum Evangelii „ immortale ſemen eſt, „ quo ad vitam gignuntur 1 Pet. 1. 23. 25. λόγος ἔμφυτος eſt, quo arbor (in quam inſeritur) tranſeat in naturam ſurculi; Jacobi 1. 21. Quatenus famelici ſumus, *Miniſtri* verbi κλήτορες & (ut Latini loquuntur) *vocatores* ſunt *ad convivium* Matth. 22. 3. Quatenus Dei *hoſtes* ſumus, *Feciales* ſunt, „ qui Chriſti nomine ut Deo reconciliemur nos orant 2 Cor. 5. 20. quatenus in peccato & *Diaboli laqueo*, ſomno, morte ſepulti jacemus, ut *Petro* olim *galli cantus*, ut *Lazaro quatriduano* & *jam olenti* vox *Chriſti* ſunt, quâ expergiſcimur 2 Tim. 2. 25, 26. quæ omnia *Converſionis medium ordinarium* indigitant. *Verbum aureus imber eſt, in quo S. Spiritus in animas defluit.* *Flac. Illyric. Johan.* 11. 39, 43, 44.

3. Idem

3. Idem probatur ex *fine* Miniſterii Apoſtolorum & reliquorum Paſtorum Evangelicorum, qui „ad hoc à Chriſto miſſi ſunt, ut hominum ape„riant oculos, eoſque convertant à tenebris ad lucem & à poteſtate Sata„næ ad Deum Act. 26. 18. En *Converſionem* tanquam *finem!* En *verbi Miniſterium* tanquam *medium à Deo ordinatum*, ac proinde *ordinarium*.

Quartò & ultimò, hujus ratio ſumitur ex Dei bonitate Philanthropiâ & Sapientiâ; unde fit ut ad homines convertendos verbum, ejuſque per homines Miniſterium adhibeat, & cum hominibus more humano agat.

Primò, quòd non propriâ & immediatâ ſui præſentiâ, Majeſtate & allocutione nos percellat, quod deprecabantur Iſraelitæ Exod. 20. 19. ſed hominum ὁμοιοπαθῶν, nobiſque per omnia ſimilium miniſterio & loquelâ utatur, quod *Elihu Jobo* gratioſè indultum deprædicat. Jobi 33. 6, 7.

Secundò, Quòd per homines non *vi cogat*, ſed *verbo ſuadeat*, alliciat; quamvis enim in homine convertendo Deus omnipotenter agat, & gratiam *infundat*, non tamen perſeveranter invitum trahit; ſed ut *anima creando infunditur*, & *infundendo creatur*, ſic in placidâ gratiæ & Evangelii οἰκονομίᾳ *Gratia infundendo ſuadetur*, & *ſuadendo infunditur*: atque ità *verbum externum* fit *converſionis medium ordinarium*.

Quæst. XXXVIII.

Indulgentiæ Pontificiæ non nituntur verbo Divino.

Eccleſ. Anglican. Artic. 22.

Plenariæ Chriſti pro nobis ſatisfactioni *Sociniani* blaſphemè nuntium remittunt, *Pontificii* detrahunt. Cum enim antiqua Eccleſia dum lapſis quò ſibi offenſæ ſatisfieret ſeveriores pœnitentias injunxerat, ſeriò interim pœnitentibus pro ſuâ *indulgentiâ* id eſt *facilitate* & *condeſcenſione* (*Bellarmino* hujus vocis interprete) quò meliùs ferendo eſſent, aliquid de injunctarum pœnitentiarum vel aſperitate vel diuturnitate benignè relaxare ſolita erat: *Pontificii* tandem ex perverſâ maternæ hujus indulgentiæ imitatione, poſt culpas remiſſas, pœnas à foro pœnitentiali impoſitas (imò (ſecundùm *Bellarminum*) & imponendas) licitatoribus quibuſvis redimendas expoſuerunt, precio ſcilicet viliori, eoque non ſolùm ab *ipſis peccantibus*, ſed & ab *aliis*, parariis ſuis, ſolvendo, idque ut non tantùm *Eccleſiæ offenſæ* ſatisfieret, ſed (ut loquitur *Greg de Valentiâ* & cum eo reliqui) pro *pœnis judicio Dei debitis*; juſtitiæ inquam Dei, idque (ut *Soto* vult) *ex condigno*: Hinc *Indulgentiarum* harum novarum, (quas Theſis *Pontificias* vocat) & res & Nomenclatura, earumque ſordidiſſimæ turpiſſimæ Nundinationes, quarum impoſturam ſimul & pondus ſenſerunt priora ſæcula. Cum verò ſub *Leone decimo* omni ſemoto pudore & moderatione prorſus importabile evaſit: *Luthero* primùm, & cum eo aliis ità ſtomachum commovit, ut cum *Indulgentiis* iſtis totius etiam *Papiſmi* ſarcinas humeris excuterent, nunquam ſperamus denuò imponendas; ut meritò *Bellarminus hanc ſui ſæculi primam controverſiarum* fuiſſe dixerit, quam vel eo nomine animoſius depugnare nos oportet, utpote quòd ab eâ initium ſumpſit prima tum turris *Babylonicæ* ruina, tum Eccleſiarum noſtrarum *Reformatio*.

De Indulg. lib. 1. cap. 1.

In Præfat. ad lib. 1. de Indulg. & lib. 2. cap. 1.

Quò

Quò magis verò (ut Apoſtolus loquitur) νομίμως ἀθλήσωμεν, quænam adverſariorum hâc de re ſententia ſit videamus: in quâ explicandâ ferè toti hodiè erimus, cum ejus vel ſola recitatio ſatis ampla refutatio eſſe poterit. *Tridentini* quidem *Patres Indulgentiarum* ſuarum *abuſus* diffiteri non auſi ſunt, quos ad *Papam* (ad Græcas ſcilicet Calendas) emendandos remittunt: earundem tamen *uſum* tanquam Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum in Eccleſiâ retinendum eſſe docent & præcipiunt, contràque ſentientes Anathemate damnant Seſſ. 25. At quales hæ *Indulgentiæ* ſint, ex quibus conſtent, quibuſque fundamentis innixæ fuerint, paucis diſpiciamus. 2 *Tim.* 2. 5.

1. Communiter fatentur *Chriſtum* pro totâ *culpâ* ſatisfeciſſe, quamvis non deſint interim *Indulgentiarum* ſuarum formulæ aliquot, in quibus vênum proſtat tam *culpæ* quàm *pœnæ* relaxatio.

2. Diſtinguunt inter *merita* & *ſatisfactiones*, ut operibus *mereamur* vitam æternam *pro nobis* ipſis *ſolis*, at iisdem *ſatisfaciamus* etiam pro *aliis*. Sic *Roſſenſis*, *Valentia*, & imprimis *Bellarminus* de Indulg. lib. 1. cap. 2. Euge acumen Jeſuiticum! ac ſi qui pro alterius *debito* creditor *ſatisfaciat* non inde *mereretur* ut ab ejus nexu liberetur.

3. Ad *pœnas* quod attinet, poſt *remiſſam* per Chriſti ſanguinem *culpam*, manere tamen *pœnas* aliquas ab ipſo *peccatore*, vel homine aliquo altero ejus vices gerente luendas.

4. *Pœnas* has *æternas* Dei juſtitiæ debitas in *temporales* mutari volunt vel ab *ipſo reo* ſponte ſubeundas, vel à *foro pœnitentiali* injungendas, eaſque vel in *hâc vitâ*, vel in *Purgatorio* ſolvendas, atque hæc *prima*, per *Dei indulgentiam* fit *commutatio*.

5. Sed per *Eccleſiæ Indulgentiam* eſt etiam *ſecunda* altera: nam cum pœnitentiæ vel in hâc vitâ irrogatæ, aut ſaltèm ſecundùm Canones irrogandæ, valdè aſperæ & diuturnæ eſſe debeant, pœnæ ſaltèm Purgatorii longè adhuc graviores & diuturniores eſſe perhibeantur, nilne indulgentiſſimo Patri reliqui manet Indulgentiarum quò miſeris hiſce ſub graviſſimis & diutinis iſtis pœnis laborantibus & tantùm non fatiſcentibus aliquatenùs ſubvenire poterit? imò non ſolùm ultrò occurrit benignus *pater* languenti *prodigo*, verùm inſuper pro *paſtorali ſuâ curâ* (ut *Klingius* loqui amat) vel (ut *Bellarminus*) pro *paternâ lenitate* peccatorem nil tale cogitantem, nedum curantem vel forſan etiam efflagitantem ſumma & (de quâ nos jam propriè agimus) *Indulgentiâ* impertit & per *Indulgentiarum* ſuarum buccinatores & concionatores Quæſtuarios ſecundam (quæ in rem eorum erit) tantùm non obtrudit *commutationem*, ſi non *prece*, ſaltèm *pretio*, coëmendam, eamque duplicem, 1. *rei* unam, quâ pœna illa *æterna*, quæ (priùs uti diximus vel ut illi fingunt) ex Dei indulgentiâ mutata erat in *temporalem*, ſed aſperiorem illam & diuturniorem ex *Papæ* tandem indulgentiâ in mitiorem & breviorem (in nullam ſæpiùs niſi marſupii) commutatur. 2. *Perſonæ* alteram, pro ipſo ſcilicet *reo* alicujus *parentis*, qui (ut *Panigarolla* loquitur) *naulum pro eo ſolvere*, vel (ut *Turrecremata*) *pœnam ſatisfactoriam explere poteſt Deo acceptabiliter*. Cum enim tres *pœnitentiæ* partes ſint, *Contritio*, *Confeſſio*, & *Satisfactio*, *priores* illas *duas* ab *ipſo reo* exigunt. Ad *tertiam* verò quod attinet (*ſatisfactionem* ſcilicet) ab alio aliquo facilè expleri poſſe volunt, dummodò Sponſor iſte *naulum dederit*, *precum*, *Artic. 2. Concluſ. 1.*

jejuniorum, *peregrinationum*, *Baſilicarum viſitationum* λύτρον perſolverit? *Eleemoſynarum* præcipuè atque *oblationum*, quæ abeſſe nec ſolent nec debent: atque ità demùm reus in vado ſalutis erit ſi in vivis fuerit, vel ſi in *Purgatorii* profundum gurgitem vel ſui vadis ſuî incuriâ infœlix inciderit, pœnæ tamen illæ antea penè infernales vel mitigabuntur vel abbreviabuntur pro ſoluti precii valore ac pondere. Hæc (Auditores) non (ut impius ille olim) *Chriſti*, ſed *Indulgentiarum fabula*, quæ quantum fiſco Papali profuerit, ipſe tacitus ſecum ridet, dolent miſerè emunctorum crumenæ vacuæ, ut non immeritò inter *centum gravamina* de hoc tanquam de onere omninò inſupportabili conqueſti ſint *Germaniæ Principes*.

Et quidem ſi non hoc ſterquilinium vertendo vobis nauſeam crearem, operæ pretium foret oſtendere tam elegantis fabulæ quàm affabrè Scenam inſtruant.

1. Et primò quidem in eam prodit perſona rea *homo* aliquis (*Indulgentiarum* ſubjectum vel objectum) quem *fidelem* eſſe volunt (peccatis ſuis tam in foro Dei quàm in foro pœnitentiali remiſſis) *in gratiâ extra mortale peccatum* conſtitutum, *temporalibus* tamen peccatorum ſuorum *pœnis* reſervatis vel in hâc vitâ vel in Purgatorio obnoxium; dum Sponſorem ejus interim, qui pro eo *Indulgentias* iſtas lucratur, in *mortali peccato* eſſe poſſe concedunt; ſcilicet *bonus odor lucri ex re quâlibet*, neque vel à ſpurcâ manu oblata, à lupâ *Romanâ* reſpuenda pecunia, ab ipsâ cloacâ converrenda; ut illud tamen interim moneam juxta S. Scripturæ inſtituta, & *Abrahami*, *Jobi*, *Pauli* exempla ſanctiores eſſe debent, qui pro aliis veniam impetrent. Quin & illud hîc addam: quamvis communiter dicant harum *Indulgentiarum* objectum eſſe hominem *fidelem*, & in *gratiâ* vel hîc vel in Purgatorio degentem, vix tamen facilè credet, qui hiſtorias legit, omnes illos in *gratiâ extra mortalis peccati reatum* fuiſſe, qui propter *Bellum* pro *Terrâ Sanctâ recuperandâ* ſuſceptum *Indulgentias*, cásque ampliſſimas conſecuti ſunt. Nec de ſuis deſunt (*Auguſtinum Triumphum* dico) qui *Indulgentiarum* efficaciam uſque ad *Infernum*, ibique damnatos, extendunt, ad tollendas vel ſaltèm minuendas eorum *pœnas*, ſi non *eſſentiales*, at *acoidentales*, ſi non pœnam *damni*, at pœnam *ſenſûs*: à quo ultimo ipſe Bellarminus non abhorrere videtur: Cum

Gen. 20. 7. *Job.* 42. 8. *Act.* 8. 24.

2. Succedant inter harum *Indulgentiarum* cauſas efficientes earum *promicondi & diſpenſatores*. Si *privatæ* ſint, fideles, omnes ſatisfactiones ſuas *quibuscunque volunt* non incertis ſed determinatè his vel illis vel vivis vel mortuis applicant. Sin verò *publicæ* fuerint, *non cuivis licèt adire Corinthum*, ne Eccleſiæ Theſaurus dilapidaretur ſcilicet, nam „ ut quid perditio hæc? cum poſſit vendi ampliùs & dari pauperibus, id eſt Prælatis, neque iis univerſim omnibus, non *Monachis*, non *Sacerdotibus gregalibus*, non *Religionum præfectis*, ſed ad minimum *Epiſcopis* & *Cardinalibus*, qui *Indulgentias* ad certam menſuram & ad certum pauciorum annorum numerum reſtrictas concedere poſſunt, ſed inprimis & præ omnibus ſummo Οἰκονόμῳ Papæ, qui omnes Eccleſiæ theſauros recondendi atque ὅλῳ τῷ ϑυλάκῳ effundendi jus habet, ex eisque concedendi *Indulgentias plenas*, *plenarias*, *pleniſſimas*, ut quandocunque ipſi placuerit, ità præſertim nundinis magis ſolennibus *Jubilæis* dico, quas *Bonifacius* VIII. primus (ad normam *Ludorum Romanorum*) *ſeculares* inſtituit; at *Clemens* VI. quò magis *Judæorum Jubilæis* reſponderent,

Gregor de Valentiâ.

Calvin. Inſtit. l. 3. c. 5.

Anno

Anno quolibet *quinquageſimo* celebrari voluit: At *Paulus* II. (vel potiùs *Sixtus* IV.) quò plures earum participes forent, vel ipſi potiùs ſæpiùs numeratæ pecuniæ, Anno quôque *viceſimo quinto* haberi inſtituit. Quos ille non minùs eleganter quàm ſarcaſticè „ Papiſmi corculum & delicias, pec- „ cantium aſylum, Diabolorum terriculamentum, Purgatorii mœrorem, Ec- „ cleſiæ Romanæ Emporium, Paparum triumphum nominat. *Chamier. Tom. 3. l.b. 24. cap. 5. §. 11.*

3. De harum Indulgentiarum *formâ*, an *ſolutio* vel *abſolutio* ſint, alii diſputant. *Bellarminus* per me licet utramque includat. Quod verò ad varias harum menſuras & formulas attinet, referre pudet, quàm *Magnarii* alii ſint, qui in ſolidum vendunt, dum plenariam *omnium remiſſionem* indulgent, quàm *Minutiarii* alii, qui ſcruta ſua (merces dixerim) particulatim diſtrahunt, dum *dimidium*, vel partem *tertiam*, *quartam*, *ſeptimam*, aliquando minorem pro imminuto pretio aliis relaxant: Quàm etiam parci vel modeſti *antiqui Papæ* fuerint, qui (ſi *Baronio* habenda ſit fides) tantùm in *dies* aliquot, ità ut vix *annum* unum excederent *Indulgentias* conceſſerunt: at *poſteri* longè humaniores & clementiores facti ad *centies mille*, imò ad *millies mille* annos (refragante *Gerſone*, minùs approbante *G. de Valentiâ*) ſatis liberaliter ſi non prodigè nimis protelârunt; ad multò plures ſcilicet quàm hominis vel maximè longævi vita duraverit, vel ipſum Purgatorium, quòd cum mundo ſaltèm finem habiturum docent: ut non ſine causâ ad hoc incommodum vitandum *Angelus de Clavaſio* inter *annos cœli* vel *Purgatorii*, & *hujus vitæ*, diſtinxerit, *Adrianus* in dubium vocaverit an tantùm *valeant* Indulgentiæ quantum *ſonant*, *Cunerus* hæc quaſi *hyperbolicè* dicta reſponderit, *Bellarminus* denique σοφὸν illud Φάρμακον propinaverit, poſſe aliquos reos fieri pœnitentiæ agendæ per ſpatium aliquot mille annorum, poſſe tamen pœnitentes *diuturnitatem temporis vehementiâ charitatis*, & *extenſionem* pœnitentiæ *intenſione* compenſare. *De Indulg. lib. 1. cap. 5.* *Anno 1092.* *Conſider 8. puncto 2.*

Sed 4. de *materiâ* harum Indulgentiarum magis indagandum. Non immeritò enim (cum illo olim) dicere poteſt aliquis, „ unde ememus panes „ ut edant omnes illi, ac ſinguli paululum quiddam accipiant? unde tanta, quæ tot egentium inopiæ ſublevandæ ſufficere poſſit, expectanda eſt abundantia? Ex *Eccleſiæ theſauro* ſcilicet. At unde hîc tantus corrogandus eſt Theſaurus? Reſpondent illicò *ex Chriſti & Sanctorum meritis*. Quamvis enim *primæ* Indulgentiarum *Bullæ* meritorum tantum *Apoſtolorum* & reliquorum *Sanctorum* mentionem fecerint, Poſteriores tamen, utpote ſaniores, *Chriſti merita* adjungi voluerunt, idque triplici nomine *ſupereffluentia*, & (ut *Cajetanus* loqui auſus eſt) *ſuperflua*. *Joan. 6. 5, 7.*

1. Quòd pretium ſolvit *innumeris mundis redimendis ſufficiens*, quod cum pro *uno ſolo* obtulit, *totum reliquum* quod ad tot innumeros alios redundare poterat, *in lucro* eſt. *Panigarolla.*

2. Quòd cum λύτρον illud *pro toto mundo* ſolutum in *pauciſſimorum* redemptionem ſuo vitio cedat, quod *reliquis* redimendis ſufficeret: in *Papæ fiſcum* reponendum eſt. *Bellarminus.*

3. Quòd cum vel *una guttula Chriſti ſanguinis*, imò *ſudoris*, ſatis amplum redemptionis noſtræ pretium futura eſſet, cum non ſolùm *ſudorem*, verùm & *ſanguinem*, neque ejus *guttam* unam vel alteram, ſed *ipſum totum* uſque ad *Innocentius 6. in Conſtitut. de Theſauro Indulgentiarum. Vid. Bellarm. de Indulg. lib. 2. cap. 3. §. 2.*

ad mortem effuderit, hinc *ingens* ſurgit *meritorum* ſuorum ſuperabundantium *acervus*, in immenſo Eccleſiæ horreo recondendus.

Nec deſunt *Sancti*, qui cumulum iſtum mirè adaugeant.

Bellarminus. Primò *Maria* Virgo, *Johannes Baptiſta*, & ſi qui alii ſint qui *nunquam*, ſaltem *mortaliter*, peccarunt, at plurima *merita* habuerunt.

Bellarminus. Secundò alii, qui licèt aliquoties leviter peccaverunt, tantis tamen meritis abundârunt, ut non ſolùm pro *ſuis* peccatis ſatisfecerint, ſed & *aliis* ea *mutuò dare* poſſint, dum *plura bona opera* egerunt, quàm ex *officio* debuerunt *ſupererogando*, *plura* etiam *mala perpeſſi* ſint, quàm unquam *meruerunt*, vel quæ aliorum pœnis temporalibus redimendis ſufficerent.

Panigarolla. Roffenſis. Imò tertiò ne ipſis *parvulis lactentibus* deeſt manus, quæ in hoc Eccleſiæ Gazophylacium minuta ſua conjiciant: nam inter eorum *Baptiſmum* & *primum* quod poſtea committunt *mortale peccatum*, *multa* ſæpè *patiuntur mala*, atque inde *multa* habent *bona merita*, at nequaquam *ſibimet ipſis* proficua, nam perpeſſionum harum *meritis* ipſi *nil opus* habent, neque ad *tollendum reatum peccati originalis*, quod jam per *baptiſmum* ablatum eſt, neque *actualis*, quod *nondum* ab ipſis *commiſſum* eſt, nec ad *ſatisfaciendum* pro *peccatis*, quæ *poſtea patraturi* ſunt, nam quamprimùm *peccatum mortale* commiſerint, omnia ex illis malorum perpeſſionibus *merita* ſibimetipſis *pereunt* atque (quod indignum eſſet) in univerſum perirent, niſi ad alios redimendos in *Eccleſiæ Corban* mitterentur. Ex his omnibus abundè inſtructus eſt iſte *Eccleſiæ Theſaurus* à ſummo Clavigero, quibus ipſi viſum fuerit pro pietate & prudentiâ ſuâ dapſile erogandus; ſatis ampla proculdubio *Iudulgentiarum* quarumcunque *materia*.

5. At quis tandem earum omnium *finis*? quis alius ſcilicet niſi miſerarum animarum liberatio peccatorum ſuorum pœnas vel forſan nihil curantium, vel ſub earum onere languentium vel in hâc vitâ, vel in *Purgatorio*: Hoc utique profitentur ſummi Modiperatores, hoc ad raucedinem uſque clamitant, ingerunt Concionatores quæſtuarii. At *Cynthius aurem vellit*, & (quod res ipſa clamat) in aurem *Corban Corban* ingeminat. *Theſaurus* iſte *Eccleſiæ* theſauro alteri (*fiſco Papali*) ditando, indigentiæ Eccleſiæ ſublevandæ inprimis inſervit: hoc primum *Turris* hujus *Babyloniæ* fundamentum, *Cæſarem & Cæſaris fortunas vehit*. *Bellarminus* in deſcriptione *Indulgentiæ* illud interſerit, quòd ex *rationabili cauſâ concedatur*, qualis hæc præcipuè eſt, quæ in rationes ſuas referri ſolet, in quibus antiquum illud δὸς τινὶ λάβε ſemper obtinet: hæc enim harum nundinarum Lex eſt, hoc volunt, hoc agunt iſti ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ἐμπορεύονται (2 Pet. 2, 3.) Quod ex his (inter reliqua) abundè conſtat.

De Indulg. lib. 1. cap. 1. Hoc dicis gratiâ improbant, vetant aliquando ut Bellar. l. 2. cop. 2. ſed ipſis connivent ibus ſemper retinebitur, ſemper retinebitur.

Quòd *Indulgentias* hiſce ſuis tolli doceant *pœnas* non ſolùm impoſitas, ſed & *imponendas*, quò cariùs eas vendant. [Contra *Latomum* & *Cajetanus*] quòd eorum *precium* & ἀντάλλαγμα *preces* forſan ſint, *jejunia*, *peregrinationes*, *Baſilicarum viſitationes*; ſed ſine *oblationibus* parùm gratæ, forſan & *invalidæ*:

Sed præ cæteris omnibus *Eleemoſynæ*, quæ frequentiùs efflagitantur, atque ità rigidè exiguntur, ut niſi reipſâ *actu ſolvantur nil valeat Indulgentia*.

Licèt enim alias bonâ voluntas ſatisfactionem ſuppleat, ſed ad ſatisfaciendum non. ſic ait Paludanus. Imò ne ſi quando fortè ex infortunio quis *ſolvendo non ſit*, nihil hîc valet maximè *ſincera Intentio*, cum apud indulgentiorem Deum *voluntas pro opere* habeatur 2 Cor. 8. 12.

Unde

Unde etiam fit ut hâc in re *A. Triumphus* (iniquus pauperum Patronus) aſſerere non erubuerit licèt *ſimpliciter pauper melioris conditionis* ſit quàm *dives*, quantum tamen ad *Indulgentias* non inconveniens eſſe quod *dives melioris conditionis* ſit quàm *pauper*, de quo quis dubitare poterit? cum per has Indulgentias homo redimatur *auro & argento*, non autem *pretioſo Agni ſanguine.* Scilicet *dantur opes nullis hæ niſi divitibus*, & quò *plures* quis *nummos* dederit, eò *ampliores* reportabit *Indulgentias*. *Chamier. Tom. 3. lib. 24 cap. 6. §. 26.*

Hinc denique eſt quòd doceant per has *Indulgentias* non ſolvi *vinculum pœnarum* in *foro externo & litigioſo* vel civili vel Eccleſiaſtico, ſed *ſolo interno* ſivè *pœnitentiali*: ut nimirum uno pede ſolutum altero tamen conſtrictum teneant, quem adhuc emungant; & quod ad *pœnas fori pœnitentialis* attinet, licèt per *Indulgentias de jure ſolutas* eſſe dicant, hoc interim monent, *eas* nihilominùs *perſolvere* non ſolùm *honeſtum* eſſe, verùm & *tutum* etiam, quia citra Revelationem nemo infallibiliter cognoſcere poteſt an *Indulgentia*, quam conſecutus eſt ipſa ſuum conſequatur effectum. Atque ità circulatorum iſtorum iſta bellè admodùm peracta eſt fabula. Miſer homo Dei Indulgentiâ partem pœnæ ſuæ *æternæ* gratiâ commutatam habet in *temporalem* à *pœnitentiario* injungendam, at ille ſeverior *aſperam* nimis imponit, ab indulgentiore *Papâ* dato pretio minuendam: An verò certò *minuatur* ille planè *neſcit*; his interim monitoribus *tutiſſimè* agit, ſi hoc *novum pretium* ſimul det, ac *priùs debitum* in ſolidum perſolvat, atque ità dum an aliquid conſecutus fuerit neſciat, *duplo pretio nihil emit*: tandem illinc *plumbo* dato hinc *auro* utrinque diſceſſum eſt; *illis* (ſibi plaudentibus, aliorum verò ſtultitiam irridentibus) *benè tinnit loculus*, *his* miſerè deluſis *dolet crumena vacua.* Hæ *piæ Matris fraudes* ſunt haud *piæ*, ſed meræ Pontificum impoſturæ. Hoc iſtis *Indulgentiarum effectum*, hic illis *finis* propoſitus. „ Quo quidem commento (ut noſtrûm quidam rectè ait) „ non potuit in mentem venire non „ hominibus dico ſed Satanæ quicquam quo Deo illuderent audaciùs, orbi imponerent impudentiùs. Cui illud *Calvini* adſcribere liceat „ cum tota eorum doctrina ex horrendis ſacrilegiis & blaſphemiis conſuta ſit, hæc tamen „ præ aliis prodigioſa eſt blaſphemia. An ergò adhuc nobis quærendum utrùm hæc *verbo Divino nitatur*? Abſit, cum ne ipſi *Pontificii* antiquiores, eòque modeſtiores, hoc aſſerere auſint. Quid inter reliquos hos appellem teſtes? *Durandum.* „ Scriptura de eis non expreſſè loquitur. Sic ille. *Alph. à Caſtro.* „ Inter omnes res de quibus diſputamus nulla eſt, quam minùs a„ pertè S. Literæ prodiderunt, & de quâ minus veteres Scriptores dixerunt. *Polygranum* etiam nuperum, qui concedit rem eſſe difficilimam, tum quòd non *ſatis dilucidè Scripturis* conſtet, tum quoque quia & ipſæ hominum opiniones parùm conveniant. At poſtquam ſemel *Tridentini Patres* frontem ſibi ità perfricuerint, ut „ poteſtatem conferendi Indulgentias à Chriſto Ec„ cleſiæ conceſſam eſſe, atque hujuſmodi poteſtate Divinitùs ſibi traditâ an„ tiquiſſimis etiam temporibus illam uſam fuiſſe, quaſi ex Tripode pronunciaverint, audaciores jam facti præ cæteris Jeſuitæ *Bellarminus*, *Valentianus*, reliqui, non ſolùm *Apoſtolicam authoritatem* eis attribuunt, verùm *Sacræ Scripturæ Teſtimoniis* miſerè detortis eas aſſertum eunt; de quorum aliquibus inter diſputandum hodiè actum eſt; reliqua miſſa facio. Cum verò contrà legimus „ Num Paulus pro vobis crucifixus eſt? 1 Cor. 1. 13. „ Unusquiſque *Bellarm. de Indulg. lib. 1. cap. 7.* *Chamier. Tom. 3. lib. 24. c. 7. §. 2. Ubi priùs.* *Ubi priùs.*

„ quiſque reportabit, quæ ipſe in corpore fecerit 2 Cor. 5. 10. „ Unusquis-
„ que onus ſuum portabit Gal. 6. 5. „ Fratrem nullo modo redimere poteſt
„ quiſquam, non dabit Deo placationem ejus Pſal. 49. 8. nimis cara eſt hæc
„ Redemptio, imò ceſſat in æternùm v. 9. utpote ſoli Chriſto Redemptori
In Clave ad vocem Imputatio. noſtro unico propria, eò magis indignè (cum *Flacio Illyrico*) nobis ferendum eſt quòd *Pontificii imputationem alienæ nobis juſtitiæ*, quam *Chriſto* ſacrilegè *denegant*, *ſanctis*, imò aliquando *facinoroſis* contra Scripturas blaſphemè *aſcribant*, ut meritò cum *Calvino* concludam „ ſanè aut mendax Dei
„ Evangelium eſſe oportet, aut mendaces Indulgentias.

Reliqua quæ ad Pontificiorum cauſam refutandam, confirmandam noſtram adducenda erant plurima, in aliud (ſi occurrat) tempus differenda.

QUÆST. XXXIX.

Chriſtus eſt Patri ὁμοούσιος.

Μὴ δὴ τοῦτο ἄνθρωπος, ὃν ἐγώ σε ἐπῄνουν; dixit ille olim de Chriſto. Ingratum hominum genus! qui gloriam illam, quam *ille* ultrò aliquouſque, aliquantiſper in eorum gratiam *exuit*, ipſi ſacrilegè *detrahunt*: quia ille cum *Deus* fuerit, ut eos ſalvos faceret σύγκαταβάσει prorſus ineffabili *homo* eſſe voluit, hi blaſphemè ἄθεοι, ut vices indigniſſimas rependant, eum *Deum* eſſe negare audent. Inter hæreticos non defuerunt aliqui *Valentiniani*, *Cerdoniani*, *Manichæi*, alii, qui Chriſti *humanitatem* vel negârunt vel variè deformârunt. At in *Deitatem* ejus plures inſurrexerunt Θεομάχοι *Cerinthus*, *Ebion*, *Carpocrates*, *Theodoſiani*, *Origeniani*, præcipuè *Paulus Samoſatenus*, *Photinus*, *Arius*, aliique olim plurimi & qui ad orcum jam diù damnatam eorum hæreſin priori ſæculo reſuſcitârunt *Servetus*, *V. Gentilis*, uterque *Socinus*, eorumque vel tum *Socii* & *diſcipuli* vel *hodierni* (quibuscum nobis præcipuè lis eſt) ubique (proh dolor) gentium ſuccreſcentes *pedanei*. Hos *novos Arianos* vocat *Smigleſius* Jeſuita; ob quod non eſt quòd adeò *Smalcio* vapulet: nam (ad rei ſummam quod attinet) ἀπαρνησθεοι (ut cum *Epiphanio* loquar) Chriſtum enim *verum* & *æternum Deum*, hoc eſt *Patri conſubſtantialem* eſſe cum *Arianis* generatim negant; ideòque quoad hoc *Ariani* rectè dici poſſunt; at *novi* quòd in aliquibus ſub hoc capite contentis (quod hæreticis & ſectariis ſolenne eſt) in *ſententiarum divortia* abeant. Sic enim *Semi-Ariani* ab *Arianis* aliquantum receſſerunt dum *Filium cum Patre eſſentialem* conceſſerint, at minimè *conſubſtantialem*, aliis *Filium* Patri *ſimilem*, *Anomæis diſſimilem* eſſe contendentibus, vel utut ſimilem, at *voluntate*, non *ſubſtantiâ* Neque vel ipſi *Sociniani* hodiè per omnia conveniunt; non cum *Tranſylvanis Poloni*, vel cum *Franciſco Davidis* ipſe *Socinus*, quorum ille Chriſtum utpote ex communi eorum ſententiâ nudum hominem *minimè invocandum*, vel Divino cultu adorandum ſtrenuè contendit; Hic id *aſſerentes* ne quidem *Chriſtianos* eſſe audacter pronuntiat: de quo ipſi inter ſe viderint. In hoc quidem *Sociniani* ab *Arianis* diſcrepant, quòd iis pejores ſint, dum *Paulum Samoſatenum* & *Photinum*, *Ebionem* & *Cerinthum* magis quàm

Marcitæ, Apollinariſtæ. Proclianitæ. Patriciani.

Et Bellarminus de Chriſto lib. 1. argumento capitis 2.

quàm *Arium* ſapiant. *Ariani* enim quamvis Filium *creatum*, atque ἐξ οὐκ ὄντων factum fuiſſe blaſphemè dixerint, unde *Exoucontii* audiebant, *primum* tamen omnium factum, & *per eum reliqua omnia facta fuiſſe* adſeverabant. At *Sociniani* cum *Ebione*, *Cerintho*, *Artemone*, *P. Samoſateno* & *Photino* eum antequam *de Mariâ natus* fuit *extitiſſe* negant: maximè omnium (quod Theſis aſſerit) *Deo Patri* ὁμοούσιον dici, ut Scripturæ & rationi communi contrarium, & in Deum inprimis blaſphemum deteſtantur. Atque ità quod *S. Auguſtinus* de antiquis hæreticis *Meiſnerus* rectè (fruſtrà licèt reclamante *Schlichtingio*) de *Photino-Socinianis* noſtris dixerit quod „ arbitrantur ſe non „ poſſe ad unici Patris gloriam, niſi per unici Filii contumeliam pervenire. Quamvis enim (ut fucum faciant) dicunt *ſe nunquam negâſſe* Chriſtum eſſe verum, æternumque Deum, imò verò *id agnoſcere libenter*, & *cum gaudio profiteri*, neque unquam dixiſſe eum *merum hominem* eſſe confidenter aſſerat *Schlichtingius:* neque nudum hominem dici *ullo pacto* concedendum in Catechiſmo Racovienſi & alibi contendat *Smalcius*: hæc tamen omnia amoliendæ tantùm invidiæ, & dogmati ſuo peſtifero incruſtando inſerviunt. Nam ſi rem ipſam ſpectemus,

Contra Meiſnerum Art. 2. pag. 387. 388.

Ubi ſuprà. De perſonâ Chriſti cap. 1.

Quamvis *verum* Deum eſſe agnoſcant: non tamen ἁπλῶς, non φύσει θεὸν ut loquitur Apoſtolus, non *ex ſe*, ſimpliciter & *perfectiſſimâ ratione*, quod priore loco negat *Smalcius*, & Divinam naturam Chriſto prorſus adimit: *Deum* tantùm *factitium* (ut loquuntur) eum faciunt, nimirum ratione *unctionis*, *miſſionis*, & à Deo ei conceſſi *Dominii*: ut eum *Divum* potiùs quàm *Deum* faciant, vel ſi *verum Deum*, *vicarium* tamen.

pag. 53.

pag. 39, 40, 41.

Si etiam *æternum*, id tamen quoad indeterminationem vel *à parte poſt*, non ex *parte ante* quoad *præ-æternitatem*, quam ei præfractè adimunt, niſi ſolùm quoad *prædeſtinationem*, quo in ſenſu electi omnes æquè æterni dici poſſint.

pag. 46. &c.

Quamvis etiam *Dei Filium unigenitum* eſſe (cum Scriptura id adeò clarè teſtatur) negare non audent, ità tamen dici propter *æternam à Patre generationem*, id verò abominantur, ſed tantùm ob *mirificam* ejus in virginis *utero conceptionem*, eam ſcilicet *obumbrante Spiritu Sancto* & (ut deliravit *Socinus*) „ ſubſtantiam aliquam creatam in uterum virginis immittente, aut ibi creante, quæ conjuncta cum Virginis ſemine Dei Filium procrearet; atquè ità *Spiritûs Sancti Filius* potiùs quàm *Dei Patris* dici debuiſſet.

Contra Wiekum.

Quamvis denique Chriſtum non *merum* vel *nudum hominem* fuiſſe dicant: id totum intelligi debet de *Dominio*, *Privilegiis*, *Gratiis*, & cæteris donis quibus ſupra communem hominum ſortem eum cumulatiſſimè inſtructum fatentur: unde *Smalcio* in Catechiſmo Racovienſi *Divinus homo*, Socino *Divinus Dominus* audit: & *Smalcius* librum illum, quem ideò ſcripſit ut omnibus innoteſceret quàm honorificè de Chriſto ipſe & ſui ſentiunt, *de Jeſu Chriſti Divinitate* inſcripſit: cautè ſcilicet. At cur non de *Deitate* potiùs? niſi quòd quoad *naturam* & *eſſentiam* verum æternum, immenſum, omnipotentem, omniſcium Deum eſſe ſacrilegè negaverit; imò contrà (utcunque verbis ludat & tergiverſetur) eum eo in ſenſu ψιλὸν ἄνθρωπον merum nudum hominem eſſe, impiè crediderit.

Nos contra cum univerſâ Antiquitate Orthodoxâ *Chriſtum Patri* ὁμοούσιον vel *conſubſtantialem* credimus, aſſerimus. Sic Eccleſia noſtra Anglicana Con-

Confeſſionis ſuæ Articulo ſecundo Filium profitetur „ Verbum Patris, à „ Patre ab æterno genitum, verum & æternum Deum, unius cum Patre „ ſubſtantiæ naturam humanam in Perſonæ ſuæ unitatem aſſumpſiſſe, ità ut „ duæ integræ naturæ, Deitas ſcilicet & humanitas nunquam disjungendæ „ in unâ perſonâ unitæ ſint, ex quibus unus Chriſtus, verus Deus & verus homo exiſtit. Hoc quidem ὁμοουσίας vocabulum, (quod improbavit *Euſebius Nicomedienſis*, ejuſque aſſeclæ, de quo etiam aliquantiſper dubitavit *Euſebius Cæſarienſis* in Niceno Concilio prout habet *Socrates*†, (quod μῆλον ἔχιδνα inter *Orthodoxos* & *Arianos* olim fuit;) in Sacro Codice, ut neque in Symbolo Apoſtolico αὐπλεξεὶ non occurrit; de quo mirum quantum gloriantur *Sociniani*. Sed immeritò, ſat' nobis erit ſi *res* ipſa ex utroque conſtet. Annon ex S. Scripturâ mox videbimus. Ad *Symbolum Apoſtolicum* quod attinet, licèt in ejus formulâ quæ vulgò jam obtinet ὁμοουσίας vox non compareat, *Eccleſia* tamen *Hieroſolymitana* (quæ *Concilio Conſtantinopolitano omnium Eccleſiarum mater* fuit, adeòque quodnam Symbolum Apoſtolicum fuerit optimè noverit) in *Catecheſi* ſuâ *à Cyrillo* ejuſdem Epiſcopo explicata ἰσοδυναμοῦντα habet, hæc ſcilicet „ Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ „ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἀληθινὸν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο: quibus gemella habuit *Symbolum Alexandrinum* ab ipſo *Ario Conſtantino* oblatum. Cui Hæretico ut meliùs obviarent *Patres Nicæni*, illud ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ clariùs explicârunt per τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, ὁμοούσιον τῷ πατρί. Quam fidem *Nicænam Synodus Conſtantinopolitana* ut πρεσβυτάτην utpotè (ut rectè *Uſſerius* annotat) „ non ab ipſis ante annos quinquaginta ſex primùm conſcriptam, ſed ex ſym- „ bolo ab ultimâ Antiquitate in Eccleſiâ recepto expreſſam & explicatam, retinendam eſſe ſtatuit. Quam etiam ἐκ ὁμοουσίου confeſſionem à *Synodo Antiochenâ* ut σύνδεσμον τῆς πίστεως Symbolo ſuo inſerendam curavit, atque hoc ὁμοούσιον cum (ut *Epiphanius* in ſuo *Ancyrato* oſtendit) ampliùs quid quàm τὸ συνούσιον (vel conſubſtantiale) denotet, & *Patrem* & *Filium unius* & *ejuſdem individuæ ſubſtantiæ* eſſe plenè ſignificet, ità obtinuit, ut *teſſera* evaderet, quâ *Orthodoxi* ab *Arianis* ſecernerentur, ut oſtendit *Socrates* lib. 2. cap. 5. Chriſtum itaque cum *Athanaſio* (quamvis ob id ipſum *Sociniani Satanaſium* vocent) Θεὸν ἐκ τῆς οὐσίας πατρὸς, adeòque ipſi ὁμοούσιον agnoſcimus & veneramur: atque ut Controverſiæ ſtatus magis conſtet, iſta præmonenda volumus.

† *Lib. 1. c. 8. Græc.*

Epiſt. Synod. apud Theodoret. Hiſt. l. 5. cap. 9.

De Symbolis pag. 19.

Philoſtorg. Hiſt. lib 3. cap. 19. Lib. 5. cap. 1.

1. His οὐσίας & ὁμοουσίας vocibus aliisque eis ſimilibus (quas ad hanc rem dilucidius explicandam vetus Eccleſia admibuit) *verborum* aucupium non quærimus, quibus *Lutherus* (ut videtur) iniquior fuit cum dixit „ Anima mea odit hoc verbum ὁμοουσίας, ob quod *Bellarmino* vapulat: iis (ut *Wigornienſis* noſter habet) „ tantùm ut dioptris ſive conſpicillis ad dilatandas Ad- „ verſantium atomos, quæ aliter conſpectum fugerent utimur, idque ne- „ ceſſariò adeòque & legitimè. Neque enim *Formulæ Confeſſionum Fidei ſolis ipſiſſimis* S. *Codicis verbis* & phraſibus (ut aliqui volunt) magis enuntiandæ ſunt, quàm ipſorum *conciones* & Sacri Textûs enarrationes, quin-ſi in his jure & neceſſariò aliis verbis uti poſſimus, quò magis erudiatur populus, multò magis & in illis magis *fundamentalibus*, quò meliùs detegantu Hæretici & Heterodoxi reliqui.

contra Latomum. In Præfat. ad Libros de Chriſto.

Baxterus.

2. Ultrò

2. Ultrò agnoſcimus Chriſtum Mediatorem Θεάνθρωπον quoad *naturam humanam* Patri minimè ὁμοούσιον eſſe; cum enim *humana* ſit, quoad eſſentiam à *Divinâ* infinitè diſtat, & cum quoad hanc *modicè præ Angelis minoratus* fuit, certè *eatenùs Patre minor* fuit, quem ſe *majorem* agnoſcit. Joan. 14. 28. *Heb. 2. 7, 9.*

3. Etiam cum in Divinâ ſuâ naturâ *eſſentia* & *ſubſiſtentia*, vel *perſonalitas* diſtinguuntur, quatenus perſona eſt, licèt non inferiorem, tamen *ſecundam* eſſe credimus. In Sacroſanctæ ſiquidem Triados Perſonis quamvis non *gradus, ordinem* tamen in quo *Patrem* ut *Deitatis fontem* agnoſcimus. Quo in ſenſu ſi *Calvinus* Dei nomen Patri καθ' ὑπεροχὴν attribui dicat, non eſt quod *Bellarminus* † eum inde *Socino* σύμψηφον faceret, ut neque *Euſebium Cæſarienſem Arianum* (quod faciunt Pontificii alii.) Durius illud quod impingit *Bullingero* dicenti tres Perſonas non *ſtatu*, ſed *gradu*, non *ſubſtantiâ* ſed *formâ*, non *poteſtate*, ſed *ſpecie differre*. Valde incommodè agnoſco dictum, quòd eas *gradu, formâ, ſpecie* differre dixerit; cui ob id non minùs indulgenda venia quàm Juſtino Martyri, qui ſæpiùs in Dialogo cum Tryphone Chriſtum Deum Patri ὑποτάσσω nominat. At minimè interim *Socino* ὑποκείσθω *Bullingerus*, cujus eum inſimulare vult *Bellarminus*, cum contra *Socinum ſtatu, ſubſtantiâ, poteſtate differre* diſertè *negat* (quæ omnia *Socinus* blaſphemando aſſerit,) & unà nobiſcum Chriſtum quoad naturam Divinam *verum, æternum Deum, eandem* prorſus *individuam* cum *Patre eſſentiam* habentem, adeòque, quod Theſis dicit, ex rei ipſius veritate, vociſque ſignificatione ὁμοούσιον: quod duplici argumento probatur. *Contra V. Gentilem. † Ubi priùs. De Scripturæ & Eccleſiæ authoritate.*

Primo ex diſcerto S. Scripturæ, ipſiusque Chriſti teſtimonio ducto. Sic enim ipſe Joan. 10. 30. Categoricè & apertè loquitur „ Ego & Pater unum „ ſumus. Quid apertius? Hunc locum *Alexander* jam primùm exoriente *Ario* in eum vibrat: in quem ità *Auguſtinus*. „ Pereant vaniloqui & mentis „ ſeductores Arianus & Sabellianus. Non dixit, Ego & Pater *unus ſum*, ſed „ ego & Pater *unum ſumus*. Quòd dico *unum* audiat Arianus, quod dico „ *ſumus* audiat Sabellianus, non dividat Arianus *unum*, non deleat Sabellia- „ nus *ſumus*. „ *Unum* ad naturam referimus, *ſumus* ad perſonarum diver- „ ſitatem. Sic *Hieronymus*; † vel ut *Beda*, * „ *unum* unam naturam ſigni- „ ficat, ſic *ſumus* duas perſonas. Sed quid ad hoc *Sociniani*? Nimirum idem quod olim *Ariani:* hoc de *unitate voluntatis, conſenſûs & unanimitatis* intelligendum. Sic enim loqui hæreticos dicit *Hilarius* Lib. 8. de Trinit. atque idem prorſus *Smalcius* in Catechiſmo *Racovienſi* „ hoc aut de voluntate aut „ potentiâ in ſalutis noſtræ ratione accipi debere aſſerit, & cum eo ejuſdem „ furfuris reliqui. *Eraſmum* etiam hunc locum ità interpretatum fuiſſe non adeò moror. Sed inprimis doleo ipſum quoque *Calvinum* eum ſimiliter expoſuiſſe, hæc enim in hunc locum habet „ Abuſi ſunt hoc loco veteres ut „ probarent Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον: neque enim Chriſtus, de unitate „ ſubſtantiæ diſputat, ſed de conſenſu, quem cum Patre habet. Unde referente *Bellarmino* novi Samoſateni in publicâ Diſputatione de ſententiâ hujus loci *Calvinum* judicem appellârunt. *Argum. 1.* *Socrates l. 5. c. 6. Gr. De 5. hæreſibus cap. 7.* † *In 6. Iſaiæ.* * *In Locum.* *In 1 Joh. 5. In Joh 10. 30.* *Ubi priùt.*

Ægrè quidem à tanti viri abſcedo ſententiâ: at hîc ſaltem cogor tum unanimi Patrum authoritate, tum inprimis ipſius loci evidentiâ.

Numeroſum ſatis *Patrum* omnium, qui contra *Arianos* unquam diſpu-

târunt, de *unitate eſſentiæ* hunc locum interpretantium Catalogum nobis exhibet *Maldonatus* in locum. At ipſe locus hunc ſenſum invictè exigit. Non immeritò *Maldonatus* illud *Auguſtini* mittit, qui perpetuâ Sacræ Scripturæ obſervatione docet, omnia, quæ unum eſſe dicuntur ejuſdem naturæ eſſe, nec exemplum ullum contrarium in Sacris Literis reperiri; cum *Eraſmus* contrà innumera Loca ità intelligenda contendit, quoties legimus in utroque Teſtamento *Cor unum, ſpiritum & animam unam; os unum, mentem unam*, cum *conſenſus* ac *mutua charitas* ſignificatur. Hæc ille in 1. Joan. 5. & *Smalcius* illud Salvatoris præſertim ingerit Joan. 17. 11. *ut ſint unum quemadmodum & nos unum ſumus*: quod quidem licèt *Anti-Sociniani* aliqui aliorſum torquent, non negandum tamen eſt quin animorum unitas & conſenſus ibi ex parte ſaltem intelligatur. Miror interim *Maldonatum* ſcripſiſſe eôdem etiam pertinere illud *Joannis* „ Pater, Verbum, & Spiritus San„ctus, & hi tres unum ſunt (ſententiâ huic plenè parallelâ) cum adeò apertè diſtinguantur *tres in cælo teſtes* à *tribus in terrâ*; cum de illis dicitur quòd ἕν εἰσι, de his quòd εἰς τὸ ἕν εἰσι, ut indicaret in *his teſtimonii conſenſum*, in *illis* etiam *naturæ & eſſentiæ*; nam de Textûs illius multiplici variatione (quam multis exequitur *Eraſmus* & imprimis urgent *Sociniani*) aliquid agere, cum ab aliis actum fuerit, non jam vacat: Duo præcipuè ſunt, quæ dictum Salvatoris de unitate eſſentiæ intelligendum eſſe evincunt.

Adverſus Maximinum lib. 3. cap. 22.

in 1 Joan. 5.

Vide Arnoldum in Relig. Socin. pag. 129. 130.

1. Joan. 5. 7.

Primùm quòd *Judæi* ad hoc Chriſti dictum *lapides ſuſtuliſſe* dicuntur, quibus illum obruerent, ut *blaſphemum* ſcilicet, quòd ità loquendo *ſe Patri æqualem* faceret, quod clarè eloquuntur v. 33. „ quia tu *homo cum ſis*, facis teipſum *Deum*. At hoc non feciſſent, neque adeò in eum ſævituri eſſent, ſi *voluntatis* tantùm *concordiâ* (quam ſibimet ipſis arrogârunt) ſe cum Patre unum fuiſſe dixiſſent. *Vel lapides* ergò *illi quos ſuſtulerunt* (ut ille non inelegantèr dixit) *clamant* contra illam loci iſtius interpretationem.

Vide Arnoldum, ubi ſupra & pag. 296. 297. & Maldonatum in Locũ.

Maldonat.

Ne verò obiicerent *Sociniani Judæos* ex Chriſti odio *perverſè* ipſius *verba interpretatos* fuiſſe,

Secundò etiam ipſorum verborum Chriſtique ibi argumentationis ſcopus & ſeries illam interpretationem falſam eſſe evincunt. Probat enim Chriſtus neminem *poſſe eripere oves ſuas è manu ſuâ* v. 28. quia non *è manu Patris* v. 29. Conſequentiam verò hanc probat verſu hoc 30. quia *ipſe & Pater unum ſunt*, hoc eſt κατὰ δύναμιν, ἢ τὸ τῆς δυνάμεως ἰσοσθένες *Chryſoſtomo* Interprete, quî inde rectiſſimè infert εἰ γὰρ ἡ δύναμις ἡ αὐτὴ, δῆλον ὅτι καὶ ἡ οὐσία: ut & *Euthymius*, „ unum potentiâ, ſeu ejuſdem potentiæ, quòd ſi unum potentiâ, unum ſanè & Divinitate & eſſentiâ, & naturâ. Imò ne ipſe *Smalcius unitatem potentiæ* in *ſalutis noſtræ ratione* hîc intelligi negare audet. At, ô bone, Potentia Chriſti in noſtrâ ſalute efficiendâ minor *infinitâ* nec fuit nec eſſe potuit, adeòque ſi (te fatente) *Chriſtus* cum *Patre unum* fuit, quoad *hanc potentiam*, neceſſe eſt (prout *Chryſoſtomus* & *Euthymius* colligunt) ut *unum* etiam ſint quoad *naturam* & *eſſentiam*.

εἰ μὴν εἰ κατὰ τοῦτο ὑπάλλαττον ἐκεῖνοι &c. *Chryſoſtom.*

Neque etiam valeret Chriſti conſequentia, ſi tantùm quoad *conſenſum* Chriſtus & Pater unum ſint: nimirum quia nemo ex Patris manu oves eripere potuerit, ideò neque ex manu Chriſti, niſi ut *eadem voluntas*, ità eadem eſſet *potentia & natura*. Quamvis enim Chriſti eadem voluntas cum Patre fuiſſet, (prout cujuslibet Sancti eſſe poteſt) utcunque ex Patris Omnipo-

tentia

tentis manu nemo oves eripere poterit, tamen Chriſtus (ut reliqui Sancti) *infirmus eſſe potuerit*, ut ex *ejus manu eripi* poſſent, & jactare poterint *Judæi*, nihil ad ipſum pertinere Dei potentiam, ut diſcipulis promitteret certum ejus præſidium. Nam quod quidam reſpondere ſolent, etiam ex voluntatum concordiâ idem probare poſſe, quia cum Pater idem quod Filius velit nunquam permittit, ut quiſquam de Filii manu oves rapiat, vel ut loquitur *Calvinus* „ Chriſto ità conjunctas eſſe cum Patre rationes ut ejus auxilium „ ſibi ac ſuis ovibus nunquam defuturum ſit, *Maldonatus* rectè docet hoc ex alio loco refutari Cap. ſcilicet ejuſdem Evangelii 17. v. 12. ubi non Patris auxilio, ſed ſuæ potentiæ tribuit, quòd nemo de manu ſuâ oves rapuerit. *Vide Calvinum in Lecum.*

Satis ergò à Socinianorum corruptelis jam vindicatum habemus illum locum atque inde ſatis validum pro confirmatione Theſeôs confectum argumentum primum.

Secundum hoc ſit, *Qui naturâ & eſſentiâ verus & æternus Deus* eſt, is Patri ὁμοούσιος eſt. At Chriſtus naturâ & eſſentiâ eſt verus & æternus Deus. Ergò. De Majori conſtat. Cum enim Deus *unus* ſit Deut. 6. 4. unàque numericè Divina eſſentia, hanc Patri convenire nemo dubitat. Si ergo eandem quoad ipſam naturam & eſſentiam Chriſtus etiam habeat, utique Patri ὁμοούσιος erit. *Argum. 2.*

Quod ad minorem attinet, Chriſtum quoad *ipſam naturam verum & æternum Deum* eſſe, invictè probant incommunicabilia ſummi Dei, ut *Jehovah, Deus exercituum* & alia *nomina*; *Omniſcientiæ*, *Omnipotentiæ*, ac alia *attributa*; omnium Creationis, Suſtentationis, Electorum Redemptionis opera ei paſſim in Sacrâ Scripturâ attributa; Adorationis, Invocationis, & reliqua Divini cultûs genera, à Sanctis (Deo approbante) ipſi impenſa; quæ omnia licet toto conatu ſuo omnique Satanæ aſtutiâ eludere conantur *Sociniani*, cum à *noſtris* non minùs copiosè quàm perſpicuè & ſolidè aſſerta fuerint, nobis in præſentiarum ea ultrà confirmare neque opus eſt, neque per tempus jam licet. Id ſolùm dixerim quòd ἀναντῤῥήτως probent Chriſtum eſſe *naturâ verum & æternum Deum*, ideòque *Patri* ὁμοούσιον.

Quæst. XL.

Status in quo homo nec juſtus ſit nec injuſtus, non datur.

Librum Auguſtanum *Interim* dictum improbârunt Proteſtantes primævi, nec minus ſtatum inter juſtitiam & injuſtitiam *interimiſticum* Orthodoxi reliqui: adeòque *ſtatum in quo homo nec juſtus ſit nec injuſtus* non dari contendit Doctiſſ. Reſpondens. Quæ res apertior eſſe videtur quàm quæ vel dici debeat, nedum in Controverſiam trahi. Nam *Sleidani Hiſt. lib. 20.*

I. Si Sacrum Codicem conſulamus, Δικαιοσύνη, quæ diſtributionum omnium optima eſt, ibi hâc in re ubique occurrit & obtinet, ut ex univerſo hominum qui unquam uſpiam fuerint, ſunt, vel futuri ſunt, ad unum omnes *Lux* ſunt vel *Tenebræ* Epheſ. 5. 8. ſine intermedio *crepuſculo* tali, de quo harum neutra verè prædicari poſſit, licèt de externo Eccleſiæ ſtatu tale aliquid dicatur Zechar. 14. 6.

Vel genuini *Dei filii*, vel *Diaboli* 1 Johan. 3. 10. non ex utriſque concretæ hybridæ aliquæ *Hermaphroditi monſtra* ſunt & naturæ vitia: *Centauros* ac *Tragelaphos* iſtos ad *Poëtarum* figmenta, hominem non hominem, lapidem non lapidem ad *Sphingis ænigmata* (cum inter *Sacra Oracula* non compareant) meritò ablegamus.

2. Si ipſam rerum naturam & veram Philoſophiam ſpectemus, cum ſpecifica rei cujusvis *eſſentia* & differentia in *indiviſibili* conſiſtat & ſpecies quæ totam generis univerſalitatem abſolvunt & exhauriunt ἀμέσως ἀνπδιηρημένα ſint, nihil intermedium quod de earum neutrâ participat vel ad earum alterutram reduci non poſſit extra earum ambitum relinquunt. Inter *extrema* quidem *medium* agnoſcimus, tam *negationis*, ut virtutem inter duo vitia extrema, quàm *participationis*, ut tepidum inter calorem & frigus at in *ſpeciebus immediatè oppoſitis* quale dabitur medium, quod ſub earum neutrâ continebitur? Agnoſco quidem *medium* (quod vocant) *ſubjecti* dari, quando res non eſt *ejuſdem generis*, ut *lapis* medium eſt negationis inter *ægrum* & *ſanum*, quia neutrius capax eſt: at medium *formæ ſpecificæ* rerum *ſub eodem genere* contentarum alteriùs rationis eſt. Quicquid de *medio* quoad *gradus remiſſos*, vel per *virtualem continentiam*, vel per *receſſum* Philoſophi diſputant; de his illi diſſerant; Nos quæ noſtra ſunt agamus. In iſtâ verò Controverſiâ nè cæcorum inſtar in tenebris cum larvis luctemur, inprimis videndum eſt; quos in eâ habemus Adverſarios. Cum verò *ſtatus* in quo aliquis *neque juſtus neque injuſtus* eſſe vel fingi poſſit ſit ſtatus vel *primævæ integritatis*, vel *lapſûs*, vel *reparationis*;

Vide Stablium Tit. 19. Reg. 14.

De *ſtatu lapſûs* hoc verum eſſe nulli affirmabunt præter *Pelagianos*, qui exiſtimant talem nunc humanam eſſe naturam, qualem initio primus homo de manu Creatoris acceperat referente *Bellarmino* de gratiâ primi hom. cap. 1. At ſecundùm eos homo nec propriè *juſtus* nec *injuſtus* fuit in *ſtatu creationis*, ideòque neque etiam ex nativitate in *ſtatu lapſûs*. Quam quidem hæreticam ſententiam licèt impugnet *Bellarminus* Cap. 2. ad eam tamen propiùs quàm par erat accedit cum Cap. 5. aſſerit non magis „ differre *ſtatum* homi„nis poſt lapſum Adæ à ſtatu ejuſdem in puris naturalibus quàm differat „ ſpoliatus à nudo: at in *puris naturalibus* Adam nec verè *juſtus nec injuſtus* cenſendus erat, ideòque neque *in ſtatu lapſo*: quod omninò *Pelagianum* eſt, & contra Apoſtolum qui Epheſ. 2. 3. omnes in ſtatu lapſo *filios iræ* eſſe pronunciat; at ubi ira, ibi priùs injuſtitia & licèt infantes *Innocentes* audiant, id comparativè ſolùm dicitur ad *adultos actualium* peccatorum reos, non ac ſi infantes omnes in *ſtatu juſtitiæ* eſſent.

Si verò objiciatur de Electis in ſtatu lapſûs ante Regenerationem, eos nec *injuſtos* eſſe, quia non ſolùm electi ſunt, ſed & *oves Chriſti* dicuntur Johan. 10. 16. nec etiam *juſtos*, quia *nondum juſtificati*, & ſi mors eos in illo ſtatu abriperet, æternæ condemnationi obnoxii; Reſpondeo,

Eos in ſe & quoad *præſentem ſtatum* eſſe *injuſtos*, neque hoc impedit eorum *electio*, quia *prædeſtinatio*, quoad *ſtatum actualem nil ponit in prædeſtinato*. Et licèt *oves Chriſti* dicantur, id tamen anticipationem *Divinæ Electionis* reſpicit, non *actualem juſtitiæ ſtatum*, ad quem eas adhuc *adducendas* eſſe Chriſtus pronuntiat, ità ut ſi in eo ſtatu diem obirent, *in ſe condemnationi obnoxii* eſſent, quod minimè interim ſupponendum eſt: cum (quò minùs illud eveniret) Providentiæ Divinæ decreto ſuccedaneæ cura eſt ut *electio obtineat*.

Si

Si rurſus de *regeneratis* objiciatur, eos nec *injuſtos* eſſe, quia *jam juſtificati* ſunt, nec *juſtos*, quia *injuſtitiâ* & variis peccatis *inquinatos*, imò aliquando in graviora & conſcientiam vaſtantia delapſos; Reſpondeo,

1. In genere hoc tantùm probat eoſdem homines eodem tempore, *alio* atque *alio reſpectu* & *juſtos* & *injuſtos* dici poſſe, non *per modum negationis* & *eodem reſpectu*, *nec juſtos nec injuſtos* eſſe, quod negamus; tantùm nec *perfectè juſtos*, nec *perfectè injuſtos* eſſe, quod citra cauſæ noſtræ detrimentum ultrò concedimus.

2. Si de peccatis *infirmitatis* & quotidianæ incurſionis ſermo ſit, nemo ex ullâvis parte eſt qui affirmat hujuſmodi peccata (contra quæ homo regenitus excubias agit, & de quibus commiſſis pœnitentiam agit) ità *ſtatum* ejus *mutare*, quin his non obſtantibus in *ſtatu juſtitiæ permaneat*. Hæc ergò cauſam noſtram non lædunt.

3. Si verò *atrociora* illa (in quæ regeniti, ut *David*, *Petrus*, alii, aliquando incidunt) ſpectemus, licèt *quoad alia* horum longè alia ſit ratio, quoad *hoc* tamen de quo inpræſentiarum agimus, *nil cauſæ noſtræ præjudicant*. Ex unâ enim parte *Pontificii*, *Sociniani*, *Lutherani*, *Remonſtrantes*, eos hoc in caſu *ex ſtatu juſtitiæ excidere* docent; ſecundùm hos ergò non jam *ſunt in ſtatu juſtitiæ*: ſecundùm alios, idque rectiùs *adhuc juſtificati manent*, adeòque non in *ſtatum injuſtitiæ* delapſi ſunt: neutri tamen tunc temporis *neque in ſtatu juſtitiæ nec injuſtitiæ* eos eſſe dicent, cum illi *in ſtatum injuſtitiæ relapſos* eſſe, hi in *ſtatu juſtitiæ adhuc manere* affirment.

Si denique quoad ſtatum reparationis objiciatur, dum adhuc homo Embryo eſt & tantùm *in præparatione ad Gratiam*, neque *in ſtatu juſtitiæ*, eſſe, neque *injuſtitiæ*, ſed inter utrumque pendulum, qualem in ſuâ perſonâ *Paulum* in 7. ad Rom. depingere volunt *Sociniani* & *Arminius*: ut & de *Cornelio* autumare aliqui poſſunt; „cujus preces & eleemoſynæ Deo ac„ceptæ erant Act. 10. 4. quem ergò non omninò extra ſtatum juſtitiæ conſtituebant, quem tamen *ad Petrum mittit*, ut „verba, quibus ſervari poſſit, *Act. 11. 14.* „audiret, adeòque *nondum in ſtatu ſalutis*, ac proinde neque in *ſtatu juſtitiæ* fuiſſe videri poterit: Reſpondeo,

1. *Paulum* in 7. ad Romanos de ſe tanquam in *ſtatu juſtitiæ*, non *antecedaneo* vel *medio* locutum eſſe plura in eo Capite dicta apertiùs probant, quàm ut vel *Socini* vel *Arminii* Sophiſmata improbare poterint, de quibus agere jam non vacat.

2. Quod ad *Cornelium* attinet, eum vel *ante* ad eum *Petri acceſſum in ſtatu juſtitiæ* fuiſſe præter *eleemoſynas à Deo acceptas*, & *exauditas orationes* ſatis evidenter probat ipſius Dei elogium quod fuit „, Δ σεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν „Θεόν Act. 10. 2. erat enim inter proſelytos fideles, adeòque in *ſtatu juſtitiæ* & *ſalutis*: & *credidit in Meſſiam incarnandum*, quamvis nondum didicerat *Chriſtum* eum fuiſſe, atque jam *incarnatum*; ad quod edocendum ad eum mittitur *Petrus*, à quo „ea verba auditurus erat, quibus ſalvus fieret, tanquam medio, quo in Chriſtum jam *incarnatum* & *revelatum* crederet, qui ſolus ipſi *author ſalutis* futurus erat; non quòd jam priùs *extra ſtatum ſalutis* & *juſtitiæ* eſſet, uti ex *Auguſtino* conſtat de Prædeſt. Sanct. lib. 1. cap. 7. & *Lombardo* lib. 3. Diſtinct. 25.

3. Quod ad præparationes illas ſpectat, quæcunque illæ demùm ſint, vel-

qualemcunque locum in gratiæ οἰκονομίᾳ obtineant, (de quo dicendi locus non eſt hic) certè ſi *præparationes* ad gratiam tantùm ſint, hominem *in ſtatu juſtitiæ* non conſtituunt, dum *gradus ad rem*, non *in re* fuerint. Sic *Pontificii* ideò *fidem juſtificare* negant, quia eam inter *præparationes* ad *juſtificationem* numerare volunt. Noſtri contrà eam *juſtificare* contendunt, quia Chriſtum apprehendendo nos *formaliter juſtos reddit*, non ſic facturi, ſi eam pro ſolâ *præparatione* haberent.

Atque hactenus evicimus, non dari ſtatum in quo homo nec juſtus nec injuſtus eſt in ſtatu vel *lapſûs* vel *reſtitutionis*.

Reſtat ſolus ſtatus *primævæ integritatis* & innocentiæ quem vel ſolùm vel præcipuè reſpicit D. Reſpondens, & de quo inter nos & alios inſtituitur hæc Controverſia: An ſcilicet Protoplaſtus *Adamus primitùs juſtus creatus* fuerit, vel in *puris naturalibus*, uti loqui ſolent, vel in tali ſtatu, in quo *nec juſtus nec injuſtus* dici poterat. Atque hîc omnes, qui *originale peccatum*, atque exinde *Chriſti gratiam* imminutum eunt, magis vel minùs ceſpitant.

Remonſtrantes Adamum juſtum creatum fuiſſe (quod novi) *non negant*. Imò *Arminius* hoc manifeſtè affirmare videtur, cum inter effecta primi peccati ponit privationem ſanctitatis & juſtitiæ illius primævæ: at ejus Pedanei *Remonſtrantes* † quæſtionem totam de juſtitiâ originali ineptam & inutilem cenſent: nimirum ut de hâc alto facto ſilentio, clanculum magis & inoffenſo pede ad originale peccatum elevandum, ſimul & evehendam Helenam ſuam (*liberum arbitrium*) accederent. Nos non ità edocti cum *Pareo* hanc controverſiam non λογομαχίαν eſſe, ſed *cardinem* plurium ex hâc ſequentium Controverſiarum de *pecato Originali*, *libero Arbitrio*, *ejuſque cooperatione cum gratiâ*, *de meritis*, aliiſque pluribus, iiſque maximi momenti *hîc volvi* judicamus.

Diſp. de primo peccato Theſi 15.
† *Apolog. cap. 5.*

De grat primi hom. Cap. 1. in fine.

Quod ad *Pontificios*; *Thomas* quidem 1ª parte q. 95. art. 1. apertè ſatis profitetur & probat *Adam in gratiâ conditum* & creatum fuiſſe: quem ſequuntur *Vaſquez*, *Janſenius*, alii. *Bellarminus* etiam Libro de gratiâ primi hom. quamvis rectitudinem illam ſupernaturalem eſſe contendat Cap. 5. *cum ed* tamen *Adamum creatum* fuiſſe ibi aſſerit, eamque in creatione accepiſſe probat Cap. 3. ſed non ità ſapiunt ex iis alii; qui ut ſtatum poſt mortem fingunt inter *cœlum* & *infernum*, ut *Eraſmum* inter utrumque pendulum, ſic *Adami* in Paradiſo *inter juſtitiam & injuſtitiam medium*. *Lombardo* hoc impingunt noſtrorum aliqui. At tale quid apud eum non invenio. Quamvis enim negat Adamum accepiſſe talem gratiam, quâ ità profi ere poterat, ut per gratiam creationis ſine aliâ mereri ſalutem valeret, illis ipſis tamen verbis *gratiam creationis* agnoſcit, & poſtea concludit quòd homo rectitudinem & bonam voluntatem accepit Lib. 2. diſtinct. 24. At *Alenſis* apertè docet „ videtur quòb non ab ipſâ Creatione, ſed pòſt, donum gratiæ fuerit „ homini collatum; Voluit Deus oſtendere (ait) quid de naturâ poſſent, & „ poſtea quid de beneficio gratiæ. Ex quo patet quod in puris naturalibus conditi erant. Quem in hoc alii ſequuntur *Pontificii*, quos in hâc cauſâ ex adverſo habemus Adverſarios.

Ameſ. Bell. enervat. Tom. 4. Lib. 1 cap. 1. Hoornbeck. Socin. Confut. lib. 3. cap. 2. pag. 546.

Sed potiſſimum *Socinianos*, qui aliquando, ubi magis ferociunt, *Adamum* in *primâ Creatione* non neque juſtum neque injuſtum, ſed *planè injuſtum* eſſe volunt. *Socinus* enim & *Smalcius* quicquid mali in hominibus

Socinus contra Puccium cap. 68. Smalcius contra Frantz diſp. 6. pag. 179.

nunc

nunc ineſſe videtur ab ipſis cum crearentur non abfuiſſe audacter pronuntiant; „ Adamumque ante illud delictum in arbore vetitâ nil contra con-
„ ſcientiam propriam feciſſe, nunquam probari poſſe, neque illo modo
„ conſtare eum ullâ ratione à peccando abſtinuiſſe *Socinus* aſſerit: imò non tantùm quoad moralia & ſpiritualia, ſed & quoad naturalia, ipſiſque ſenſibus obvia „ *Adamum* inſtar *infantis* vel *pueri* ſe nudum eſſe ignorâſſe; & de
„ conjuge propriâ non niſi ſenſibus obvia cognoviſſe affirmat *Smalcius*. Ubi verò mitiùs loquuntur, ſi *ſimplicitas* & *innocentia* ei attribuatur, ſatis ſuperque eſſe judicant, *minimè malum* fuiſſe fatentur, at non *bonum*, niſi quatenus *Bonum* vel *pulchritudinem* ſignificat, vel *aptitudinem ad Ideam*, quam ſibi Deus (ut opifex) in creando homine propoſuerat: at *bonum* vel *juſtum* creatum fuiſſe quoad *animi bonitatem moralem* vel *ſpiritualem* (non concreatam ſecundùm *Socinum*, ſed ex uſu liberi ſui abitrii, quo præditus erat poſtea conſequendam) id demùm niſi imperitè affirmari, imò Ideam in cerebro noſtro natam, de quâ ne γεῦ quidem in S. Literis, imò fœtidam fabulam eſſe, impuro ore blaterant.

Prælect. 3.

De vero Dei filio cap. 7. Smale. contra Frantz diſp 11. Socin. prælect. 3.

Ibid.

Contra quorum hâc in re calumnias, dicam an blaſphemias, vel ea ſolùm opponimus argumenta, quæ ipſe *Socinus* Prælect. 3. ſolvenda ſibi propoſuit, ſed ſolutione ſuâ confirmatiora reddidit. Quorum

Primum illud ſit Eccleſiaſtæ Cap. 7. 29. quòd „ Deus אדם Adamum vel hominem rectum fecit, quam *rectitudinem* ſolùm *ſimplicitatem* omnis mali expertem tantùm in ſe continere non etiam *veram* & *poſitivam ſanctitatem & juſtitiam* nunquam *Socini* vel *Smalcii* ſophiſmata efficient. Sed de hoc loco in confirmatione Quæſtionis huic gemellæ aliquando priùs egimus.

Argum. 1.

Vide Quæſt. 18.

Secundum ſit, quod apud eum primum & quidem palmarium eſt; quòd Geneſ. 1. 26, 27. „ Deus hominem creavit ad ſui ipſius imaginem & ſimili-
„ tudinem: at hæc *imago*, ad *quam ſancti renovantur*, in *ſanctitate verâ* & *juſtitiâ* conſiſtit Epheſ. 4. 24. Col. 3. 10. At quod renovatur, priùs *amittebatur*, adeòque & *primitùs habebatur*.

Argum. 2.

Adverſùs hoc Argumentum plura adfert *Socinus*;

1. Non inde ſequi hominem Deo ſimilem factum, per omnia, quia tum ità *immortalis* & *impeccabilis* factus fuiſſet, ut nec mori nec peccare potuiſſet. Reſpondeo.

Immortalitatem & *impeccabilitatem* Dei propriam eſſe, ex *attributis* Dei *incommunicabilibus*, quarum illa ex ipſius eſſentiâ, hæc non tam ex Dei ſanctitate, quàm ab ejus in eâ immutabilitate profluit. At ſanctitas & juſtitia ſunt ex *attributis* Dei *communicabilibus*, quarum homo pro modulo ſuo capax eſt, quæ etiam homini ad ſuum finem aſſequendum, ut mox videbimus, neceſſariæ erant. Si ergò in aliquibus Deo ſimilis fuit, tum in his maximè.

Junius.

2. At ſecundò objicit ſi ad imaginem Dei ideò dicatur quia juſtus, tum *poſt lapſum*, in quo *juſtitia amiſſa* fuit, *non* adhuc *ad imaginem Dei creari* dici poſſit. Sed de homine lapſo loquitur Scriptura ut *ad imaginem Dei adhuc creato*. Gen. 9. 6. Jacobi 3. 9.

Reſpondeo

1. Non poſſe probari iis in locis expreſsè dici homines *poſt lapſum* in *imagine Dei creari*, ſed potiùs *primitùs creatos fuiſſe*; cum in utroque loco verba

ba habeantur præteriti temporis נָשָׂה Gen. 9. 6. γεγονότως Jacobi 3. 9.

2. Concedatur licèt de quotidianâ jam hominum ad imaginem Dei creatione, nil tamen noſtro argumento accedet incommodi. Cum enim imago & ſimilitudo Dei ex pluribus integretur, utpote in *animæ eſſentiâ & facultatibus*, in *imperio ſuper creaturas inferiores* (quod utrumque *Sociniani* volunt) & præcipuè (ut *nos* iuxta Scripturam tenemus) in *verâ ſanctitate & juſtitiâ*; homo jam lapſus *quoad duo priora* jam in *imagine Dei* creari dici poteſt, *non amiſſâ* ipſâ *humanitate*, nec prorſus *exuto toto in creaturas dominio*, quod ſufficere poteſt ad nos cohibendos ab omni homicidio, & maledicentiâ, à quibus illis in locis nos dehortatur Spiritus S. argumento ex *hâc imagine Dei* in homine petito: deperdita licèt ſit *vera juſtitia* in ſtatu lapſo nondum reparato, quæ integra fuit in integro.

Sed 3. *Socinus* tandem poſtquam noſtram de *Imagine Dei* ſententiam refutare fruſtrà conatus fuerat, ſuam & ſuorum expromit. Eam „ non in mente & ratione (unde omnis juſtitia derivari poterat) præcipuè conſiſtere, „ ſed in dominatu rerum omnium præſertim inferiorum, quia ſic mox additur poſt hujus imaginis imprimendæ mentionem Gen. 1. 26. Quo dominio *nihil* in ipſo *Deo præſtantius* eſſe dicit; & in quo tandem conſtabit *ſumma* noſtra & futura in altero ſæculo *fœlicitas*, quando mors, infernum & *hoſtes noſtri* reliqui omnes nobis ſubjiciendi ſunt.

Quibus reſpondeo,

1. *Imaginem* Dei ex parte *in animâ* ipſiusque facultatibus conſiſtere non diffitemur, tanquam principalis ſuæ partis *ſubjecto* & *fundamento*, ut etiam in *Dominio* illo (quod adeò depereunt) tanquam in ejus conſequente & effecto: at ità in his ſolis, ut excludatur *vera ſanctitas* & *juſtitia* quis ferat? cum Sacra Scriptura hujus præcipuè meminit, ſine quâ Dominatio omnis non *verum Imperium* ſed *Tyrannis* foret, ſine quâ hoc quod volunt Imperium nunquam ritè exerceri potuit. Ideòque in Deo ità conjunctiſſima ſunt, ut audax nimis ſit *Socini Imperii Divini* cum *ſanctitate, juſtitiâ, bonitate Dei* comparatio.

2. Neque beatitudo noſtra ultima in eo ſolo conſtabit, quòd *hoſtes* omnes noſtros *dominationi noſtræ ſubditos* habituri ſimus, ſed in conſummatiſſimæ *ſanctitatis*, atque cum eâ & per eam beatificæ Dei viſionis adeptione. Neque verò *hoſtes* illi noſtri ſolùm *mors* & *infernum ſunt*, ſed utriuſque parens *peccatum*, cui *ſanctitas* & *juſtitia* contraria ſunt.

Argum. 3. Argumentum tertium quod exagitat *Socinus* eſt illud ex Gen. 1. 31. deductum, in quo dicitur „ Deum vidiſſe omnia quæ creaverat valdè bona fuiſſe. At *Bonitas* rei in *fine* eſt. Ergò cum *valdè bona* creata dicuntur, hoc indicat ea *aptata* & ſatis inſtructa facta eſſe ad *finem* hunc ſuum aſſequendum. Sic in *aliis* rebus creatis ex creatione obtinuit: quidni ergò & in *homine*, vel potius in eo magis, qui præ reliquis fuit *omnium optimus* & maximus? Hujus proinde finis fuit ipſius *Salus æterna*, & *Creatoris* inprimis *gloria*, in Dei cultu & fruitione habenda. At hæc ſine *ſanctitate & juſtitiâ* nunquam aſſequenda erant. Concreandæ utique homini creato juſtitia & ſanctitas, quia *Deus non deficit in neceſſariis*. At *juſtitia & ſanctitas ad hos fines neceſſariæ* erant; ad eos enim obtinendos num ſufficiet unquam quòd homo *creatus* fuit in *imagine Dei*? *Socinianâ* ſcilicet.

1. Cum

1. Cum *mente* & *ratione* vel animâ rationali ac ſi his facultatibus Phyſicè tantùm *naturalibus actiones* verè *ſpirituales* (& quoad naturam illam purè Phyſicam *ſupernaturales*) edere, atque ità cœleſtis gloriæ particeps fieri potuit. Præter *Pelagium* credat hoc unus *Socinus* cum ſuis aſſeclis; nullus (ſcio) ex verè ſanctis, ſaltem Orthodoxis.

Num etiam hoc præſtabit

2. *Dominium in creaturas* (in quo Dei imaginem præcipuè conſtitiſſe volunt) *amotâ juſtitiâ cum ſanctitate*? Sine quibus tantum abfuit ut Deo & Creaturis debita officia redderet, ut ne hoc *imperium* ipſum *legitimè exercere* potuiſſet, cum *ſine juſtitia Imperium* in *Tyrannidem* ſemper vergat.

3. Si *Smalcius* pro munificentiâ ſuâ præter animam rationalem, & in creaturas dominium Adamo in Creatione quoad moralia concedat *ſimplicitatem* quandam, vel *negativam* (ut ità dicam) *juſtitiam*, ut raſa tabula, hoc eſt (prout ille loquitur) *ſimplex* & *expers omnis mali*, adeòque ut *non injuſtus* eſſet; num hæc *negativa juſtitia*, vel *non-injuſtitia* ad finem ſuum eum unquam adduceret, hoc eſt eum *rectum, juſtum, Deo obedientem, beatum* efficeret? Non dicam quidni etiam brutum & lapidem? Audacter tamen dixerim, *negativam juſtitiam*, vel nudam *non-injuſtitiam*, neminem vel hîc coram Deo *rectum* reddere, nec in cœlis tandem cum Deo *beatum*. Cum Propheta dixerat „ Deſinite malefacere, non ibi ſubſtitit, ſed continuò ad- *Iſaiæ.* 1. „didit, diſcite benefacere: non in nudâ peccati abſentiâ, ſed contrariis *qua-* 16, 17. *litatibus poſitivis* in Sanctis jam renovatur *Dei imago*, adeòque iiſdem primitùs infuſis integrabatur. Ad futuram gloriam verò quod attinet, ipſum *So-* *Prælect.* 3. *cinum* aſſertorem habemus, „ in cœlis neminem imaginem illam adipiſci *p.* 56. „poſſe, niſi alia imago antecedat, ſanctitas ſcilicet, & non ſola innocentia. Si *infidelitas negativa neminem damnet*, multò minùs *negativa juſtitia* vel ſanctitas quenquam *ſalvum faciet*.

QUÆST. XLI.

Iacobi ſententia de juſtificatione non eſt adverſaria Paulinæ.

CUm verò S. *Paulus* poſt accuratam admodum & benè longam de *juſtificatione* diſputationem concludendo dixerit λογιζόμεθα γὰρ „ Colligimus *Aſſeveramus, ſic Melanchthon.* „ igitur fide juſtificari hominem χωρὶς ἔργων νόμου abſque operibus „ Legis Rom. 3. 28. idque ſcientificè, εἰδότες ὅτι ſcientes non juſtificari hominem ex operibus Legis ἐὰν μὴ διὰ πίστεως quod idem eſt ac ſi dixiſſet, ſed fide ſolâ Gal. 2. 16. S. *Jacobus* verò contrà, poſt exquiſitam etiam hâc de re diſquiſitionem concluſionem illam induxerit; quaſi ipſius oculis & ſenſibus obviam, „ ὁρᾶτε τοίνυν &c. videtis igitur ex operibus juſtificari hominem, καὶ οὐκ „ ἐκ πίστεως μόνον & non ex fide tantùm Cap. 2. 24. hocque inſuper probat ipſiſſimo *Abrahami* exemplo v. 21, 22, 23. quod *Paulus* pro *juſtificatione ex* *Rom.* 4. *ſolâ fide* ſæpiùs adduxerat: cum inquam per *idem medium contrariam concluſionem* inferre videntur, annon ſibi invicem *adverſantur? homo juſtificatur* 3, 22. *fide ſolâ abſque operibus, homo juſtificatur ex operibus, & non ex fide tantùm,* *Gal.* 3. 6.

annon hæc ἀσύμφωνα? --infeſtiſque obvia ſignis ſigna-- & pila minantia pilis? Annon *contradictoria* (qualia hæc eſſe videntur) ſibi mutuò ſunt *adverſaria*? Num igitur ad hæc ferruminanda, & tanta ſententiarum componenda divortia, ad *Weigelii Scholam mentalem* nobis tandem accedendum eſt, quæ *contradictoriorum* combinationem, *edque ſimul vera* eſſe poſſe nos doceat? An potius *Jacobum Paulo* apertè contradicere pro comperto habeamus? *Hoc utique Ithacus velit*; hoc *Julianus*, *Porphyrius*, atque *Ethnici* plures alii contra S. Scripturam quaſi contradictoria loquentem ore blaſphemo objicere ſoliti erant. Cum verò Chriſtus ὁ Ἀμὴν *teſtis* ille *fidelis* & verax ſit, cujus Spiritus *Spiritus ille veritatis* ſit, quem Apoſtolos ſuos (præcipuè in conſcribendo Sacræ Scripturæ Canone ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένους) *in omnem veritatem ducturum* certò promiſit; Certè non permiſit ut „ ſermo eorum „ ναὶ καὶ οὔ *Etiam* & *Non* eſſet, ut ipſe *Paulus* de ſeipſo loquitur 2 Cor. 1. 18. Minimè omnium, ut dum *S. Scripturas* exarârunt, ſibi mutuò contradicerent: imò contrà ex ſummâ earum (non obſtante tantâ rerum varietate & obſcuritate, tantâ etiam inter earum Scriptores temporum & locorum intercapedine ex ſummâ, inquam, earum) per totum *harmoniâ*, eas veraciſſimi, omniſcii, immenſi & æterni Dei, cui omnia præſentia & notiſſima ſunt, ipſum Θεόπνευστον verbum eſſe invictè probant Theologi.

Vide Crocii Antiweigel. parte 1. qu. prælimin. 2. pag 18, 19. &c.

Apoc. 3. 14. Johan. 16. 13. 2 Pet. 1. 21.

At piè utique & veriſſimè dixit ille „ Amicæ Scripturarum lites, uti„ nam & noſtræ. Ad noſtras quidem componendas pacifici magis ingenii viri aliquot piam impenderunt operam, ſed præ exulceratis heu nimium animis & partium ſtudio, inutilem, utpote frauſtraneam, ne dicam de *Henoticorum* noſtrorum aliquibus parùm tutam, imò pernicioſam, dum interpolatâ, imò *proditâ* eâ pro quâ pii majores noſtri ſuum ſanguinem effuderunt *veritate*, *Chriſti* cum *Antichriſto Syncretiſmum* adornare, & *cymbam noſtram Romano ſcopulo* (ad quem allideretur) admovere ſatagunt, *ipſo* interim manente prorſus *immobili*. Ex quo enim *Romana Eccleſia* ſibi alioquin ruituræ ſuam *infallibilitatem* pro fundamento poſuit, neutiquam expectandum eſt, ut vel minimùm à decretis ſuis recederent, vel nobis concederent unquam. *Papa* igitur *infallibilis* ſemper erit *immobilis*, adeòque *Roma* ſine veritatis diſpendio omninò *irreconciliabilis*, „ Ferrum cum luto commix„ tum non cohœrebit. „ Quæ enim communio Lucis cum tenebris, aut „ quæ concordia Chriſto cum Belial?

Caſſander.

Vide Bezam in Gal. 10. D. Hall. & Bellarmin. de Laicis cap. 19.

Dan. 2. 43. 2 Cor. 6. 14, 15, 16.

Cum verò Sacra *Scriptura tota aurea* ſit, & ſibi homogena, optimè per omnia conſolidari poteſt, *Spiritus infallibilis* in eâ loquens, nunquam *ſuorum dictorum oblitus*, *ſibimet contradicere* nequit. *Cœli motus* licèt *varii* ſint, *nullibi* tamen *ſibi mutuò viam obſtruunt*. Quicquid de inibi *Phænomenis* (quæ fingunt Aſtronomi) fuerit, in hoc cœlo non veræ ἀντιφάσεις, ſed tantum ἐναντιοφάνειαι ſunt. Non *ſunt*, ſed *videntur*, idque præ cæcitate noſtrâ medii vel ſenſorii vitio, vel objecti (rerum ſcilicet ibi memoratarum) abſtruſiori naturâ, & longiori locorum, temporum, morum, ſenſuum noſtrorum diſtantiâ. In *moralibus* & *practicis* nulla ferè vel ſpecie-tenus eſt diſcrepantia: in *Polemicis* (prout nobis lippientibus videtur) aliqua, in *Hiſtoricis* & *Chronologicis* plura, ad quæ ritè concilianda multi viri docti tam antiqui quàm recentiores piam utique neque minùs utilem navârunt operam. In quâ eſt ubi aliquando hærent, neque ſe adeò faciliter expediunt. At in hâc ſaltèm

Althamerus. Sharpius. Manaſſe Ben Iſrael.

Paulum

Paulum inter & *Jacobum* enantiophaneiâ minor ſpero futura eſt conciliationis difficultas. Nam quamvis inter cauſas reliquas propter hanc forſan (quæ primo aſpectu videri poterat) *Jacobi* à *Paulo* diſcrepantiam hæc *Jacobi Epiſtola* apud aliquos νοθεύς & *ſuſpectæ fidei* eſſe videbatur, ut *Euſebius* ſemel atque iterùm memoriæ prodidit, ob quam etiam *Lutherum* hanc Epiſtolam *ſtramineam* dixiſſe *Pontificii* clamitant, nos tamen ſanctiùs de eâ ſentimus, & dum *Pontificii* aliqui quò S. Scripturæ authoritati magis derogare poſſent, eam obſcuram eſſe probare vellent, quod ea ſibi contradicat; Nos tamen nihil tale hîc vel conſpicimus vel ſuſpicamur. At unde demùm erit, quo hæc ſaltem apparens contradictio evaneſcat? Scilicet ex vulgatâ illâ *oppoſitorum* regulâ quòd *eidem* attribui *ſecundùm idem, ad idem*, & *eodem tempore* non poſſunt: nam ad veram *contradictionem* requiritur 1. ut *idem prædicatum* de *eodem ſubjecto affirmetur* & *negetur*. 2. κατὰ τὸ αὐτὸ *ſecundùm eandem ſubjecti partem*. 3. πρὸς τὸ αὐτὸ *ſecundùm eundem reſpectum*. 4. ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ *uno eodemque tempore*. Ad hanc verò (de quâ agimus) Contradictionem amoliendam nihil opus habemus tribus ultimis ad Contradictionem requiſitis: nobis ſufficit primum illud; ſi *ſubjecta* & *prædicata* in his ſpecie-tenùs oppoſitis propoſitionibus non *eadem* ſint, neque idem de eodem affirmetur & negetur, nulla utique in *rebus* erit *oppoſitio*, vel in *propoſitionibus contradictio*: at ut volunt non ſolùm *Pontificii*, ſed etiam ex *noſtris* plurimi, ità hîc ſe res habet. Cum *Paulus* dicit quòd *fides juſtificat*, & *non opera*, *Jacobus* contra, *opera juſtificant*, & *non fides ſola*, nec quoad ſubjectum *eadem fides* vel eadem opera, nec quoad prædicatum *eadem* utrinque *juſtificatio*: atque ità expedita res eſt, lis facilè dirempta, nulla omninò manet contradictio, nulla inter ſanctiſſimos Apoſtolos controverſia.

Hiſt. lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 25.

Vide Sharpii Epiſt. dedicat. ad Symphoniam ſuam.

Cum verò & *Noſtri* & *Pontificii* hoc idem in genere dicant, in particulari ſententiarum ſuarum explicatione in diverſa abeunt.

Horſum *Pontificii*. Licèt quoad ſubjectum *fides* de quâ uterque Apoſtolus loquitur ipſis *eadem* ſit, tamen non *eadem opera*, neque, quod ad prædicatum attinet, *eadem* illis *juſtificatio*. Opera enim, quibus *Paulus juſtificationem derogat*, volunt eſſe opera *ante fidem* ingeneratam facta, quæ verò *Jacobus hominem juſtificare* aſſerit, eſſe bona *opera ex fide prodeuntia* & cum per *juſtificationem* nihil aliud intelligunt niſi *inhærentis gratiæ* vel *primam infuſionem*, vel *augmentum* & *exercitium*, atque illam primam juſtificationem, hanc ſecundam faciunt; His ſic poſitis dicunt *Paulum* ſtatuere *fidem hominem juſtificare juſtificatione illâ primâ*, nimirum quatenus hominem *præparat* & diſponit ad gratiæ inhærentis perceptionem, adeoque & negare *opera ante fidem* facta ità *juſtificationem illam* vel *efficere*, vel ex condigno *mereri*: *Jacobum* verò aſſerere volunt *non fidem ſolam*, ſed conjunctim cum *operibus ex eâ prodeuntibus ſecundam hanc juſtificationem*, hoc eſt gratiæ inhærentis augmentum, adeòque hominem priùs juſtum magis adhuc inhærenter juſtum efficere, & mereri gratiam ulteriorem & vitam æternam. Hæc *Pontificiorum* hâc de re ſententia eſt: hæc apparentis hujus contradictionis conciliatio.

Sed in multis peccat. Ut plura omittam, quæ falſò hîc affirmant, quæ cum ad rem præſentem non adeò ſpectent, hujus loci non ſunt, qualia illa, quòd *fidem juſtificantem* in *nudo* veritati Divinæ *aſſenſu* ponant, quòd eam *juſtificare* tantum per modum *præparationis* ad gratiam, ità tamen ut

eam *ex congruo mereatur* ſtatuant, quòd *opera*, quæ *ex fide* fiunt, *Gratiæ alterioris* & *vitæ æternæ ex condigno meritoria* ſint.

Ea quæ cum præſenti inſtituto conjunctoria ſunt, hæc ſunt.

1. Quod *eandem fidem* eſſe volunt, ex quâ *Paulus* hominem *juſtificari aſſerit*, *Jacobus* verò *negat*: cum *Jacobus* per *fidem*, cui *juſtificationem adimit* vel ſolam *hypocriticam* fidei *profeſſionem*, vel potiùs *jactationem externam* intelligit, uti manifeſtè conſtat ex v. 14. ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν & ſequentibus ad v. 18. vel *nudum* tantùm veritati Divinæ *aſſenſum* v. 19. quam (cum *operibus vacua* ſit) non magis *veram fidem* eſſe aſſerit, quàm vera illa *charitas* eſt, quæ ſola *in verbo & lingua* eſt, *non in facto & veritate conſiſtit* 1 Joan. 3. 18. imò fidem hanc *Diabolus* comunem eſſe oſtendit: *mortuam* etiam vocat (ut *homo mortuus* non eſt *homo* niſi ſolùm *æquivocè*) eumque qui de eâ gloriatur *vanum* hominem appellat. Num verò *talis* illa *fides*, cui *Paulus juſtificationem* attribuit? Abſit! id verò deteſtatur *Paulus* ad Rom. 3. 8. & Cap. 6. ubi poſtquam in Capitibus prioribus *juſtificationem* ex *ſolâ fide* aſſeruiſſet, tandem qualem fidem intellexerat apertè explicat; nempe *omni peccato inimicam*, *vivam*, efficacem, *bonis operibus coruſcantem*: quam Jacobus metonymicè *opera* vocat, hoc eſt, *operantem*, atque ità in hoc cum *Paulo* omninò convenit.

v. 19. v. 20.

2. In eo peccant, quod dicant *Jacobum* de *operibus ex fide factis* loqui, cum ea nos juſtificare affirmat, *Paulum* verò agere de operibus non ex fide ſed ex ſolo libero noſtro arbitrio & *naturæ viribus* factis quando eis juſtificationem derogat. Quod ex Rom. 4. falſiſſimum eſſe aliàs evicimus.

3. Quòd cum *duplicem juſtificationem* conſtituant, *primam* in *prima infuſione habitûs gratiæ*, *ſecundam* in *ejuſdem profectu* & augmento, volunt Paulum *primam illam juſtificationem* (id eſt primam gratiæ infuſionem) *fidei* tribuere in quantum ad eam *præparatio* eſt: *Jacobum* verò *ſecundam operibus* aſſignare, quatenus per ea habitus gratiæ corroboratur, & homo *priùs juſtus magis juſtus* efficitur. Ubi plura ſunt animadverſione digna.

1. Quod *juſtificationem* cum *ſanctificatione* confundant, cum *Paulus* apertè *juſtificationem* in *peccatorum condonatione* & *acceptatione Divinâ* ponit Rom. 4. *Sanctificationem* individuo licèt nexu cum juſtificatione *conjunctam*, non cum eâ *eandem* Capite demùm ſexto probare incipit.

2. Quòd *fidem* ad *juſtificationem* tantùm per modum *præparationis* conducere volunt: cum actu fidelem in *ſtatu juſtitiæ* ponit Joan. 1. 12. Rom. 1. 17. & per modum *inſtrumenti Chriſti juſtitiam* nobis applicat, quæ nos *formaliter* juſtificat.

3. Quòd *ſecundam juſtificationem* fingant, cujus Scriptura non meminit, neque eam admittimus nos, niſi ſic dici poſſit vel *continuatio* juſtificationis, vel ejus externa *declaratio* vel hîc per *bona* noſtra *opera*, vel per *publicam* illam *Dei* in die ultimo *renunciationem*.

4. Quòd hanc ſuam *ſecundam juſtificationem* hîc intelligere *Jacobum* volunt cum *ex operibus* nos *juſtificari* dicit. At quid hoc vult ex eorum ſenſu? niſi quòd per *bona opera* & obedientiæ curſum *habitus gratiæ* infuſus *auctior* ſit, & homo magis juſtus efficitur. At qualis hæc inanis λογομαχία? An quis unquam noſtrûm hoc in ſenſu nos *per opera juſtificari*, hoc eſt *benè agendo meliores fieri* negaverit? Qualis etiam ſenſûs Apoſtolici depravatio?

Num

Num enim hoc agit Apoſtolus, ut probet nos benè agendo proficere, & majores ad benè agendum vires acquirere? Quàm hoc ineptum & ab Apoſtoli propoſito alienum! Annon hic manifeſtus ejus ſcopus, ut *homines fidem Chriſti profitentes malè interim viventes* à *vanâ fidei jactantiâ avocaret*, eosque à verâ *juſtificatione* quàm longiſſimè *remotos* eſſe oſtenderet? ubi duo præterea notare licet, quæ interpretationem *Pontificiam* planè evertunt.

Primùm quòd Apoſtolus *Jacobus* ad ſententiam ſuam firmandam exemplum *Rahab* adducit *per opera juſtificatæ*. At hæc *Rahab* juſtificatio (ſi *Bellarmino* credamus de Juſtific. lib. 4. cap. 18.) *prima juſtificatio* fuit, non ſecunda, quam hîc intelligi volunt. Neque hîc valet *Bellarmini* illud σοφὸν φάρμακον, quod argumentum ſit *à maiori*, cum *ſimplex* & *abſoluta* ſit probatio.

Secundum etiam hoc eſt, quòd Apoſtolus non de juſto magis juſto facto hîc agit, ſed contra hypocritas nondum primam illam (de quâ loquuntur) juſtificationem adeptos. Falſa ergo & fruſtranea eſt illa *Pontificiorum* conciliatio.

Videamus ergò an *noſtri* eam fœliciùs expediant. Ut verò *Pontificii* aliam *juſtificationem*, atque alia *opera* in his locis intelligi volunt; ſic noſtri Theologi non *eandem juſtificationem*, nec *eandem fidem* ab *utroque Apoſtolo* intelligi exiſtimant, atque inde nullam contradictionem eſſe probant.

Ad primum quod attinet: *Juſtificationem* duplicem faciunt vel *coràm Deo* Pſal. 143. 2. vel *coràm hominibus*; illam in *condonatione peccatorum* & *acceptatione Divinâ* conſiſtere volunt, hanc in *priorus* illius *comprobatione* & *declaratione*; nam ut duplex eſt fidelium *accuſatio*, una à *Deo*, *Lege*, & *Conſcientiâ*, à quibus *verè peccati rei* aguntur, altera à *Diabolo* & *impiis*, à quibus *falsò hypocriſeos*, *mercenarii animi* ac *nefariorum* rei perhibentur, ſic duplex itidem juſtificatio, una quâ *in ſe verè peccatores abſolvuntur* gratuitò propter Chriſtum, altera, quâ ut *verè ſanctificati* abſolvuntur â *falſis Diaboli* & improborum *criminationibus*. Harum *priorem Paulus ex ſolâ fide* eſſe probat; *poſteriorem* illam *per opera* fieri dicit *Jacobus*: atque ità nulla erit Contradictio: hoc modo conciliationem hanc ineunt *Calvinus*, *Beza* & alii plures. *Sharpius. L. de Dieu.* Quam quidem ſuadere videntur plura, quæ in Textu Apoſtolico occurrunt, qualia hæc ſunt, *Oſtende* mihi fidem tuam &c. v. 18. *Vides* fidem adminiſtram eſſe operum ipſius v. 22. Quòd etiam v. 21. *Abrahami oblationem filii* ſui hujus exemplum affert: non verò juſtificationis *coram Deo*, quam ante per annos circiter triginta adeptus fuerat, ſed comprobationis ejus, & manifeſtæ declarationis, prout ipſe Deus teſtatus eſt Gen. 22. 12. „ jam cognovi te timere Deum. I.

Sed non deſunt quædam, ex quibus alii quidam Doctiſſimi Interpretes de hâc *Jacobi* explicatione & cum *Paulo* reconciliatione dubitant. Primum, quòd ſcopus Apoſtoli ſit probare *fidem ſine operibus hominem non juſtificare* vel *ſalvare* v. 14. at hæc juſtificatio *coràm Deo* intelligi debet. *Vide Piſcatorem in Analyſi Jac. 2. 14, 15. &c.*

Deinde ad hoc probandum Exemplum *Abrahami* adducit de *imputatâ ejus fide ad juſtitiam* v. 23. at hæc juſtificatio coràm Deo fuit, atque ad illud probandum *Paulus* illum de *Abrahamo* locum Rom. 4. allegaverat. Denique cum verſu 24. concludit *hominem ex operibus juſtificari*, *& non ex fide tantùm*; ſi juſtificatio illa de *declaratione* intelligenda eſſet, tum ſequeretur

ex illis verbis declarationem illam fieri non ſolùm per *opera*, ſed etiam per ipſam *fidem*, quod fieri nequit. *Fides* enim per ſe cum interna & inviſibilis ſit, non niſi per *opera declarari* poteſt.

Quamvis igitur aliquid in ſe veri habeat, quod huic Conciliationi inſervire poterit hæc prior ſententia, ut mox conſtabit, eam tamen ut minùs ſolidam, nec per omnia huic loco convenientem prætermittere liceat.

2. Ad ſecundam ut magis tum veritati tum ſcopo Apoſtoli conſentaneam accedamus. Ea verò non tam de *juſtificatione* (quam utrobique eandem eſſe ſumit) quàm de *fide* diſtinguit, quæ vel propriè & *univocè* ſumitur, quæ viva, efficax & bonis operibus ſemper ſtipata eſt, quam ideò *Jacobus opera* metonymiâ effecti vocat v. 24. quando per opera hominem juſtificari dicit, hoc eſt per fidem operantem. Vel etiam fides aliquando *æquivocè* & abuſivè ſumitur vel pro *externâ* fidei *profeſſione* aut *inani* potiùs fidei *jactatione*, ut cum hypocrita aliquis *dicit ſe habere fidem* v. 14. vel nudo & jejuno veritati Divinæ aſſenſu qualis in *Diabolis* invenitur v. 19. quæ licèt vera fides nec apud *Paulum* nec *Jacobum* fuerit, illam tamen *Jacobus* per *mimeſin* vel *conceſſionem* (ne de verbis litigare videatur) non ex proprio animi ſenſu, ſed pro loquendi modo adverſariorum contra quos diſputat, per totam ferè diſputationem *Fidem* vocat. Jam verò *Paulus primam illam fidem juſtificare* abundè probaverat, hîc verò *Jacobus hanc ſecundam non juſtificare* contendit, ſine omni inter ſe (niſi pro veritate) contentione. *Paulus* adverſus Judæos & *Judaizantes Chriſtianos*, qui *opera* eorumque merita (ut *Pontificii* hodie faciunt) crepabant, hominem *ſolâ fide* in Chriſtum juſtificari ait, ubi de verâ juſtificationis ratione agit, ſcilicet dum contra eos diſputat *operum juſtificationem* ſtabiliebant.

Quod Pareus 4. argumentis probat in Jacob. 2. 21.

v. 14, 17, 18, 19, 20, 24, 29.

At his devictis & triumphatis ſurrexerunt alii, qui non modò operum juſtificationem, ſed & *ipſa* etiam *opera* (ut hodierni noſtri *Antinomi*) tollebant, & cum vitæ flagitioſiſſimæ fuerint, *fidem*, *fidem*, hoc eſt fidei nudum aſſenſum, profeſſionem, imò inanem jactationem ad ſalutem ſufficere clamitabant, ut oſtendit *Auguſtinus* in Libro de fide & operibus Cap. 14. unde (ut ibidem oſtendit Sanctus ille Pater) „ aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ, *Petri*, „ *Joannis*, *Jacobi*, *Judæ* contra illam hæreſin maximè dirigunt intentio„ nem, ut vehementer adſtruant fidem *talem* ſine operibus nil poſſe. Cum ergò *Paulus aſſerit* nos juſtificari *verâ* fide, *Jacobus* negat nos juſtificari fide *falſâ*. Cum *Paulus* opera à *juſtificatione*, non à *fide juſtificante* ſejungit. *Jacobus* opera fidei ut ejus effecta non juſtificationis ut ut ejus cauſam connectit, an hîc aliqua contradictionis vel ſpecies eſt? quin potiùs ut apud *Paulum* defenditur gratuita juſtificatio ex fide ut opera ipſa bona non tollantur, ſed juſtificandi vis illis detrahatur, ità hîc apud *Jacobum* vice verſâ, ità ſtabiliuntur opera, non ut juſtificandi vis illis tribueretur, ſed ut vera juſtificatio ex illis tanquam effectis colligeretur; atque ut oſtenderetur eam demùm veram eſſe fidem, quæ ità ſola juſtificat coràm Deo, ut ſeipſam per bona opera juſtificet, & teſtatim faciat coràm hominibus. *Beza* mihi videtur rem totam ſatis accuratè confeciſſe, in cujus verbis finiam omnia. „ Illic „ [ſcilicet apud Paulum] de cauſâ [juſtificationis] quæſtio eſt; hîc verò „ [ſcilicet apud Jacobum] de effectis; illîc à cauſâ ad effecta deſcenditur, hîc „ ab effectis aſcenditur ad cauſam; illîc quæritur quomodo juſtificemur, hîc

In Locum Jacobi.

quo-

„ quomodo juſtificati fuiſſe intelligamur; illîc excluduntur opera tanquam „ juſtificationis cauſa, hîc ſtabiliuntur ut juſtificationis effecta; illîc deni- „ que negantur opera præcedere juſtificandum, hîc dicuntur juſtificatos „ conſequi; quæ minimè ſibi mutuò contradicunt, ſed conſpirant amicè. Concludo igitur cum *S. Auguſtino* in Pſalm. 31. „ Jacobus ipſius Abrahæ „ commendavit opera, cujus Paulus fidem: & non ſunt ſibi adverſi Apo- „ ſtoli; vel cum Doctiſſ. Reſpondente, Jacobi ſententia de juſtificatione non eſt adverſaria Paulinæ. *In Præfat.*

QUÆST. XLII.

Uſura legitima non eſt illicita.

AT quid Academicis cum *uſurâ*? qui potiùs *verſuram faciunt*, atque cum omnes *artes* excolant, hanc unicam maximè illiberalem minimè omnium (cauſam probè nôſtis) callent *Trapeziticam*. Quin etiam (quod ad terminos Quæſtionis attinet) id quod *legitimum* eſt *licitum eſſe* quis prudens unquam negaverit? Sed D. Reſpondens vult, id quòd *humanâ Lege* vel mandatum vel permiſſum, atque eo in ſenſu *legitimum* eſt, *Divinâ* etiam *licitum* eſſe. At quis demùm pius hoc dixerit? Num verò Leges humanæ ſemper ἄμεμπτοι, ἀναμάρτητοι? Annon ſæpè *iniquæ* ſunt? Annon in *re uſurariâ* æquè ac in aliis *dura injuſta* ſancire poſſunt, quæ *jure Divino* omninò *illicita* ſunt? Si dicas de iis intelligi quæ *rectè licitèque* ſanciunt, dicam Ego; at hoc omninò ταυτολογικὸν eſt ac ſi diceres *quod licitum* eſt, *id licitum* eſt. Si regeras, hujusmodi non adeò captandas eſſe minutias: illud ſolùm in genere intelligi, *uſuras* illas *Legi Dei non repugnare*, quæ *menſuram* à *Legibus humanis de eis editis conceſſam non excedunt*, atque ità dum ſic *legitimæ* ſint, ſimul & *licitæ* erunt: quamvis hîc etiam eadem redeat objectio, miſſam tamen eam facio; mentem D. Reſpondentis teneo; at nondum terminis quæſtionis plenè acquieſco: primò quòd ipſiſſimis terminis terminantibus quaſi in os obſiſtat τῷ πάνυ illi nec unquam (quod ille ibidem de *Calvino* dixit) *ſine ſummi honoris præfatione nominando*, qui Theſin hanc [Uſuræ legitimæ ſunt illicitæ] hoc ipſo in loco propoſuit & determinavit. Secundò & præcipuè, quòd ſi abſque explicatione & limitatione omni, crudè & nudè hoc modo proponatur, inviſum *Uſuræ* nomen magis quàm par eſt cohoneſtare, ipſique inprimis S. Scripturæ (quæ eam ubique condemnat, admittit nuſpiam) contradicere videtur. *D. Andrewes.*

Præterea & illud mihi ingenuè fateri liceat, me ægerrimè adduci ut de re iſtâ noſtram palàm proferam ſententiam, non quòd veritatis me ullatenus pudeat, ſed quòd uti de *Deo* præ *infinitâ Majeſtate ſuâ* dici ſolet, ità de *uſurâ* præ eâ quâ obruitur *invidiâ*, dici poſſit, *vel vera dicere periculoſum eſt*, vel ſaltem *hiſce* præſertim *temporibus intempeſtivum*, in quibus graviſſima hâc de re utrinque pergliſcunt præjudicia: iniquiſſima, etiam & maximè nefaria ubique graſſantur fœneratorum *Trapezitarum* (ſi cum *Ambroſio* loqui velimus) *furta*; ſi cum *Hieronymo* & *Bernardo*, *Latrocinia*; ſi cum *Auguſtino* & *Catone*, *homicidia*.

Præ-

Præterea ſi quis uſuram in aliquibus caſibus & circumſtantiis licitam eſſe judicaverit, ex hoc quòd *licita* ſit non inde ſtatim ex mandato *neceſſaria* fit, quin ab eâ quis legitimè, imò piè abſtinere poſſit, atque ideò ſententiam ſuam (niſi ad timoratam conſcientiam in caſu aliquo neceſſitatis inſtruendam) propalare neceſſum non habeat, ſed eam ſibimet habere tutò & prudenter poterit. Præſertim cum

1. Primò quod ad eos attinet, qui aliquale alicujus *uſuræ patrocinium* in ſe ſuſcipiunt, non niſi poſt plures *limitationes* & *regulas* (*à fœneratoribus nunquam vel obſervatas* vel *obſervandas*) hoc cautè faciunt. „ Neque paſſim, „ neque ſemper, neque omnia, neque ex omnibus (quod ille de muneribus) *Calvinus* de *uſuris* dixit. Quam cautelam *Wintonienſis* † noſter *Trepidationem* vocat, Ego potius mallem *Pietatem* dixiſſet. Et quamvis limites hoſce præfigant, eos tamen à *Fœneratoribus* paſſim & impunè tranſiliri dolent & agnoſcunt. „ Si vel minimum concedimus, ſtatim ſub illo prætextu plurimi „ effrœnem licentiam arripiunt, quæ nullâ deinde moderatione vel excep„ tione coërceri poſſit. Semel enim audito uſuram ex Theologorum judicio debitis adhibitis circumſtantiis rem licitam eſſe, perruptis aggeribus in præceps ruunt, modum & menſuram, limitationes, circumſtantias & regulas omnes Theologi, atque (ſi placet) ſuperſtitioſiores alii curent ſcilicet, ipſi interim eas omnes ſusque deque habent: Hoc, inquam, dolenter agnoſcunt vel illi Theologi, qui alioquin uſuræ alicui minùs iniqui ſunt, atque ea propter quamvis *fœnus aliquod* admittant, *artem* tamen *fœneratoriam* illiberalem, & homine tam pio quàm honeſto indignam, & *Trapezitas* (quibus liberaliter nimis patrocinatur *Salmaſius*) tanquam *Latrones* & *prædones* in Rebuspublicis benè ordinatis intolerabiles, atque ab hominum conſortio rejiciendos eſſe pronuntiant.

Vide Calvini Epiſtolam.

In Exek. 18. †*in Determinatione de Uſuris.*

Calvin. Epiſt.

Vide Calvinum in Exek. 18. *Rivetum in Decalogum.*

2. Secundò & illud advertendum, quòd cum *pauciores* nuper fuerint, qui *uſuræ cauſam* non dico timidè & *frigidè* (nam *Salmaſius* hâc in re nimis *ardet*) minùs tamen animosè *agant*, è contra qui eam fortiter atque omni animi impetu *impugnârunt*, omnium locorum, temporum, partium, Religionum fuerunt *Plurimi*; *Ethnici*, *Philoſophi*, *Politici*, inter Chriſtianos Patres antiqui, Concilia †, *Pontificii* communiter omnes, *Canoniſtæ* præſertim, & *Scholaſtici*; ex Reformatis *Muſculus*, *Chemnitius*, reliquique ſummi Theologi, & præ reliquis (ut *Rivetus* * benè notavit) Noſtrates Angli, *Juellum* dico *Androſium*, *Dounamum* Præſules Reverendiſſimos. D. Doctorem *Wilſonum*; *Boltonum*, *Capellum*, reliquosque (quibus ſemper aſſurgo) viros doctiſſimos juxta ac pientiſſimos plurimos alios, qui ſublatis ſignis, Diſputationibus nervoſiſſimis, juſtis tractatibus & voluminibus rapaciſſimam hanc belluam fortiter atque acriter adorti ſunt: quibus ut ipſe bellum hodiè indicerem & contra inſurgerem non minùs vires deſunt quam animus.

† *Nicenum Viennenſe Lateranum Elibertinum Agathenſe Arelatenſe Carthaginenſe 3. Conſtantinopolitanum 6.*

* *In Decalogum.*

3. Quin & illud (quod magis adhuc exterreat) tertium eſt, quòd hoc *Reformatis* probro vertant Pontificii quòd *Uſurarum Patroni* ſint. Illud interim eorum pace dixerim inter ſuos *Toletum*, *Scotum*, *Maldonatum* quamvis mortale peccatum eſſe, atque aliter ſentientes hæreticos eſſe dicant, in exceptionibus ſuis tantum hâc in re *indultum ire*, quantum *Reformatorum* ulli: ut ne dicam *Jovem* ſunm *Capitolinum Papam* (horribiliter licèt contra uſuras fulminet) montibus ſuis *pietatis*, *fidei*, *recuperationis* uti (ſi placet) vocantur vel

Tolet. Inſtruct. lib. 5. cap. 40, 41.

Romæ extructis *officiorum Societatibus* longè turpiorem exercere *Trapezitici-cam.* Illud etiam hîc ægrè fero Reverendiſſimum *Wintonienſem* noſtrum hanc notam *Helvetiis* & *Genevenſibus* inurere, ac ſi eorum ſola ἰδιοσυγκρασία fuerit de *Uſurarum* genere aliquo *mitius* loqui, cum communis hâc de re cum *Calviniſtis* aliquibus *Hunnii, Geſneri, Gerhardi, Meiſneri, Balduini*, ipſius tandem *Lutheri*, omniumque *Lutheranorum* cæterorum (quos mihi inſpexiſſe contigit) uno ſolo excepto *Chemnitio* & concors fuerit ſententia. *Loc. com. parte 2. pag. 169. &c.*

Quòd verò jam & olim *Chriſtiani* ſimul & *Ethnici* ſequiùs de *uſurâ* paſſim & judicaverint & ſcripſerint, quòd per Leges Eccleſiaſticas & Civiles *uſurarii* quoad *Eccleſiaſtica excommunicentur, oblationum datione, Euchariſtiæ receptione, ſepulturâ* (quam vocant) *Chriſtianâ* priventur, quoad *Civilia*, nec *Teſtamenta condere*, nec *Legatis frui* permittantur, quòd denique ipſos *Uſurarios* ſui & *fœneratorum* nominis pudeat, hæc turpitudinem aliquam uſuræ ineſſe, eamque vel communi naturæ lumini contrariam innuere, imò clamare videntur, quòd quidem *mali* ſaltem *ſpeciem*, cum aliorum plurimorum ſcandalo, & proprio fœneratorum ſui pudore conjunctam in ſe habet, à quâ nobis *abſtinendum* imperat Sacra Pagina 1 Theſſ. 5. 22. Certè, (ut cum *Calvino* loquar) „ minimè videtur licitum filiis Dei, quod profani quoque homines deteſtati ſunt. *In Exod. Levit. ad 8. præceptum pag. 315.*

Quid verò *uſura* propriè dicta ſit, ex ejus *Definitione* conſtat. De quâ conſulendi *Juriſconſulti, Salmaſius*, qui de eâ fuſius agit. Quantum mihi videtur *Dounamus* noſter in Pſalmum 15. rem ſolidè & dilucidè explicat. Ille ſatis plenam ſed ſuccinctam admodùm hanc ejus Definitionem tradit. „ Uſura eſt lucri ergò mutuatio. Alii hanc paulò explicatiorem dant „ Uſu- „ ra eſt lucrum ex mutuo quæſitum vi ipſius mutui. Vel ut Juriſconſulti, „ Lucrum ex mutuo debitum vel exactum, vel quicquid ſorti accedit, inten- „ tione vel pacto præcedente: ad quam hæc requiruntur. *Scimus ubique & ſemper exoſum & infame fuiſſe fœneratorum nomen. Ameſ. caſ. conſcient. lib. 5. c. 44.*

1. Ut ſit *mutuatio* vel *commodatio*: nam in ſolo *mutuo* vero vel interpretativo conſiſtit *Uſura*, ut ait *Summa Angelica*, atque ità à *donatione* & *venditione* diſtat. *Tit. uſura.*

2. Ut ſit rerum talium, quæ *quantitate*, hoc eſt numero, pondere & menſurâ conſtant, & quæ ipſo *uſu conſumuntur* vel *diſtrahuntur*, quales ſunt cibus, potus, &c. atque ità à *locatione domûs* vel *fundi* diſtinguitur.

3. Ut ſit *alienatio rei* ſic mutuatæ non ſolùm quoad *uſum*, ſed etiam quoad *præſens dominium*, quatenus *rem individuam* mutuatam reſpicit. Et ſic diſtinguitur à *mutuatione gratuitâ*.

4. Inde *periculum* rei mutuatæ vel minuendæ vel deteriorandæ vel amittendæ ſit penes non dantem. Sed *accipientem*, qui *præſens* ejus *dominus* eſt, & ſic differt à *locatione*, & *contractu ſocietatis*.

5. Non tamen ità abſolutè & in perpetuum transfertur dominium in accipientem, ſed ſub *pacto* vel *intentione reddendi*, non quidem *rem ipſam* mutuatam individuam quæ diſtrahitur ſed *tantundem* quoad vel *ſpeciem* vel *valorem*, & ſic à *dàtione* & *venditione* diſtinguitur.

6. Ad uſuram conſtituendam requiritur, ut reddatur non ſolùm idem vel tantundem ſed *lucrum ſupra ſortem excreſcens* ſive hoc pecuniâ fiat, ſive re aliquâ pecuniâ æſtimabili, ut (putà) cibo, potu, operâ, ſervitio, vel his ſimilibus; nam, ut rectè *Ambroſius* „ Uſura eſt eſca, uſura veſtis, & quodcun- *Lib. de Tobit cap. 13.*

„ que ſorti acceſſerit, uſura eſt: & *Auguſtinus* „ Si mutuo dederis homini „ pecuniam, à quo plus quàm dediſti expectas, ſive pecuniam ſive triticum, „ aut quodcunque aliud, fœnerator es. Sic à *gratuitâ mutuatione* diſtat.

7. Requiritur etiam ut *mutuarius* ad hoc ſupra ſortem excreſcens *ſolvendum* teneatur vi *pacti* vel *expliciti* (vel Syngraphâ vel promiſſo vel modo alio conſimili firmati) vel *impliciti* ex intentione & expectatione mutuantis. Et ſic etiam diſtinguitur à donatione, vel gratuitâ mutuatione, in quibus μηδὲν ἀπελπίζομες Luc. 6. 35.

8. Ultimò denique requiritur ut hoc requiratur, accipiatur, vel expectetur *vi ipſius mutui*, hoc eſt, vel propter *mutuò datæ* pecuniæ *uſum*, vel propter *officium mutuationis*, à quo antonomaſticῶς *uſura* dicitur. Et ſic diſtinguitur tum à *dono* ſivè ἀνιδιώρῳ quod mutuarius mutuanti citra ejus vel exactionem vel expectationem *ſponte* & ex *gratitudine* dederit, quæ *uſura liberalis* dicitur tum à *recompenſatione*, ad quam mutuarius ex pacto obligatur, nimirum ut in integrum reſarciat; vel damnum emergens, vel lucrum ceſſans creditori, ex pecuniæ ſuæ mutuatione: quæ *uſura compenſatoria* dici ſolet, & ſi bonâ fide res agatur, pro legitimâ habetur.

His ità poſitis has inſuper ad quæſtionem ſemel determinandam pono Concluſiones.

1. Primò Artem (ſi modò eam Artem nominare fas ſit, certè illiberalis eſt) artem, inquam, quam *Menſarii* fœneratores vulgò & paſſim ſine perſonarum & circumſtantiarum reliquarum conſideratione ullâ habita exercere ſolent, ſi per *Leges humanas legitimæ* fuerit, nunquam *Legi Divinâ licitam* fuiſſe, vel futuram pronuntio, quam ideò aliqui non inconcinnè *Legitimam Piraticam* appellârunt, *Plato à civitate ſuâ* arcuit, expulit: ſic *Lycurgus* ex *Spartâ*, utpote vel ipſis *Ethnicis* inviſam, *Calvino* & aliis (quibus non omnis uſura illicita videtur) in *Repub. benè conſtitutâ intolerabilem*, quæ tantùm abeſt ut in *Eccleſiâ* ferri poſſit, ut ab hominum conſortio omninò rejici, ex eorum ſententiâ debeat. Sanè me peſſimè habet, quod Clariſſimum *Salmaſium* ejus Patronum nimis officioſum habeat.

De Legibus lib. 5.

2. Secunda Concluſio hæc ſit, Aliqua uſura, quæ ſaltem ab aliquibus exigitur, ex Lege Divinâ omninò illicita eſt. Quid enim? Aperta Lex, diſerta Prohibitio, „ Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui tecum „ eſt לֹא תִהְיֶה לוֹ כְנֹשֶׁה לֹא תְשִׂימוּן עָלָיו נֶשֶׁךְ non eris ei ſicut uſurarius, „ non imponetis ei uſuram. Exod. 22. 25, imò neque נֶשֶׁךְ neque תַּרְבִּית nec *uſuram* (ut aliqui volunt mordentem, dentatam) nec *augmentum*, licèt edentulum Levit. 25. 35, 36. quæ loca in hanc rem (uti *Lutherus* de alio gemello Pſal. 15. 5. dixit) non expoſitione, ſed impletione indigent.

3. Si Lex iſta *Moſaico-Politica tantùm* fuerit, lubens agnoſcerem *Judæos* ſolos ei obnoxios fuiſſe, non itidem nos hodie *Chriſtianos*, niſi quatenus quoad rationem juſtitiæ, æquitatis, charitatis, quæ in eâ viget, nos etiam (ut reliqua ejuſdem Commatis Judaico-forenſia) obſtrictos teneat quod fatetur *Calvinus* tum in Epiſtolâ de hâc re, tum in Levit. 25. & Ezek. 18. *Politicam* eam fuiſſe *Calvinus* quidem ſæpè ingeminat: cui hac in re σύμψηφοι ſunt *Gerhardus* † & *Salmaſius*, quod eo veriſimilius reddere conantur, quia duabus aliis Legibus forenſibus Judaicis inſerviat, videlicet illi de reditu fundo-

† *Loc Com. Tom. 6. de Magiſtratu Politico §. 248. p. 663.*

fundorum venditorum ad proprium dominium in Jubilæo, & de remittendis debitis, quolibet anno ſeptimo Sabbatico alteri, quæ omninò fruſtraneæ futuræ eſſent, ſi per antecedaneas uſuras indulti iſtius emolumentum prævertere ipſis integrum fuiſſet. Hoc conſideratione dignum eſſe quamvis D. *Rivetus* & *Meiſnerus* cenſeant, ei tamen non inſiſtunt, nec immeritò, quia hæc Lex non inter Judiciales, ſed *morales* ideò cenſenda videtur, tum quòd ut Lex de *Sabbato* obſervando in quarto præcepto, ità hæc de vitandâ uſurâ Pſal. 15. & Ezekielis 18. inter ſola moralia numeratur, adeòque, ut illa de *Sabbato*, ità hæc de *Uſurâ* pro *morali jure* habenda ſit, tum quòd *argumentis* purè *moralibus* ubique urgetur, nimirum quòd vitæ non ſolius temporalis ſed & æternæ præſagium ſit Pſal. 15. & Ezek. 18. quòd *timoris Dei* & pars & indicium ſit Levit. 25. 36. quòd charitate nitatur, *ut vivat tecum*. Levit. 25. 35. ac ſi (ut *Cato* voluit) idem eſſet fœnerari ac hominem occidere.

Si (ut *Riveto* placet) præferenda ſit illorum Locorum alia illa interpretatio, nimirum ibi vetitam eſſe uſuram illam ſolam, quæ ab *egenis* erogatur, ſcilicet vel à *prorſus pauperibus* eleemoſynariis, vel ab *egentibus*, qui quamvis bona quædam habeant, *pecuniâ* tamen indigent, non quâ negotientur vel lucrentur, ſed ut præſentem ſuam neceſſitatem ſuſtentent: quorum ab illis ne quidem ipſa ſors, ab his non uſura magis expectanda eſt hodie à nobis Chriſtianis quàm olim fuit à Judæis: ità enim תַּרְבִּית נֶשֶׁךְ eſſet, talis uſura dentata foret, proximum egenum morderet, & ut cum *Baſilio* loquar τραῦμα τραύματι *vulnus vulnere ſanaret*, atque ità *juſtitiam* nedum *charitatem violaret*; adeòque omnis *talis mutuatio* prorſus *gratuita* eſſe debet. At verò hoc in tertio hominum genere non obtinere dicunt, nimirum in *opulentis*, qui non ideò mutuò pecuniam accipiunt ut veræ neceſſitati ſuæ conſulant, ſed ut negotientur, fundos emant, vel rem ſuam modo quovis alio adaugeant; ad *qualem mutuationem gratuitam* non neceſſariò obligamur: ubi *fœnus* ideò non *mordet*, quia non tantum à *mutuo accipiente* aufert, quantum *ſortis mutuatio lucri* contulit, ideòque neque *juſtitiæ* nec *charitati* repugnat: hîc quidem (ut verum fatear) aqua mihi hæret. 4.

Quòd non de *egenis ſolis* Lex illa intelligenda ſit, partim ſuadent illa argumenta, quæ Legem illam *moralem* eſſe probârunt, partim etiam quamvis in primis illis Locis *Exodi* & *Levitici pauperum* & *egenorum* diſerta ſit mentio, non itidem in *Deut.* 23. 19. ubi mandatur ne fœnerentur *fratri* indefinitè ſine ullâ *pauperis* mentione. Vel, ſi in Libris *Moſis* primitùs uſuram *tantùm ab egenis* exigi prohiberetur, poſtea tamen in Prophetis *profectum* fieri obſervavit *S. Hieronymus* in *Ezekielis* 18. ubi ſic loquitur: „Sed vide profectum. „In principio Legis à fratribus tantùm fœnus tollitur, in Prophetâ ab omni„bus uſurâ prohibetur. Et ſic quidem in Pſal. 15. & Ezekielis 18. nulla *egeni* & *pauperis* fit mentio, ſed indefinitè prohibetur *uſura*, à *quocunque* recipienda, ut *Calvinus* meritò dixerit „ certum eſſe duriùs locutos fuiſſe Pro„phetas de Uſuris; adeòque cum *Prophetæ Legis Interpretes* fuerunt, & poſteriora priorum ἐξηγήσεις, hæc Prophetarum effata videntur non ad τὸ ῥητὸν Legis reſtringenda, ſed *Legis* apices ad *Prophetarum* interpretationem ampliandi. *Epiſtol.*

E contra verò, ſi (ut oſtendit *Rivetus*) iſtæ indefinitæ apud Prophetas uſuræ prohibitiones, cum in re *contingenti* ſint *particularibus* æquivalent,

adeòque non *univerſaliter* de omnibus intelligendæ ſunt, atque, ut alii volunt, Prophetæ iſti ad Legem Moſaicam ut ſatis notam reſpexerint, atque ideò ex eâ intelligi debent, ut licèt in genere uſuras omnes in univerſum hâc indefinitâ prohibitione notare & vetare videri poſſint, perſonarum tamen & aliarum circumſtantiarum ex ipsâ Lege ſatis notarum limitationem ab eâ repeti & ſubintelligi voluerunt, & v. 17. expreſſa afflictorum fit mentio, atque ità *Moſis & Prophetarum* hæc eadem mens & ſententia ſit, uſuras à *ſolis pauperibus* non eſſe exigendas: hîc dubius hæreo, cum nil magni quod huic regeram habeam: hæc tamen mihi ſuppetunt quæ certiùs affirmare poſſim.

Uſuras à duplici illo *egenorum* genere minimè exigendas: illud enim diſertiſſimis S. *Scripturæ* prohibitionibus contraveniret, *juſtitiæ*, rectiſſimæ illi *æquitatis* regulæ (*quod tibi fieri non vis alteri ne feceris*) maximè omnium *miſericordiæ* Chriſtianæ & *Charitati* adverſatur, *mutationem* præterea omnem *gratuitam* (quam in mandatis dat Chriſtus Lucæ 6. 34, 35. atque hinc magnis promiſſis illinc diris minis ſancivit) omninò *tolleret.*

2. Quod ad *opulentos* attinet, dico, ſi *illicitum* ſit ab iis ob *pecuniam* ab eis *mutuò acceptam*, ut inde lucrentur, *lucrum accipere*, vel ex pacto exigere, illud ſolo Dei *mandato aliquo poſitivo* niti debet, quod quidem ſi in Scriptura alicubi liquidò extet, omninò & ſimpliciter (ut cum *Calvino* loquar) ſtandum eſt Dei judicio, neque hîc quicquam valet humana authoritas, ut licèt per Leges ſuas *legitimum* ſit, apud Deum etiam id *licitum* efficeret. Quamvis enim penes *Magiſtratus civiles* præſertim Chriſtianos ſit *Leges* de *contractibus civilibus condere*, nequaquam verò *Sacræ Scripturæ contrarias.* Neque per omnia placet illud *Lobechii*, „ Quomodo ſit contrahendum, & qui contractus habendi ſint legitimi vel illegitimi, non Theologorum eſt ſed Magiſtratûs & Jurisconſultorum judicare: neque illud *Dominici Soto* quæſtionum harum determinationes non ad Concilia vel Eccleſiam, ſed ad „ ad Philoſophos pertinere. Quamvis enim „ materia & forma contractuum „ à Philoſophis & Jureconſultis petenda ſit, Theologus tamen (vel ipſe potiùs Deus ut ſummus omnium Dominus), „ efficientem & finem addit, & plura alia, ut *Chemnitius* rectè docet, ut idem alibi rectiſſimè dixerit, tutiſſimam eſſe rationem ex teſtimoniis Scripturæ judicare de uſurâ ut & ipſe *Calvinus* in Ezek. 18. hæc habet, „ Si volumus ſtatuere an fœnus ſit illicitum, „ neceſſe eſt venire ad normam Legis, quæ fallere non poteſt; Licet alibi (minùs, ut opinior, rectè) concludit „ judicandum de uſuris eſſe non ex „ particulari aliquo Scripturæ loco, ſed tantùm ex æquitatis regulâ. An verò *æquitatis regulæ* adverſetur ab *opulentis aliquando fœnus accipere* mox conſtabit. Interim cum *Chemnitio tutiſſimum* duco hâc in re Dei voluntati in *S. Scriptura* manifeſtatæ adhærere: at ex eâ non liquidò conſtare videtur, omne *lucrum* ob pecuniam *opulento* mutuò datam accipere exigere *omninò illicitum* eſſe; non hoc ῥητῶς ibi legitur, non juſtâ conſequentiâ elicitur: non ex illo Servatoris mandato Lucæ 6. 35. δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, clarè enim patet id de mutuatione *egenis* faciendâ intelligi, à quibus aliquando ne *ſors* ipſa denuò expectanda eſt: neque ideò ſequitur ut expungi debeat δανείζετε & ſubſtitui δότε ut objicit *Wintonienſis*: nam ex antecedente non continuò δώρημα erit, imò verum δάνεισμα eſſe poteſt, quod jure (ſi *mutuarius* potis ſit) reddi poſſit, cum tamen ex conſequente *ſortis* jacturâ æquo animo ferri

Diſp. 18. in Aug. Conf. th. 93. De juſtit & jure lib. 6. cap. 1.

Loc. Com. Tom. 2. cap. 5. pag. 168. Cap. 6. pag. 173.

In Epiſtol.

ferri debet: hujuſmodi ergò *egenis* ex hujus Loci mandato gratis mutuò dandum eſt: ut ex aliis Locis *uſuram* indefinitè vetantibus non exigenda fœnera. Quæ ſi ex *opulentis* expoſcere illicitum fuerit, nos, ut ei fidem habeamus, clara in hanc rem *Scripturæ* teſtimonia expoſcimus.

Nam Rationes, quæ à *lumine naturæ*, *juſtitiâ*, *æquitate*, *charitate* in hanc rem adduci ſolent, non hoc efficiunt, imò à contrariâ ſententiâ ſtare videntur, verbi gratiâ,

Non illa Philoſophi quòd *pecunia res ſterilis naturâ* ſit, ergò contra naturam eſt ut τόκῳ fœnere quaſi fœta ſoboleſcat: nam non omninò ſterilis eſt (ut rectè *Salmaſius*) niſi ei, qui eam ſine uſurâ ocioſam apud ſe retinet, vel ut *Gerhardus* rectè diſtinguit Phyſicè licèt ſterilis ſit ipſa pecunia, ejus tamen uſus civilis fœtus uberrimos profert: alioquin fœneratores nec tam frequentes eſſent, nec divites. 1. *Politic. l. 1. c. 7. Ethic. lib. 4. cap. 1.*

Nec magis valet illud quòd *Fœnerator* vendit id *quod non* eſt, ut habet *Aquinas*, vel *unum ut duo*. Sic *Durandus*, vel *idem bis*, ut *Valentianus*, cum pecunia ab ejus conſumptione vel diſtractione ſeparari nequeat. Non enim in totum perit vel conſumitur pecunia mutuata cum diſtrahitur, ſed manet cum fœtura in lucro inde comparato, quod non adeò æquum eſt, ut totum *mutuario* cedat, præſertim cum damno *mutuantis*; adeò ut hîc non *una ſola res* ſit, *pecunia* eſt, quæ reddenda eſt, ex eâ *lucrum* fit quod ἀντίδωρον poſtulat. 2. *22æ q. 78. art. 1. corp.*

At uſurarius vendit quòd *non ſuum* eſt, *tempus* ſcilicet. Minimè ſed *Lucri pecuniâ* ſuâ (quam mutuò dedit) in *tempore parti* particeps eſſe vult. 3.

Imò quod jam *tuum* eſt is vendit, in fœneratione enim rei mutuatæ dominium & proprietas à dante ad accipientem transfertur: *mutuum* enim eſt quando *ex meo fit tuum*, ut volunt *Etymologici*. De *Etymologiâ* illâ viderint *Grammatici*, eam improbante *Salmaſio*; de re ità reſpondetur: ſors illa mutuata non eſt *abſolutè* mutuarii, ſed *ſub conditione* reddendi ſortem, & fœnus inſuper ſolvendi, quæ conditio mutuationi præcedanea erat quando ſors non mutuarii ſed mutuantis fuit. Aliter hoc argumento ne *ipſa ſors* reddenda, ipſa enim ſimul cum ejus uſu tranſit in *dominium mutuarii*. 4.

Quod ultra objiciunt, pecunia, quæ *venditionis medium* eſt non debet *terminus* vel *merx* fieri, nil in ſe habet ſolidi: non enim *pecuniæ* ſolius eſt fœneratio ſed & *cibi*, *potûs*, *rerumque aliarum* quæ pro *mercibus* habentur: & quid demùm erit incommodi, ſi pecunia *diverſo modo* & negotiationibus diverſis contractuum & *medium* & *terminus* fiat? 5.

Quod ſextò dicunt uſuram in mutuatione conſiſtere, *omnem* verò *mutuationem* ex naturâ ſuâ *gratuitam* eſſe debere, hoc principium petit, & probari debuit. Quamvis enim hæc ſententia *mutuationem omnem gratuitam* non tollat, imò duplici *egenorum* generi ex Servatoris mandato fieri jubet, *opulentis* tamen ut fiat *admittit* quidem, imò & *adprobat*, ſi pro *benevolentiâ* ità tibi placuerit, at non ex *officio* & *jure* ut neceſſarium imperat. 6.

Quod ultimò contra *æqualitatem* (contractuum legitimorum omnium regulam) militare dicunt, hoc quidem non hanc ſententiam, ſed contrariam potiùs maximoperè juvat. Si enim quis pecuniam ſuam (damno forſan ſuo) *opulento* alicui gratis mutuò det, quâ ille *rem ſuam augeat*, mutuanti ὑστέρημα eſt, opulento mutuario ἄνεσις, atque ità ubi demùm erit illa ἰσότης, 7.

2 Cor. 8. 14. quam Apoſtolus exigit? Hoc ergò in caſu lucrum fœnebre potiùs ſuadet hoc argumentum ab *æqualitate* & juſtitiâ ductum, ut & illud alterum à gratitudine benè merentibus debitâ vel ex ipſo naturæ lumine, ad quam ut debitam perſolvendam quid impedit quo minùs nos obligare liceat; imò (præ hominum paſſim ingratitudine) & debeamus? Nihil hîc *juſtitiæ* magis violatur, nihil *æquitas*, nihil *charitas*, quam in contractibus ἀμφυτέυσεως, ἀνθυποφορήσεως & aliis ſimiliter communiter pro legitimis habitis & approbatis, de quibus conſulendi Authores. Ut meritò cum *Calvino* dicam „ quid aliud eſt „ quàm puerorum inſtar ludere cum Deo, cum de rebus ex verbis nudis, „ ac non ex eo quod ineſt in re ipſâ judicatur? Concludam ergò omnia. Si his ſimilibusque *rationibus* agatur, non video quomodo ob pecuniam *opulento* mutuò datam ex quâ res ſuas auget, lucrum aliquod ultra ſortem excreſcens vel accipere vel exigere in vitio ſit. Si verò in locis priùs adductis, juxta veram eorum interpretationem, Deus *poſitivo mandato* non magis ab opulèntis quàm ab egenis uſuram exigendam vetaverit, ipſum ut ſupremum omnium Dominum, hoc pro imperio nobis juſtè *imperare* poſſe, nos ei ex officii noſtri conſcientiâ *morem gerere debere* humilimè agnoſco: an verò tale in S. Scripturâ occurat interdictum non temerè affirmaverim. Determinationis igitur loco verba *Calvini* ad amicum eum hâc de re conſulentem uſurpare liceat, quæ ità ſe habent „ Quare me excuſatum apud te velim, ſi nihil hîc certum, ut expectas, præſcripſero.

In Epiſtol. pag. 354. 355. &c.

Ubi priùs.

Quæst. XLIII.

Sacrificia ſub & ante Moſaicam Oeconomiam typi fuerunt Jeſu Chriſti.

Clopenburg. Schola Sacrif p. 2. 3. &c. Martinii Lexic. ad vocem Sacrificii.

* Eph. 5. 2.

Sacrificii nomen aliquoties omne quod Deo ſacrum factum eſt ſignificat, & ſic מנחות προσφορὰς, δῶρα, oblationes omnes ambitu ſuo comprehendit: ſæpè verò (præſertim cum diſtinctè ponuntur זבח & מנחה apud *Hebræos*, ut Pſalm. 40. 7. & apud *Græcos** δῶρα & θυσία ut Hebr. 5. 1. tum) מנחה & δῶρον, προσφορὰ oblationes ex *rebus inanimatis* factas denotant. זבח verò & θυσία, σφάγιον *ſacrificium*, *victima*, *hoſtia*, *animalia Deo oblata* & inter offerendum deſtructa & *abſumpta* deſignant: quo in genere, & magis propriâ ſuâ ſignificatione vox *Sacrificii* in hâc quæſtione ſumitur; nam מנחות προσφορὰι *dona*, *oblationes* fuerunt *cultûs* & *gratiarum actionis* ab hominibus Deo exhibitiones atque זבחים θυσίαι, σφάγια *victimæ*, *hoſtiæ*, & magis *propriè* dicta *Sacrificia*, *Jeſu Chriſti* pro nobis immolati *typi* fuerunt & *figuræ*.

Cum etiam hæc magis propriè dicta *Sacrificia* partim ἱλαστικὰ partim εὐχαριστικὰ erant: non jam agimus de *Euchariſticis*, quæ ad noſtrum officium ſpectabant, ſed de *Hilaſticis* & *Propitiatoriis*, quæ *Chriſti agni Dei immolationem* atque inde nobis partam *expiationem*, *propitiationem* ἱλασμὸν præfigura-

gurabant, adumbrabant, ejuſque, ut Theſis habet, *Typi fuerunt.* Nam *Typus* (definitore *Papâ*) eſt *Prophetia in rebus, ſecundùm quod res eſſe noſcuntur*: ut ſenſus quæſtionis ſit, Sacrificia illa *Prophetica* quaſdam fuiſſe *Chriſti*, ſacrificiique mortis ſuæ *præfigurationes*, quas ὑποδείγματα & σκιὰς τῶν ἐπουρανίων καὶ μελλόντων ἀγαθῶν Hebr. 8. 5. & 10. 1. vocat Apoſtolus, exemplaria ſcilicet & *umbras* cœleſtium & futurorum bonorum in Evangelio nobis exhibitorum per Chriſtum, qui ideò ab eodem Apoſtolo iiſdem in locis εἰκὼν & σῶμα dicitur. Cum enim *Ceremoniæ* & *Sacrificia* Legis ὑποδείγματα erant, hoc eſt σκιαγραφίαι *ſpecimina* & rudiores *delineationes*, contrà Chriſtus εἰκὼν dicitur, hoc eſt vel *expreſſa effigies*, quæ *vivi* inſtar eſt, vel *res ipſa* & *ſolidum corpus*, unde etiam & σῶμα vocatur, quod *umbram efformat*, & ipſam *rerum ſubſtantiam* denotat, „prout res principales *corpora*, quæ „verò earum ſignificationem habent *umbræ* vocantur. Quo nomine *Sacrificia legalia* gaudent, *non* quòd res *vanæ* & inanes erant, qualis *umbra corporis* eſt, *vera* enim erant, & pro ratione & *ordine ſuo efficacia* gratiæ Chriſti σημεῖα & σφεγγίδες, ſed cum *Chriſto* comparata, *umbratilem* id eſt *obſcuram* & *evanidam* ejus repræſentationem exhibebant, ità tamen ut eum aliqualiter *præfigurarent*, idque non ex argutâ hominum interpretatione, & applicatione, ſed ipſius *Dei* intentione & *inſtitutione* pro imperfectione ætatis & Fœderis illius Oeconomiâ: hoc ſenſu Sacrificia illa Typi fuerunt Jeſu Chriſti. *Col* 2. 17. *Annotante Grotio in Heb.* 8. 5. *Beza in Coloſſ.* 2. 17.

At dicetis forſan, Quis negat hoc? quem hîc inveniemus adverſarium? Ut *Anabaptiſtas* aliquos prætermittam, præ reliquis habemus *Socinum* cum ſuis pedaneis. Iſti ſcilicet, qui eum antequam à Beatâ virgine naſceretur, unquam uſquam fuiſſe negant, per antecedanea illa Legis *Sacrificia* propitiatoria *præfiguratum* fuiſſe pernegant. Sic enim *Socinus* de Jeſu Chriſto Servatore parte 2. capitibus 9, 10, 11. & ſequentibus primò quidem timidiuſculè & modeſtiùs non *uſquequaque* verum eſſe dicit Sacrificia ſub Lege mortem Chriſti præfigurâſſe, poſtea tamen magis audacter & diſertè affirmat & probare nititur, „ea omnia mortem Chriſti non figurare, imò ne poſſe quidem, „ſed ea ſola, quæ publicè, hoc eſt pro univerſo populo & ſtatis quibuſdam „temporibus fiebant, præſertim verò illud quod ſemel in Anno ſummus „Sacerdos in Sancto Sanctorum ingrediens peragebat in cæteris verò Sacri„ficiis quæ pro peccatis fiebant, non figuratam fuiſſe Chriſti mortem, ſed „tantùm in ſummi Sacerdotis perſonâ Chriſtum adumbratum fuiſſe, ſacri„ficia autem ipſa ſacrificia noſtra ſpititualia adumbrâſſe, quæ etiam quate„nus à nobis Deo offeruntur, expiatoria eſſe contendit. Sed perverſè, fruſtra, falſè hæc omnia. *Cap.* 9.

Primò *perversè*. Nam tota hæc *Socini* cavillatio eò tendit ut blaſphemum illud & πρῶτον ψεῦδος aſtrueret, ſcilicet *Chriſtum per ſui ipſius Sacrificium* verè ἱλαστήριον non *ſatisfeciſſe Deo pro peccatis fidelium.* Cum enim Theologi noſtri ex eo quòd *Sacrificia legalia*, *typicè*, *Symbolicè* & quoad forum exterius peccata populi Iſraelitici *expiârunt* invictè probant *Sacrificium Chriſti* (per ſacrificia illa legalia typicè adumbratum) peccata eorum omniumquè fidelium *verè*, *propriè* & *perfectè* Divinæ juſtitiæ ſatisfaciendo *expiâſſe*: *Sociniani* ad incitas redacti, ut quocunque demùm modo elabi poſſint, ad miſerum hoc ſubterfugium ſe recipiunt, ut contra manifeſtiſſimam veritatem, ab authoribus paſſim tam veteribus quàm recentioribus omnibus, imò à ſuo- 1. *Levit.* 16. 30.

rum

rum aliquibus in confeſſo habitam negare auſit *Sacrificia* illa antiqua *Chriſtum* ejuſque *futuram mortem præfigurâſſe*, adeòque ex iis eorumque *expiatione ſymbolicâ* ad Chriſti *veram ſatisfactionem* & *expiationem* nobis inde partam argumentum duci non poſſe; peſſimæ cauſæ miſera utique defenſio! ut Chriſti ſatisfactionem & propitiationem everterint, quæ piis & ſervandis omnibus certò credenda eſt, ejus præfigurationem Sacrificiis legalibus detrahunt, quæ à Chriſtianis omnibus unanimi conſenſu affirmatiſſima eſt. Et in hoc quidem (quòd primò dixi) maximè perverſè agunt.

2. Sed (quod ſecundò adjunxi) in rem ſuam omninò *fruſtra*. Nam *Socino* largiremur licèt (quod tamen minimè facimus) *privata* aliqua & *alia* quædam ſub Lege *Sacrificia* ἱλαστικὰ *Chriſtum* ejuſque mortem *non præfigurâſſe*, nobis tamen noſtræque ſententiæ de propriâ & plenariâ pro peccatis noſtris ſatisfactione, & expiatione per Chriſtum factâ probandæ ſufficit ſi *Sacrificia* illa *antiqua publica*, illa præſertim quæ *Die Expiationis* offerebantur, ſuo modo *expiatoria* fuerunt, atque *Sacrificii Chriſti adumbratoria*, quod ipſe *Socinus* diffiteri non audet, ſed palàm profitetur. Omninò *fruſtranea* ergo eſt hæc inepta de ejus Sacrificiis cavillatio.

3. Quin & ultimò *falſiſſima*, quod ex plurimis conſtat,

Argum. 1. Et primò quidem ex diſertis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quorum illud unum eſt 1 Cor. 5. 7. „ Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempè „ Chriſtus: quorum verborum quis alius ſenſus dari poteſt, quàm quod Chriſti Sacrificium *præfiguratum* & adumbratum erat Sacrificio *Paſchatis*: at Sacrificium *Paſchatis* neque erat illud *die expiationis* anniverſariæ, neque ex *illis publicis*, quæ pro toto populo offerebantur, cum pro *ſingulis familiis* domatim immolarentur *agni ſinguli*. Si verò de hoc litigent: manifeſta & expeditiora ſunt alia, quale illud Pſalmo 40. 7, 8, 9. „ Sacrificium & obla„ tionem noluiſti, aures perfodiſti mihi, holocauſtum & ſacrificium pro pec„ cato non poſtulâſti, tunc dixi, Ecce venio ut facerem voluntatem tuam: quod Author Epiſtolæ ad Hebræos de Chriſto exponit Capite 10. atque legalia illa σκιὰν ὁμοιότητος *ſimilitudinem* vel *exemplar* vocat Cap. 9. 9. & σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν bonorum in Evangelio ſcilicet per Chriſtum ejuſque Sacrificium *futurorum umbram* Cap. 10. 1.

Quem locum ad Sacrificia in Anniverſariæ *expiationis* die oblata *præcipuè* reſpicere & lubens fateor, atque ex ipſo contextu ſatis conſtat. Ut verò de eo Sacrificio anniverſario *ſolo* intelligatur, ut vult *Socinus*, vel ut illud *peculiariter* ſpectet, ut loquitur *Beza* * non adduci poſſum ut credam.

Sic de eo interpretatur locum Pareus.

* *in Heb.* 10. 1.

Primò quòd inter ea quæ vocantur *umbra futurorum bonorum* v. 1. *plura* ſacrificiorum genera enumerantur v. 8. quàm quæ offerri ſolebant die illo anniverſario *expiationis*.

Secundò vox illa σκιᾶς vel *umbræ* cap. 8. 5. attribuebatur non ſolis *Sacrificiis* illis quæ ſolus ſummus Sacerdos die expiationis obtulit; ſed *toti omnium* in univerſum *Sacerdotum* λατρείᾳ & *ſervitio*, prout etiam Cap. 9. 9. vox ὁμοιότητος *ſimilitudinis* ſeu *exemplaris* ad totum Leviticum cultum ceremonialem „ in cibis & potionibus & diverſis ablutionibus, & ritibus carnalibus „ uſque ad tempus correctionis impoſitis.

Denique qui Pſalmum illum quadrageſimum inſpexerit Chriſtum ut *Antitypum* non ſolùm Sacrificii illius anniverſarii ſolius, ſed omnium *Sacrificiorum*

ficiorum reliquorum expiatoriorum, totiùſque adeò cultûs illius cerεmonialis poſitum inveniet. Ubi (ut veriſſimè Euſebius loquitur) ἀντικρυς ἀντὶ τῶν παλαι θυσιῶν καὶ ὁλοκαυτωμάτων τὴν ἐνσαρκον τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν καὶ τὸ καταρτισθὲν αὐτῷ σῶμα προσεννένεχθαι τῷ Θεῷ διδάσκει: quem ideò Johannes Baptiſta „ Agnum Dei qui tollit peccatum mundi ſignanter indigitat Joan. 1. 29. *Socinus* quidem ut hunc locum enervet, hæc reſpondet „ Nullo modo ad „ rem aliquam figuratam in veteri Fœdere reſpicere potuit Baptiſta; cum in „ veteri Fœdere pro peccato nullus agnus immolaretur, ſed tantùm vel pro „ holocauſto vel ſimul & pro holocauſto jugi & pro expiatione altaris, vel in „ ſacrificiis quæ pacifica appellabantur, ſive in aliis, quæ expiatoria non erant, „ exceptis quibusdam pauciſſimis, in quibus non pro peccato ſed pro delicto „ agnus mactabatur ut Levit. 14. 12. Num. 6. 12. in cæteris verò Sacrificiis „ quæ pro peccato fiebant non figurabatur Chriſti mors, ſed tantùm in ſummi Sacerdotis perſonâ Chriſtus ipſe adumbrabatur. Non igitur ad figuratam „ in veteri Fœdere expiationem peccatorum verè reſpicere potuit Baptiſta, „ dum Chriſtum Agnum appellat, ſed ad Sacrificia in univerſum, & ad „ Chriſti innocentiam, puritatem & manſuetudinem. Hæc *Socinus*, in quibus multipliciter peccat. *De Demonſt. Evang. lib. 1. cap. 10.*

Primò quòd dicit in *Sacrificiis pro peccato* non *figurari Chriſti mortem*, ſed in *perſonâ Sacerdotis Chriſtum* tantùm adumbrari. At ſi *ipſe Chriſtus* in eis adumbrabatur, quidni & *mors* Chriſti *eorum mactatione*, vel ipſe Chriſtus quatenus ſeipſum Deo pro nobis ſacrificavit, quod proximè ante dixerat *Socinus* de Sacrificio *die expiationis* oblato: & quidem ſi omnia omninò Sacrificia illa peccati expiatoria à ſolo *Chriſto vim* totam *expiandi* hauriebant, quod certiſſimum eſt, tum certo certius eſt ea in univerſum omnia fuiſſe *Chriſti*, ejuſque *mortis adumbratoria*.

2. Cum dicit *agnum* non *immolatum* fuiſſe in Sacrificiis niſi in *Holocauſtis*, vel *jugibus Sacrificiis*, vel *pacificis*, vel *in paucis* quæ non pro *peccato* ſed *delicto* mactabantur, plura dico,

1. Si concedantur hæc, ea nobis abundè ſufficere: ſi in Holocauſtis, ſi in jugi Sacrificio, ſi in Sacrificio Paſchatis, & Sacrificiis pro delictis agni mactabantur, ſatis erit oſtendere Baptiſtam, cum Chriſtum *Agnum Dei* vocat, ad veteris Fœderis *Sacrificia peccatorum expiatoria* reſpexiſſe, quæ hunc agnum præfigurârunt.

2. Ipſa Sacrificia pacifica ſæpiſſimè ſimul & ἱλαστικὰ & εὐχαριστικὰ fuiſſe; *& voti & laudis*, uti habet *Origenes* Homil. 8. in Levit. & *pacifica* dicta æquè cum pacem & *reconciliationem petebant*, ac quam *de eâ adeptâ gratias agebant*; uti ex plurimis locis conſtat. Judic. 20. 26. 1 Sam. 13. 9. & ſimilibus aliis.

3. Cum agnoſcit *agnos immolatos* fuiſſe pro *delicto*, licèt non pro *peccato*, quamvis diſcrimen erat inter Sacrificium quod חַטָּאת vel pro *peccato* & אָשָׁם quod Sacrificium *pro delicto* dicitur, de quo nullus hîc agendi locus, delictum tamen hoc *peccatum* fuiſſe ſana Theologia docet, vox אשם quæ *Reatum* ſignificat, ſatis indicat: primus denique locus Scripturæ in quo hoc ſenſu vox illa occurrit, hoc apertè clamat. Scilicet Levit 5. 6. ubi hæc leguntur וְהֵבִיא אֶת־אֲשָׁמוֹ לַיהוָה עַל־חַטָּאתוֹ אֲשֶׁר חָטָא „ & adducet *sin offring trespas offring.* *Vide Sigonium de Rep. Hebr lib. 4. c. 6. 7.*

„ Sacrificium pro reatu suo Jehovæ pro peccato suo, quo peccavit.

3. Cum ultimò *Socinus* dicit „ Baptistam in eo quod Christum agnum „ Dei qui tollit peccatum mundi vocaverit ad Sacrificia in universum respe„ xisse, & ad agninam Christi mansuetudinem & innocentiam: in hoc causam suam prodit. Si enim ad *Sacrificia in universum* respexit, tum *omnia in universum Sacrificia*, saltem expiatoria *Christum respiciebant* & *figurabant* ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Et si ad *agninam* ejus *mansuetudinem* & immaculatam *puritatem*, certè eo nomine, quia agnus iste ità Sacrificio idoneus fuit, & *coràm tonsoribus obmutuit*, atque ità *agnus Dei* fuit *tollens peccatum mundi*, quatenus „ agnus mactatus fuit ab origine mundi. Apoc. 13. 8. Sed hæc abundè satis de ex S. Scripturâ adductis Testimoniis.

Argum. 2. Si quis ultra totius *Ecclesiæ*, & *Doctorum omnium*, tam veterum quàm recentiorum ad hæc Testimonia postulet: nos Soli lucem fœnerari vult, cum ubique passim extent; integri libri plurimi de hoc conscripti sint: Legantur inprimis *Justinus Martyr* in *Dialogo* cum *Tryphone*, *Tertullianus* & *Cyprianus* contra *Judæos*, *Chrysostomus* in Libro quo contra *Judæos* probat Christum *Cap. 10.* esse Deum. Nobis sat' erit pauca transcribere ex *Eusebio* lib. 1. Demonstrationis Evangelicæ, ubi dicit Judæos accepisse ἀνθενῆ στοιχεῖα σύμβολα καὶ εἰκόνας, ἀλλ' οὐκ αὐτῶν ἀλήθειαν παρέχοντα; nos verò τὰ ἀληθῆ καὶ τῶν εἰκόνων τὰ ἀρχέτυπα διὰ τῆς μυστικωτάτης οἰκονομίας ἔχομεν; Et rursus, οἱ παλαι Θεοφιλεῖς ἐμενόν τι καὶ Θεοφιλὲς καὶ μέγα ἱερεῖον ἔχειν πεπεισμένοι ἀνθρώπους τῷ Θείῳ πνεύματι προειληφότες τὸ δὲ παντὸς καθάρσιον κόσμου, ἐκ καὶ τὰ σύμβολα τέως ἀπετέλειν αὐτοὺς προφήτας ὄντας καὶ τὸ μέλλον ἔπεσθαι προτυπωμένους, &c. Quid plura cum hoc *omnes* omnium temporum *Christiani* uno ore, dictis, scriptis, unà cum ipso Christo & Christianismo palam semper professi sint, solo *Socino* excepto, & ex assectis suis aliquibus; tantâ interim existente hujus veritatis evidentiâ, ut ipse *Socinus* aliquantum illam agnoscat, & ex reliquis suis Hyperaspistis celeberrimus *Smalcius* quamvis absurdè nimis dicat „ Christum primò Abraha„ mo promissum fuisse, atque ità ab eo tempore tantùm numerari debere „ ea facta, quæ ipsum aliquo modo figurârunt, ea verò ex tunc eum ejusque „ mortem figurare *fatetur*, nihilque ferè omnium esse, in quo non aliqua „ adventuri Messiæ fiat adumbratio, ut sunt mactatio Agni Paschalis, e„ rectio serpentis ænei in deserto, perpetua Sacrificiorum immolatio, & „ quid multa? Tota Lex Mosaica umbra fuit eorum, quæ per Messiam „ hominibus revelanda, & ipsi Messiæ donanda erant, ut non tantùm gene„ raliter ea, quæ ad Christum spectant, indicata, sed etiam singula quæque ad „ eum quoquo modo pertinent speciatim descripta esse jure dici potest, & „ nihil planè sit eorum quæ ipsi acciderunt, quantumvis parva esse videan„ tur, de quo dici non possit, hoc autem totum ideò factum est ut implere„ retur id quod prædictum est &c. Habemus igitur vel Adversarios nobis συμψήφους. Sat' ergò abundè *testimoniorum*.

De Divinitate Jesu Christi parte 1. cap. 2.

Argum. 3. Tertiò succedunt *rationes* partim à *Christo præfigurato*, partim à *Sacrificiis* eum *præfigurantibus* ductæ.

1. Et primò quod ad *Christum* attinet, cum omnium α & ω, cum πάντα ἐν ἐν πᾶσι sit, ut Sacrificiis saltem illis adumbraretur necesse est. Nam hinc est *Apoc. 1. 11. Coloss. 3. 11.*

1. Quòd omnia ferè quæ ab ipsis mundi primordiis à Deo facta sunt, præsertim in Ecclesiâ illâ suâ antiquâ & populo Israelitico τύποι συνέβαινον ἐκεί-

ἐκείνοις, ut Apoſtolus loquitur 1 Cor. 10. 11. ut ad noſtri admonitionem, ſic ad ipſius *Chriſti* aliqualem ſubindicationem, & quædam quaſi προκηρύγματα τῶν τοῦ Χριστοῦ ἁπάντων, ut loquitur *Juſtinus Martyr*, vel ut *Tertullianus* * „ Divinarum virium lineamenta non minùs parabolis operato Deo „ quàm locuto. Unde etiam *Chryſoſtomus*, † οὐκ ἐγεγράφου ἦ μόνον οἱ προφῆται, ἀλλὰ καὶ διὰ πραγμάτων ἐτύπωσαν „ Tota ſiquidem Divina οἰκονομία „ priorum temporum hunc ipſum Chriſtum, ejuſque res geſtas ut pulcher- „ rimam ac perfectiſſimam ſpeciem ante oculos habens cætera omnia ad il- „ lud inſtar effinxit, ut pulchrè quidem *Grotius* in illa verba Matth. 1. 22. „ Totum hoc autem factum eſt ut impleretur quod Dominus ait per Pro- „ phetam; quod etiam ibidem multis exequitur, prout etiam ipſe *Smalcius* ut *Divinitatem* illam ſuam *Jeſu Chriſti* aſſereret, agnoſcit omnia à mundi cognitione ſecula ſuo modo eâ occupata fuiſſe, cujus aliquâ ſaltem ſpe tot homines antiquitùs fultos eſſe Deus voluit, & quam omnes ferè ſingulares & Divinæ actiones, quæ ab initio mundi extiterunt, quodammodo figurârunt.

Dialog. cum Tryphone.
* *De Reſurrectione carnis.*
† *In ad Romanos.*
De Divinit. Jeſu Chriſti parte 1. cap. 2. pag. 42.

2. Si verò res aliæ ferè omnes eum præſignificaverunt, multò magis *Lex*, cujus „ finis Chriſtus eſt Rom. 10. 4. quæ etiam „ Pædagogus eſt ad Chri- ſtum *reſpiciens* ut addit Beza, vel nos ducens; & *moralis* quidem per accidens *minando* & *terrendo*, at *Ceremonalis* ut ad *ſcopum* ad quem collimat ad ipſum *corpus*, quod ipſa ut *umbra* præfiguravit inſtitutis ac ceremoniis ſuis plurimis.

Gal. 3. 24.

3. At maximè omnium *Sacrificiis*, præſertim *propitiatoriis*, quæ Chriſti, ejuſque mortis, Sacrificii ſcilicèt illius verè propitiatorii, vivæ quædam imagines erant ac repræſentationes.

Quod clariùs adhuc conſtat ex *Sacrificiorum* illorum jam *oblato Chriſto*, *ceſſatione* & abolitione. Si enim Chriſtum non præadumbraverant, quare poſt oblatum Chriſtum vel hucuſque durâſſe non poterant? At cum *umbræ* tantùm fuerunt, quid nunc facerent umbræ, poſtquam *hoc ipſum* quod *adumbrârunt exhibitum* eſt? ut *Lubbertus* rectè arguit, vel ipſe potiùs Apoſtolus Heb. 10. 8, 9. ubi de his agens, cum ſemel Chriſtus jam præſens illud „ Ecce adſum dixerat, addit „ Aufert priùs ut poſterius ſtatuat. Atque hæc à Chriſto ducta prima Ratio fuit.

Secunda eſt ab ipſis *Sacrificiis* eorumque ad Chriſtum ſignificandum, præfigurandumque aptitudine ubi hæc notentur. 2.

1. Non hoc dico ac ſi Sacrificia illa *ex ſe* Chriſti pro peccatis noſtris *ſatisfactionem* vel *fecerint* vel *ad plenum repræſentaverint*. Cum enim „ impoſſibile „ ſit, ut ſanguis taurorum & hircorum tollat peccatum Heb. 10. 4. ἀδύνατον utique ἀνεπιστημονικὸν eſt, impoſſibile omninò ſcientiæ & rarioni contrarium eſt: adeòque illud in Chriſto ad plenum repræſentare non poterant, cujus ut in ſe aliquid haberent, impoſſibile erat. Cui innititur magna pars *Socini* contra nos hâc in causâ diſputationis. Nos verò, quamvis agnoſcamus hâc in re aliqualem inter Sacrificia & Chriſtum *Analogiam*, videlicet ut illa *Sacrificia* expiârunt *typicè* & in *foro exteriori* Eccleſiæ, ſic Chriſtus *verè*, perfectè *coràm Deo*, & in *foro interiori Conſcientiæ*. Credimus tamen quoad hanc *veram* coram Deo *expiationem* illa Sacrificia eam nec *effeciſſe* nec *ad plenum repræſentare* potuiſſe.

[a] *De Miſſâ lib. 1. c. 20.* [b] *De Miſſæ Sacrificio lib. 1. cap. 1.*

2. Neque cum *Bellarmino* [a], & [b] *Gregorio de Valentiâ* Sacrificia hujuſmodi in ſtatu *innocentiæ* locum habuiſſe (ubi enim nullus reatus, quis locus erat Sacrificio expiatorio?) [c] neque accepta ferenda eſt illa generalis apud omnes ſacrificandi προλήψις ipſius *naturæ* primitùs inſtinctui.

[c] *Ubi non fuit* אשם *in primo ejus ſenſu non adeſſe potuit in Secundo.*

3. Quin etiam neque *devoto* illi (quem priùs ex Euſebio allegavimus) piorum hominum *delectui*, nimirum eò quòd Deo optima quæque & μεγάλας θεοπρεπείας deberi exiſtimaverint; cum verò *anima* rerum omnium *optima* ſit, *ſuarum animarum* loco *aliorum animalium animas* obtulerunt, ὅπερ ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, uti loquitur ἀνθίψυχα: Hoc enim inconſulto Deo ἐθελοθρησκεία fuiſſet, præſertim cum animas ſuas τὰς ἀσωμάτους καὶ νοερὰς θυσίας ſpirituali earum Deo oblatione (prout nos hodiè Chriſtiani facimus) ſacrare poterant.

4. Igitur hunc ſacrificandi ritum, & per Sacrificia tunc temporis cultum, *Dei inſtituto* ipſi *Adamo* immediatè poſt lapſum patefacto acceptum ferimus: unde *pelles* illas, quibus Protoplaſti noſtri primò *induebantur*, *animalibus*, quæ priùs *Deo immolaverint* detractas fuiſſe probabiliter admodùm conjectat *Cl. Cloppenburgius*. Cum enim Chriſtus à *Petro* dicitur προεγνωσμένου μὲν πρὸ καταβολῆς κόσμου 1 Pet. 1. 20. & à *Johanne* τὸ ἀρνίον ἐσφαγμένον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Apoc. 13. 8. Deus ex inſtituto ſuo hujus *agni immolandi* (quo tollerentur peccata fidelium omnium ab ipſis mundi primordiis *præfigurationes* quasdam eſſe voluit in his *agnorum* & *aliorum animalium mactationibus* & Sacrificiis, uſque dum in plenitudine temporum *Agnus* iſte *immaculatus* in Sacrificium verè propitiatorium immolaretur: atque hinc effluxit per omnia illa priora ſecula illa quaſi κοινὴ ἔννοια *Sacrificiorum*, juxta illud *Euſebii* τοῦτο ἦν τὸν λογισμὸν ἡγεῖσθαι εἶναι τὸν τυχόντα, ὃν ἀνθρωπίνως κεκινημένον, καὶ θείαν δ' ὑπόνοιαν ἐμβεβληκότα.

Gen. 3. 21.

Schol. Sacrific. probl. 1. pag. 12, 13.

Ubi priùs.

5. Præſuppoſitâ hâc *Divinâ* Sacrificiorum *inſtitutione* Adamo, & per eum poſteris ſuis patefactâ, maxima licèt fuerit inter hæc typica Sacrificia, & verum & perfectiſſimum Chriſti Sacrificium *diſcrepantia* (quam ideò *Socinus* contra hanc noſtram ſententiam minimè adeò urgere debuit) magna tamen quoad plura eſt *ſimilitudo* & *analogia*, quoad *Sacrificii requiſitas qualitates, oblationem*; ἐμπύρωσιν, *ſanguinis* ejus ῥαντισμὸν & plura alia ex quibus aſſurgit Sacrificiorum illorum cum Chriſto ejuſque morte analogia, adeòque in illis ad eum typicè *præfigurandum* idonea ſatis aptitudo. Quocirca minimè *Smalcio* aſſentior, qui noſtram λογικὴν λατρείαν ab Apoſtolo dici vult contradiſtinctè ad cultum & Sacrificia Legis, quæ non tam *irrationalia* dici poterant quia oblatione animalium irrationalium conſtabant, quàm *irrationabilia*, quia nulla eorum *ratio* dari poſſit, præter *ſolam Dei voluntatem*. Nos quidem (ut antea dixi) *Dei inſtitutionem* pro primario eorum fundamento requirimus: at hoc primùm poſito, tantam *ſimilitudinem* inter figuras & rem figuratam cernimus, ut earum ſufficiens λογισμὸς (ut *Euſebii* verbo utar) idonea ſatis *ratio* inde dari poſſit, quare Sacrificia illa (prout Theſis noſtra habet) *Jeſu Chriſti Typi* dici poſſunt & debent.

De J. Chriſto Servatore lib. 2. c. 16.

De Divinitate Jeſu Chriſti parte 3. cap. 20.

QUÆST.

QUÆST. XLIV.

Divortium matrimoniale non ſolvit vinculum.

COntroverſia perplexa, atque eò infœlicior quòd non (ut in nonnullis) inter Orthodoxos & Pontificios ſolos vertatur, ſed inter ipſos Reformatos non eadem omnium de eâ ſit mens & ſententia, ut ne inter ipſos quidem *Romanenſes*. *Bellarminus* enim lib. 1. de Matrimonii Sacramento Cap. 15. ſibi ſuisque hâc in re adverſarios multos enumerat, *Græcos*, *Lanos*, neque ſolos hæreticos, ſed & *Catholicos*, *Cajetanum* putà & *Catharinum* (quanta Eccleſiæ Romanæ columina!) quorum in cenſum ſi *Eraſmum* (cujus tamen meminit) reponere dedignetur, quem alibi *Semi-Chriſtianis*, *Sectariis* & *hæreticis* annumerat, in ejus locum ſufficere potuiſſet *Naclantum* inter *Tridentinos* Patres inſigniorem Epiſcopum, qui omnes juſto *divortio vinculum matrimoniale* ità *ſolvi* putârunt, ut exin novas contrahi nuptias integrum foret. Quid hâc de re *Patres* ſenſerint, vel decreverint *Concilia*, jam perſequi non vacat: *Bellarminus* quidem per *omnia* poſt Chriſtum *ſecula* plures quaſi ſuæ ſententiæ aſtipulatores recenſet, quâ verò *fide* ſatis oſtenderunt ex noſtris aliqui, & præ cæteris Clariſſimus *Rainoldus* noſtras, qui contrà probat ex iis numero plures, pietate & eruditione ſi non ſuperiores, at æquales ſaltèm, contrariam tenuiſſe ſententiam præcipuè in purioribus, utpote Chriſto proximis temporibus. Illud pro comperto habendum eſt circa S. *Auguſtini* tempora hanc viguiſſe controverſiam, de eâ ſciſcitante & contradicente *Pollentio*, unde *Auguſtinus* librum unum *de bono conjugali*, duos *de adulterinis conjugiis* ſcripſit, in quibus novas has poſt divortium nuptias illegitimas eſſe docuit, ut & *Hieronymus* in ad *Oceanum* & *Amandum* Epiſtolis: qui cum præcipui *Eccleſiæ Latinæ* Patres & lumina fuerint, poſteros in Occidente magis ſequaces habuerunt. Quamvis enim *Græci* & *Orientales* alii contrariam tam doctrinam quàm praxin retinuerint, atque etiamnum retinent, atque ab *Imperatoribus* novarum poſt divortium nuptiarum ex *jure civili* conceſſa ſit licentia, imò à *Pontificibus Romanis* aliquot ex *Jure Canonico* in *Caſibus aliquibus* præſertim ſi inceſtuoſum adulterium fuerit, parti innocenti facta ſit indulgentia; ut *plurimùm* tamen *Scholaſtici* & præcipuè *Canoniſtæ*, tantos duces ſecuti, hujuſmodi nuptiis iniquiores fuerunt; inde duriores indies hâc de re *Conſtitutiones* factæ ſunt, donec *Concilium* tandem *Tridentinum* Seſſ. 24. Can. 7. rem totam quaſi ſtabili clavo fixit, dum omnem Anathematis fulmine feriit qui docuerit „ propter „ adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum diſſolvi poſſe, vel „ utrumque vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, altero „ conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere poſſe affirmaverit. De hoc tanquam duriùs & iniquiùs conſtituto conqueſti ſunt, proindeque ex adverſo inſurrexerunt (ſi *Bellarmino* fidem habeamus) Lutherani omnes & *Calviniſtæ* h. e. Reformatorum Gens univerſa. Nondum enim prodierat *Bunnii* cujuſdam noſtratis libellus Anglicanâ Linguâ conſcriptus, qui argumentis ab ipſo *Bellarmino* ut plurimùm mutuatis, non ſolùm novas poſt di-

Tom. 1. Contr. 1. lib. 1. cap 9.

In Tractatu de hâc re Anglicano.

Cauſa 32. q. 7.

vortium nuptias improbat, ſed (quo ipſum *Bellarminum* & *Concilium Tridentinum* ſuperat) contra ipſum *divortium* ut *illegitimum* licèt vel ob *adulterium* factum, diſputat, quod *Pontificii* approbant, propugnant, & *Concilium Tridentinum* (ut mox audivimus) ei contravenientes Anathemati devovet. Sed hunc miſſum faciamus.

Hoc idem etiam Eccleſiæ noſtræ Patres & Præſules calculo ſuo approbârunt. Hoc Reverendiſſimus *Wigornienſis* in *Controverſiarum faſciculo* nuper edito confirmavit, ob quod *Mareſio* minùs dignè vapulat. Idem denique (ut vel Præſules vel Theologos ſingulos mittamus) ipſa *Eccleſia* affirmare videtur in *Libro Leiturgico* ubi in *Matrimonii* ſolemnizatione, jam connubio jungendi palàm ex officio profiteri & promittere tenentur „ ſe omnibus aliis renunțiando ſponſo vel ſponſæ ſoli adhæſuros „ quamdiu vixerint, ut & poſtea ſe mutuò dilecturos ſecundùm Dei or„ dinationem donec per mortem divellantur. Ne verò dicatur hæc omnia intelligenda eſſe cum exceptione *divortii*, ſi modò ob *adulterium* vel *cauſam* aliam quamcunque *legitimam* acciderit, quo in caſu Conjugibus ità divulſis vel ſaltem parti innocenti alteri, non obſtante promiſſione iſtâ novum matrimonium contrahendi, vivente adhuc alterâ libera conceditur licentia: hoc totum omninò tollere videtur inter *Conſtitutiones* noſtras *Eccleſiaſticas Canon centeſimus ſeptimus* ubi cautum eſt, ne Conjuges poſt divortium à Thoro & Mensâ, vivente adhuc eorum altero novum matrimonium contrahant; de quo etiam ſufficientem cautionem, vel (quod dici ſolet) *aſſecurationem* Curiæ exhibere tenentur. Hoc parùm pro honore tantis Viris debito duriùs exagitat Cl. *Mareſius*, quos, Epiſcopos „ hybridas cum „ Jeſuitis in eodem errore conſpirantes vocat, & ex Hierarchiæ ſuæ cum Ro„ mâ ſyncretizantis indole Pontificiis hâc in re palàm aſtipulari inſimulat. Sed ô bone! *Parciùs iſta viris*. Hoc aſperius dictum Cl. *Mareſii* candorem dedecet; infamis potiùs *Miltoni* virus & venenum ſpirat, ſapit; qui ſi non (quod ipſi impegit *Morus*) doctrinam Evangelii & Domini noſtri Jeſu Chriſti de divortio, at (vel ipſo fatente) *vulgarium Interpretum Doctrinam*, quâ poſt divortium neceſſariò factum omne aliud matrimonium interdicunt, *Diabolicam* eſſe cenſuit. Honorificè ſcilicet, & quantum à maledicentiſſimo illo expectari potuit, ſatis candidè, ut *ſimiles labra lactucas* habeant. At licèt hujus latratus non moror, liquidò tamen vobis conſtat, quantas inter in hâc Conttoverſiâ determinandâ verſer anguſtias: Hinc enim *Noſtratium* imperat *authoritas*, qui ex *Reformatis* (quantum ſcio) *ſoli* hanc tuentur ſententiam, illinc *Proteſtantium* omnium ſuadet unanimis hâc in re conſenſus, quoad reliqua, concors fidei συγκοινωνία. Sat mihi, & vobis etiam ſpero, impræſentiarum, & pro horum temporum ratione, erit, ſi paci conciliandæ (cui inprimis jam omni conatu incumbendum eſt) huic rei quantum poſſum lævigandæ, & quouſque ex utrâque parte conveniant oſtendendo totam penè inſequentem inſumam operam. Quod quò meliùs fiat, videamus quænam vera ſententia eorum ſit qui *per divortium* ipſum *vinculum matrimoniale ſolvi* tenent, & pacis ergò parti contrariæ συγκατάθασις. Quâ in re hæc ſequentia notentur.

1. Primò quòd (excepto *Miltono* & cum eo uno alio vel tertio aliquo) *modeſtè* admodum agant: nil *Dictatoriè* hâc in re vel ipſi definiunt, vel aliis

cre-

credendum imperant. „ Nihil definio, nihil certi pronuncio, valeat in du-
„ bio ea ſententia, quæ quàm maximè ſanctam & inconcuſſam vult eſſe ma-
„ trimonii fidem, ne temerè rumpamus vinculum à Deo inſtitutum. Sic *Grotius* poſtquam multa pro nuptiis poſt divortium novis edixerat ad Matth. 5. 32. Quibus gemella planè ſunt illa *Eraſmi*, qui longè plura hâc de re ſcripſit in Annotationibus ſuis ad 1 Cor. 7. Quibus omninò in eundem locum ſuccinit *P. Martyr*, „ Hæc à me ſic traduntur, ut melius ac ſanius con-
„ ſilium ſim paratus & audire atque admittere. Imò ipſe *Beza*, qui hâc in Controverſiâ ut multo copioſior eſt, ità aliquibus acrior videtur, ſic tamen ſibi temperat, ut longam ſuam de eâ Diſſertationem ità claudat „ Dixi quod mihi hîc videatur, „ ſuum cuique liberum judicium eſto, modò ex verbo
„ Dei quiſque ſapiat. Quam ingenuam eorum modeſtiam non ità ingenuè *Bunnius* aſcribere nonnihil videtur eorum de causâ ſuâ diffidentiæ.

Secundò hanc *vinculi ſolutionem*, & *poſt divortium novarum nuptiarum licentiam* tuentur, ſed tum demùm quum *divortium juſtum, legitimum*, id eſt ob *juſtas* & legitimas *cauſas* factum fuerit; *has* verò *ſolas* eſſe volunt vel *adulterium* ſecundùm illud Chriſti Matth. 5. 32. vel *malitioſam deſertionem* juxta illud Apoſtoli 1 Cor. 7. 15. non κατὰ πᾶσαν αἰτίαν ut Judæi jam, & olim. Matth. 19. 3. non ex viri nutu, ut inter Judæos præcipuè *Hilleliani*, non ob *turpitudinem omnem moralem*, vel *corporis infirmitatem*, *morbumvè contagioſum*, ut aliqui, multò minùs ob *omnem animorum indiſpoſitionem*, ineptitudinem, contrarietatem, ut in ſuâ divortii doctrinâ & diſciplinâ & *Tetrachordo Miltonus* non uno dignus laqueo; non denique vel per *ingreſſum in Religionem*, quo matrimonii jam rati vinculum ſolvi vult *Bellarminus*, vel per *conjugum citra malitioſam abſceſſionem infidelitatem*, quâ Matrimonium vel conſummatum diſſolvi idem tenet, quia ſcilicet infidelium *Matrimonium Sacramentum* non eſt, adeòque non in ſe *indiſſolubile*. At meliùs ſapiunt noſtri, qui *vinculum* quidem *ſolvi poſſe* tenent, ſed non propter *alias cauſas*, quàm quas *Sacra Scriptura* habet pro *legitimis*. 2. *De S. Matrimonii lib. 1. cap. 13. Cap. 12.*

Licèt vinculum propter adulterium vel malitioſam deſertionem licitè diſſolvi poſſe ſtatuunt, hoc tamen *facto neceſſarium*, vel protinus faciendum eſſe nolunt, ſed omnia reconciliationis media à *parte læsâ* priùs tentanda eſſe ſuadent; imò *parti reæ* ante divortium factum adulterium condonari poſſe, eamque licitè retineri poſſe concedunt, *parte innocente* de *jure ſuo* cedente. Quod quidem quomodo *licitè* fieri poſſet, ſi modò *adulterium* ipſo facto, citra divortium, *vinculum ruperit*, ut plerique tenent, non ſatis intelligo, niſi quòd *divortium* hoc *permiſſum* & probatum, non tamen *mandatum* fuerit; præcipuè ſi uterque conjux ſimili adulterii reatu teneatur. Tunc enim compenſatio criminis utrique parti jus divortii adimit. „ Periniquum judico ut vir exigat ab uxore pudicitiam, quam ipſe
„ illi non exhibet, inquit *P. Martyr*. Utcunque hâc in re mitiores ſunt *Hieronymo* in Matth. 19. *Authore operis imperfecti* in *Matthæum*, qui ibi hæc habet, „ ſicut crudelis & iniquus, qui caſtam dimittit, ſic fatuus & in-
„ juſtus eſt qui retinet meretricem ex Prov. 18. 22. juxta LXX. & Vulgatum Interpretem, qui ità legunt ὁ κατέχων μοιχαλίδα ἄφρων ἐστὶ καὶ ἀσεβής. „ Qui
„ tenet meretricem ſtultus & impius eſt. Cujus nec vola nec veſtigium apparet in Textu Hebræo, vel ſi extaret, aliter exponi debuerat, quàm ut huc 3. *Balduinus lib. 4. c. 13. Caſ. S. & Beza contrà tenent. Si modò ſine ſcandalo fieri poſſit Ameſ.* *Ameſ.* *In 1 Cor. 7.*

trahi

trahi poterit. *Synodus* quidem *Neocæſarienſis* diſtrictè agit, cum ità decernit ὀφείλῃ λοπολῦσαι αὐτήν. Quod ſi minùs *Clericus* fecerit, *Concilium Elibertinum* eum ne in extremis Sacra Symbola participare permittit, ne ſcilicet ab his qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, ab eis videantur ſcelerum magiſteria procedere: & *Juſtinus Martyr* in Orat. *ad Senatum Rom.* fœminam laudat „ quod repudium miſit marito „ adultero ὅπως μὴ κοινωνὸς „ τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων γένηται.

Can. 65.

4. Quartò ſi verò partis innocentis vel neceſſitas vel voluntas hanc ab adultero *vinculi ſolutionem* & novas nuptias exigat, hoc tamen non ordinatè fieri poſſe ſtatuunt *publicis Legibus vetantibus.* Sic *P. Martyr*; vel *abſque pü Magiſtratûs veniâ.* Ità *Zegedinus*, cujus niſi ex ſententiâ fiat, eo ſcilicet conſcio & actore, ne ratum quidem eſſe (ſaltem in foro ſoli) tenet *Mareſius.* Hoc quidem apud Judæos non obtinuit, in quibus bonâ gratiâ (ut loquuntur) ſine ullâ judicis publici agnitione fieri potuit, niſi de dote aut donatione propter nuptias controverſia inciderat, ut in manumiſſione apud Prætorem in jure Romano, ut oſtendit *Grotius.* At ordinatior eſt Chriſtianorum ſeveritas, apud quos, vel ſecundùm *Eraſmum*, qui hæc divortia & nova matrimonia pro *legitimis* habet, niſi verò per *Epiſcopos*, aut per *probatos & graves judices* acta ſint, *parùm legitimè* fieri cenſuit, quamvis *Lutherus* (referente *Bellarmino*) rem potiùs ex duobus eruditis & bonis viris, quàm à Conciliis definiri voluit.

Ubi priùs cap. 16.

Sic ergò ex noſtris illi, qui per *divortium vinculum ſolvi* ſtatuunt, *cautè* rem trutinant: atque ut *legitimè* fiat his ac ſimilibus circumſtantiis eam totam circumſcribendam eſſe judicant: quæ tamen, ſi adhibeantur, & conjugis innocentis neceſſitas ità poſtulet, quamvis *parti reæ novarum nuptiarum* copiam in pœnam eorum aliqui adimant, *læſæ* tamen & *innocenti permittunt*, idque ut opinantur tam Sacræ Scripturæ, quàm rectæ rationi conſentaneè.

Non tamen hoc facit Chamierus.

1. Huc inprimis adducunt illud Salvatoris Matth. 5. 32. & 19. 9. ubi divortia & nova exin contracta matrimonia damnat, at adulterii caſum excipiendo; in eo ſaltèm ea legitima eſſe clarè ſtatuere videtur: & ut verum fatear, quæ vel à *Bellarmino*, vel à *Noſtrorum* aliquibus pro reſponſo adhibentur, plenè huic loco ſatisfeciſſe nunquam mihi viſa ſunt.

2. Urgent etiam illud 1 Cor. 7. 15. in caſu obſtinatæ *deſertionis ſervituti ſubditum non eſſe fratrem vel ſororem*: Ergò multò minùs ſi accedat *adulterium.* Quæ in ſolutionem afferuntur ſatis novi: at nil jam exagito.

3. Diſputant etiam ex ipsâ naturâ *divortii*, quod *diſſolutionem matrimonii* definiunt Jurisconſulti. Hinc apud Hebræos Libellus Repudii סֵפֶר כְּרִיתוּת *Liber abſciſſionis* dicitur, quo conjuges à ſeipſis *abſcinduntur* invicem, quod apud Græcos per τὴν ζυγίας χωρίζεσθαι (apud *Juſtinum Martyrem*) apud *Latinos* verò Jurisconſultos per *Matrimonium diſſolvere, ſeparare, dirimere* exprimi ſolet, ut *Lactantius* per adulterium conjugalis fœderis *vinculum* & *reſolvi* dicit.

Lancelotus Inſtit. Jur. Canon lib. 2. Tit. 16.

In Epit. cap. 8.

Qui verò à contrariâ ſtant ſententiâ, & ipſi æquis S. Scripturæ teſtimoniis, & rationum ponderibus freti ſibi videntur,

1. Illud primò Servatoris urgent „ Quod Deus conjunxit homo non ſeparet Matth. 19. 6. cui tamen vel ipſe *Bellarminus* reſpondet de Matrimonio infide-

Ubi priùs cap. 12.

fidelium id ſcilicet dirimi non ab homine ſed à Deo : quod idem dicturi ſunt alii de divortiis ob *Adulterium* à Chriſtianis factis.

Secundò adducunt illud à Salvatore ῥητῶς & ſimpliciter dictum Marci 10. 11. „ Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mœchatur „ adverſus eam : cui reſpondent Adverſarii, imò non abſolutè & ſimpliciter, ſed cum exceptione Adulterii ex *Matthæo* intelligendâ. 2.

Tertiò & illud afferunt ab Apoſtolo repetitò dictum „ viro ſubjecta mu- „ lier vivente viro devincta eſt per legem, proinde vivente viro mœcha vo- „ cabitur, ſi fiat alterius viri Rom. 7. 2, 3. ut & 1 Cor. 7. 39. „ uxor alligata eſt lege quamdiu vivit vir ipſius : at hoc etiam contrariæ ſententiæ aſſertores cum *exceptione adulterii* & ob id *legitimi divortii* intelligi contendunt, cum eo in caſu non amplius ὑπανδρος vel *viro ſubjecta* manet, utpote quod *Conjux repudiatus, civiliter mortuus* ſit, quod de *Monacho* dicere ſolent *Pontificii.* 3.

Quartò illud etiam Apoſtoli adducunt 1 Cor. 7. 10. „ uxor à viro non „ diſcedat, ſi diſceſſerit, maneat innupta : quod argumentum *indiſſolubile* vocat *Bellarminus* ; at hoc facilè *ſolvere* ſibi videntur alii, & dicunt, hoc de *voluntariâ abſceſſione* ex *cauſis aliis* nil probat contra *divortium ob adulterium* factum, & *novas ex eo nuptias*, quia & conjugi innocenti & derelicto nil hîc oneris imponitur, qui liber & ſui juris eſſe permittitur ab ipſo Apoſtolo v. 15. tantùm *parti deſerenti* & *reæ* imponitur vel ut medium futuræ reconciliationis, vel in pœnam ſuæ contumaciæ. 4.

Incommoda etiam plura exaggerant ex hujuſmodi *vinculi ſolutione* & *novis inde nuptiis* profluentia. Sed æquè magna & multa in hanc ſuam ſententiam refundunt eorum Adverſarii ; neque etiam vel in hâc controverſiâ vel aliis, in quibus *Dei inſtituto* & *Scripturarum authoritati* inſiſtendum eſt, adeò *legitima* vel *tuta* eſt ab *incommodis* ducta argumentatio : quam etiam neglexit Chriſtus cum tale objiciebatur hâc in re à ſuis diſcipulis Matth. 19. 10, 11. 5.

Quid ergò tandem mihi agendum reſtat, cum ex adverſo utrinque in acie ſtent inter ſe quidem adverſarii, utrique verò mihi amicorum numero habendi ; *amici* quidem & *hi* & *illi*, ſed *magis amica veritas* ; Cum tamen ii qui *vinculum ſolvi* tenent, adeò *pacatè* & *modeſtè* agant, uti priùs oſtendimus, qui etiam contrà illud *inſolubile* eſſe contendunt, vel hoc ſuo rigore piè admodùm Conjuges à *divortiis* magis *abſterrere* & ad mutuam *reconciliationem* hortari ſtudeant : cum etiam *Origenes ſecundas has nuptias*, quibus non adeò favet, eas enim vel parti innocenti denegat, aliqualiter excuſet Homil. in Matth. 7. *Ambroſius* eas concedat in 1 Cor. 7. *Hieronymus*, iis multò licèt iniquior, *jam factas diſſolvi nolit* in Epiſtolâ ad *Amandum*, *Auguſtinus* denique quamvis pluribus de hâc re egit, & ſecundas illas nuptias, & vinculi ſolutionem improbavit in Libris ſuis de *adulterinis Conjugiis*, & de *bono Conjugali* & Cap. 25. Libri de *Sermone Domini in monte*, Capite tamen 7. Libri *de bono Conjugali* hunc *nodum difficilem* vocat, & de re iſtâ aliquantum dubitare videtur & Capite 19. Libri de *fide* & *operibus* „ hoc in ipſis Divinis ſen- „ tentiis ità obſcurum eſſe dicit ut (quantum exiſtimat) in eo venialiter quiſque fallatur ; *Retractationum* denique Lib. 2. Cap. 57. hæc habet „ Scripſi „ duos Libros de Conjugiis adulterinis quantum potui ſecundùm Scriptu- „ ras, cupiens diſſolvere difficilimam quæſtionem, quod utrùm cordatiſſimè *Hom. in Matth.* 18.

„ fecerim neſcio, imò verò non me perveniſſe ad ejus rei perfectionem ſentio : In quo igitur tanquam in *nodo*, ut loquitur, *difficili*, imò *difficilimâ quæſtione* tantus Eccleſiæ Doctor, aliquantum hæſit, me ἐπέχειν decet. Cumque *utrinque* ſtent *amici*, hæc mea ſit determinatio πῶν δυοῖν φίλοιν ἀ ϑέλω εἶναι κριτής.

QUÆST. XLV.

Culpâ remiſſâ non retinetur pœna.

IN hâc Controverſiâ adverſarios habemus *Pontificios* : Qui quamvis unà nobiſcum contra *Socinianos* pro peccatis noſtris à *Chriſto Divinæ juſtitiæ ſatisfactionem* factam profitentur, quâ fidelium *peccata omnia* tolli dicunt, imò & *pœnas* omnes unà cum *peccatis ante Baptiſmum* commiſſis per *Baptiſmum* exſolvi concedunt : cum tamen peccata *poſt Baptiſmum* longè atrocioria ſint, quamvis ipſa *peccata* fidelibus remittantur, mirâ tamen contradictione contendunt *remiſſis peccatis pœnas* non quidem *æternas*, at ſaltèm *temporales*, ut *Dei juſtitiæ ſatisfiat* adhuc manere *ſolvendas*, vel in *hâc vitâ*, vel in *Purgatorio*, vel ſuis propriis officiis, pœnitentiis & perpeſſionibus, vel aliorum ſatisfactionibus & ſuffragiis expiandas. Sic *Concilium Tridentinum* Seſſ. 14. Cap. 8. diſertè decernit „ falſum eſſe & à verbo Dei alienum culpam „ à Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur. Cui concinit *Canon duodecimus* „ Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum „ culpa remitti ſemper à Deo, Anathema ſit : cui gemella de Satisfactionibus noſtris habent *Canones* ſequentes 13, 14. & 15^tus.

At noſtri unanimiter omnes affirmant verè remiſsâ ſemel culpâ nullam in poſterum remanere pœnam propriè dictam adhuc luendam. Sic *Eccleſia Anglicana* in *Homiliâ de Salute parte primâ* „ Cum totus mundus ne mini„ mam pretii redemptionis ſuæ partem ſolvere poterat, Patri noſtro cœleſti „ pro infinitâ ſuâ miſericordiâ ſine ullo noſtro merito pretioſiſſimas Cor„ poris & Sanguinis Chriſti gemmas nobis parare placuit, quibus λύτρον no„ ſtrum in plenum perſolvi, Lex plenè impleri, ſuæque juſtitiæ plenè ſatis„ fieri poterit. Ubi verò *plena* demum eſt *debiti ſolutio*, & *juſtitiæ ſatisfactio*, ibi non *partialis* vel *dimidiata* aliqua, ſed ità *plenaria* eſt *culpæ remiſſio*, ut nulla omninò maneat, ne minima *propriè dictæ pœnæ*, quâ juſtitiæ ultrici ſatisfiat, maneat particula *adhuc ſolvenda*.

Sed ſatis liquidò conſtat de noſtrorum omnium hâc de re ſententiâ, atque ità de Controverſiæ ſtatu, & terminis Quæſtionis.

De ultimâ tamen voce *Pœna* ad ulteriorem explicationem quædam annotanda ſunt. Cum enim poſt remiſſam in juſtificatione culpam plurimæ juſtificatos etiam afflictiones maneant, has (contradicentibus noſtrorum aliquibus) alii *pœnas* verè dici poſſe contendunt ; ex horum ſententiâ, vel *remiſſâ culpâ*, *pœna* aliqua ità *verè dicta retineri* videtur. Ad nodum hunc ſolvendum dicimus hanc vocem *Pœnæ* πολύσημον eſſe, & vel *impropriè* vel *propriè*, vel ſolummodò *materialiter*, vel etiam *efficienter*, *formaliter*, & *finaliter* ſumi.

Im-

Impropriè etiam dupliciter.

1. Pro læsione vel *damno quocunque*, ejusque apprehensione; atque sic pœna *materialiter* dicitur, quatenus est carentia boni naturæ convenientis, quæ *pœna damni* est, vel præsentia mali contrarii, quæ *pœna sensûs* dicitur *nullâ* etiam aliquando *præcedente culpâ*, vel peccati demerito: quo in numero veniunt *brutorum animalium pœnales miseriæ* quamplurimæ, quæ tamen nec *peccato* obnoxia esse constat, neque *pœnæ propriè dictæ*, prout constans est tam *Theologorum* quàm *Juris Consultorum* sententia. Ità *mortua* tandem est *Beata Virgo*, quam *peccati omnis immunem* esse somniant *Pontificiorum* quamplurimi. Ità denique *nullâ suâ* sed *persequutorum* solâ *culpâ* dira omnia pertulerunt *Martyres* innocui & Sanctissimi. Sic Sancti *Jobi* & piorum aliorum δοκιμασίαι ad Dei gloriam & fidei eorum probationem, exercitium, illustrationem ipsis immissæ.

2. Pœna *impropriè* etiam dicitur cum præcessit quidem culpa aliqua, ejusque demeritum, & sic ab aliquibus *pœna* definitur *malum propter præcedens meritum*, quales erant *Mosis*, *Aaronis*, *Davidis*: atque etiamnum sunt *fidelium omnium* παιδείαι & ob peccata sua paternæ omnes (quibus à Deo eruditiuntur) *castigationes*, in quibus omnibus præcessit eorum peccatum ut castigationum istarum *occasio*, imò non ægrè dico ut *causa meritoria*, ut Latro ille jam conversus piè fassus est & nos quidem justè, nam digna factis recipimus. Lucæ 23. 41; quo nomine & *judicia* vocantur 1 Cor. 11. 32. κρινόμενοι δὲ, ὑπὸ τοῦ Κυρίου παιδευόμεθα, „ Cum judicamur, à Domino erudimur. In his verò castigationibus non solùm est *materiale* pœnæ, ut in priori illo jam dicto pœnæ impropriè dictæ genere, sed & *aliquid formæ communis* cum *præcedens delictum* non solùm harum occasio, sed in se *causa meritoria* sit, eàque quoad *finem* suum *redundans in personam*: quatenus Deus eas infligendo sanctitatem imò justitiam suam ostendit, & illustrat: imò ut *Judicis* etiam in his personam induit, *domestici* scilicet & *paterni*, non *forensis* & *politici*.

Et ab aliis malum passionis quod infligitur ob malum actionis. Vide Grotium de jure belli & pacis l. 2. c. 20. §. 1. ab aliis punitio delicti.

Nam hoc *propriè* ad *pœnam propriè dictam* pertinet, quæ etiam dupliciter considerari potest, vel ex *parte personæ punientis*, & sic est *vindicta*, quatenus vindictam ultricem ob delictum à personâ punitâ sumit „ prout Judex politicus ἔκδικος εἰς ὀργὴν „ vindex in iram Apostolo dicitur Rom. 13. 4. prout etiam *Varro pœnam* à *pendendo* dictam esse vult, scilicet à rependendo per justitiam vindicatricem reo pœnam debitam, vel etiam considerari potest *ex parte personæ punitæ*, & sic est *satisfactio*, quia in ordine ad satisfactionem faciendam personæ offensæ & Judicis, vel saltem Legi, bono communi, ipsique denique justitiæ per peccatum commissum violatis, ut quod inordinatum fuit in culpâ ordinetur in pœnâ, quod per τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι, & τὰ ἴσα ἀπολαμβάνειν rectè exprimi potest.

Marc. 15. 15. Luca 6. 34.

His pœnæ propriè & impropriè dictæ variis prænotatis significationibus, ut rem, quam in manibus habemus, agamus, dicimus *Culpâ remissâ à Deo retineri pœnam impropriè* sed non *propriè dictam*. *Miseriæ* omnes, quas hîc perpetiuntur *fideles*, *aliquo modo pœnæ* dici possunt: tum ex originali suo ortu & in se ingenio, quòd primitùs pœnæ fuerint, à summo Judice ob violatam suam Legem nobis miseris constitutæ, tum etiam ex multiplici earum cum propriè dictis pœnis similitudine, nimirum quoad *materiale* identitate,

Vide Dallæum de Satisfact. lib. 1. cap. 2.

quòd *graves* & *moleſtæ* ſint, quòd à *Deo* ſummo Rectore *infligantur*, idque *ſæpiùs ob peccata* præcedentia, atque *ad aliorum exemplum*, in quibus omnibus aliqualem, *communem* ſcilicet *pœnæ propriè dictæ* in ſe *formalitatem* habent, at non *ſpecificam* & *propriam*: Quoad *efficientem* ab *eodem Deo* ſunt, ut à *Rectore* & *Judice*, at non *forenſi* ſed *domeſtico* & *paterno*, ſi irato, ità tamen à *paternâ irâ*, cui plus *amoris* inſit quàm *iræ*; quoad *finem* præcipuè: (atque hinc eſt quòd Pater Filio ſonti jam pœnitenti parcit at) non ut vindictam ultricem exigat, ſed aliquando, ut in δοκιμασίαις, ut *coronet*. „ Hujuſmodi „ ſanctorum paſſiones non punitivæ, ſed promotivæ ſunt, ut rectè *Bonaventura*. *Cæditur*, vulneratur & *reus*, & *pugil*, *ille* ut ſceleris ſui *pœnam* luat, hic ut *coronetur*.

Diſt. 23. art. 3. qu. 1. lib. 2.

Aliquando, ut in παιδείαις, ut *erudiat*, ut *priores lapſus caſtiget*, ut *in futurum cautiores reddat*. *Manus* aliquando *præſcinditur* & à *carnifice* & à *Medico* vel *Chirurgo*; ab *illo* in *pœnam*, ab *hoc* in *medelam*: quamvis enim hæc *mutilatio* prioris *intemperantiæ* vel *temeritatis pœna* eſſe poſſit ut eſt à *Deo*, non tamen itidem ut à *Medico*.

Minimè omnium iſtæ piorum *caſtigationes* (id quod in proprii nominis pœnis fit) ideò infliguntur, ut eis *Divinæ juſtitiæ ultrici ſatisfactio* fiat (hanc enim totam Chriſti paſſio unica præſtitit.) His quidem *Divinæ juſtitiæ patefactio* fit, at nulla (quam volunt *Pontificii ſatisfactio*; ad quam tamen faciendam (vel plenariè remiſsâ culpâ) *pœnam* aliquam *temporalem* tam in *hâc vitâ* quàm in *Purgatorio pro peccatis* ſaltem *poſt Baptiſmum* commiſſis retineri mordicùs tenent *Pontificii*; ſed contra [1] *S. Scripturæ Teſtimonia*, [2] *ipſam remiſſionis naturam*, [3] *plenariam Chriſti ſatisfactionem*, [4] *atque ipſius Dei* denique *juſtitiam*.

Argum. 1.

Primò quòd ad *S. Scripturæ teſtimonia* attinet, hæc ſatis clara ſunt Jer. 31. 32, 33. Heb. 8. 12. „ Hoc pactum meum erit: propitiabor iniquitati eo„rum, non recordabor ampliùs. Cum condonat, non recordatur, at cum punit, recordatur, juxta illud Hoſeæ Cap. 8. 13. „ Nunc recordabitur iniqui„tatis eorum, & viſitabit peccata eorum, imò & juxta communem loquendi formulam, cum pro *punire* dicimus in ſcelus animadvertere. At in verâ remiſſione vera ἀμνησία eſt: at ubi hæc eſt ità oblivioni datur *culpa* ut nulla ob eam infligatur *pœna*.

Huc referri debent illæ loquendi formulæ, *projiciendi peccatum poſt tergum* Iſa. 38. 17. & *in profundum maris* Micæ 7. 19. At cum peccata *punit* Deus, ea *in conſpectu ſuo ponit* Pſal. 90. 8. „ ſi etiam noſmet ipſos occulta„verimus in fundo maris à conſpectu Dei, inde mandare poteſt ſerpenti, qui nos mordeat Amos 9. 3. Sin verò *ipſe* peccata noſtra eò *projiciat* ab omni *pœnæ morſu* immunes erimus.

אחרי גוך לגדך

Ad hoc idem etiam illud facit Heb. 10. 18. „ ubi remiſſio ibi nulla pro peccato oblatio: at anima in purgatorio eſt veri nominis piacularis hoſtia, quæ ibi ad peccata expianda (authore *Bellarmino*) pœnam ſolâ æternitate ipſis infernalibus minorem perfert. Aut igitur *culpa* ei *remiſſa* non fuit, aut illa *pœna nulla* erit, ſed verè fictitia eſt.

De pœnitentiâ lib. 4. cap. 1.

Et quidem remiſsâ culpâ quid opus erit *hoſtiâ*: cum *nulla ſit condemnatio* atteſtante Apoſtolo Rom. 8. 1? ubi non loquitur de *quibuſdam perfectioribus*, qui ſine peccato ſunt, ut aliquibus *Pontificiorum* placet, (qui enim illi

Gauntero & Peltano.

ſunt,

ſunt, quâve in Utopiâ habitant, qui ſine peccato vivunt?) ſed indefinitè de *omnibus qui in Chriſto ſunt.* Nec per *condemnationem* intelligit *Concupiſcentiæ aſſenſum*, ut *Bellarminus* voluit, ſed proprii nominis condemnationem, quam *Thomas* in Locum *damnationem pœnæ* vocat, neque condemnationem hanc ſolam *æternam* negat, ut *Pontificii* contendunt; ſed omninò *nullam* eſſe dicit, ne *temporalem*, imò *nihil condemnationis*, ut *Vulgatus Interpres* locum efficaciùs reddit: ſi ergò in Chriſto per fidem ſimus, & verè ſemel remiſſa ſint peccata, nulla ad quem condemnaremur reſtat *pœna*, evanuit prorſus (in quo eam luituri eſſemus) *Purgatorium. Remiſſâ* ergò *culpâ pœnam retineri* primò contra *S. Scripturæ teſtimonia* eſt.

Secundò contra ipſius *Remiſſionis* (prout in ſe eſt) *naturam* & *indolem.* *Argum. 2.*
Omitto hîc, quæ de ipſis vocibus ἀφιέναι, χαρίζεσθαι, *remittere, dimittere, donare, condonare, ignoſcere*, earumque omnium apud omnes ſignificatione doctè & fusè annotârunt noſtrorum aliqui: Rem ipſam, ejuſque definitionem attendamus. „ Venia eſt pœnæ meritæ dimiſſio, definitore *Seneca*, „ ignoſcere eſt ſceleris pœnam prætermittere, autore *Cicerone.* Quid igitur eſt *peccati remiſſio*, niſi ut *non ad pœnam imputetur:* ubi *culpa* remittitur, *reatus* tollitur, ergo & ad *pœnam obligatio*, ergò & *pœna*, niſi ſolutio injuſtè exigatur ubi expungitur, adeòque nullum jam manet debitum: ſed de hoc in ultimo argumento. Sanè quando nos fratribus noſtris debita & offenſas condonare jubet, nil omninò apud nos manere vult, quo vindictæ nomine ab iis expoſcere permittit. Abſit ergò ut Clementiſſimum Deum id facere dicamus, quod *nos* facere *vetat*, aut igitur remiſſio ejus *dimidiata*, vel ſaltem *partialis* erit (certè non plenaria aut integra) aut *nulla propriè dicta pœna* reſtabit adhuc luenda; nam quatenus culpa remittitur, eatenus non punitur; ſi ergò aliquâ ex parte *punitur*, non tota integrè *remittitur.* Sunt quidem aliqui ut piè *Bernardus*, (quales ſcilicet nos ſumus homines vel ex toto vel ex parte immiſericordes) „ ſic donantes injuriam ut non ulciſcantur, ſæpiùs ta„ men improperent; ſunt alii, qui ſileant licèt, manet tamen altâ mente „ repoſtum & rancorem tenent in animo; quarum utique neutra plena eſt indulgentia: at longè ab his omnibus benigniſſima eſt Divinitatis natura, liberaliter agit, ignoſcit plenariè; *Perfectum* ſcilicet *Dei opus eſt* Deut. 32. 4. Et præ reliquis miſericordiæ ejus opera perfectiſſima ſunt. Unde vobis (Auditores) ſatis conſtat quàm pia vel blaſphema potiùs ſit illa *Peltani* ſententia, quæ *remiſſionem* hanc inter *imperfecta Dei opera* reponit. Illud ſolùm hîc adjungam, *Peccatis non remiſſis manet* & *culpa* & *pœna.* Ergo *plenè remiſſis tollitur utraque. Pontificiorum* ergò ſententia eſt contra *ipſiſſimam Remiſſionis naturam.*

Vide Dallæum de Saiiſf. lib. 2. c. 1.

Epiſt. ad Brntum.

Ex adverſo etiam tertiò contra plenariam Chriſti *ſatisfactionem* hîc ex ipſis Pontificiis appello *Vaſqueſium, Ferum, Catharinum* qui hæc habet „ Quia „ Chriſtus ſolvit abundè pro nobis, licèt dici poſſit manere pœnam id eſt do„ lorem, laborem & reliqua hujuſmodi, non tamen ut ſint ultra pœna & „ ſupplicium ejus peccati cujus reatus penitus deletus eſt. *Argum. 3.*

Contra *plenariam*, inquam, & *conſummatiſſimam Chriſti pro peccatis noſtris ſatisfactionem*, quam ille ſolus in plenum præſtitit; „ ille ſolus torcular calcavit, nec fuit cum eo vir aliquis Iſa. 63. 3. „ Unicâ ſui ipſius oblatione „ conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur Heb. 10. 14. Solus & in

Iſa. 44. 6. ſolidum. *Solus* inquam, neque quenquam in hujus officii & gloriæ conſortium admittit: Quid enim ipſi *Partiario* opus erat cum ipſe *ſolus totum & inſolidum* exſolvit? Non enim ſolas pœnas *æternæ paſſione* ſuâ nobis *abſtulit*, ſed ipſe *temporales tulit*, adeòque *ferendo* nobis *ſuſtulit*, nam „ à male-„dictione Legis nos liberavit Gal. 3. 13. at *pœnæ temporales* inter *Legis maledictiones* numerantur. Ergò ab *eis* æquè ac ab *æternis* redemit. Ab his etiam pœnis temporalibus peccatis *ante Baptiſmum* debiris eum nos liberâſſe vel ipſi fatentur *Pontificii*: quidni etiam quæ debentur peccatis *poſt Baptiſmum* commiſſis? Reſpondent *Tridentini Patres*, quia „ peccata poſt Baptis-*Ubi priùs.* „mum graviora ſunt, non ex ignorantiâ, ſed ab iis commiſſa, qui ſemel à „ peccatis & Dæmonis ſervitute liberati & accepto Spiritûs S. dono, ſcienter „ templum Dei violare & Spiritum S. contriſtare non formidaverint. Ergò „ & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter in gratiam recipiantur, „ imò & Divinam Clementiam decet, ne ità nobis abſque ullâ ſatisfactione „ dimittantur.

Audio & Reſpondeo.

Sine ullâ ſatisfactione? An Chriſti nulla eſt?

An *ſemper peccata* poſt *Baptiſmum* vel gratiam acceptam *graviora* ſunt? Secundùm aliquas agnoſco *circumſtantias*; at *plura* ſæpiùs *ante gratiam acceptam* ſuo *genere graviora* erant: & ipſum peccatum *originale* (quamvis *Pontificiis* levius ſit) in ſe & *Paulo* & verè *fidelibus graviſſimum* eſt.

At ſint peccata poſt Baptiſmum graviora, non ideò *noſtris ſatisfactionibus* opus habent, ſed ſoli *Chriſti ſatisfactioni* magis debent.

Si etiam adeò gravia ſunt, ut pœnis ulterioribus expiandæ ſint, quidni ergò *æternis*? At *hæ* per *Chriſtum* ſolutæ ſunt, quidni ergò minores, *temporales* ſcilicet?

Quantò graviora, eò *graviùs* à Deo ut Patre *caſtiganda* ſunt (ut ſæpiùs quidem caſtigantur) at non ut à Judice *punienda*.

At *fieri debet ſatisfactio*; Deo inquam per *Chriſtum abundè* jam *ſatisfactum*, quin & *Eccleſiæ* graviter offenſæ *fieri* etiam debet; Sed reſtat tertium, inexplebilis ſcilicet ſacrificulorum & *Pœnitentiariorum* ſuorum & *Papalis fiſci* avaritia, cui nunquam *ſatisfiet*; atque hinc tot conſcientiarum carnificinæ, querelæ, & in foris ſuis pœnitentialibus rixæ perpetuæ, non ſine ſummâ populo Chriſtiano, ſed ipſi inprimis *Chriſto*, ejuſque *ſatisfactioni plenìſſimæ* factâ injuriâ.

Obj. At hoc inprimis negant *Patres* illi *Conſcripti*, quia hæc noſtra ſatisfactio, quam pro peccatis noſtris exolvimus, eſt per *Chriſtum Jeſum*, in *quo meremur, in quo ſatisfacimus.*

Sol. Nimis tritæ hæ *Pontificiorum* affaniæ. *Meruit Chriſtus ut nos mereamur: ſatisfecit ipſe, ut nos pro nobiſmetipſis ſatisfaciamus.* Apage has in adjectis contradictiones, quas jam non vacat convellere, imò verò meruit & ſatisfecit ut nos fide ejus merita & ſatisfactiones grati accipiamus; hoc *humilem fidem* noſtram decet, non ut ipſi vel mereamur vel ſatisfaciamus; hoc *typhum* ſapit *Antichriſtianum.* Hæc in *Tridentinorum* ſententiæ ſuæ excuſationem dicta ſint.

Enchirid. cap. 11. *pag.* 402, 403. Nec multò fœlicior eſt illa altera *Coſteri*, qui dicit cum Chriſtus debitum perſolverit, non opus eſt novâ ſolutione, ſed per *bona opera* & *Sacramentum*

pœni-

pœnitentiæ (in quâ continentur hæ ſatisfactiones noſtræ) *ſolutionis* à *Chriſto factæ applicatio* & *acceptatio.*

Cui Reſpondeo. 2.

Per ſolam *fidem* in *Sacramentis verè dictis* atque etiam *extra Sacramenta* fit iſta ſolutionis & ſatisfactionis ad juſtificationem & abſolutionem noſtram *acceptatio* & *applicatio*, non per *opera* quæ facimus, vel *pœnas*, quas luimus.

2. Pœnas iſtas ex eorum ſententiâ damus, non ſolùm in hâc vitâ, ſed etiam in *Purgatorio*. Num ergò *Purgatorium* iis in *forum pœnitentiale* abiit? vel in *Purgatorio* celebrantur *Sacramenta*? Pontificia ſcilicet, non noſtra.

3. Denique, An ſecundùm eos in pœnis his temporalibus vel hîc vel in Purgatorio ſolutis eſt ſola Chriſti ſatisfactionis acceptatio & applicatio? An non potiùs ipſæ pœnæ temporales illæ *veræ* & proprii nominis *ſatisfactiones* ſunt, & quidem (uti volunt) *pro quibus Chriſtus non ſatisfecit* ſed quibus *nos pro nobismet ipſis ſatisfacere* voluit? Quam ergò ſatisfactionem Chriſtus ſolus in ſolidum præſtitit, quamque à ſemetipſis pii repellunt (*non nobis Domine, non nobis*) illi, ut *Gehazi* & *Ananias* olim, ex parte ſibi νοσφίζεσι non ſine ſummâ conſummatiſſimæ ſatisfactioni Chriſti fâcta injuriâ.

Nec minori (quod quartum argumentum eſt) *Dei ipſius juſtitiæ*, eò quòd ex eorum ſententiâ *illius pœnas* exigit, quod à ſeipſo *gratis condonatum* eſt, *pro quo* etiam per Chriſtum *plenè ſatisfactum* eſt, adeòque quod reverâ non eſt: Cum enim *culpa* & *pœna relata* ſint, *ſe mutuò ponunt* & *tollunt*; ubi verò condonatio plenaria eſt, ibi nullus reatus, ubi nullus reatus, ibi nulla ad pœnam obligatio eſt, ubi nulla ad pœnam luendam obligatio, ibi nulla pœna eſt, vel ſaltèm juſtè inflicta vel infligenda. Sed iſta non perſequar. Concludo omnia verbis ſancti Chryſoſtomi ὅπου συγχώρησις, ἐκεῖ μία κόλασις: vel Tertulliani † Exempto reatu eximitur & pœna, vel ut Theſis habet, Culpâ remiſſâ non retinetur pœna. *Argum. 4.*

Homil. 8. in Rom.

† *De Baptiſmo cap. 5.*

QUÆST. XLVI.

Non licet gladio animadvertere in hæreticos.

IN hâc Controverſiâ affirmativam ex noſtris tenet *Beza* in Tractatu ſuo de Hæreticis à civili Magiſtratu puniendis; & cum eo plures alii, adeò ut Zanchius omnes ferè ex noſtratibus hujus ſententiæ eſſe dixerit: quam præ omnibus *Pontificii* horum maximè omnium *Ignatiani* ab igne (juxta Haſenmullerum) denominati *Incendiarii* acerrimè propugnant, quorum non nemo (Majerhoforus) etiam inter *fidei articulos* retulit: hinc ex juris ſui ſententiâ hæreſin vivicomburio expiandam cenſent, cui quàm conveniat eorum praxis plus ſatis teſtantur *Hiſpanicæ* inquiſitionis Carnificinæ, Lanienæ, *Gallicæ*, *Belgicæ*, aliæ; *rogi* apud nos *Mariani*.

Tom. 2. Miſcel. in cap. de Magiſtratu. Aquinas 22æ q. 11. a. 3. Bellar. de Laicis lib. 3. cap. 21. Valent. tom. 3. diſp. 1. q. 11. punct. 3. Coſter. in præfat ad Enchirid. & in Apolog. contra Gomarum part. 3. fol. 543.

At negativam tuentur inprimis *Fanatici*, qui quò impunè magis & planè ἀκωλύτως graſſentur eorum hæreſes & furores, vel Magiſtratum omnem abolendum eunt, vel ſaltèm ei jus omne & poteſtatem hæreticos vel perditiſſimos coercendi, nedum *gladio plectendi* adimunt. *Luthe-*

Gerhard. Loc. com. Tom. 6. pag. 741. &c. Meiſner. Sobr. Philoſ. parte 3. de q. polit. cap. 2. q. 6. pag. 441.

Lutherus & cum eo ſequaces ejus (quos legi) omnes, quamvis Magiſtratum, ejusque non ſolùm poteſtatem ſed & officium hæreticos aliis mediis coercendi aſtruant, *capitali* tamen *ſupplicio* eos afficere debere pernegant, in quorum partes hodie venit Doctiſſimus Reſpondens, & dicit *non licere gladio animadvertere in hæreticos.*

Ad cujus Theſeos demonſtrationem & cautiorem veritatis hâc in re explicationem multa præſtruenda ſunt, [1] de perſonis *puniendis*, [2] de perſonis *pœnam infligentibus*, [3] de *pœnâ inflictâ*, [4] de *infligendi tempore.*

I. Ad primum quod attinet perſonæ puniendæ *Hæretici* ſunt. Nil hîc pertinaciter de *Hæreſi* vel *Hæretico* dicam. Sufficiat dixiſſe tria illa vulgata ad *Hæreticum* conſtituendum & denominandum requiri. 1. Ut aliquando *nomen ſuum Chriſto & Eccleſiæ dederit*, juxta illud ἀιρέσεις ἐν ὑμῖν 1 Cor. 11. 19. ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται Act. 20. 30. & ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον 1 Johan. 2. 19. Quod vel ex eo patet, quòd Heretici *excommunicationis* ſententiæ obnoxii ſunt 1 Tim. 1. 20. Et poſt actam pœnitentiam in Eccleſiæ communionem ſine iterato Baptiſmo denuò recipi poſſunt. Si veritatem Chriſtianam nunquam profeſſi fuerint, *exteri* & *Infideles* vocantur, ſi poſt profeſſionem factam ei in univerſum nuntium miſerint, *Apoſtatæ* ſunt, ſi quoad reliqua Orthodoxi in aliquibus Articulis, vel ſi in uno, *Heterodoxi* ſint, eo nomine *Hæretici* ſunt.

2 Theſſ. 2. 4. Hæreſis eſt infidelitatis ſpecies ad eos pertinens qui fidem Chriſti profitentur, ſed ejus dogmata corrumpunt Aquinas 22æ q. 11. art. 1. concluſ.

2. At 2. ad Hæreticum denominandum requiritur, ut hæc ſua ἑτεροδοξία non in minutiis ſit ſed in *fundamentali* Articulo 2 Tim. 2. 18, 19. 2 Pet. 2. 1. παρεισάξουσιν ἀιρέσεις ἀπωλείας, καὶ τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην ἀρνούμενοι.

3. Atque hæc ἑτεροδοξία cum *pertinaciâ* fere conjuncta, (quæ adeò hæreſeos conſtitutiva eſt, ut errores in non-fundamentalibus pertinaciter defenſi (apud aliquos ſaltem) hæreſeôs nomine deſignentur.) „ Hæreticus enim „ homo poſt primam & ſecundam admonitionem contumax & αὐτοκατάκριτος ab Apoſtolo deſcribitur Tit. 3. 10, 11. ut & juxta illud: *Errare poſſum, hæreticus eſſe nolo.*

Vide Aquinat. 22æ q. 11. art. 2.

Ex his tribus ad *Hæreticum* conſtituendum requiſitis tres deduci poſſunt ad Theſin noſtram illuſtrandam Concluſiones.

I. Ex primo hæc prima, *Infideles* & *extraneos* quamvis eadem cum *Hæreticis* teneant, cum tamen propriè *Hæretici* non ſint, ad *fidem amplexandam vi externâ cogi non debere*, nedum ob errores ſuos vel pertinaciter retentos gladio animadvertendos, quod *Aquinas* agnoſcit 22æ q. 10. art. 8. Quod tamen quàm benè obſervârunt *Hiſpani* in immaniſſimâ ſuâ *Americanorum* lanienâ clamat hiſtoria, ad cœlum clamat miſerrimorum hominum ſanguis effuſus, in vindictam.

2. *Aquinas contrà 22æ q. 11. art. 2. ad 3tium.*

Ex ſecundo requiſito ſit hæc ſecunda Concluſio: Qui vel pertinaciter errat in *veritatibus non fundamentalibus*, ex eo quòd non ſit *hæreticus* quamvis de errore ſuo convincendus ſit & de pertinaciâ ſuâ ἀπωτάτω atque acrius increpandus, non ideò tamen continuò in eum ſtringendus eſt gladius.

Tit. 1. 13. 3. Cum *pertinacia* etiam ad conſtituendum *Hæreticum* accedere debet, ſi *Hæreticus* per pœnitentiam ad fidem redierit, in Eccleſiæ ſinum recipi, minimè omnium *gladio feriri* debet. Quamvis enim homicida pœnitens mortis ſententiam ferre debet, (cum contra vitam proximi ſuâ pœnitentiâ non reſtituendam, contra Jus Civile & Legem Divinam peccaverit) non eadem tamen

tamen eſt ratio *Hæretici* reſpiſcentis, qui forſan pacem publicam non violaverit, & violatæ à ſe priùs fidei damnum ejus *profitendæ* & *propugnandæ* majore zelo aliquantum ſaltem reſarcire poterit, ut S. *Auguſtinus* à *Manichæiſmo* converſus, & *Paulus* à *Phariſaiſmo* Gal. 1. 23, 24. unde conſtat quàm truculenta & inhumana prorſus ſit *Inquiſitio Hiſpanica*, & *Lex Canonica Pontificia*, quæ ſtatuit *Hæreticum* poſt latam ſententiam non *liberari à pœnâ*, ſi vel maximè *ab errore* diſcedat; (in Extravagant de teſtibus.)

Quin & hîc illud addam, quamvis pertinaces maneant, duplex tamen eſt *pertinacia*, vel ἀνυποκατακρίτων ex obſtinatâ *malitiâ*, vel ex *conſcientiâ cauteriatâ* vel *contra conſcientiæ convictionem*, vel ſimpliciter *ob invincibilem ignorantiam* vel *cauſam aliquam conſimilem* errantium, & in errore ſuo juxta conſcientiæ ſuæ deviæ dictamen perſiſtentium. Quid de prioribus illis faciendum ſit poſtea videbimus: at his ex fraternâ & Chriſtianâ charitate major indulgenda videtur *humanitas*. 1 Tim. 4. 2.

Sed hæc generatim dicta ſunt: magis ſpeciatim (ſi placet) jam agamus.

Hæretici dicuntur vel ſolùm *nomine tenus*, vel qui *reverâ* hæretici ſunt.

Priori ſenſu ex dementati mundi nomenclaturâ ab *hæreticiſſimis* maximè *Orthodoxi* ſæpè pro *hæreticis* habentur, & ut tales tractantur. Sic *Paulus* fa-
„ tebatur olim ſe Deum Patrum ſuorum coluiſſe ſecundùm viam illam, quam
„ Judæi hæreſin vocârunt Act. 24. 14. Sic etiam Servator noſter prædixit futurum, ut Eccleſiæ adverſarii „ putarent ſe cultum Deo præſtituros cum
„ Apoſtolos & Diſcipulos ſuos quaſi fidei violatores „ interimerent Johan. 16, 2. Sic *Chriſtiani* à *Judæis* hodiè מינים *Minæi* audiunt, ut & *Pontificii Evangelicos* omnes pro *Hæreticis* habent, atque eo nomine flammâ ferroque perſequuntur: at qui vel ex deſtinatâ malitiâ, vel ignorantiæ zelo tales hoc nomine interimunt atrociter peccant, ipſumque *Chriſtum vulnerant*, prout Paulus tandem converſus pœnitens agnovit, ſanctorumque à ſe fuſum ſanguinem lachrymis ſuis eluit: neque inpunè ferent malitioſi illi quin certò tandem ſciant „ pretioſam eſſe in conſpectu Domini mortem Sanctorum ejus Pſal. 116. 15. Coram quo quomodo olim comparituri ſint *Inquiſitores Pontificii*, ipſi viderint qui procedunt ex præſumptione, & „ tenentur puni-
„ re ut hæreticum eum qui ex dictis vel factis convicitur eſſe hæreticus,
„ etiamſi reverâ non ſit hæreticus, uti nos docet *D. Bannes* in 22æ. qu. 11. art. 2. *Vide Buxtorfii Lexicon Chald. Talmud, ad vocem* מין Pſal. 72. 14.

Ad hanc etiam Claſſem eos reducendos cenſemus, quorum ſententiæ non apertè & directè vel per proximam & neceſſariam conſequentiam hæreticæ ſunt, ſed quæ per remotas & contortas adverſariorum ſuorum conſequentias iis hæreſibus affines finguntur, quibus ipſi ῥητῶς atque ex animo renuntiant; prout *Lutherani* nobis *Neſtorianiſmi*, *Pontificii omnium* penè *veterum hæreticorum blaſphemiarum* dicam impingunt: à quibus nos alieniſſimos eſſe apertè profitemur: quâ in re eorum candorem deſideramus, à quibus tanquam ab iniquis doctrinæ noſtræ æſtimatoribus ad Deum ut juſtum Judicem provocamus, ut hujuſmodi hæreſium injuſtè nobis impactarum neque crimini neque pœnæ obnoxii. *Vide Aquin.* 22æ *q.* 11. *art.* 2.

Sed hoſce *falsò dictos hæreticos* abſolutos mittamus: ad eos accedamus, qui *reverâ* tales ſunt & meritò audiunt.

Hi verò duplicis generis ſunt: vel *Seductores Hæreſiarchæ*, vel *ſeducti* &

Qui hæreſin gignit, vel ſequitur. Aquinas.

ſimplices Hæretici: illis quidem, ut rebellionis anteſignanis in ſtatu civili ſolet, major intentatur ira & pœna Deut. 13. 2 Pet. 2. 1. his verò, ſi non debita ſit, at ex æquo & bono ultrò dari ſolet venia & indulgentia, ut iis qui *Abſalomum* perduellem *ſimplici corde ſequebantur* 2 Sam. 15. 11. ut & *Paulo*, qui „ miſericordiam conſecutus eſt, quia ignorans fecit in incredulitate 1 Tim. 1. 13. Tales hæretici ſunt *materialiter*, non *formaliter*.

Vide Ameſ. Caſ. Conſc. lib. 4. cap. 4. h. 1. §. 5.

Huic diſtinctioni & iſta gemella eſt. Pertinax error, qui hæreſin conſtituit, vel clàm opinantis animo premitur, vel ad alios inficiendos propalatur. *De occultis judicat Dominus*, at de peſtibus illis venenum ſuum in aliorum perniciem effundentibus alia eſt ratio, ut poſtea videbimus.

Præterea iſtorum hæreſis ità diſſeminata conſiderari poteſt vel *in ſe nuda*, vel aliis *circumſtantiis* atque appendicibus peſſimis *circumveſtita*, putà vel in Deum *blaſphemiâ*, vel *ſeditioſâ ſtatûs civilis perturbatione*. Quicquid verò de hæreſi *nudè conſideratâ* poſtea ſtatuendum ſit, illis tamen circumvoluta *circumſtantiis culpa capitalis* evadit.

Vide Ameſ. Caſ. Conſc. lib. 4. cap. 4. q. 6. §. 15.

Blaſphemi enim (quales *plurimi* hæretici, imò quædam *hæreſes* ipſiſſimæ *blaſphemiæ* ſunt) ex Lege Dei *lapidibus obruendi* erant Levit. 24. 11, 16. 1 Reg. 21. 13. Quod cum æquitate morali & perpetuâ nitatur, perpetuò vel ſub Evangelio obligat, in quo Magiſtratus „ vindex in iram ſtatuitur „ malum operantibus Rom. 13. 4. inter quorum *peſſimos Blaſphemi* numerandi ſunt, ob quod proinde crimen capitalibus ſuppliciis in Rebuspub. Chriſtianis affici ſolent; ut Pontificios mittam, *Genevæ Servetus*, *Bernæ* quatuor Monachi, *Angliæ Hackettus* & alii.

Præſertim ſi (quod ſæpiùs Hæreſiarcharum impetus comitari ſolet) accedent *tumultus*, *ſeditio*, & Statûs publici perturbatio: harum quidem *Tertullus* & *Judæi Paulum* reum agebant Act. 24. 25. quas à ſe planè amolitur, illud inſuper addens, „ ſi earum verè reus deprehenſus fuiſſet ſe mori non „ recuſaturum Cap. 25. 11. Neque id quidem immeritò. Si enim qui vera ità *ſeditiosè* docet ut *turbas cieat*, jure capitis damnas eſſe poterit, quanto magis ille qui *hæreticis* tumultuationibus perturbat omnia! Hîc illud *Lipſii* (per nos licet) obtineat; „ Si quis turbat, Clementiæ hîc non eſt locus; ure, ſeca membrum potiùs aliquod quàm totum corpus intereat חִיא עָוֹן פְּלִילִים „ iniquitas eſt à Judicibus animadvertenda, ut *Jobus* loquitur Cap. 31. 11.

Politic. l. 4. c. 3.

2. At quinam hi *judices* erunt, vel *perſonæ*, quæ *pœnam ex officio infligere* debent, quod ſecundum explicandum erat. Cum verò Judex ſit vel Eccleſiaſticus vel Politicus, ut apud *Judæos* ad *Synedrium magnum*, ità apud nos ſub Evangelio ad *Judices Eccleſiaſticos* de hæreſi cognitio maximè ſpectare videtur. Cum verò *Magiſtratus Civilis* etiam *utriuſque Tabulæ cuſtos* ſit, neque ille ab hujuſmodi cauſarum cognitione excludendus eſt: At utrumque excludi vult Theſis noſtra ab iſtâ, quam dicit, pœnâ infligendâ.

3. Quod tertium explicandum erat, *pœna* ſcilicet Hæreticis irroganda. Si *Hæreſis nuda* ſit, neque blaſphemiam, neque Statûs Civilis perturbationem conjunctam habeat, pertinax tamen ſit, alioſque veneno ſuo inficiat, nam ideò impunè graſſari debet? Nequaquam verò.

Judex enim *Eccleſiaſticus gladium Spiritûs Verbum Dei* in eam ſtringere tenetur, non ſolùm „ cum lenitate τῶν ἀντιδιατιθεμένων erudiendo 2 Tim. 2. 25. ſed

27. sed etiam „ tempestivè intempestivè instando, objurgando, imò ἐλέγχειν, „ redarguendo eos qui sanam doctrinam non sustinent, ut in fide sani „ sint 2 Tim. 4. 2, 3. Tit. 1. 13. Ità cum hujusmodi agendum non solùm permittit, sed & urget *Lutherus*. *In expos. parabolæ Zizan.*

Quin & ultrà si nihilominùs hæreticus contumax permanserit, Ecclesiasticæ censuræ adhibendæ sunt, vibranda Excommunicationis non bruta fulmina. Sic hæreticum αὐτοκατάκριτον Paulus *devitandum*, imò *repellendum* esse censuit Tit. 3. 10. Sic „ *Hymenæum* & *Alexandrum* Satanæ tradi- „ dit, ut non blasphemare discerent 1 Tim. 1. 20. „ Hîc non dormiat seve- „ ritas disciplinæ, sic *Augustinus*; „ Nec censura desit, quæ increpet, nec „ medicina, quæ sanet, ut pulchrè Cyprianus. *Vulg.* *Beza.* *Contra Ep. Parmen. lib. 3. cap. 2.*

Et quod ad *Civilem Magistratum* attinet eum cum *Gallione* Act. 18. 14, 15, 16, 17. hæc susque deque habere iidem non permittunt, imò ut hæc ipsi inprimis curæ sint efflagitant; atque ut hæreticos pro minori vel majori hæreseôs suæ *gravitate*, in eâque persistendi *contumaciâ*, irrogatis mulctis, incarcerationibus, exiliis, (ne Gangræna eorum latiùs serpat) castigare & coercere non ægrè ferunt. Quamvis enim Dominus „ zizania usque ad mes- „ sem unà cum tritico crescere permitti voluit Matth. 13. 30. eos tamen διπτρομίζειν καὶ ἐκκόπτειν αὐτῶν τὴν παῤῥησίαν ἢ τὰς συνόδους καὶ τὰς ἀγορὰς διαλύειν ἢ κωλύειν ut in illum locum Chrysostomus. *Homil. in Matth. 48. pag. 297.*

Sed hîc de Capitali supplicio agitur, atque an in eos *gladio animadvertere liceat*, quæritur.

Quod si de *Præfectis Ecclesiasticis* quæratur, res magis in propatulo est; eorum enim „ arma non carnalia sed spiritualia sunt, dicente Apostolo 2 Cor. 10. 4. ac proinde *gladium Spiritûs*, non *potestatis civilis* vibrant. Unde apud nos, quamvis ex Principum indultu Ecclesiastici aliqui *Eirenarchæ* constituti fuerint, in *sanguinis* tamen judicio *de Tribunali descendere* solent. Quin & Ecclesiastici *Pontificii* tantum modestiæ & misericordiæ præ se ferunt ut quos hæreseos condemnârunt, *gladio* plectendos *brachio seculari* remittant: quam hâc in re potestatem Papa sibi transcribit, dum seculare omne Dominium sibi arrogat, à nostris satis profligatam non est quòd hîc convellam: Si, ut Petri Successor Apostolicam suam potestatem oggerat quâ Petrus *Ananiam* & *Sapphiram neci dedit*, & *Paulus* incestuosum, *Hymenæum* & *Alexandrum ad interitum carnis Satanæ tradidit*, operam ludit, nam primò se verum Petri Successorem & Apostolum necesse est ut probet; neque si hoc effecerit, aliquid in hâc causâ obtinebit, partim quia quod hi Apostoli in defectu Magistratûs Christiani ut personæ *extraordinariæ* extraordinariè faciebant neutiquam ad exemplum *ordinarium* trahi debet, partim etiam quia Petrus Ananiæ, Paulus incestuoso mortis pœnam irrogârunt non ob *hæresin*, & si Hymenæo ad carnis interitum, iste tamen *carnis interitus mors corporalis* non erat. *Rom. 13. 4.*

Judici igitur *Ecclesiastico* omninò abjudicatur potestas *hæreticos morte puniendi*. Si apud aliquem maneat, is certè *Magistratus Politicus* est, qui „ gladium gerit & vindex in iram est omni, qui malum agit. Rom. 13. 4.

Sed ultimò de *tempore* quæritur vel mundi ætate, à quâ hæc in hæreticos gladii animadversio licita sit vel illicita. Atque hîc sub V. Testamento non solùm licitum, sed & mandatum concedunt omnes. De mandato constat 4.

falſos Prophetas occidendos Deut. 13. 5. hoc de facto præſtiterunt *Elias*, *Jehu*, *Joſias*, alii: De hæreticis cognoſcebat *Synedrium magnum*, quod *capitalia ſupplicia* reis irrogare ſolebat: hoc enim Legi, quæ *iram operatur*, & duriori ejus jugo convenire putant: at in hoc opponi volunt mitiori Evangelii ingenio, ſub quo omnia pacifica futura prænuntiârunt Prophetæ Iſa. 2. 4: 11. 6, 7, 8, 9. ut & *ſuavi Chriſti jugo*, qui „ non venit ut perderet ani„mas hominum, ſed ut ſervaret, ac proinde diſcipulos ſuos, qui Eliæ exemplo Samaritanos hæreticos igne de cœlo miſſo conſumi poſtulârunt ſeriò objurgavit, dicens „ Neſcitis qualis Spiritûs ſitis, ac ſi dixiſſet non *Evangelici* Lucæ 9. 52. ad 57.

Gerhard. Loc. Com. Tom. 6. pag. 745.

His ſingulis ità prænotatis ſumma Controverſiæ huc redit, & in hoc cardine vertitur; An ſub Evangelio liceat Magiſtratui Civili veri nominis hæreticum, inque hæreſi ſuâ pertinaciter perſiſtentem, eamque in aliorum damnum propalantem ſupplicio capitali afficere: pro cujus rei determinatione in caſibus aliquibus prædictis licere, in aliis non licere dicimus. Sed hæc inpræſentiarum latiùs perſequi non permittunt temporis anguſtiæ.

Vide de hâc qu. Pamelii Notam 78. in Epiſt. 52. Cypriani. & ibid. Goularium. Fac. Capell. Obſervat. in Heb. 10. 28.

QUÆST. XLVII.

Promulgatio eſt de eſſentiâ Legis Divinæ.

NOn eſt quòd in hâc Quæſtione multùm inſudemus: utpote quæ non multùm fuerit controverſa. At paucis tamen primò explicanda, dein & aſtruenda.

Promulgata eſt de eſſentiâ Legis Divinæ.

Cum verò (Authore *Feſto*) *Promulgari* Leges dicuntur, cum primùm in *vulgus eduntur*, quaſi *provulgari*, earum promulgatio eſt Legislatoris *authoritativa* & *publica* earundem *manifeſtatio*, quâ ſubditi & omnes, quorum intereſt, ad earum cognitionem pervenire poſſint ubi duo hîc notanda:

1. *Leges in æs inciſas in publico prepoſuerunt. Livius 3. ab urbe.*

De *modo* & *medio* eas publicandi, ſive per Principem ipſum, vel ex juſſu ejus alium, ſive (uti fieri aliquando ſolebat) in æneis tabulis inciſione vel etiam in marmore, vel Scripturâ, vel præconio fiat, perinde eſt, pro ipſius Legislatoris ſcilicet beneplacito vel more ubilibet uſitato hoc omninò ſtatuendum eſt. Sufficit enim ſi debitis locis, temporibus & modis ità ſufficienter propalentur ut ad notitiam totius communitatis *moraliter* pervenire poſſint.

Neque etiam ad omnium omninò Legum promulgationem neceſſariò requiritur ut externa & publica ſit. Lex enim naturæ animabus noſtris indita Rom. 2. 14, 15. ſatis eò promulgatur, quòd ex *ipsâ naturâ* manat. Et quamvis revelatur ſingulis, eſt tamen *vox totius naturæ*, vel potiùs *Authoris* ejus, ut rectè docent Scholaſtici. Quamvis hanc naturalem impreſſionem à promulgatione contradiſtinguit *Meiſnerus*, & σιδηρόξυλον eſſe dicit eandem Legem & innatam & promulgatam eſſe, at G. *de Valentiâ* fatetur *impreſſionem naturalem* propriè non eſſe *promulgationem*. Tom. 2. diſp. 7. punct. 2.

Suarez. de Legibus l. 1. cap. 11. Philoſ. Sebr. Tom. 3. de 9. politicis cap. 4. q. 2.

2. Secundò ſufficit ſi ità proponantur ut ad notitiam communitatis *moraliter*

ter (ut dixi) pervenire poſſint, non enim ad ſufficientem promulgationem requiritur ut Leges latæ ſingulis ſubditis ita notæ fiant, ut ad eorum notitiam actu perveniant: fieri enim poteſt ut ſuâ, vel ſuorum culpâ vel negligentiâ, vel obſtinatione tali notitiâ actuali priventur: ſat' erit ſi ità proponantur & propalentur, ut, ſi non per ſemetipſos ſtaret, ab ipſis vel legi vel audiri, vel aliquo alio modo cognoſci poterant.

At ſi nulla talis fuerit negligentia, quamvis Lex promulgata obliget; talis tamen ignorantia excuſat, ſaltem quoad pœnam. Soto.

Atque talis promulgatio, cum Legi *eſſentialis* in Theſi dicitur, atque eſſentiale duplex ſit vel *conſtituens* vel *conſequens*, quæri poteſt quomodo *Promulgatio* Legis eſſentialis ſit an conſequenter tantum quoad Legis effectum, vel obligationem, ità ut non obliget niſi promulgetur. Et ſic quidam. Communiter tamen alii tenent ipſam obligationem eſſe *de formâ Legis* (nam cum Lex à *ligando* dicatur, ſi non *obligaret* ne, non eſſet *Lex*, atque in eo à *conſilio, permiſſione* & *commemoratione* & *monitione* differt) ideò legi *eſſentiale conſtituens* eſſe malunt: at in hoc, cum nil magni ſit, nil moror. Sit ergo promulgatio de eſſentiâ vel ratione Legis; in legibus *poſitivis* & præcipuè *humanis* obtinet, juxta Canonem illum, „ubi nulla Legis cognitio, ibi nulla prævaricatio.

At in Theſi ſequitur vel etiam *Divinæ*. Quod enim de ratione Legis in *genere* eſt, id etiam Legi Divinæ in *ſpecie* convenit. At huic obſtare videtur *Lex* (quam vocant) *æterna*, quæ licèt *Lex* ſit, cum tamen in *arcano mentis Divinæ* idque ab æterno fuit, cum nulla adhuc facta *creatura* eſſet, cui *promulgaretur*, non concipi poteſt quomodo promulgari poterat. Quod enim *Aquinas* dicit de ejus promulgatione *in verbo æterno* & in *Scripturâ libri vitæ*, cum ipſo ibidem fatente *Aquinate* hoc tantùm *ex parte Dei promulgantis* ſit, nihil ad promulgationem *Creaturæ* factam pertinet. Et quod alii dicunt Creaturæ fuerunt in præcognitione Divinâ, nil probat, nam ſic Lex eſſe potuit eis tandem promulganda, non tum promulgata: ut enim foret actualis eis promulgatio, neceſſariò requiritur ut tum earum fuiſſet actualis exiſtentia: ſi enim actualis promulgatio poſſit dici reſpectu objecti nondum exiſtentis, ſed tantùm in mente Divinâ præcogniti, tum etiam Lex vetus Moſis, & nova Evangelii *ab æterno* fuiſſent *promulgatæ*, quod ſecundùm Scripturam dici non poteſt. Sed potiùs cum Lex illa æterna nil ſit niſi ratio vel Idea gubernationis totius univerſi in mente Divinâ exiſtens, ideò Lex *metaphoricè* vel *metonymicè* dicitur, quatenus *Legis fundamentum* eſt (prout etiam *jus* & *Lex* diſtinguuntur) quæ in ſe apta nata eſt ut obliget, quando in Legem tranſit & ſubditis promulgatur; cum norma ſit juxta quam (quando ſemel promulgata eſt) mores & actiones formari debent, adeòque cum (ut rectè *Aquinas*) comparatur ad ordinem rationis, ſicut ars ad artificiatum; *Lex artificiorum* potiùs dicenda eſt, quàm *morum* vel (ut cum *Suareſio* loquar) duplex legis ſtatus diſtinguendus eſt, unus *interior* ut eſt *in mente Legislatoris*, alter *exterior* ut eſt in aliquo *ſigno* ejus mentem manifeſtante: in priore illo ſtatu nondum propriam *legis* formam vel eſſentiam aſſequitur, ut Decretum aliquod in mente Dei vel humani alicujus Legislatoris, quo apud ſe decernit tale aliquid ſubditis mandandum. Atque ad hoc non requiritur *promulgatio*: at ad poſteriorem illum vel *exteriorem* legis ſtatum conſtituendum (ſive Divina ſive humana Lex fuerit) *neceſſaria* eſt *Promulgatio*: cum hâc tamen inter Legem Divinam & humanam differentiâ; ſi Dei mens & voluntas, quocunque demùm modo nobis innoteſcat, nos ad ei optempe-

1.2æ *q.* 91. *a.* 1. *ad* 2.*dum.*

1.2æ. *q.* 93. *a.* 1. *De Legibus lib.* 1. *cap.* 11. *& lib.* 2. *c.* 1.

Aptum eſt ut obliget ſed actu primo, non ſecundo. Meiſnerus.

randum obnoxios tenet & obligat: ſi verò aliquis Principis alicujus apud ſe decretum de Lege aliquâ ferendâ privatim & ſpeciali aliquo modo noverit, non ſtatim tenetur (ante Legis illius lationem & ſolennem promulgationem) quia ſcilicet Decretum Dei æternum immutabile eſt, & ſine ullâ ſui mutatione pro ſuo tempore obligat, decretum verò hominis mutabile eſt: unde quamdiu non promulgatur per viam legis, ſe habet potiùs per modum *propoſiti* ferendi Legem, quàm per modum *Legis latæ* & *ſtabilitæ*, adeò ut Princeps licèt aliquis apud ſe ſtatueret ſe talem Legem conditurum, quâ *adulter* (putà) vel *falſarius* capite plectendus foret, quamvis Magiſtratus inferior aliquis hujus decreti Principis certior factus fuerit, ſi tamen antequam decretum illud Principis in Legem tranſiret & ſolenniter promulgaretur, ipſe adulterum vel falſarium hujuſmodi capite mulctaret, ille ipſe damnas futurus eſſet capitis. Nam Lex ſi à *ligando* dicatur quatenus ad officium obligat, etiam à *legendo* ſi non nomen claturam (ut *Iſidoro* & pluribus videtur) at vim & robur ſuum obtinet, *Perottus.* „ quod publicè legatur ut omnibus nota ſit, & ab „ omnibus obſervetur: non enim obligat, imò illis ſaltem Lex non eſt, quibus ſigno nullo vel auribus vel oculis vel menti innotuit, vel ſaltem innoteſcere potuit, cum *promulgatio legitima* ſit de ipſius *Legis eſſentiâ*.

Hinc apud omnes gentes, variis licèt (pro uniuscujuſque inſtitutis & moribus) modis & mediis perpetua tamen & ſolennis (quâ in omnium quorum intererat notitiam pervenire poſſunt) Legum facta eſt promulgatio, quæ apud *Romanos* ſive in æs, ſive in marmore inciſæ ut durarent, licèt quoad *Prototypa* in ærarium agebantur, vel in Archivis cuſtodiebantur, ne perirent vel corrumperentur, tamen cum ideò latæ fuerint non ſolùm ut cuſtodirentur, ſed & *obſervarentur*, in *Capitolio* vel aliquo alio *loco publico* figebantur ut ſingulis apertæ eſſent & innoteſcerent. Sed de *humanis* Legibus ſatis conſtat: de *Divinis* noſtra præſens inſtituitur diſputatio.

Calvinus in Lexico Juridico & Martinius in Lexico Philolog. ad vocem Lex.

Neque in iſtis quoad hoc nobis defuit ſapientiſſimus, juſtiſſimus, ſanctiſſimus, optimus Legislator noſter Deus Optimus Maximus: *Legem Naturæ* (quæ & *Dei* eſt) *cordi* Adami protoplaſti primitùs & deinceps poſterorum ejus omnium per generationes & Religiones omnes *inſcripſit*, ſingularem verò illam & probatoriam de *non edendo fructu vetito Legem palàm* ore ſuo *Exod.* 19. & 20. Gen. 2. 17. *ſignificavit*. *Legem veterem* in monte *Sinai* Judæis omnibus aſtantibus videntibus, audientibus invulgavit: *Legem novam* de *monte Sione* per ipſum *Chriſtum*, *Apoſtolos* & *præcones* ſuos reliquos toti orbi notam fecit, atque adhuc facit indies Coloſſ. 1. 6. Hebr. 2. 3. Act. 2. Rom. 10. 18. Ne verò quis dicat hoc quidem *de facto* eſſe, ſed ex ſolâ Dei optimi indulgentiâ, videamus porrò an non *ex jure*, & ipſius *Legis* ratione & *eſſentiâ*. Quamvis enim non deſunt aliqui, qui dicunt *Suarez. de Legibus l. 1. cap. 11.* „ Deum abſolutâ ſuâ potentiâ ut ſu- „ premum Dominum poſſe obligare omnes per privatam notitiam, etiam meræ interiorem. hunc tamen modum concedunt non *accommodatum* eſſe *hominibus*: at *nullâ* omninò factâ *promulgatione* eum *Legibus* ſuis *nos obligare* nec *hominibus ſubditis accommodatum* eſt, neque etiam *Deo Legislatori*, neque *Legis* ipſius naturæ.

Argum. 1. Primò non *hominibus ſubditis*.

Non *hominibus*: cum enim homo naturæ *intellectualis* ſit, (quæ ſola *Legis* *Rom.* 12. 1. propriè dictæ capax eſt) & Deo λογικὴν λατρείαν præſtare debet, ſi nulla intellectui

tellectui ejus facta ſit rei juxta Legem agenda notitia vel repræſentatio, impoſſibile eſt ut voluntas ex rationis dictamine ad eam præſtandam moveatur; cum *non entis & non apparentis eadem ſit ratio*, „ ſi incertum ſonum tuba de- 1 *Cor.* 14. 8.
„ derit (nedum omninò nullum) „ quis apparabitur ad bellum? Non convenit ergo *hominibus quà talibus*, hoc eſt *ſcienter agentibus*.

At minùs adhuc ut *ſubditis*: ſi enim à Legislatore nulla omninò facta ſit ſubditis Legis ſuæ notificatio; duo inde evenient;

1. Quamvis forſan *illud ipſum agant*, quod ipſe apud ſe *vult* eorum *Dominus*, non tamen ei *obedire* dicendi ſunt, cum quod *ipſe* vel *velit*, vel *jubeat* non *intelligant*.

2. Facile, idque ſæpiùs *contra voluntatem* agere poſſint, quam quæ ſit neſciunt, ut cœcus in tenebris poſitus ſæpiùs à viâ errare ſolet quàm in recto tramite incedere: Primò ergò hoc nobis non convenit quà *hominibus*, quà *ſubditis*.

Secundò non *Deo* Legislatori ſapientiſſimo, ſanctiſſimo, optimo: qui *Argum.* 2.
cum λογικὴν λατρείαν (ut priùs dixi) à ſuis exigit, imò Legum ſuarum rationem atque æquitatem repræſentare ſolet; multò magis *eas* in *mandatis ſuis eſſe* ſaltem ſubindicat, nam qui τὸ διὰ ὅτι demonſtrat, τὸ ὅτι non ſupprimit.

Præterea boni Legislatoris in Legibus ſuis condendis finis eſt ut ſubditi ſui earum probè cognitarum obſervatione vel præmia accipiant, vel ſaltem earum violatarum pœnam effugiant; (quem in finem Leges ſuas claro præconio invulgatas, ære inciſas, literis vel uncialibus deſcriptas publicè proſtare volunt.) Quorum neutrum fieri poteſt, cum præ promulgationis defectu quid ipſis agendum ſit neſciant: qui igitur placita ſua animorum ſuorum penetralibus incluſa tenent, & Leges ſuas minutulis characteribus deſcriptas, & ſublimi loco aliquo poſitas volunt, ut oculorum & animorum aciem effugiant, ſubditis inſidias ſtruunt, & *Draconem* ſapiunt, non Deum Legislatorem optimum.

Tertiò denique non convenit ipſius Legis *naturæ* idque multiplici ra- *Argum.* 3.
tione.

1. Quia *promulgatio* eſt de *inſtitutione* Legis juxta illud *Gratiani* „ tunc
„ Leges inſtituti dicuntur, quando promulgantur, firmari quando moribus
„ recipiuntur.

2. De *obligatoine* Legis: nam quæ nullo unquam modo in notitiam noſtram venerunt, vel venire potuerunt, vim nos obligandi (ſi ſecundùm æquum & rectum agatur) non habent.

3. De *fine Legis*, qui eſt, ut pro *communi utilitate* ſit; at hoc fieri nequit niſi *communiter publicetur*.

4. Eſt denique de ipſo *eſſe* Legis: eſt de perfectione Legis ut clara & manifeſta ſit; at quod nuſquam, nullibi, nullis mediis conſtat, moraliter *non eſt*.

Saltem *Lex* non eſt, quia *Lex* eſt *præceptum principis* ut *Principis*; ergò *per eam loqui* debet, at qui *omninò tacet*, *non loquitur* ut perſona privata, nedum ut publica, niſi (non dico privatim, illud enim non ſufficit, ſed) publicâ promulgatione mentis ſuæ placita exerat & enuntiet.

Præcipuum hâc in re eſt illud *Aquinatis*, *Dominici Soto*, & Scholaſticorum aliorum, Lex eſt *Regula & menſura vim habens obligandi*: ut verò talis ſit requiritur

1 2æ. *q.* 90. *art.* 4. *corp.* *Soto de Iuſtit. & jure lib.* 1. *q.* 1. *art.* 4.

quiritur ut ſit ſufficienter propoſita & applicata his quæ regulantur & menſurantur; talis verò applicatio hominibus ratione utentibus fit per hoc quòd „ in eorum notitiam deducitur, ex ipſâ ſcilicet *promulgatione*, juxta illud *Juſtiniani*, „ Leges ſacratiſſimæ (quæ præ cæteris Divinæ ſunt) intelligi „ ab omnibus debent, ut univerſi præſcripto earum manifeſtiùs intellecto „ prohibita declinent & faciant præcepta.

QUÆST. XLVIII.

Principes nulli terreno foro ſunt obnoxii.

DE quâ à Doctiſſimo Reſpondente jam ſatis elaboratâ nil opus eſt ut pluribus agam: in causâ tamen piâ, juſtâ, atque Regum, Regnorumque omnium pacem & incolumitatem quàm maximè ſpectante, neceſſe habeo ut pro officii ratione, atque perſuaſiſſimâ animi mei ſententiâ ſaltem paucis noſtrum etiam addam calculum.

Cum verò dicit,

Principes nulli terreno foro obnoxios eſſe.

Diſtinguendum eſt 1. de *Principibus*. 2. de *Foris*. 3. de *Cauſis* in eis agitatis.

1. Nam primò cum vox *Principis* variè ſumatur vel maximè propriè pro ſummo & ſupremo: quod primum ſit caput ut aliqui volunt, vel (autore *Feſto*) quod *primus* (vel primum) *locum capiat*, unde & *Principem locum* dicimus: & *Principem Senatûs*, prout & Romani Imperatores ſuos *Principes* vocârunt.

Voces Imperii & Principatûs aliquando opponuntur, aliquando confunduntur. Vide Grotium de jure belli & pac. l. 1. c. 3. §. 10.

Vel ſæpè etiam pro *inferioris ordinis præcipuis* & ferè pro omnibus *præfectis* & *Magiſtratibus*, ſicut in Sacrâ Paginâ *Principes populi* legimus: ſic in acie Romanâ *ſecunda ſigna Principum erant*, qui tamen *Imperatori ſuberant*, prout hodiè in *Imperio Romano* & Regnis ferè omnibus plures hoc titulo inſigniuntur, qui tamen *ſummis poteſtatibus obnoxii* ſunt: at Imperatores, Reges & ſummi Principes ſoli *Deo*, à quo (ut cum *Tertulliano* loquar) *ſunt ſecundi*, & poſt eum primi.

2. Sic enim cum Theſis de *foro terreno* loquatur, illud à *cæleſti* diſtinguit. Nam Deus „ Rex Regum eſt, & Dominus dominantium, cujus imperio „ jam ſubſunt, ejusque tribunali olim ſiſtendi.

1 Tim. 6. 15. Apoc. 6. 15, 16, 17.

Horat.

„ Regum timendorum in proprios greges;
„ Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

Huic *cæleſti vicarium* eſt hîc in terris propriæ *conſcientiæ forum*, cui obnoxii ſunt non ſolùm Tyrannorum peſſimi, ſed (cum malè fecerint) Regum optimi. 2 Sam. 24. 10.

3. Atqui de foris *propriè terrenis* iiſque *externis* jam agimus, quæ vel *Eccleſiaſtica* ſunt vel *Politica*.

Sic etiam cauſæ vel *Politicæ* ſunt vel *Eccleſiaſticæ*. Et *politicæ* quidem vel *criminales*, & præcipuè *capitales*, vel *magis propriè civiles* dictæ, ut de rebus pecuniariis, de fundo, poſſeſſione, hæreditate, & rebus aliis his ſimilibus. In *Foris* verò & *Cauſis Eccleſiaſticis* Actio in Principes conſiderari poteſt

teſt vel quatenus intra *cenſuras Eccleſiaſticas* & *Excommunicationem* ſe ſiſtit, vel quatenus ultra procedit, ut inde *Princeps malè tractetur, de ſolio deturbetur, capite plectatur.*

His prænotatis cum dicitur *Principes nulli terreno foro obnoxios* eſſe, ex hâc unicâ Theſi, ut reliquas omittam, tres præcipuè proponi poſſunt quæſtiones: An Principes ſummi ità *terrenis foris obnoxii* ſint, ut 1. in foro Eccleſiaſtico ab Epiſcopis *legitimè excommunicari* poſſint. 2. An *ab Epiſcopo Romano* per excommunicationes ſuas *ditionum* ſuarum *dominio privari.* 3. An in foro civili à Proceribus vel ſubditis ſuis, vel mortalium ullis aliis ità *in jus vocari*, ut coràm *tribunali ſiſtantur, condemnentur, capite plectantur*, vel modo quovis alio indignè tractentur.

Duas priores leviter attingam.

Et quod ad primam attinet, an Magiſtratus ſummus ità foro Eccleſiaſtico obnoxius ſit, ut *excommunicari* licitè poſſit; hæc utpote à præſenti inſtituto paulò remotior tacitè præteriti poterat, niſi quòd aliqui ex eo quòd Reges *excommunicationi* & Eccleſiæ cenſuris obnoxios eſſe volunt, etiam in *civilibus* coactioni externæ obnoxios eſſe concludunt, ideò quædam, at pauciſſima de eâ dicenda. 1.

Et hîc quidem plura adducunt; Chriſtum Matth. 18. ubi de his agit, neminem excepiſſe: *Eliam*, *Nathanem*, *Jeremiam*, *Iſaiam*, *Johannem Baptiſtam*, *Chriſtum* ipſum, ejuſque *Apoſtolos* hanc virgam in ipſos Reges ſtrinxiſſe: *octoginta Sacerdotes* 2 Chron. 26. non ſolùm *Regi Uzziæ obſtitiſſe*, ſed eum etiam *ex domo Dei excidiſſe*, ut & *Sium Ambroſium*, *Theodoſium Imperatorem* (aſſerente Eccleſiâ noſtrâ in 2^dâ parte *Homiliæ de recto uſu Eccleſiæ*) non ſolûm acriter increpâſſe, ſed & excommunicâſſe inſuper. *Rhetorfort. in lib. de Præeminentiâ electionis Regum (Angl.) quæſt. 26. p. 235. & qu. 32. p. 345.*

At Chriſtum Reges nominatim non excepiſſe minimè mirum videri poteſt, cum tunc nulli erant Reges Chriſtiani: ipſum verò ut & Prophetas & Apoſtolos Reges impios, doctrinaliter quidem, increpuiſſe facilè conſtat, at & excommunicâſſe non legimus. Ambroſius Theodoſium de Edicto ſuo nimiùm ſevero atque à populo multò crudeliùs executioni mandato redarguit, atque (ut *Homilia* dicit) excommunicavit, hoc eſt (ut in margine adſcriptum habemus) à *Sacramenti perceptione dehortatus eſt*, donec pœnitentiâ defunctus magis paratus accedere poterit, at non interim eum tanquam pro *Gentili* vel *Publicano* habuit. Quod verò ad illud *Azariæ* & *octoginta Sacerdotum* factum attinet, nil in contrarium probat. Dicitur quidem „ eos Uz- „ ziæ Regi contra Legem Sacra facienti *reſtitiſſe*, eumque jam leprâ cœlitus „ percuſſum feſtinatò expuliſſe, atque ità ejectum de domo Domini fuiſſe. Sed illud יַעַמְדוּ illa reſiſtentia *verbis* facta eſt, non illatâ Regi *violentiâ*, neque eâ quidem opus erat, cum ipſe ſe jam proriperet, ſic enim ſcribitur: וַיְבַהִלוּהוּ מִשָּׁם וְגַם־הוּא נִדְחַף לָצֵאת κ) κατέσπευσαν αὐτὸν ἐκεῖθεν, καὶ αὐτὸς ἔσπευσεν ἐξελθεῖν „ Feſtinare eum fecerunt *monitis* ſcilicet, ἐκέλευον ἐξιέναι ut *Joſephus* habet, quibus ſponte parebat, nam „ viderunt eum acce- „ lerantem egreſſum, ut *Arabs* & *Syrus* locum illum reddunt. Id verò quod habetur commate 21. נִגּוֹר מִבֵּית יְהוָה „ abſciſſus fuit à domo Domini (quod Syrus vertit *eò quòd blaſphemâſſet domum Domini*) ſpectat ad communem Dei Legem de *Leproſis* amovendis, non deſignat particularem aliquam 2 Chron. 26. v. 18. 20. v. 21. *Antiq. lib. 9. cap. 11.*

à Sacerdotibus contra Regem indictam & denuntiatam *excommunicationem*. ἐκέλευον ἐξελθεῖν τῆς πόλεως ut loquitur *Joſephus*, eum cedere admonuerunt
Num. 12.15. vel juſſerunt non ſolùm *templo*, ſed & *urbe*, ut *Miriam* priùs jam leprâ affecta ex Dei mandato non ſolùm à tabernaculo, ſed & *extra caſtra* ſecluſa erat: ſed quid iſta *Ceremonialis* ob externam *corporis* labem ſecluſio ad ſtatuminandam propter *contaminatos vitæ mores excommunicationem*, eamque contra *Principes* ipſos denunciandam? Agnoſco quidem *Zanchium* in Epiſtolâ ad *Johannem Wolfium* aſſerere „ ad Miniſtri cum Presbyterio officium pertinere quos-
Tom. 3. Epiſt. lib. 1. pag. 63. 64. „ vis peccantes (etiam Principes) arguendi, increpandi, excommunicandi fa- „ cultatem; neque videre quid cauſæ ſit cur debeamus excipere Magiſtratus, quatenus ipſi inter fratres (de quibus ibi agit Chriſtus) „ connumerantur: ut etiam inter oves, quæ paſtorum ſuorum ſubſunt regimini. Sed quomodo paſcantur ſimul & paſcant, ſubſint & imperent ſine ullâ Majeſtatis ſuæ diminutione conſulendi ſunt Theologi, qui de hâc re tractant, *Rivetus* † in Decalogum; *Camero* * in Matth. 18. 15. & alii: à quorum Placitorum, ut & à primi hujus Quæſiti explicatione præ temporis anguſtiis omninò mihi jam abſtinendum.

† pag. 1371. 1374.
* pag. 151. L. Molinæus in Paræneſi cap. 24. 2. pag. 659. &c.

Ut & levi pede prætereundum ſecundum Quæſitum utrum Principes ità *foro Pontificis Romani* obnoxii ſunt, ut per *excommunicationis* ſuæ fulmina ſoliis ſuis deturbari, atque *dominio* ſuo omni *privari* poſſint. Hanc verò Controverſiam cum Theologi noſtri ſatis elucubrârunt, & præ cæteris *Angli* noſtri in *causâ Regiâ*, quam & Rex omnium doctiſſimus *Jacobus* egregiè tutatus eſt: illud *Eccleſiaſtis* adhibere liceat „ Quid facturus eſt homo, qui ſuccedit Regi? „ illud utique quod jam factum eſt, prout ibi ſequitur. Ne igitur actum agam, vel potiùs affabrè concinnatum noſtrâ imperitiâ quoquomodo deformarem, hanc etiam miſſam faciam; Illud interim à Papâ interrogans
Cap. 2. 12. Matt. 21.23. „ Quâ auctoritate iſta facis? & quis tibi dedit hanc auctoritatem? Certè non Deus, non Chriſtus, ne ipſi *Petro*, cujus ſucceſſorem te fingis; ille enim Magiſtratui civili morem geſſit Matth. 17. 27, idemque à Chriſtianis omnibus faciendum juſſit 1 Epiſt. 2. 13. ut & *Paulus*, qui omnem animam ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσεσθαι in mandatis dedit Rom. 13. 1. ut excors omninò Papa ſit, qui hoc abnuit. Notum illud *Chryſoſtomi* in Locum κἂν Ἀπόστολος, ἦς, κἂν Εὐαγγελίστης, κἂν Προφήτης, κἂν ὁτιοῦν; atque illud *Bernardi* ad *Senonenſem Archiepiſcopum*
Epiſt. 42. „ Si omnis (anima) & veſtra. Quis vos excepit ab „ univerſitate? ſi quis tentat excipere, conatur decipere. At qui ὑποτάσεσθαι debet, is τὸν ὑποτάξαντα ſuo Foro obnoxium non habet, nam inferior in ſuperiorem non habet judicandi poteſtatem. At *Pontificem Romanum*, ità *Imperatori inferiorem* fuiſſe clarè teſtantur hiſtoriæ omnes, Papas ſcilicet per octingentos annos Imperatores pro Dominis ſuis agnoviſſe, ut & Epiſcopos ab illis judicatos & à ſedibus ſuis dejectos fuiſſe. Sic *Paulus Conſtantinopolitanus*
1 Reg. 2. 27. à *Conſtantino* de Cathedrâ ſuâ deturbatus, ut *Abiathar* olim à *Salomone*. Sed me reprimo. Nobis tacentibus *Marſilius Patavinus* in ſuo *Defenſore Pacis* & alii Scriptores *Pontificii*, præ cæteris *Gallici* vindicias Domini Imperatoris & Regum adverſus uſurpatam Papæ Tyrannidem ità ſtrenuè egerunt, ut nihil hanc in rem ultrà à nobis addi vel expectari opus ſit.

3. Ad tertium itaque quæſitum properandum eſt, quod æquè penè brevi expediam compendio.

At verò hîc non quæritur, an ſubditus in *causâ civili* de re *pecuniariâ*, de *fundo* vel *hæreditate* cum Principe ſuo in *ſuo ipſius foro* jure agere poſſit, quod ſæpiùs fit *annuente Lege*, neque interim *renuente Principe*; nam „ omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio, ut rectè habet *Seneca* de Beneficiis lib. 7. cap. 4. Sed hoc quæritur, in cauſis *criminalibus* videlicet, an *Principes* in *foro civili* ità ab *aliis*, præcipuè à *ſubditis* ſuis, in jus vocari poſſint, ut *coram Tribunali ſiſtantur, condemnentur, capite plectantur*, vel modo quovis alio indignè tractentur. *O tempora! O mores!* ut loco mota ſint vel fundatiſſima! ut in quæſtionem & controverſiam trahantur à primævâ uſque Eccleſiâ ἀναπρήτως πεπληροφορημένα! Principes à perduellibus vel *aperto Marte*, vel ex *clancularijs inſidijs* nefariè extinctos in Sacrâ Paginâ & hiſtoriis aliis ſæpè legimus, unàque legimus illud Deo hominibusque ità inviſum ut non multum abiret. Sed *ſummum Magiſtratum* ad *cauſam capitis* ſui *dicendam*, *ſubditorum* ſuorum *tribunali* ſiſti, *condemnari*, *capite plecti* ne fando unquam auditum cum *contradictionem* in *adjecto* habeat, ut *ſuperior* & *poſt Deum ſummus foro terreno obnoxius* fieret, idque à *ſubditis* „ Nolite hoc annuntiare in Gath, neque an- 2 *Sam.* 1. 20.
„ nuntietis in compitis Aſhcalonis, nedum in Eccleſiâ Dei, eâque Reformatâ „ nunquam res talis facta eſt in Iſrael. At --*pudet hæc opprobria*-- cum *Judic.* 19.
indelebili populi Anglicani infamiâ, ſummoque Religionis Reformatæ 30.
ſcandalo. Sed locus iſte non *Declamatorem*, ſed *Determinatorem* poſtulat, quo in loco habeamus Eccleſiæ noſtræ ſacra, Regni apud nos jura omnia.

Eccleſia in *Liturgiâ Deum ſolum* agnoſcit *Principum moderatorem*: in *In prece pro*
Articulo 37. Regi *ſummam* in hoc Regno *poteſtatem* attribuit: in *Homilia-* *Rege.*
rum Libro primo omnimodum *Magiſtratibus* omnibus (ſummis inprimis) *ſubjectionem* & *obedientiam* exigit; in ſecundo *inobedientiam* & *rebellionem* omnem ſeverè exagitat & eliminat. Idem Leges civiles (graviſſimis in rebelles intentatis pœnis) imperant, imò ad id ipſas conſcientias duplicis *Supremat*ûs tum *Fidelitatis* juramenti nexu arctiſſimè obſtrictas curant, ne quis vel tergiverſationi vel effugio locus eſſet, quæ omnia nos ſatis tutò concluſos tenere poſſint.

Sed ad Probationes generales, quæ omnes ubivis ſpectant, accedamus: ut miſſa faciamus, quæ de *regno mero* occurrunt, qualia illa ἀνδρύνως ποιεῖν ἃ βάλεται apud *Herodotum*, ἐπιτάξειν ἀνυπεύθυνον ὄντα apud *Dionem*. βασιλείαν ἀρχὴν ἀνυπεύθυνον apud *Pauſaniam*. πεύτανις ἄκρατος ὢν κρατύνει βωμὸν ἐξίαν χθονὸς, μονοψήφοισι νόμασι σέθεν apud *Æſchylum*; quæ παμβασιλείᾳ & *mero Imperio* conveniunt, non *mixtis* applicanda. ὃν ὑπεύθυνον βωμὸν πατεῖ. *Æſchylus de Rege Perſarum.*

Huc adduci ſolet illud *Davidis Regis* Pſal. 51. „ Tibi ſoli peccavi, cum contra *Bathſebam* adulterio, *Uriam* & milites alios unà cum eo occiſos homicidio, contra *omnes* ſcandalo peccaverat, at contra *Deum ſolum* dicit, quia *Rex erat & alium non timebat*; quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, *Hieronym.*
neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii poteſtate: *homini* ergò *non peccavit*, cui non tenebatur obnoxius, „ cum Rex erat, non ha-
„ bebat Judicem & Superiorem, qui poſſet eum punire, niſi Deum, interpretibus *Hieronymo*, *Ambroſio*, *Lyrano*, *Caſſiodoro* & *Arnobio*. Et quidem licèt plures tum *Judæ* tum *Iſraelis* impii fuerunt Reges & Tyrannici admodùm, nil tamen, quò populo pœnas darent tentatum uſquam legimus, niſi per ſeditionem perduellium à Deo & hominibus damnatum, nec tandem

multam *David* certè quamvis jam in *Regem unctus*, & à *Saule* inſano furore agitatus, nil tale unquam *auſus* eſt; ſed cum ſemel iterumque facilè & impunè, ad id cohortantibus etiam commilitonibus ſuis poterat, illud ut infauſtum & nefarium iteratò ἀφοσιῶτω „ Abſit mihi à Domino ne faciam „ hoc Domino meo, uncto Domini. Quis enim immiſſâ manu ſuâ in un„ ctum Domini inſons eſſe poteſt? Quo nomine *Amalekitam* illum neci dari juſſit: quod ad ſeipſum verò attinet, „ eum affecit animus ejus quòd non caput ſed „ alam pallii Regis abſcidiſſet.

1 *Sam.* 24. 4. *ad* 8. *Cap.* 26. 8, 9. 2 *Sam.* 1. 14, 15, 16. 1 *Sam.* 24, 5.

Sed quia hic locus *Pſalmi* laudati juxta multos interpretes alium ſenſum vel habeat vel habere poſſit,

Illud potiùs *Pauli* & *Petri* in medium afferamus, quorum ille Magiſtratus, ἐξουσίας ὑπερεχούσας Rom. 13. 1. hic τὸν βασιλέα ὑπερέχοντα vocat, quibus omnes ὑποτάσσεσθαι jubet 1 Pet. 2. 13. Perverſiſſima ergò omnis perturbatio & inverſio erit, τὰ ἄνω κάτω omnia ubi ſemel ὁ ὑπερέχων ὑποτάσσεται, Thronus infra ſcabellum deji itur, & qui (ut habetur in Sacrâ Paginâ) „ ſubditis ſuis decies millies præſtat; infimæ plebeculæ furori, ipſius carnificis ſecuri fit obnoxius.

Reges in S. Paginâ dicuntur uncti ſuper populum, ut oleum aquæ ſupernatare ſolet. 2 *Sam.* 18. 3.

At non ſic animati in Eccleſiâ primitivâ Chriſtiani, quorum *arma* ſolæ *preces* & *lachrymæ* fuerunt, qui quamvis ab Imperatoribus & Magiſtratibus in eos omni tormentorum genere ſævientibus miſerè vexati fuerunt, etiam cum eis non defuerunt vires & copiæ, quibus non ſolùm ſeipſos tutari, ſed & hoſtes illos ſuos de ſolio deturbare poterant, nil tale *cogitârunt*, nedum *patrârunt* unquam: in hoc ſcili et Duces ſuos ſecuti, qui *Regum* & *Imperatorum Majeſtatem Sacratiſſimam* eſſe, & à populis ſuis haberi debere ſubinde inculcârunt, ſubmiſſiſſimâ animorum veneratione colendam, ne minimâ manûs, linguæ, imò ne cordis irreverentiâ, nedum violentiâ temerandam.

Sic de Chriſtianis Imperatoribus *Optatus* dicit, „ Super Imperatorem non „ eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem. Unde S. Chryſoſtomus *Theodoſium* κορυφῇ καὶ κεφαλῇ fuiſſe dixit neque in terris habuiſſe ὁμότιμον: imò *Tertullianus* vel Ethnicos Imperatores aſſerit „ *in ſolius Dei poteſtate* „ eſſe, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi ante omnes & ſuper omnes „ Deos, & Chriſtianos ait coluiſſe eos ut à Deo ſecundos; & ſolo Deo minores, proindeque concludamus & Nos, *nulli terreno foro obnoxios*, Hebræi *Bar Nachmoni* ſententiâ, *Nulla Creatura judicat Regem, ſed Deus Benedictus.*

QUÆST. XLIX.

Externa fidei profeſſio dat jus ad Sacramenta.

THeſis hæc ſupponit *fidei profeſſionem*, ut *jus ad Sacramenta* daretur *neceſſarium* eſſe. Hic enim Sacramentorum finis eſt (ſi non ſolus, vel præcipuus ut Anabaptiſtæ volunt) ut *teſſeræ* ſint diſcriminantes fideles ab infidelibus, juxta illud *Auguſtini*, „ In nullum ſive veræ ſive falſæ Religio„ nis nomen nullos hominum cœtus poſſe convenire & quaſi coagmentari, niſi

„ niſi aliquo viſibilium ſignorum fœdere conjungantur. Sic *Judæi* per *circumciſionem* à cæteris gentibus exteris ſejuncti: nec ad *Paſcha* admittebantur *extranei incircumciſi*. Sic *Chriſtiani* per *Baptiſmi* & *Sacræ Cœnæ* Sacramenta diſtinguuntur à *Judæis*, *Turcis*, reliquiſque infidelibus qui ξένοι τῆ Ἀληθικῶν τῆς ἐπαγγελίας ſunt Epheſ. 2. 12. ſic *Baptiſmus* non niſi *profeſſis* priùs *diſcipulis* impertitur Matth. 28. 19. uude ſic *Athanaſius* Orat. 3. contra Arrianos: ὁ Σωτὴρ οὐκ ἀπλῶς ἐνετείλατο τὸ βαπτίζειν, ἀλλὰ πρῶτον φησὶ μαθητεύσατε, ἵνα ἐκ μαθήσεως ἡ πίστις ᾖ βαπτίσματος καὶ τελείωσις &c. Et quod ad *Sacram Cœnam* attinet, in primâ ejus inſtitutione res Chriſto fuit cum *diſcipulis* ſuis, qui *omnes* licèt, at *ſolos Chriſtianos* repræſentabant. Sacramenta utique bona Eccleſiæ ſunt, aliis non communicanda. „ Triticum tuum non dabo „ cibum inimicis dicit Dominus Iſai. 62. 8. quod de Sacramentis interpretatur *Lyranus*. *Fidei* ergo *profeſſio ad jus ad Sacramenta* ut neceſſaria *præſupponitur*: at verò an ad jure vendicandum *ſufficiens* ſit jam quæritur: ad quod ritè explicandum tria alia in anteceſſum præmittimus.

Nil hinc adimimus *infantum* à parentibus *Chriſtianis* prognatorum *juri* ad Sacramentum *Baptiſmi*, qui licèt præ infantiâ fidei profeſſionem edere nequeant, tamen *ex vi Fœderis parentum ad id jus* habent, ut cum *Deus* cum *Abrahamo* pactus fuerat „ ſe futurum Deum ei & ſemini ſuo, continuò *circumciſio*, fœderis illius ſigillum, tum ipſi tum omnibus ſuis impreſſum fuit. Sic infantes *Judæorum* octavo die *circumciſi* Gen. 17. & *Chriſtianorum* Infantuli eodem jure ad *Baptiſmum* admiſſi Act 2. 38, 39. ut rectè ab *Orthodoxis* contra *Anabaptiſtas* aſſeritur. Nil ergò hinc illis incommodi quin admitti poſſint. 1.

Secundò neque aliquid quod legitimis Eccleſiæ cenſuris fraudi ſit, quin aliqui qui fidem veram aliquatenùs verè *profitentur* ab hoc jure *excidere*, atque Sacramentorum participatione vel ad tempus vel in perpetuum, vel ex parte vel in totum legitimè privari poſſunt, ut qui ob hæreſin, flagitia & inde Eccleſiæ impacta ſcandala vel *abſtenti* vel *excommunicati* ſunt, quibus ne *Ave* quidem *dici* vult Apoſtolus, ne vel *communis menſæ* uſum permitti, nedum *Dominici*; qui 2. *2 Ioh.* 10. 11. *1 Cor.* 5. 11.

Vel (quod primum de iis dici poteſt) forſan *verè fideles* ſunt, adeòque *jus* aliquod *ad rem* habere poſſunt, ut *leproſus* ſub lege ad *domum propriam*, ſed non *in re*. *Miriam* enim eo in caſu *extra caſtra excluſa* eſt, & *Uzzias* in „ domo ſeparatâ habitans à domo Jehovæ abſcitus fuit. Hîc enim diſtinguimus *actum primum* à *ſecundo*, & *jus potentiale* ab *actuali poſſeſſione* & *inexiſtentiâ*. *Num.* 12. 14, 15. *2 Chron.* 26. 21.

Vel forſan ità excommunicati reverâ atque omninò *impii* ſunt, qui tamen *externam fidei profeſſionem* edere poſſunt: quod vel ipſum *Diabolum* in Evangelio ſæpiùs feciſſe legimus, quo non obſtante ob flagitia ſua & apertam impietatem per authoritatem Eccleſiæ à Chriſto delatam à *Sacramentorum participatione* licitè *arceri poſſunt*.

Imo & *debent*. Sic *Eccleſia Anglicana* in libro ſuo *Liturgico* jubet, ut Miniſter „ in Deum blaſphemos, adulteros & hujusmodi reliquos, ne ad Sa- „ cram menſam accedant moneat, imò ne id agant, cohibeat. Quamvis enim procul abſumus ab *Anabaptiſtarum* arrogantiâ, qui ad Sacram menſam accedentes ſe horribili obteſtatione devovebant, quòd etiam tantam habe- 3. *In Exhortatione.* *In Rubricâ Officio illi præfixâ.*

rent charitatem, quantam habuit Chriſtus in cruce pendens, quamvis inquam, *adeò perfectos* non exigimus, palàm tamen *impios* non admittendos ducimus, tales utique *Judæ* Apoſtolo ἀπιλάδες ἐν ἀγάπαις ſunt v. 12. alluſione factâ ad *animalia maculis aſperſa*, adeòque à *Sacrificiis* reprobanda ut hi à *Sacramentis*. Sacerdotes olim ſub Lege, ne quid labis in Sacrificiis eſſet à †*Clemente Romano* in *Epiſtolâ* ſuâ ad *Corinthios* μωμοσκόποι appellantur, quam etiam vocem adhibet *Chryſoſtomus* ad deſignandam eorum qui ad Sacram Cœnam accedunt explorationem: nam illud ἅγια τοῖς ἁγίοις à *Græcâ Eccleſiâ* dici ſolebat in ejuſdem adminiſtratione: nec mirum, cum apud ipſos *Ethnicos* in Sacris ſuis illud ſolenne erat. *Procul eſte profani*; atque ut apud *Apuleium* legimus ſacerdos jam ſacrificaturus illud dicere ſolebat πὶς τῇδε; cui reſpondebatur καλὸς καγαθὸς. Notum ſatis illud *Chryſoſtomi* ἀετῶν γὰρ καὶ κολοιῶν ἄντη ἡ τράπεζα, at longè magis ſacrum illud Salvatoris „ Nolite ſanctum dare canibus, diſtrictum ſatis illud (quod ad Miniſtros attinet) Apoſtoli, „ Ne communicato peccatis alienis; ut (quod ad *indignos cœnæ participes* ſpectat) terrificum admodùm eſt illud ejuſdem Apoſtoli, tales ſcilicet „ reos „ eſſe corporis ac ſanguinis Domini, ſibique damnationem edere & bibere.

Vide Marloratum in 1 Cor. 11. 28. Vide D. Hammond Paraphr. in Locum & Not. E. 1 Cor. 5.

† *Pag. 53.*

in 1 Cor. 10. λογ. κδ. Matth. 7. 6.

1 Tim. 5. 22. 1 Cor. 11. 27, 29.

Quò magis procul ab omnium maximè intimæ cum Chriſto communionis Sacramenta arceri debent, qui non ſolùm adeo procul ab eo remoti ſunt, verùm ei ex adverſo oppoſiti.

At ſi hæc (ut admitti debent) admittantur, quodnam jus ad Sacramenta dare poteſt externa fidei profeſſio, quam edere poſſunt iſti, qui ſecundùm ea quæ prædiximus ab iis abigendi ſunt?

Hâc de re triplex ferè eſt variorum hominum ſententia,

Prima eorum, qui promiſcuè *omnibus fidem Chriſtianam profitentibus*, utut apertè ſcelerati fuerint, ad Sacramenta *jus integrum*, & *latum nimis* ultrò præbent aditum.

Secunda eorum qui *jus* iſtud & acceſſum plus æquo *coarctant*, dum Eccleſiæ communionem & Sacramentorum participationem illis ſolis largiuntur, qui vel *verè ſancti* ſunt, vel ſaltem quos *tales ipſi perſuaſi ſunt*, & qui præterea cum ipſis *fœdere externo* & explicato *conjuncti* ſunt.

Tertia denique eorum, qui eis omnibus qui fidem Chriſti profeſſi fuerint, neque ei morum improbitate & vitæ ſcandalo renunciaverint *Eccleſiæ Sacramentorumque communionem*, utpote quod ad ipſos attinet verum jus habentibus non denegant.

Hâc ultimâ viâ *mediâ* (ut opinor) *tutiſſimus ibis*: atque de eis ultimò prænominatis jam quæritur utrùm *fidei profeſſio* ab ipſis facta *jus det ad Sacramenta*. Ad cujus confirmationem neceſſaria eſt ipſis terminis explicandis & diſtinguendis magna admodùm cautela & penè, dixerim, curioſitas.

Et primò notandum quod non dicit *fidem* ſed *profeſſionem* fidei hoc *jus dare*, quia licèt *fides ipſa* jus *internum* præcipuè habeat, cum tamen an vera vel verè ſit Eccleſiam lateat; ex unâ parte, quamvis *verè* adſit, *jus* hoc in *foro exteriori* vendicare non poteſt, cum hîc *non apparentium* & *non exiſtentium eadem* ſit *ratio*: ex alterâ verò parte, licèt *verè non adſit*, ſi ejus tamen *profeſſio* fiat, quæ redargui nequit, pro *ratâ* habenda eſt, neque ei deneganda Sacramentorum communio.

Sed ultrà adhuc quæri poteſt, [1] quænam hæc *fides*, cujus profeſſio fieri debet,

debet, 2 quid *profeſſio*, 3 *qualis* hæc profeſſio eſſe debet, 4 quo in ſenſu *det jus ad Sacramenta.*

Quod ad primum, *Fides* cujus ad Sacramenta participanda profeſſio fieri debet, eſt 1. non ſola *fides quæ creditur*, ſed & *quâ creditur:* hoc enim poſterius à priore ſequitur. Nemo enim *fidem objectivam* vel Doctrinam fidei verè & ſeriò profiteri poteſt, qui non *fide ſubjectivâ* eam credit. Neque verò 2. fides hæc cujus profeſſio fit, ſola *dogmatica* eſſe debet, ſed *juſtificans & ſalvifica.* Quamvis enim viva iſta fides homini Sacramenta recepturo non ſemper *neceſſariò adſit*, tamen hujuſmodi fidei profeſſio ſaltem ad ea participanda, ut neceſſaria *requiritur:* talis enim fides ad ſalutarem eorum participationem requiritur, quæ *ſalutem* annexam ſibi habet Marci 16. 16. quæ *ex toto corde eſt* Act. 8. 37. & cum verâ *pœnitentiâ* conjuncta eſt Act. 2. 38. at hæc vera & ſalvicfia fides eſt. Ergò *talis fidei externa profeſſio* ad *externam* eorum *participationem* requiri debet. 3. Neque fides hæc ut *futura* ſolùm promittenda, ſed ut *præſens* teſtanda & profitenda. 1.

Ad ſecundum, cum *profiteri* ſit *palàm fateri*, *Profeſſio* nihil aliud eſt quàm *publica* atque *ſpontanea* rei alicujus (ut hîc fidei prædictæ) *denunciatio*, vel dictis, vel ſcriptis, vel ſignis quibusvis aliis eam evidenter teſtantibus: neque hæc, ut aliquando eſt, *ad interrogata reſponſio*, quæ *Confeßio* potiùs dicitur, ſed *ultronea mentis declaratio*, quæ magis propriè *Profeßio* dicitur, licèt *profeßio* & *confeßio* ſæpiùs confundantur, quæ licèt fictè fiat, ſi minùs *vera* ſit, at *verè* tamen *profeßio* eſſe poteſt. 2.

At qualis tertio in loco hæc profeſſio eſſe debet, quæ ad Sacramenta jus dare hîc aſſeritur? Num *externa*, omnis? Annon hoc *Bellarmino* αὐτοκρέκ qui Lib. 2. de Eccleſiâ milit. cap. 2. dicit „ ut aliquis aliquo modo dici poſſit „ pars veræ Eccleſiæ, non requiri ullam internam virtutem, ſed tantùm „ externam profeſſionem fidei, & Sacramentorum communionem. 3.

1. *Spontanea* & *ultronea*, ut dixi, & libera, non vi, metu, vel tormentis expreſſa: ut ſi *Judæus* vel *Paganus* ità *coactus* Chriſtum profiteretur, continuò inde *baptizandus* foret, quâ in re minùs probandi antiqui olim *Chriſtiani*, qui *Ethnicorum* liberos invitis parentibus baptizârunt; at magis deteſtandi *Hiſpani*, qui *Americanorum* catervas tanquam pecudum greges ad Baptiſmnm compulerunt. Huc etiam referri poteſt *profeſſio fidei*, quæ palàm non religionis ergò ſed *lucri*, *honoris*, vel rei alicujus hujuſmodi ſpe elicitur, qualis fuit olim *Schichemitarum circumciſio* Gen. 34. 23, 24.

2. Adeſſe etiam debet debita tum *profeſſionis* tum *rei profeßæ intelligentia*, non nuda ſola verborum prolatio, quam amentes, fatui, pueruli, pſittaci edere poſſunt: unde antiqua Eccleſia *Catechumenos* ſuos priùs in fide ſatis *inſtructos* eſſe voluerunt antequam ad *Baptiſmum* admiſerint.

3. *Sobria* & *ſeria* eſſe debet, non ludicra, hiſtrionica, deriſoria, vel cum contemptu edita; hoc enim *blaſphemare* eſt, non *profiteri* fidem.

4. Denique *apparenter*, ſaltem *vera*, non cui à profitente in præſenti, vel continuò & aperte contradicitur, vel dictis vel factis: ut ſi quis ſimul ac fidem profeſſus fuerit, ei vel terminis terminantibus vel æquivalentibus ſcienter & datâ operâ renuntiaverit, vel factis impiis palàm & notoriè contradixerit, ut ſi quis dum Regi ſuo ſe ſubditum profeſſus fuit, eum gladio

trans-

Orat. 9. contra Arrianos. transfoderet: de hujuſmodi ad Baptiſmi lavacrum ſic accedentibus S. *Athanaſius* dicit eos ὑπαρξῶς μᾶλλον ἐν ἀσεβείᾳ ἢ λυτρῶσις.

Hujuſmodi utique *fidei profeſſio*, *ſpontanea*, *intelligens*, *ſeria*, & *apparenter* ſaltem *vera jus dat ad Sacramenta*.

4. Quod ultimò explicandum venit, *quo in ſenſu* hoc jus dare aſſeritur.

1. Scilicet non ex recipientis *merito*, ſed ex *Dei* gratuitâ donatione & *indulgentiâ*.

2. Non ut *fundamentum juris*, ſed ut *conditio* à recipiente à Deo requiſita, quâ ſecundum ejus voluntatem præſtitâ eum ad tale beneficium recipiendum habilem & idoneum eſſe placuit.

3. Idque in *foro exteriore Eccleſiæ*, non *ſemper* in *foro Dei interiore*, niſi quatenus quod in foro Eccleſiæ poſt debitum examen factum eſt Deus approbat; quamvis enim qui fictè fidem profeſſus eſt, *coram Deo* jus participandi *non habeat*, *Eccleſia* tamen, *debitâ præſtitâ diligentiâ jus* agendi & eum *admittendi*, ipſo Deo approbante, habet.

4. Denique ſunt qui diſtinguunt de Eccleſiâ *univerſali* & *particulari*, & dicunt omnem fidem hoc modo profitentem jus habere ad Sacramenta in *Eccleſiâ univerſali*, ità tamen ut ſit in Eccleſiâ ſuâ particulari *propriâ*, non *abſolutè* in *quâvis alienâ*, ſed ſub debitis circumſtantiis & conditionibus in quâ *jus* habet *permiſſivum* potiùs quàm quòd ex imperio id exigere poſſit.

Atque his demùm diſtinctionibus & limitationibus ità præmiſſis talis (ut præfertur) fidei profeſſio tale jus dat ad Sacramenta. Quod ſic probatur,

Argum. 1. Primò (ut aliqui ſaltem volunt) ex ipſius *naturæ*, & *humanæ Societatis Lege* communi, quæ jubet ut *fidem habeamus* homini aliquid affirmanti vel *profitenti*, niſi malæ fidei priùs fuerit, vel de eo quòd affirmat contrarium in præſenti conſtiterit: hoc *æquitas humana*, Chriſtiana ſaltem *charitas* exigit, quæ *omnino credit*, *ſperat* 1. Cor. 14. 7. ex quâ lege ſi quis juxta leges prædictas fidem profeſſus fuerit, niſi antea ſæpius fidem violaverit, vel ad præſens mendax deprehendatur, *Sacramenta* petenti omninò *denegare* integrum non erit, imò ne *aſſenſum* & *actum ſuſpendere*, niſi ſuſpicionis cauſa adſit juſta & manifeſta.

Secundò idem probatur ex *Eccleſiæ praxi* tam *Veteris*, quam *Novi Teſtamenti*.

Argum. 2. Ad *Vetus* quod attinet, ut miſſum illud faciam, quod *Iſraelitæ* omnes ex Lege *circumcidebantur*, & ad *Paſcha* celebrandum (niſi naturali vel morali impedimento detenti, vel immunditie aliquâ non morali ſed Ceremoniali polluti fuerant) non permittebantur ſolùm ſed *in mandatis* habuerunt, idque ſub pœnâ capitali. Illud ſatis conſtat *Moſen* primò Deut. 26. 17, 18. & *Joſhuam* poſtea Joſ. 24. 22. *externam* populi Iſraelitici *profeſſionem* & ſtipulationem ſatis-habuiſſe pro *fœdere* ab ipſis *cum Deo* ineundo, ac proinde pro *Sacramentis* ejusdem participandis.

Object. Si verò objiciatur, 1. in illâ *Iſraelitarum* θεοκρατίᾳ totam *gentem* illam *fœderatam* fuiſſe, adeòque de jure *ſigillorum* fœderis participem, quod jam apud *nos*, non obtinet, & præterea 2. *Paſcha* non ſolùm typum fuiſſe bonorum ſpiritualium futurorum per Chriſtum, ſed & gratam *recordationem* præteritæ liberationis *temporalis* ex *Ægypto*, cujus cum ii *omnes participes* erant,

erant, meritò etiam & *Paſchatis* erant, cum interim nihil tale inveniatur in noſtris Sacramentis.

Ad prius reſpondeo, idem quod de totâ gente *Iſraelitică* dictum eſt, dici etiam poteſt de totâ gente *Chriſtianâ fidem profeſſâ*, quæ illi *Iſraelitică* reſpondet, quamdiu fidei non renuntiaverit, vel aut dictis aut factis ſuam ejus profeſſionem irritam non reddiderint, adeò ut tantùm abſit hoc ut argumentum hoc ſecundum enervet, ut illud magis confirmet, & 3. præterea argumentum ad Theſin noſtram probandam ſubminiſtret, hoc ſcilicet, *Sol.* 1.

Quamdiu aliqui *Eccleſiæ membra* manent, nec per cenſuras Eccleſiaſticas abſcinduntur, tamdiu *membrorum privilegiis* gaudere debent, ergò & *Sacramentorum* participatione: Sacramenta enim teſſeræ ſunt Eccleſiæ diſtinctivæ; ergò Eccleſiæ membris debitæ quorum *carentia* ipſis *opprobrium* eſt Joſh. 5. 1. Durum enim nimis eſt ut qui Chriſti fidem profitentur neque adhuc per excommunicationem abſciſſi ſunt eâdem conditione nobis ſint cum *Paganis*, & pro *Ethnicis* & *Publicanis* habeantur; cum Apoſtolus vel eos qui cenſuris Eccleſiæ jam ſubjacent noluit *pro inimicis* haberi, ſed *commonefieri ut fratres* 2 Theſſ. 3. 15. *Argum.* 3.

Si fictè profeſſi ſunt, interni fœderis gratiâ deſtituuntur; donec verò illud conſtiterit ſub *externo fœdere* ſunt, adeòque *externa* ejus *privilegia in foro Eccleſiæ* iis deneganda non ſunt, donec profeſſioni ſuæ palàm nuntium remiſerint, atque exinde per *cenſuras Eccleſiæ* excludantur. Quòd ſi in *corrupto* Eccleſiæ *ſtatu*, clavibus rubigine obſitis, in deſuetudinem ità abeant cenſuræ, ut qui profeſſioni ſuæ manifeſtis dictis vel factis renuntiaverint, idque conſcio Miniſtro, non excludantur, is quatenus *actûs ſui dominus* eſt abſtinere poteſt & debet à *dando panem canibus*, at verò ipſe *ſolus* eos *authoritativè excludere* non poteſt, atque eouſque illi jus ſuum, quoad Deum quidem iniquè, at in foro Eccleſiæ vendicare poſſunt.

Ad ſecundum verò objectum, ut in Paſchate fuit commemoratio præteritæ ſuæ ex Ægypto liberationis, cujus omnes participes erant, ità in S. Cœnâ ἀνάμνησις eſt *mortis Chriſti*, quæ eouſque omnes pertingit, ut ab ipſis commemorari debeat; quæ reſponſio 4. Argumentum ad Theſin noſtram confirmandam ſuppeditat. *Sol.* 2.

Pro quibus Chriſtus mortuus eſt, iis ex officio vel ſaltem permiſſu, *mortis* ejus *commemoratio* celebranda eſt, niſi aliquid in contrarium obſtiterit. *Argum.* 4.

At Chriſtus licèt ſpeciatim & ἐξοχῶς pro electis *ſolis*, *aliquouſque* tamen pro *omnibus* mortuus eſt, nimirum ut *æterna ſalus* ipſis ſub *conditione* fidei & *promittatur* & *offeratur*, ut *iræ dilatio* beneficia plura *temporalia* omnibus *media* etiam hæc *externa ſalutis* actu pluribus impetrentur: quæ omnia *Chriſti morti* accepta ferre debent, atque eam ideò, eatenus, *gratè commemorare*.

Ergò dicetis, cum hoc modo Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, ergò omnes *Ethnici* vel *flagitioſiſſimi* vel ipſi *excommunicati* ad *Sacramenta jus* ſuum & *habere*, & efflagitare poterunt. *Obj.*

Nequaquam verò: non *Ethnici*, qui Chriſtum ne *confitentur* quidem: non apertè *flagitioſi*, qui profeſſi licèt ſunt, at *profeſſioni* ſuæ *renuntiant*: non *excommunicati*, qui ab *Eccleſiâ divulſi*, in foro Eccleſiæ ab ipſo Chriſto *Sol.*

ſaltem quoad *hæc externa* abſciſſi ſunt. Si verò *profeſſionem edant*, neque ei *nuntium remiſerint*, nec *fictam* eam fuiſſe *manifeſtè* conſtare poterit, internam licèt *Sacramentorum* gratiam Electi & verè Sancti, pro quibus *ſolis* ut *certò ſalvandis* mortuus eſt, ſibi in peculium vendicent, *Symbola* tamen *externa*, quæ Chriſtus morte ſuâ iis meruit, juxta *externam* ſuam *profeſſionem* ſibi habeant.

Valet ergò adhuc argumentatio à praxi veteris Eccleſiæ ſub Lege ad praxin Novæ ſub Evangelio.

Sol. 3. Quin 3. hoc in N. Teſtamento obtinùiſſe planè conſtat ex praxi ipſius Chriſti, Apoſtolorum, & Eccleſiæ primitivæ.

Matth. 26. 22. *Luca* 22. 23. Chriſtus quamvis, ut Deus, quid *Judas* in cute fuerit noverit, cum verò id cæteris non innotuerit, prout ex Evangelio conſtat; ut nobis exemplo eſſet, eum ob *profeſſionem fidei*, cui nondum in foro Eccleſiæ renuntiaverat, ad *Sacræ Cœnæ* participationem admiſit ex *Auguſtini* & aliorum longè potiore ſententiâ, *Philippus Eunuchum* †, imò ipſum *Simonem Magum* * factâ fidei confeſſione baptizavit Actor. 8. *Paulus Commentarienſem* Act. 16. 33. *Johannes Baptiſtâ* quamvis „ Phariſæorum & Sadducæorum manifeſtam „ viperarum progeniem à Baptiſmo ſuo repulit, reliquos tamen plurimos ad fidei & pœnitentiæ ſuæ *profeſſionem* admiſit Matth. 3. 5, 6, 7. ut & Apoſtoli ſine accuratiori eorum facto examine Act. 2. cui nec locus eſſe potuit in tantis *Baptizatorum* turbis & temporis anguſtiis, cum „ uno die ter mille homines baptizaverint. Quem morem ſecutam eſſe inſequentem Eccleſiam unus *Juſtinus Martyr* in ſecundâ ſuâ *Apologiâ* locupletiſſimus teſtis eſt, ubi hæc habet ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύσωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι &c. „ Quicunque perſuaſi fuerint & credi-

† *Act.* 8. *v.* 37, 38.

* *v.* 13.

Act. 2. 41.

P. 73.

„ derint vera eſſe quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere ſe ità poſſe „ polliciti fuerint eò adducuntur à nobis ubi aqua eſt, atque eo regenera„ tionis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur. A Catechiſtis quidem inſtruebantur priùs quò veram fidem addiſcere & profiteri poſſent, veræ etiam pœnitentiæ profeſſio, & mundo, Diaboloque renunciatio ante Baptiſmum ab iis exigebatur, neque *fornicarios* ad *Baptiſmum* admitti voluit *Auguſtinus*, niſi *concubinas* ſuas ad præſens *dimiſerint*, eaſque in futurum ſe *derelicturos promiſerint*: Niſi verò *profeſſio* & pollicitatio iſta *notoriè falſa* & ficta ipſis conſtiterit, Sacramenta eis denegâſſe, vel (cum nulla evidens ſuſpicionis cauſa erat) *curioſum* de eorum verâ ſinceritate *examen* inſtituiſſe, vel in *accuratiorem* ejuſdem explorationem eorum *admiſſionem* in longum diſtuliſſe non legimus.

Juxta ergò *Chriſti*, *Apoſtolorum*, & *primitivæ Eccleſiæ praxin*, veram *fidem* (at ſecundùm prædictas limitationes) *profitentes jus* ſuum (ſed quale diximus) *ad Sacramenta* per me habeant.

QUÆST. L.

Lectio S. Scripturæ non eſt interdicenda Laicis.

SAtis in propatulo hîc atque expedita ſunt omnia. Cum nec termini explicatione, nec res ipſa quidem apud cordatos ullos probatione opus habeant, penè ſupervacanea erit porrò determinandi opera: pro officii tamen ratione quædam dicenda ſunt, at in re tam facili & apertâ pauciſſima.

In hâc Controverſiâ cum *Pontificiis* nobis res eſt: quorum aliqui (*Stapletono* fatente) adeò rigidi ſunt, ut *Scripturarum lectionem* in Vulgari *Laicis* prorſus & *omninò* interdicendam exiſtiment: quos etiam publicè vel privatim de *fide Catholicâ diſputare* Legibus ſuis *Canonicis* inhibent. Hinc Sacræ Scripturæ in vulgares linguas *verſionibus* quamdiu quantumque poterant obſtiterunt, donec id ab aliis factum indignantes viderint in rem ſuam futurum ut ipſi (inviti quidem & coacti) idem factitarent, judicârunt. Hinc *Vetus Teſtamentum* à *Duacenſibus*, *Novum* à *Rhemenſibus* in *Anglicanum* ſermonem malâ fide, ut erroribus ſuis quam maximè patrocinari poterit, verſum, *Annotationibuſque* ſuis magis adhuc corruptis contaminatum habemus: ut qui *verſiones eorum* legerint, cum *aquâ vitæ venenum* ſimul hauriant: Sacrum Codicem ſic à *ſuis ſolis* verſum (aliorum enim verſiones proſcribunt penitùs) ægrè, malignè, parcè & ſub conditionibus limitatè à *Laicis* quibuſdam legi non (quod debent) hortantur, ſed *reluctanter permittunt*, non *ſemper*, non *promiſcuè omnibus*, ex eo enim ob hominum temeritatem plus detrimenti quàm utilitatis eis oriturum ſentiunt. *Sext. de Hæret. Quicunque cap. 2.*

Primò partes quidem aliquas Bibliorum *morales* & *hiſtoricas* aliquando & aliquibus legendas indulgent: ubi tria quæro. 1.

1. Quare non & eas, quæ *fidei myſteria*, quæ vitæ ſpiritualis & ſalutis ſuccum & ſanguinem in ſe continent? Num hæc ut *venena lethifera*, ne noceant, *ignotæ linguæ* pixide obſignanda ſunt?

2. Quid eſt quòd *hiſtorias* legi permittant, cum ex his ipſis S. Scripturæ *hiſtoriis* plura objiciunt *minùs decora & honeſta*, ob quæ præcipuè *S. Scripturas* à *Laicis* non paſſim *legendas* eſſe diſputent?

3. Quid etiam quòd *Hieronymus Lætæ filiam omnes Sacri Codicis Libros*, certo licèt ordine, at ſigillatim ſingulos *legere* jubet? *Epiſt. ad Lætam.*

Secundò, *Tempora* etiam diſtinguunt: in *pace Eccleſiæ* partes illas morales & hiſtoricas, ægrè licèt, legi concedunt: ubi duo dico, 1. tunc ſcilicet quum ad *errores ſuos* ſomno ſepulti *ſtertunt* omnes ut nil inde ſibi periculi ſit, nil ipſis negotii faceſſant. 2. Etiam quæro quid erat, quod vel illis ipſis *craſſæ ignorantiæ temporibus*, quo aliquid ſaltem in cognitione proficere potuiſſent, hanc Bibliorum Linguâ Vulgari legendorum veniam non indulſerint, ſed *exortis* primùm (ut illi volunt) *hæreſibus* hanc licentiam ægerrimè & coactè conceſſerint? 2.

3. Idque non *omnibus*, ſed iis ſolis quibus *Epiſcopi*, *Inquiſitores*, *Parochi* vel *Confeſſarii* ſui id *expedire* judicaverint, hocque ſub certis conditionibus; aliis, qui ſine facultate hujuſmodi ipſis conceſsâ ea legere præſumpſerint, niſi Biblia Ordinariis ſuis reddiderint, à peccatorum ſuorum abſolutione penitùs excluſis? Hæc ſcilicet eorum hâc in re, tanquam admodùm (ut ipſis videtur) periculosâ, anxia cautela; hæc de illâ eorum ſententia eſt. At cum ad *praxin* deventum eſt, hanc à *Bellarmino* & aliis ità modificatam ſuam ſententiam, quam *Stapletonus veram* & *ſanam* eſſe dicit miſſam planè faciunt, & *rigidam* illam (quæ *omnem omninò Scripturarum* in *linguâ vernaculâ lectionem* inhibet) quam reſpuere videntur, amplexantur, dum eorum *Inquiſitores* indiſcriminatim *omnes* tam domeſticos quàm extraneos, apud quos Biblia vernacula invenerint, *flammâ ferroque proſequuntur*.

De Verbo Dei . 2. c. 14.

Noſtrorum contrà unanimis eſt ſententia, Quæ verò *Eccleſiæ* præſertim *Anglicanæ* ſit, ex eo apertè conſtat, quòd in *Libro Liturgico Sacram Scripturam Linguâ vulgari per anni curſum legendam* in mandatis dat, & in *Homiliarum Libro primo*, *Homilia primâ* ad hanc tam publicam quàm privatam ejus *lectionem* omnes, multisque adductis argumentis, tanquam ad rem, non ſolùm licitam, ſed inprimis atque omnimodò *utilem* ſeriò hortatur, quod etiam ſecundo Libro porrò urget, & plures in contrarium cavillationes fusè diluit.

Homil 10ma.

Ut verò Controverſiæ ſtatus meliùs & diſtinctè magis innoteſcat, atque adverſariorum nobis falsò impactis obviemus calumniis hæc pauca notentur.

1. Primò non hîc quæri (ut maligne & ſycophanticè nimis *Coſterus*) utrùm hâc ratione omnibus permittenda ſit Scripturæ lectio, ut ſe *judices* earum conſtituant, atque eas pro *ſuo* quiſque *judicio interpretetur*, atque ex eis, quæ ſuo ſenſui ſapiant dogmata colligat. Quamvis enim omnibus præſertim fidelibus Scripturarum lectionem & de in his rebus contentis ſobrium & humile diſcretionis judicium concedamus, non tamen *prurientium* ingeniorum petulantis *laſcivia* fibulam laxamus, cum Scripturæ Prophetiam omnem ἰδίας ἐπιλύσεως γίνεσθαι aſſerente Sancto Apoſtolo ſanctè credimus, & humiliter profitemur, non pro *ingenio noſtro*, ſed *ſuo* (ut ità dicam) *genio* inter legendum interpretandam.

2. Pet. 1. 20.

2. Neque ex lectione hâc abignaris vel minùs doctis „ temerè carnali ſuâ in- „ telligentiâ inflatis, & in ea quæ ignorant pedem inferentibus de iis quæ ſupra captum ſuum ſunt diſputandi vel potiùs garriendi anſam arripi volumus: quod nobis improperant Adverſarii. Tali omni illud *Noli altum ſapere* ex animo dicimus, ut quiſque moduli ſui memor ſit, ſeverè exigimus; ac porrò aſſerimus huc referenda plura, quæ nobis objiciunt *Pontificii*, ut illud *Nazianzeni*: Οὐ παντὸς τὸ περὶ Θεοῦ φιλοσοφεῖν, „ non cujuslibet eſt de „ Deo philoſophari; ut & illud *Baſilii* ad *Demoſthenem culinæ Imperatoris præfectum* σὸν ἔστι τῶν ζωμῶν κατευκεάς φροντίζειν &c. quæ *Bellarminus* malè vertit, „ tuum eſt de pulmentis cogitare, non dogmata Divina decoquere; nec non decantatum illud *Hieronymi* „ Sola Scripturarum ars eſt, quam „ ſibi paſſim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc deſipus ſenex „ hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent ante-

Col. 2. 18.

In Epiſt. ad Paul. nam.

quàm

quàm diſcant: atque his dicta ſimilia ad retundendam ſcilicet ſuperbam imperitorum de rebus ſupra captum ſuum diſputandi & garriendi, quam nos æquè averſamur, περπέτειαν, non humilem & piam quam defendimus, vel *Laicorum* (ut ipſi potiùs *diſcant* quàm doceant) *Sacræ Scripturæ Lectionem.*

Tertiò in legendis à Laicis Bibliis ut recto ordine procedant, atque ut à *facilioribus* ad *magis ardua* aſcendant volumus; quali methodo *Lætæ filiam* uti jubet *Hieronymus*. At qui prudentem legendi methodum proponit, atque à *difficilioribus* legendis aliquandiu *abſtinendum* eſſe monet, quod nos facimus, non eo à Lectione in *totum* & *ſemper abſtinere* jubet, quod ſacrilegè faciunt *Pontificii.* 3.

Quartò cum ad Sacrum Codicem legendum omnes adhortamur, hanc ejus lectionem *omnibus* ad fidem & æternam ſalutem ἀπλῶς & omninò *neceſſariam* eſſe non aſſerimus. Non adeò vel quod ad noſmetipſos inſenſati, vel pluribus aliis iniqui ſumus; Quid enim ità de *cæcis*, *mutis*, *literarum neſciis* fieret? Quid de fidelibus omnibus per bis mille annos *ante Legem* & *Scripturas* exaratas ullas? Quid de multis gentibus *Barbarorum* eorum, qui in Chriſtum credebant, ſine charactere vel atramento ſcriptam habentibus per Spiritum in cordibus ſuis ad ſalutem; & qui fidem crediderunt ſine literis ut de ipſis loquitur *Irenæus*; quem nobis hâc in cauſâ objiciunt *Pontificii*: at fruſtrà, cum nunquam aſſeruimus Scripturæ lectionem ad ſalutem *omnibus perſonis*, *locis*, *temporibus neceſſariam* eſſe: non dicimus neceſſariam eſſe neceſſitate *medii abſoluti*, ſed poſtquam ſemel *exarata* fuit, ſi modò acquiri poſſit, *neceſſitate præcepti*, & *medii* quidem *ordinarii* appriméque *utilis*, tum ad *Fidem ingenerandam* confirmandamque (dum in ipſo Textu ſint quaſi αὐτόπται veritatis, neque ex aliorum auditu pendeant) tum ad ſalutem magis *promovendam*, dum præſtò ad manum ſacer Liber adſit, quem ſummo cum ſolatio privatim legere poſſint, cum vel ſoli, vel lecto defixi, vel in carcerem conjecti, vel à fidelium, imò hominum conſortio exules facti verbo prædicato deſtituuntur. Quæ ſumma ejus *utilitas*, licèt abſit *abſoluta neceſſitas*, ad confirmandam hanc Theſin noſtram ſufficit, eam ſcilicet *Laicis* non interdicendam. Iniquum enim eſt, ſi homo ſpolietur bonis ſuis non ſolùm ad vitam ſimpliciter *neceſſariis*, ſed etiam ſi *uſui* ſuo quovis modo, præſertim ſi apprimè, *accommodis.* 4. *Lib. 3. cap. 4.*

Cujus uberiori propugnationi invictè & aperto Marte militant *Dei* ipſius *mandatum*, *Eccleſiæ* & piorum *praxis*, *Patrum* authoritas, *Ratio* denique manifeſta.

Quod ad *Dei mandatum* attinet, in V. Teſtamento *Regibus* Iſraelis (qui inter *Clericos* cenſendi non ſunt) in mandatis datur ut „ deſcriberent ſibi „ exemplum Legis in Libro, ut penes eos eſſet, & in eo legerent omnibus diebus vitæ ſuæ Deut 17. 18, 19. quod & *Joſuæ* ſpeciatim juſſum legimus Joſ. 1. 8. in Novo verò πολυθρύλλητον illud Salvatoris Johan. 5. 39. ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Quod ſi *Imperativum* ſit, ut plerique doctiores volunt, *Mandatum* in ſe continet, quod primum noſtrum argumentum: ſi *Indicativum* (ut aliqui pauciores putant) Eccleſiæ praxin nobis exhibet. Quod *Argum.* 1.

Secundum noſtrum eſt argumentum: quod (ad veterem Eccleſiam quod attinet), *Argum.* 2.

attinet) ex jam adductis teſtimoniis conſtat: ut & ex Pſalmo primo, ubi *pro Beati* cujusvis notâ ponitur; at beati, opinor, non ſolùm *Clerici* erant, ſed *pii omnes*, quorum è numero nec *fœminas* excludi vult *Baſilius* in Locum. Ut reliqua omittam, quoties Salvator Judæis illud inculcat, *Annon legiſtis?* Legere igitur pro more ſoliti erant: *qui legit; intelligat* Matth. 24. 15. de *lectione* ergo ſecurus de *intellectione* ſolicitus erat. Sed de Judæorum tam vel ſuperſtitioſâ hâc in re & olim in Legis privatis parietibus, fimbriis, Phylacteriis inſcriptione, ejuſque juge Lectione, recitatione imò Capitum, Commatum, apicum in memoriâ retentione adeò conſtat omnibus, ut mirari ſatis vix queam tam craſſam *Hardingi* noſtratis inſcitiam, cui dicere non puduit „ vocalia omnia Hebræa, reliquis omnibus prorſus ignota, ſolis 70. „ Senioribus cognita fuiſſe, adeòque eos ſolos Legis legendæ facultatem habuiſſe, ac ſi *Sacerdotes* ipſi *Analphabeti*, atque LXX. illi *Seniores* ſummo ſuo (ſperandum eſt) lucro, ſanè non ſine labore immenſo omnibus *Iſraelitis* reliquis ab *Epiſtolis* fuiſſent, quorum nullus (ut monſtroſè deliravit *Hardingus*) *Hebraicè legere* nedum *ſcribere* potuit. Φὲυ τ ἀναιδηίας! Tædet pudetque harum ineptiarum. Sed ſi contrarium luce meridianâ clarius ſit, hinc firmum admodùm cauſæ noſtræ aſſurgit firmamentum nam ſi *Judæi*, magis *infantes* Scripturas *Veteris Teſtamenti* magis *obſcuras* non ſolùm ex *indultu*, ſed *mandato* legebant, tum multò magis *Chriſtiani magis* jam *provecti* & adulti *Scripturas Novi Teſtamenti* (*velo* jam abſciſſo & *remoto*) *minùs involutas legere* tenentur. Quod & ſedulò & praxi conſtanti feciſſe teſtes ſunt *Timotheus*, qui „ à puero Sacras Literas novit 2 Tim. 3. 15. *Enuchus* ille *Æthiops*, qui vel „ in curru ſedens legebat Eſaiam Prophetam Act. 8. 30, 31. *Beræenſes* illi *generoſiores*, qui „ quotidiè examinâruut Scripturas an quæ ab Apo- „ ſtolis audierant, ità ſe haberent Act. 17. 11. pròut etiam de *Apoſtolorum Scriptis* vulgò *lectis* nobis legere eſt 2 Cor. 1 15. Epheſ. 3. 4. Apoc. 1. 3. ex quibus omnibus manifeſtè conſtat S. *Scripturas* à *primitivâ* illâ *Eccleſiâ lectas* fuiſſe, quam cum in rebus aliis tanquam *Exemplum* nobis imitandum ipſi *Pontificii* proponunt, cur etiam *hâc in re* ejus veſtigiis nobis inſiſtendum non ſit, nos pro tarditate noſtrâ adhuc non intelligimus & rationem in contrarium à *Stapletono*, qui hanc conſequentiam ſine ratione negat, diu at fruſtrà expectabimus: at hoc etiam à ſubſequentibus Eccleſiæ ſeculis factitatum, à quamplurimis S. *Patrum teſtimoniis* invictè comprobamus.

Matth. 12. 3, 5: 21. 16. 22. 31. *Marc.* 12. 26 *Luca* 6. 3: 10. 26.

Arg. 3. *Ex quibus vide Chamierum Tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 4.

Quæ tertium cauſæ noſtræ argumentum ſuppeditant. Hæc cumulatim congeſſerunt *Theologi noſtri*, quæ omnia vobis hîc recitare ſupervacaneum foret. Audite S. *Auguſtinum* auditores ſuos ità à loquentem Sermone 55. de tempore „ Non ſolùm vobis ſufficiat quòd in Eccleſiâ Divinas Lectio- „ nes auditis, ſed etiam in domibus veſtris aut ipſi legite, aut alios legentes „ requirite, & libenter audite. Ad hoc idem faciendum hortatur *Theodoretus* Therapeuticωn Serm. 8. κ σκυτέας κ ὑφάντας, κ χαλκοτύπους, κ πρὸς τέλος κ οἰκέτας κ πρεσβύτας, κ νηπίους, κ ἀλουσοτόμους, κ γυναῖκας, quosvis ſcilicet ex *infimâ* Chriſtianorum *plebe*, ne exceptis quidem *mendicis* vel *mulierculis*, neque (ſi *Theophylactum* audiamus) vel puerulis. Sic enim ille in Epheſ. 6. 4. ἐὰν γὰ θέλεις ὑπακύειν σε τὰς παῖδας, ἔκτρεφε ἀυτὰς τοῖς θείοις λόγοις καὶ μὴ ἴσως ὅτι μοναζόντων (Audi'n *Papiſta* non ſolorum *Monachorum* vel *Clerico-*

Idem de Doctrin. Chriſt. lib. 2. *cap.* 5.

rum

rum) ἐϛὶ τὸ ἀναγινώσκειν τὰς γραφὰς, παντὸς μὲν χρισιανῦ τοῦτο ἐϛὶ, καὶ μάλιϛα τῶν κοσμικῶν, ὅσῳ, καὶ πλείονος βοηθείας δέονται, ὡς ἐν ζάλῃ ὄντες. Num *Laicis* Scripturarum *Lectionem* interdixit, quibus eam maximè *neceſſariam* eſſe pronuntiat? Sed hos ut & plures alios miſſos faciamus, quos *Bellarminus* & *Pontificii* alii, cum nil quod dicant habeant, ſurdâ aure prudenter ſcilicet prætereunt. At *Hieronymus* & *Chryſoſtomus* ità paſſim clarè, altè hâc de re vociferantur, ut veternum ipſis aliquantùm excutiant: ut pudore adacti tam crebra & manifeſta eorum hâc de re teſtimonia ſine aliquali reſponſo prætermittere nequeant. Sed hoc aliquid nihil eſt, quod jam operioſiùs exagitare per tempus non licet. Certè illa *Chryſoſtomi*: Ἀκούσατε παρακαλῶ πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κἂν θέ βιβλία φάρμακα τῆ ψυχῆς: quòd plebem hortetur, ut ante concionem periochen pro concione ab ipſo explicandam privatim legant, quo meliùs eam ab eo explicatam intelligerent, & poſt concionem ut domi Biblia in manus ſumant, & ſuos erudiant: cum tanto animi fervore dicat, καὶ τοῦτο ἀεὶ παρακαλῶ καὶ παρακαλῶν οὐ παύσομαι, ἵνα μὴ μόνον ἐνταῦθα τοῖς λεγομένοις παρέχητε, ἀλλὰ καὶ οἴκοι γενόμενοι τῆ τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσει συνεχῶς ἐνδιατρίβητε: cum adeò ſeverè interminatur ὑ γὰρ ἐϛιν, οὐκ ἔϛι τινὰ σωθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως ἀπολαύοντα πνευματικῆς: hæ non ſolæ *hyperbolæ* & amplificationes ſunt, ut *ſolùm* à *Theatris* auditores ſuos avocaret, ut, cum nil ſolidi quod reſponderet habuit, nugatur *Bellarminus*, ſed certiſſima ſententiæ ſuæ documenta, & vehementia ad officium eorum neceſſario debitum hortamenta.

Homil. 9. in Coloſſ.

Homil. 5. in Matth.

Serm. 3. de Lazaro in in initio ſequent.

Quod ultimò evincit ratio tum ab ipſo *Scriptionis fine* tum â *Lectionis utilitate* petita. *Argum. 4.*

Nam primò annon *ideò ſcripta ſunt*, ut *legantur*? ſic ſanè *Auguſtinus* in Pſal. 33. ſuis Auditoribus, qui non omnes Clerici erant, „ Legite Scripturas, ideò „ voluit Deus ſcriberentur ut nos conſolaremur, juxta illud Apoſtoli Rom. 15. 4. „ Quæ antè ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſunt, ut per „ conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Prout S. *Chryſoſtomus* idem urget ex illo altero Apoſtoli loco 1 Cor. 10. 11. „ Hæc autem ſcripta ſunt „ ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum devenerunt; at hi, ut opinor, non ſoli *Clerici* ſunt ſed & *Laici*. Cum ergò *iis ſcripti* ſunt Sacri Codices, ab *iis* itidem *legendi*, non ſolùm *recitantibus Clericis audiendi*, minimè omnium *linguâ ignotâ*, ut fieri volunt Pontificii; non *poſterius* hoc: quid enim inde illis vel νουθεσίας vel παρακλήσεως foret, cum nihil *intelligant*? non priùs non enim ſic fieri ſolet de *literis* ab *amicis* ad *amicos* miſſis, ut cum ipſi eas legere poſſint, vel eas ipſas ſolâ linguâ ignotâ ab aliis lectas, vel ſi in *linguâ notâ* non ἀυτοψεὶ ſed ex *aliorum* tantùm *fide* & explicatione habeant. 1.

Homil. 3. de Lazaro.

Secundò ſumma *lectionis* hujuſmodi *utilitas*, efficaciter hoc ſuadet; quàm multiplex hæc ſit, jam minutatim perſequi non licet: illud tantùm dicam, indubius piorum omnium ſenſus, & dulciſſima, præcipuè in rebus adverſis, hujus experientia hoc ipſis teſtatiſſimum reddit, fruſtrâ reclamantibus *Pontificiis* omnibus, quibus hâc in re, (*Papæ* licet ſui infallibilitatem deponant) fidem non habebunt. 2.

Quot verò & quanta hinc oriantur nobis commoda, fusè & patheticè admodum enumerata, atque commendata extant in *Eccleſiæ noſtræ Homiliis*

præ-

prædictis, ut & *Chryſoſtomi* in *Geneſin* Homil. 29. & de *Lazaro* tertiâ. Quò blaſphemi magis ſunt *Pontificii*, & Sanctis *Patribus diſſimiles* & contrarii, quòd cum hi *lectionis* hujus *utilitates* & omniſaria commoda multiplici orationes ornatu, miris efferre præconiis geſtiunt, illi contra eandem, tanquam omnium *hæreſeωn* & *flagitiorum matrem*, incommodis & convitiis obruere ſatagunt. At non ſiç animatus *Chryſoſtomus*, qui in præfatione in Epiſtolam ad Romanos hæc ipſiſſima mala ex ejuſdem defectu pullulare affirmat ἐντεῦθεν τὰ μύρια ἐφύη κακὰ, ἀπὸ τ᾽ τῶν γραφῶν ἀγνοίας, ἐντεῦθεν ἡ πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐλαύνεται λύμη, ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι. Quam *Patribus diſſimiles filii ſpurii!* Sed non eſt quod hæc pluribus perſequar, vel ultrà impendam in re adeò manifeſtâ operam ſupervacaneam.

Hoc ſolùm mantiſſæ loco adjiciam (ut conſtet quàm damnata hâc in re *Ponificiorum* cauſa ſit) operæ pretium eſſe breviſſimè notare quo *principio*, quo *fine*, quo *medio* viri alioquin ſatis docti ſententiam adeò rationi, pietati (nonne & addere licèt?) & propriis ipſorum conſcientiis contrariam comminiſci & tutari auſint.

1. Quod ad *Principia* attinet, inter reliqua illud unum eſt ſcilicet *plebis Chriſtianæ* contemptus & *deſpicientia*; hanc *Laicorum* nomine indigitant, pro *lapidibus* & *ſtipitibus* habent, juxta illud *Patrum* ſuorum *Phariſæorum*, „ Tur-
Joban. 7. 49. „ba hæc, quæ non novit Legem, maledicta eſt, quam ideò his myſteriis cognoſcendis indignam judicant, atque inde in hâc controverſiâ ad ſuas partes
Matth. 7. 6. tuendas illud Salvatoris adducere ſolent „ Ne date quod ſanctum eſt canibus, „nec projicite coràm porcis. A page ſuperbiam pluſquam *Luciferianam*, quæ pro *Canibus* habet ſummi *Dei filios*, eosque ipſius Chriſti ſanguine purgatos *porcis* in cœno voluntantibus connumerat.

2. At ſecundò, Quo *fine* his Scripturarum lectionem adimunt? Scilicet ne *Clericorum impoſturæ innoteſcant*, dum *Laici* Scripturarum luce deſtituti cœci in tenebris maneant: atque hîc *ſorex ſuo indicio perit*. *Petrus* enim *Sutor*, qui *Laicorum* fidem *Carbonariam* eſſe vult, rem planè fatetur quum ità diſputat „ Quid opus eſt ſimplici populo cognoſcere quam plurima, quibus „ Eccleſiaſtici Prælati paſſim in Scripturâ arguuntur? Nonne ex hujuſmodi „ cognitione ad murmurandum diſpiciendumque leviter impellentur? & „ cum multa palàm tradantur obſervanda, quæ in S. Literis expreſsè non ha- „ bentur, nonne idiotæ hæc animadvertentes facilè murmurabunt, conque-
Chamierus. „ rentes cur tantæ ſibi imponantur ſarcinæ &c. At hoc illud eſt, *hinc illæ lachrymæ*, ut dixit noſtrorum quidam, qui malè agit, odit lucem dixit Salvator noſter, qui gallum male pinxit, verum gallum abigit: *Philiſtæi* & *Babylonii* olim *Fabros* præ reliquis captivos ducebant, ne ſcilicet arma in ſe cu-
1 Sam. 13. 19. *2 Reg. 24. 14.* derent; ità *Philiſtæi* & *Babylonii* noſtri *hodierni:* homines cati ſcilicet, qui
In libro qui vocatur The Intereſt of England. ſatis nôrunt, quod nuperus quidam ſcripſit „ Abigantur licèt verbi prædi- „catores, concedantur modò Biblia populo Chriſtiano legenda, vincet ve- „ ritas, corruet Antichriſtus. Hoc tritum olim Hæreticorum ἄπιχείρημα, notavit *Theodoretus*, οἱ βλέμμοι τὰ ἑαυτῶν κείνειν, ἀπείργουσι τῶν γραφῶν, ὡς φασιν μὴ καταπολμᾶν εἰς ἀπρόσιτον, τῇ δ᾽ ἀληθείᾳ ὑπὲρ ἓ φεύγειν τὸν ἐξ ἑαυτῶν ἔλεγχον τ᾽ οἰκείας κακοδοξίας. Hic utique apud *Pontificios* prohibitæ Sacrarum Literarum lectionis finis eſt.

At

At quo *medio* tandem hanc aſtruunt? Sacras nimirum Scripturas blaſphemè *rerum lectu inidonearum* narrationis, tantæ etiam *obſcuritatis* inſimulando, ut Laici ſi eas legerent vel nihil intelligerent, vel omnia ad hæreſin & malos mores perverterent; Ac ſi *omnia* in Sacro Codice *obſcura* ſint, & non *omnia* potiùs *ad ſalutem neceſſaria* ibi *manifeſta*, ac ſi *obſcura* quædam, ex aliis *manifeſtis* lucem non fœnerarentur, imò ex jugi ipſorum locorum difficilium lectione, meditatione, & Divini Luminis invocatione inclareſcere non poterint, ac ſi malum illud quod aliquibus ſuo vitio, aliquando, idque per accidens contingere poteſt, bonos omnes omni illo bono, quod per ſe, ipſis S. Scripturis, earumque lectioni ineſt, ſemper & in perpetuum privaret; ac ſi denique *Chryſoſtomus* has ipſiſſimas populi excuſationes, quas *Pontificii* hâc in causâ pro argumentis adferunt, piè admodùm plenèque non diluiſſet. Non eſt ergo quòd plura adjiciam illud ſolùm dicam: In malum abeat ſententia illa, quam *fundat ſuperbia*, ſibi *ſubordinat* ex *populi ignorantiâ* nata in *Clericis* errorum atque flagitiorum *licentia*, *tuetur* denique in *Sacras Scripturas* adeòque & in *Deum* ipſum intentata *Blaſphemia*, dum ipſa interim ſit (ut jam vidimus) *Sacræ Scripturæ*, *Eccleſiæ praxi*, *Patrum teſtimoniis*, ipſi denique *rationi* contraria. Cui idcircò contrariam hanc Theſin noſtram concludo veram eſſe, verboque Dei conſentaneam. 3.

Quæst. LI.

Characteres Antichriſti in Scripturâ expreſſi præcipuè conveniunt Pontifici Romano.

AUdin' *Papiſta*? Audin *Jeſuita*? Res veſtra jam agitur. Controverſia hæc *Papæ* (forſan & *Cæſaris*) *fortunam vehit*. Si enim *Pontifex Romanus Antichriſtus* demùm fuerit, de *fide Romanâ* acatholicâ actum erit, ut & de ipſius *infallibilitate*, ſeu *infidelitate* potiùs utpote *Antichriſtianâ*. Unde fit ut *Campanella*, cum omnes controverſias ab hâc pendere probè noverat, & dixerat, eam ſolam publicis diſquiſitionibus ſubjectam eſſe voluit (cap. 27. de Monarch. Hiſp.) Proinde quaſi ſigno dato vociferantur omnes, ut illi olim „ Ἄνδρες Ἰσραηλῖται βοηθεῖτε; ſeu ut *Scipio* *Act.* 21. 28.
apud *Appianum* „ Βοηθεῖτε ὦ Ῥωμαῖοι, & ſtatim præſtò ſunt *Romanenſium* „ turmæ omnes, præſertim denſæ *Lojolitarum* Phalanges ad hanc *Jovi* ſuo *Capitolino* impactam dicam amoliendam, quæ ex ſe ſola alias turri ſuæ *Babylonicæ* demoliendæ ſufficeret. At

-- dolus an virtus quis in hoſte requirat?

viribus ſuis aliquantum diffiſi, dum aperto Marte & machinis, ſimul etiam & cuniculis agunt: atque ut à *vero* (qui propè adeſt) *Antichriſto* hominum oculos & animos averterent, eumque minùs ſuſpectum redderent, *fictitium* proponunt alium, ſive (ut aliqui volunt) ipſum *Diabolum* in humanâ ſpecie futurum ſive (ut alii) ex *Incubo naſciturum* & in ſe Diabolum corporali-

ter inhabitantem habiturum, ſive (ut alii) ipſum *Neronem* redivivum futurum, vel (ut plurimi) *Judæum, ex tribu Dan oriundum, Hieroſolymis regnaturum, Templum ibi inſtauraturum*, dein *cum Gentibus prælium facturum, orbem terrarum trium annorum & dimidii ſpatio ſibi ſubjugaturum*, atque ità demùm ad *Enochi & Eliæ adventum miſerè perituram*: Aniles fabulæ, & gerræ germanæ, nullis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, niſi quibuſdam miſerè detortis ſuffultæ, ſed à *Papiâ*, homine (ut teſtatur *Euſebius*) exiguo judicio prædito, & traditionibus quibuscunque nimis credulo primùm arreptæ, atque inde â *Patribus* etiam antiquioribus negligentius admiſſæ, *Irenæo* putà, *Hieronymo, Auguſtino* etiam (ſi libellus ille de *Antichriſto* ejus operibus inſertus ſpurius non ſit, quod non ſoli noſtri aſſerunt, ſed & ipſe *Bellarminus*, idque ratione evidentiſſimâ, cum in eo mentionem facit *Imperii tranſlati à Græcis ad Francos*, quod contigit annis quadringentis poſt *Auguſtini* tempora) ità ſcilicet ſanctiſſimo ſapientiſſimoque providente Deo, ut vel ipſæ Sacræ Scripturæ (hoc enim non veretur *Tertullianus* aſſerere in Libro de *Præſcriptionibus*) ità diſpoſitæ ſint (quantò ergò magis Patrum ſcripta?) ut inde hæretici, (qui Sacris Oraculis non contenti fidem ſibi de placitis humanis petendam judicant) ad ſuos ſtabiliendos errores materiam arriperent. Hinc eſt quod *Pontificii* omnes has fabulas adeò in deliciis habeant, eiſque adeò mordicùs adhæreant, cum ad rem ſuam ſummoperè faciant, tantæque invidiæ ac infamiæ à *Pontifice* ſuo amoliendæ plurimùm inſerviant.

De Rom. Pontif. l. 3. c. 12: & de Script. Eccleſ. ad annum 420.

Quibus etiam hâc in re (non quidem uti ſpero datâ operâ) famulantur etiam noſtrorum plurimi, inprimi *Fanatici* nuperi, qui Antichriſtum illum in omnibus, vel in ſeipſis (neque id forſan malè) quærunt. Nec non *Henotici* quidam, qui quæ ab Apoſtolo 2. ad Theſſalonicenſes Capite 2. de Antichriſto *homine* illo *peccati* dicta ſunt, non (ut *Martyres* & *Theologi* noſtri prioris ſeculi omnes) de *Pontifice Romano*, ſed vel de *Simone Mago* ſolo ut quidam, vel partim de *Cajo Caligulâ*, partim de illo, ut alter †, interpretantur: Plures denique hodiè (meliùs ſcilicet quàm *Evangelici* reliqui, edocti) *Papam Antichriſtum* eſſe vel rotundè & ex profeſſo negant, vel hæſitanter & ægerrimè admittunt.

Joſ. Salmon.

Dr Hammond.

† *Grotius in 2 Theſſ. 2. & Appendicibus ad 4. Evangelia. Vide Chamier. Gerhard. Loc. Com.*

Quænam verò communis Theologorum *Proteſtantium* tam *Lutheranorum* quàm aliorum de hâc re ſit ſententia ex ſcriptis eorum apertè conſtat. Quæ etiam *Eccleſiæ* noſtræ *Anglicanæ* ſit, ex ejus *Homiliis* ſatis apparet. *Parte tertiâ Homiliæ de bonis operibus* dicit „ Regis Henrici octavi animo in„didiſſe Deum ut Sectas omnes ſuperſtitioſas & Phariſaicas ejiceret, ab An„tichriſto inventas. Ecquis verò hic alius fuit niſi *Papa Romanus*, cui ille nuntium remiſerat? Quem igitur parte tertiâ Homiliæ de Obedientiâ *Antichriſtum* potiùs dicendum affirmat, quàm *Sancti Petri ſucceſſorem*: atque in ſecundâ parte *Homiliæ* pro *Dominicâ in Albis* ſeriò precatur „ ut detur„bentur funditùs peccatum, mors, Papa, Diabolus, cum toto Antichriſti „Regno. Hoc *Sereniſſimus Rex Jacobus* non tenuit modò ſed & ſcriptis ſuis confirmavit: Cui in hâc re Reverendiſſimi *Wintonienſis*, *Sariſburienſis*, aliique tùm temporis *Epiſcopi*, & *Theologi* noſtri *Hyperaſpiſtæ* fuerunt, & pro *Rege*, vel pro *Chriſto* potiùs, contra *Papam* ipſiſſimum *Antichriſtum* pugnârunt, quos tot tantosque duces ſequi (tergiverſentur licèt hodiè plures alii);

Squire Beard, alii.

alii) non me pudet, nec pudebit unquam, ut nec Doctiſſimum Reſpondentem, qui *Characteres* in *Sacrâ Scripturâ Antichriſto* inuſtos, in *Pontifice Romano* maximè *ſpectabiles* veriſſimè affirmat.

Cum verò *præcipuè* dicit, non negat, imò planè innuit eos, ſi non omnes, at ſaltem aliquos *aliqualiter* & *aliis* convenire poſſe: in quibus ſcilicet deprehenſa ſunt *Antichriſti* iſtius *Romani* vel *præludia* (prout *Johannes* Apoſtolus hæreticos ſuo jam tempore pullulantes & exortos *Antichriſtos* vocat) vel quæ ejus, quoad *Idololatriam*, *hæreſin*, & in *Chriſti ſervos* odium & *Tyrannidem*, vel ſimilia alia, imaginem referunt, *imitamenta*. Sic aliqui *Turcam*, alii alios infeſtos *Chriſti*, ſervorumque ejus *hoſtes* pro *Antichriſto* habent, prout quibuſque proclive eſt, eos à quibus plura ac graviora, vel quoad animam, vel hominem externum, ob Chriſti vel gratiam, vel veritatem patiuntur, *Antichriſtos* indigitare, non ità tamen, quin ὁ Ἀντίχριστος & *inſignis ille*, quem Scriptura præcipuè deſignat, *Antichriſtus Pontifex Romanus* ſit, cui præ cæteris characteres, quibus inibi depingitur *Antichriſtus* ad amuſſim conveniunt: quod luculentiſſimè factâ eorum quorundam inductione probabitur. 1 *Johan.* 2. 18. 4. 3.

Cum verò in hâc voce compoſitâ *Antichriſtus* ἀντὶ & *Pro* & *Con* ſignificet, qui ac ſi *pro* Chriſto ſtaret, amici & *vicarii* ejus *larvam* induit, dum reverâ *hoſtis* ei infenſiſſimus ſit, atque *contra* eum pugnet: utriuſque generis characteres quidam ipſi à S. Spiritu inuſti ſunt nobis breviter delibandi.

I.

Et quod ad priùs illud genus attinet, ille inprimis ejus character notandus venit, eum ſcilicet εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι, quod „in Templo Dei ſe„deat 2 Theſſ. 2. 4. *ſedeat*. En *Papæ cathedram*, *ſedem*, quam vendicat *Epiſcopalem Apoſtolicam!* in *templo Dei*. En *Chriſti Eccleſiam* cui non ſolùm *ineſſe*, ſed & *præeſſe* gloriatur: quicquid contra eam Chriſtumque molitur intùs occultum habet; foràs pietatis, amicitiæ larvam oſtentat, ut *Medina* dicit Antichriſtum venturum ſub ſpecie, ac velamine quodam pietatis. Unde *myſterium* in *fronte* gerit Apoc. 17. 5. cujus *myſterium iniquitatis* vel *tum operatum fuiſſe* dixerat *Paulus* 2 Theſſ. 2. 7. unde conſtat *Turcam*, *Neronem*, *Caligulam*, aliosque omnes, qui palàm & ex profeſſo Chriſti ejuſque Eccleſiæ hoſtes ſunt, quamvis eatenus *Antichriſti* verè dici poſſunt, tamen ὁ Ἀντίχριστος *magnus* ſcilicet *Antichriſtus* ille, quem Scriptura ἐξοχὼς deſignat eſſe nequeunt: in his enim *nil myſterii* eſt, plana & aperta ſunt omnia: *in templo* non *ſedent*, quod aperto Marte dirutum eunt: ut ſi characteres reliqui quadrent, hic ad amuſſim *Pontifici Romano* conveniat: nil enim frequentius quàm *Eccleſiam*, *Eccleſiam Sanctam Catholicam* in ore habet: totus, quem inſtituit, cultus religioſus, & ceremoniæ omnes myſteriis ſcarent undique; *in Templo Dei ſedet* ut *Pontifex Maximus*, *totiusque Eccleſiæ Monarcha*; ità ut ſecundum ejus dictata de neceſſitate ſalutis ſit ut omnes ei ſubſint & obtemperent: prout etiam *Auguſtinus* ipſo *Aquinate* referente hunc Apoſtoli locum interpretatur, „quod in Templo Dei ſedeat, id eſt, principetur & dominetur. At *Bellarminus*, mirus ſcilicet artifex, ex hoc ipſo Apoſtoli loco inſigne (ut ſibi adulatur) argumentum fabricat in contrarium: hoc modo ſcilicet Hoc Dei templum *Hieroſolymitanum* eſſe aſſerit ab *Antichriſto* denuò inſtaurandum: at hoc quantum à *Româ* diſſitum; ubi *Pontifex Romanus* *In Thom. parte 3. a. 8. tam Antichriſtus quàm cœtus ejus Chriſto ſimiles apparebunt per ſimulatam ſanctitatem. Dion. Carthuſ. in Apoc. 13.*

Cathedram habet ? itaque tantum ab *Antichriſto* diſtat, quantum *Roma* ab *Hieroſolymis*. At nos hîc plura regerimus, Quomodo templum Hieroſolymitanum de novo ædificandum eſt, quod Propheta *Daniel* in perpetuum *deſolandum* prædixerat ? Quomodo etiam *Antichriſtus* per *ſolum triennium* & quod excurrit duraturus, & tantillo tempore totum orbem ſubjugaturus tantæ *templi* hujus moli, ſi non perfectè (hoc enim nolit *Bellarminus*) at *aliqualiter extruendæ* vacabit ? Hoc difficile videri dicit *Berengandus* apud Dionyſ. Carthuſ. in Apoc. 23. licèt *Eudæmoni* facilimum videatur. Quomodo denique illud *Dei templum* vocabitur, in quo *Antichriſtus* ἀντὶθεος & pro numine coletur ? Nunquid quia templum illud *Solomonis* tamdiu *Dei templum* vocabatur quamdiu non dirutum manſit †, atque in eo prædicabant Chriſtus & Apoſtoli, ideo etiam poſtquam per multa annorum centenaria ſolo æquatum fuerat tandem (prout ipſis placet) ab ipſo *Antichriſto*, ut ipſe in eo colatur inſtauratum erit, eandem nomenclaturam obtinebit ut *Templum Dei* audiat ? Si Turca Templum aliquod Chriſtianorum diruerit, & longo pòſt tempore eodem loco Mahometi fanum extrueret, adhuc Dei templum ? imò κατοικητήριον δαιμόνων * vocabitur.

Cap. 9. 27.

† *Sic enim licèt Idololatriâ inquinatum* Templum *dicitur Ezek.* 8. & Locus Sanctus *Matth.* 24. *ut Eccleſia S. Sophiæ adhuc à Græcis vocatur, quod obiicit Eudæmon. lib.* 1. *in Abbotum p.* 42.

At nos à S. Scripturâ edocti per Dei templum *Dei Eccleſiam* ſignatam intelligimus, pluribus etiam *Patribus* ità locum exponentibus, ſuffragantibus aliis *Scripturæ* locis Epheſ. 2. 21. „ in quo totum ædificium congruenter „ coagmentatum creſcit εἰς ναὸν ἅγιον in Templum Sanctum in Domino. „ An neſcitis vos eſſe Templum Dei ? 1 Cor. 3. 16. „ Vos templum eſtis „ Dei viventis 2 Cor. 6. 16. „ Apertum eſt Templum Dei Apoc. 11. 19. ut mirari planè ſubeat impudentiam *Bellarmini* *, qui aſſerere auſit in Scripturâ N. Teſtamenti nunquam intelligi Eccleſias Chriſtianorum, ſed perpetuò *Templum Hieroſolymitanum:* nam ſi per templa Chriſtianorum *ædes* & *tecta* & *loca conventûs* intelligat (quod facit) ludit, non ſeriò agit: nec enim *talia* Dei *templa ſola* ibi ab Apoſtolo notata unquam diximus: ſed vel *mentes Chriſtianorum* cum *Anſelmo*, ſeu potiùs *ipſos Chriſtianos*, vel *eorum cœtus*, vel ipſam Eccleſiam, quæ ῥητῶς *domus Dei* dicitur 1 Tim. 3. 15. ut & *Dei Templum* in allatis jam locis, ut perpetuò in N. Teſtamento per *Dei Templum Hieroſolymitanum templum* intelligi ſine fide, ſine fronte dixerit: & ῥητῶς dixit quidem, quamvis *Eudæmon* pro ſolitâ ſuâ impudentiâ hoc negat. In *hoc* utique *Dei Templo*, ideſt in *externâ Eccleſiâ* ſedet *Antichriſtus*, aſſerente Apoſtolo, in eâ etiam & *Pontifex Romanus*, ipſo palàm profitente; eôdem loci ergò conveniunt, in *Templo Dei*, in *externâ Eccleſiâ*, ut & in urbe Septimontanâ *Româ*, quæ, cum Johannes Apocalypſin ſcripſit, *Regnum habuit ſuper Reges Terræ.* Hic ergò ſaltèm *Antichriſti Character Pontifici Romano* convenit.

Apoc. 11. 1. 15. 6. 8.

* *De Pontifice Rom. lib.* 3. *c.* 13.

1 Pet. 2. 5.

Lib. 1. p. 46.

Apoc. 17. 18.

Nec minùs quadrant alii ſecundi generis, qui eum *Antichriſtum* id eſt (pro ſecundâ præpoſitionis ἀντὶ ſignificatione) *contra Chriſtum*, eique ex adverſo *hoſtem* ἀντικείμενον eſſe produnt, qui plures ſunt, atque eorum aliqui breviter notandi.

Ἄνομος eſt 2 Theſſ. 2. 8 „ qui de omnibus judicat, „ at à nemine judicatur; *Leges* cum *humanas* tum etiam *Divinas* non ſolùm *praxi* ſuâ *violat*, ſed pro *plenipotentiâ* ſuâ judicialiter *ſolvit*, cumque eis pro libitu diſpen-

diſpenſat: poſitiva præcepta Apoſtolorum, prout Eccleſiæ expedire ipſi viſum ſit, mutandi, ſubditos & liberos ab obſequio & officiis Principibus & parentibus ſuis debitis abſolvendi jus ſibi arrogat, matrimonii vincula ſolvit, denique quid non audet? Annon hic ἄνομος?

Secundò in Templo Dei *tanquam Deus* ſedet 1 Theſſ. 2. 4. Annon verò *Bellarminus* ipſe Libro 2. de Conciliis cap. 17. contendit omnia, nomina *Chriſti*, unde conſtat eum eſſe *ſupra Eccleſiam*, *Papæ* tribui? Deo ſoli propria; ut univerſale Eccleſiæ, imò & totius mundi & inferni etiam dominium, infallibilitatem, peccata remittendi poteſtatem, & ſimilia alia ſibi arrogat, imò ab ipſiſſimo *Dei nomine* non abſtinet: famoſum vel potiùs nefandum illud, *Dominus Deus noſter Papa* in Extravagantibus, ut & illud, *& meritò in terris crederis eſſe Deus*, in arcu triumphali Sixti quarti. Annon coràm videtis *beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ*? Annon *Antichriſtum* ipſiſſimum, non ſolum ὡς Θεὸν ſed ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ Θεός. 2. *Vide plura apud Chamier. Tom 2. l. 15. c. 18.* *Johannis 22i.* *Apoc. 17. 3.*

Tertiò ἀποφαίνομαι ὅτι πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα 2 Theſſ. 2. 4. 3. Quod ſi de ſui exaltatione ſupra omne *temporale dominium* vel *Imperatorium* intelligatur, ut ab aliquibus non malè, imò concinnè fit, qui in voce illâ σέβασμα τὸν Σεβαστὸν *Auguſtum* clarè indicari volunt, num alicui hoc magis convenire unquam poteſt quàm Pontifici Romano? qui *Reges inſtituendi* & pro libitu ſuo *deſtituendi* poteſtatem ſibi ſumit, qui ipſis *pedem* ſuum *deoſculandum* præbet, imò eo *cervices* eorum *premit*, *coronas deturbat*, qui *Imperatori* tanquam *Sol Luna* prælucet; qui fons & origo eſt omnis poteſtatis, ſi *Carerio* credimus; *Rex Regum eſt*, & *Dominus Dominantium*, ſi adulatores ejus audiamus; quem neque illud „ Per me Reges regnant, de ſeipſo pronuntiare non puduit, ore pluſquam dici poteſt *impudico*, *blaſphemo* & (ut quod res eſt dicam) planè *Antichriſtiano*.

Quartò dicitur „ adventum ejus futurum κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους 2 Theſſ. 2. 9. An verò unquam uſpiam magis quàm apud *Pontifices Romanos*, & in *Eccleſiâ* & *Religione Romanâ* hoc increbuit? Nulla equidem unquam fuit Religio, quæ tantam *miraculorum* meſſem orbi objecerat præcipuè apud *Indos* & Inſulas *Japonicas*, de quibus utpote longiſſimè diſſitis ſe turò mentiri poſſe præſumunt. Quamvis enim ex ſuis Scriptoribus non deſint qui de ſuorum ibi miraculis eorumque numero minuunt, ſi tamen iis quæ ab aliis paſſim narrantur fidem habere velimus, adeò miraculis ſcatent undique, ut non immeritò dixerit noſtrorum aliquis „ Jeſuitæ illîc vix unquam excreant aut tuſſiunt, aut ructant, aut etiam ſternutunt ſine inſigni aliquo miraculo: neque ſine Divinâ Providentiâ factum eſt, ut temporibus *Gregorii Magni* quando (ipſo teſte) *Antichriſtus* proximè revelandus erat, tam portentoſæ miraculorum fabulæ increbuerint, prout ex ipſius *Dialogis* (ſi modò ipſius ſunt, de quo aliqui dubitant) conſtat. Certè in his ἐνέργεια τοῦ Σατανᾶ (de quâ Apoſtolus loquitur) & quoad *principium*, & quoad *efficaciam* in eis elucet maximè. Si enim *Antichriſtus* inſignis *Magus* futurus ſit, ut ex *Patribus* vult *Bellarminus*, inter *Pontifices Romanos Archimagos* inveniemus plurimos. Si *Antichriſti miracula mendacia* ſunt quoad *efficientem*, *finem*, *materiam* & *formam*, ut idem *Bellarminus* rem diſpertit, ſanè *Pontificiorum* miracula per hæc omnia *mendaciſſima* ſunt, & quoad ef- 4. *Chamier. Tom. 2. lib. 16. cap. 14. §. 18.*

ficientem, quatenus à *patre mendaciorum* prodeunt, quoad finem, ut *mendaciis ſuis* aliis *fidem faciant*, ſæpiſſimè quoad materiam vel formam; dum *meræ impoſturæ* ſunt, „ vel figmenta mendacium hominum, vel portenta
De unit. Eccleſ. c. 16. „ fallacium Spirituum, ut cum *Auguſtino* loquar. Adeò ut earum plurium ipſum *Melchiorem Canum* hominem ſatis *Pontificium* puduit. Denique *tria* illa ipſiſſima *Antichriſti miracula*, quæ *Bellarminus* recitat (tertium verò peſſimè, cum quale ille recitat in Sacro Textu non extet) licèt forſitan *myſticè* interpretanda ſint, tamen κατὰ λέξιν apud *Pontificios* proſtant. Quàm crebrò enim (ſi ipſis fides adhibenda ſit) *Ignem de cœlo deſcendere*, & *ſtatuas* loqui faciunt? Sanè (quod tertium erat) *prima beſtia* in *ſecundâ*, Collapſi *Imperii* Poteſtas in *Pontificatu* reſanuit.

Plures aliæ Antichriſti Notæ occurrunt in Apocalypſi, ubi deſcribitur „ Beſtia ex abyſſo aſcendens, meretrix etiam Babylonica, quæ ebrios facit
Cap. 17. 4. 18. 3. cap. 17. 6. „ Reges Terræ poculo pleno abominationibus & immunditiâ ſcortationis „ ſuæ, ipſa interim ebria ſanguine Sanctorum & Martyrum Jeſu: atque aliæ plurimæ, quæ quam ad vivum *Pontificem Romanum* depingunt non jam vacat oſtendere, hoc luculenter fecerunt noſtri. Nil ergò dubii reſtat, quin aſſeveranter concludamus cum Doctiſſimo Reſpondente *Characteres Antichriſti in Scripturâ expreſſos ei convenire.* Regnet Chriſtus, pereat, in æternum pereat Antichriſtus. Amen.

QUÆST. LII.

Satisfactio Chriſti pro peccatis eſt congruæ juſtitiæ & gratiæ Divinæ.

Johan. 14. 6. 1 Tim. 2. 5. Heb. 9. 15. Act. 5. 31. Joh. 5. 23.

CUM Chriſtus ſolus *via* ſit ad Patrem, & *Mediator inter Deum & hominem unicus*, quem in Novi Fœderis *caput* & μεσίτην, in *Principem & Servatorem Pater extulit*, ut *omnes eum honorent prout honorant Patrem*: hinc fit ut Satan ejusque aſſeclæ huic Salvatoris noſtri honori inprimis invideant & inſidias ſtruant, atque Ἀντιχριστοι eſſe mallent quàm ἀντιθεοι. Inde factum ut quantum poterint ei ſubtrahant, *Deitatem*, ut *Arreani* & ejuſdem furfuris reliqui, *gratiam* per *liberum* hominum *arbitrium*, *ſatisfactionem* per *ſatisfactiones proprias*, ut *Pontificii*; at præ reliquis *Sociniani*, quam à Pontificiis imminutam penitùs tollunt, dejerant. Atque ut Philoſophi & *Deiſtæ extra Chriſtum* quærunt (quem ità *ignem conſumentem* invenient) iſtà iſti, quamvis *Chriſtum gratuitæ* Dei peccatorum noſtrorum *condonationis Præconem* agnoſcant; Divinæ tamen *juſtitiæ ſatisfactioni propriè factæ* omninò renuntiant. Sic *Abailardus* olim, ſic poſtea *Servetus*: utrique *Socini*, eorumque ſequaces hodie reliqui. Quamvis enim, ut terminis ludant, ſatisfactionem *aliqualem* non abnuant, neque etiam *juſtitiæ Divinæ* factam, quatenus juſtitiæ iſta *Divinæ naturæ perfectionem*, vel in *promiſſis ſervandis fidem* ſignificat; at *juſtitiæ Divinæ correctivæ*, vel *punitivæ*,

væ, vindicativæ ſatisfactionem ullam à Chriſto pro nobis factam fuiſſe, id verò pernegant, imò blaſphemando deteſtantur. Hanc *Socinus* de Servatore lib. 2. cap. 1. „ humanum commentum vocat, *Catechiſmus Racovienſis* *Cap. 8.*
„ ſententiam fallacem, erroneam Scripturis & ſanæ rationi repugnantem, „ imò admodum pernitioſam, quam tamen Doctiſſ. Reſpondens tam *juſtitiæ* quàm *gratiæ Divinæ*, *congruam piè* & *Orthodoxè* aſſerit: quin & *parcè* ſatis & *modeſtè*. Si enim vel *juſtitiam* vel *gratiam Divinam* ſpectemus, hanc *Chriſti ſatisfactionem juſtitiæ huic illibatæ ſervandæ neceſſariam*, *gratiæ* verò *illuſtrandæ* quàm maximè *congruam*, adeòque congruentiſſimam eſſe dicimus: Cum enim *juſtitiæ peccata punire*, *miſericordiæ* eadem *condonare* proprium ſit, æterno, ſapientiſſimoque Dei conſilio factum eſt ut in hâc *Chriſti* pro nobis *ſatisfactione* utriuſque illuſtriſſimum ſpecimen extaret, *peccata* noſtra ſimul in *ſponſore* noſtro *puniendo*, nobiſque interim ità *condonando* ut (juxta *Pſal. 58. 10.*
Pſalmographum) „ miſericordia & veritas ſibi obviaverint, juſtitia & pax ſe „ mutuò oſculatæ ſint; quod in hâc Chriſti Redemptione & pro nobis ſatisfactione eveniſſe oſtendit Apoſtolus Rom. 3. 24, 25, 26., „ juſtificati gra- „ tis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem „ propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem „ juſtitiæ ejus in hoc tempore, ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qui eſt ex „ fide Jeſu &c. Hanc ſiquidem longè ſapientiſſimam invênit rationem (ut *Tileni* verbis utar) „ quâ & juſtitiam ſuam in repetendâ pœnâ & miſericor- „ diam in ſubmittendo vade luculentiſſimè demonſtraret. Stupenda utique ſummæ tum *juſtitiæ* tum *miſericordiæ* in hoc opere *conſpiratio*, in quâ ità affabrè concinnandâ innarabilis elucet Dei ſapientia & gratia: atque ità quidem elucet ut vel ipſe *Catechiſta Racovienſis* „ rationem hanc ſpecie plauſi- *Ubi priùs.*
„ bilem eſſe agnoſcat quamvis (pro eâ quâ eſt animi vel cæcitate vel pervicacià) „ nec veri nec ſolidi quicquam reipsâ in ſe habere dicat; at quantum utriuſque inſit, nunc verè & ſolidè nobis demonſtrandum reſtat.

Et quod ad *juſtitiam Divinam* ſpectat, de quâ major conrroverſia eſt, cum ea varia in S. Scripturis ſignificet, vel 1. univerſalem *Divinæ naturæ* atque *operationum* omnium *rectitudinem*, vel 2. in *dictis*, *promiſſis* & *minis adimplendis fidem*, vel 3. *bonitatem* & *miſericordiam*, unde apud homines δικαιοσύνη pro ἐλεημοσύνη dicitur Pſal. 112. 9. Matth. 6. 1. ut etiam apud Deum hæc verba habet David, „ in juſtitia (i. e. benignitate) „ tuâ libera me Pſal. 31. 1. 4. Denique *juſtitiam* magis *propriè dictam*, *judiciariam* ſcilicet vel *bonis præmia*, vel *malis pœnas* adjudicantem. De *Juſtitiâ Divinâ in tribus prioribus ſignificationibus* nil controverſi eſt: *Sociniani* enim *morte Chriſti Rectitudini*, *veracitati*, *miſericordiæ Dei* litatum atque *ſatisfactum fuiſſe* non ægrè concedent: at *juſtitiæ* propriè dictæ, *punienti* & *vindicatrici ſatisfactionem* ullam verè & *propriè dictam* factam fuiſſe, id verò impensè *negant*. At *affirmant*, & prout par eſt, acriter propugnant *noſtri* omnes, non tamen inter ſe per omnia conveniunt: nam quamvis contra *Socinianos* unanimiter teneant *ſatisfactionem* Divinæ huic juſtitiæ à Chriſto factu *neceſſariam*, eſſe non quidem neceſſitate *abſolutâ*, ſed tantùm ex *hypotheſi*, in hypotheſi tamen iſtâ (quæ demùm ſit) aſſignandâ in diverſa abeunt. Alii enim volunt ſolam hypotheſin *Decreti* Divini, quo conſtituit & minatus eſt Deus, homini, *1 Johan. 1. 1. 9. 2 Tim. 2. 8.*

mini, ſi *peccaverit morte moriendum* eſſe, adeòque vel morte ſuâ propriâ vel ſaltem ſponſoris juſtitiæ ſuæ ſatisfaciendum, ità tamen ut *citra decretum & comminationem* iſtam integrum ei fuiſſet hominem peccatorem vel juſtè *punire*, vel gratis ei *pœnam condonare* potuiſſe, vel longè minus aliquid infra mortem ſponſoris acceptilâſſe adeòque *ſatisfactionem* hanc „ ante decretum „ Dei conſiderant ut liberam, in decreto ut magis congruam, poſt decretum „ ut neceſſariam. Sic ex noſtris *Prideauxius* (Lect. 19.) *Twiſſius* †, & alii plures. Sic *Calvinus* in Johan. 15. 13. „ Poterat nos Deus verbo aut nutu redimere, niſi aliter noſtrâ causâ viſum fuiſſet (Inſtit. l. 2. cap. 12. §. 1.) Quòd ad *Patres* attinet S. *Bernardus* „ nullum hoc diffiteri aſſerit Epiſt. 190. „ Sine hoc holocauſto poterat Deus tantum condonâſſe peccatum. Sic *Cyprianus* de Card. Chriſti operibus Serm. 18. ἠδυνήσατο καὶ μηδ' ὅλως ἐπιδημήσαντι & μόνον εἰπεῖν ὁ Θεὸς καὶ λύσαι τὴ κατάραν sic *Athanaſius* Serm. 3. contra Arianos. Sic verò *S. Auguſtinus* Sermone 3. de Annunciatione Domini „ Sic „ voluit ruinam fragilis vaſis reformare, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia juſtus eſt; nec inſanabile, quia miſericors eſt. Potuit aliter fieri, quantum ad potentiam Medici, ſed non potuit commodiùs aut doctiùs præparari ut eſſet Medicina ægroti. Et de Trinitate lib. 13. cap. 10. ad eos refellendos qui dicunt itàne defuit Deo modus alius, quo liberaret homines, àmiſeriâ mortalitatis hujus, ut Unigenitum Filium Deum ſibi coæternum hominem fieri vellet, mortalèmque factum mortem perpeti, ad hos, inquam, refellendos „ parùm eſſe dicit ut aſſeramus modum „ iſtum bonum, & Divinæ congruum dignitati, verùm etiam ut oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cujus poteſtati cuncta „ æqualiter ſubjacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem modum „ alium non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe.

Voſſius contra Ravenſpergerum cap. 14.
† *In Vindic. lib. 1. part. 2. Digreſſ. S. pag. 198, 199. &c.*
Voſſ. cont. Ravenſperg. cap. 14. 28, 30. Rhetoſortis de Provident. cap. 22. Aſſert. 6.
Vide etiam cap. 16.

Alii tamen citra iſtam Decreti Divini hypotheſin ſolam *peccati humani exiſtentiam* (non ex Decreti ſolius Divini, ſed ex *Dei naturæ & eſſentialis juſtitiæ* ſuppoſitione) pœnam hanc & mortem ab homine peccatore exegiſſe, non ſine Chriſti morte & ſatisfactione expiandam. Sic *Piſcator*, *Lubbertus*, alii. Hanc quidem *omninò abſolutam* neceſſitatem fuiſſe non dicunt; *potuit* enim Deus hominem *non creâſſe*, *potuit* eum creatum à peccato & lapſu *integrum ſervâſſe*; *potuit Chriſtum* in *Sponſorem* & *Redemptorem non inſtituiſſe*: ſed *poſitis hiſce*, *hominem creatum*, & in peccatum *lapſum*, & *Chriſtum* ipſius *Redemptorem* fuiſſe; vel *ipſum hominem pœnas* neceſſariò *luiturum*, vel *Sponſorem* ejus *Divinæ juſtitiæ vindicatrici ſatisfacturum* contendunt, idque exigente non ſolo *Decreto* & Conſtitutione Divinâ, ſed *ipſâ Dei naturâ* & *juſtitiâ eſſentiali*.

Owenus de Juſtitiâ Divinâ. Maccovius Loc. Com. cap. 21.

Quibus ità conſtitutis, triplex (ut videtis) aſſurgit variè opinantium ſententia, Prima *Socinianorum* qui *Chriſti ſatisfactionem nullam* omninò, nedum *neceſſariam* eſſe ſtatuunt; Secunda *Auguſtini* & aliorum, qui *ſatisfactionem* hanc & *factam* & ad noſtram Redemptionem *neceſſariò* factam eſſe volunt ex *hypotheſi* non *ſolius peccati noſtri*, quia id *gratis condonare poterat*, ſi ità Deo viſum fuerat, ſed non niſi interveniente hypotheſi *Decreti Divini*; Tertia denique eorum, qui contendunt neceſſariam fuiſſe ex hypotheſi quidem Decreti & interminationis Divinæ, ità tamen ut etiam ſi non interveniſſet

tale

tale Decretum, ex *ſolâ ſuppoſitione* noſtri, ex quo *citra Dei conſtitutionem* illam poſitivam ex ipſâ *eſſentiali Dei juſtitiâ* neceſſariò ſequuturus fuiſſet non ſolùm *ad pœnam reatus*, ſed & *pœnæ* à nobis luendæ *inflictio*, vel à Sponſore Chriſto vice noſtrâ juſtitiæ illi Divinæ ſatisfactio.

De hæreſi *Socinianorum omnem* Chriſti *ſatisfactionem* negantium priùs alibi pluribus egimus, quæ jam iteratò reponere non libet.

Quod ad duas reliquas Theologorum *noſtrorum* inter ſe decertantium ſententias attinet, utrùm pœna à nobis jam in peccatum lapſis neceſſariò luendæ, adeòque à Sponſore noſtro Chriſto præſtanda ſatisfactio; vel ex hypotheſi *ſolius Decreti* & Conſtitutionis Divinæ, vel ex *ſolâ naturâ* tum *peccati*, tum *Dei*, atque *eſſentiali ejus juſtitiâ*; nollem equidem me in hanc controverſiam immittere, illud potiùs *Abrahami* dixerim, in re ſaltèm adeò ſpinosâ, „ ne ſit inter nos contentio, nam viri fratres ſumus; præcipuè cum *utrinque* in confeſſo ſit *Theſeos noſtræ* veritas, „ Chriſti ſatisfactionem ſcilicet „ Divinæ juſtitiæ & gratiæ congruam eſſe, quod neutri diffitentur, cum S. *Auguſtinus modum convenientiorem dari non potuiſſe* (prout audiviſtis) aſſeruit, imò *Twiſſus* ipſe, Deum peccata punire ſi non naturali neceſſitate, at *congruitate* ſaltem *naturali* ῥητῶς fatetur: imò ipſam *denuntiationem mortis*, quâ ſolâ niti vult, pœnæ hujus à nobis luendæ vel à Sponſore faciendæ ſatisfactionis neceſſitatem à *juſtitiâ Dei eſſentiali* provenire non negabit, certè non negavit *Auguſtinus* loco priùs allato, ubi dixit „ Deum noluiſſe peccatum hominis dimittere impunitum quia juſtus erat: ſi ergò non ſolùm ex conſtitutione Divinâ, ſed & ex ipſâ *Dei naturâ* & *juſtitiâ* hoc totum fieri dicatur, certè nil inde, ut opinor, accedet incommodi.

Gen. 13. 8.

pag. 205.

Primò, non illud quòd Deus hoc ageret non *liberè* ſed *brutâ* quâdam vel *purè naturali* (quæ rebus inanimatis ineſt) *neceſſitate*. Hoc quidem *Piſcatoris* (licèt mens alia ſit) verba (tamen) nimis ſonare videntur, dum illud Apoſtoli „ Deus ignis conſumens eſt nimis forſan urget, atque ſimilem in Deo peccata puniendi ut in igne combuſtibile quodvis urendi neceſſitatem. Sed procul dubio Vir Doctiſſimus dum *neceſſitatem* ponit, *libertatem* non adimit. Nos certè in maximè *neceſſariis* Dei operationibus concomitantem ſemper voluntatis *libertatem* (quæ purè naturaliter agentibus deeſt) aſſerimus: ut quamvis *naturaliter ſeipſum amet*, & glorian ſuam vult, id tamen agit *liberrimè*, neque (quoad hoc ſaltem) obſtat aliquid quin idem obtineat in *peccati odio* & *punitione*.

Heb. 12. *ult.*

Secundò Multò minus eſt quod huic ſententiæ Vir Doctiſſimus aliquid *blaſphemiæ* affine impingat, ac ſi *Omnipotentiæ Divinæ* derogaret, quod tamen ſæpiùs inculcat, nimirum ſi Deus ex *juſtitiâ* ſuâ *naturali* pœnas æternas peccatoribus neceſſariò infligat, tum neceſſariò peccatores tales in *æternum durarent*, atque proinde impoſſibile eſſet, ut Deus Creaturas illas ſuas *annihilaret*, quod Omnipotentiæ ſuæ (ut ipſi viſum eſt) derogaret. Nam hoc idem æquè obiici poteſt de *neceſſitate* hâc quæ ex *Decreto*, ac de illâ quæ à *naturâ* ejus fluit. *Hanc* quidem *negat*, at *illam concedit*, at neutra *Omnipotentiam Divinam* deſtruit, cum neutra hæc neceſſitas omnimò *abſoluta*, ſed *hypothetica* ſit, ſcilicet ex ſuppoſitione *peccati*, quæ æquè *naturæ* ac *voluntis* Divinæ *contraria* eſt ac proinde *reatum* & *pœnam* vel in *peccatore*, vel *ſponſore* ſecum trahit.

His demùm ità præſtitutis, ſatisfactione Chriſti utrivis prædictæ vel *naturæ* Divinæ, vel *decreti* hypotheſi innixâ, Theſeôs noſtræ veritas palàm conſtat, hanc ſcilicet „ Chriſti ſatisfactionem tam juſtitiæ quàm gratiæ Di-„ vinæ maximè congruam eſſe.

Nam primò ſi *juſtitiam* ſpectemus, ei ad amuſſim congruit, ſi Decreto Dei nitatur, illud omninò exequitur; cum enim *peccatori* Deus *mortem* deſignaverit, interminatus fuerat, en *peccatorem* in *ſponſore* ſuo *morientem*, atque in eo Deum juſtiſſimum veraciſſimum minas ſuas ratas præſtantem.

De Incarnat. lib. 2. cap. 3. qu. 1. Sic *Zanchius* „ Etſi Deus ſervare nos poterat ſolo ſuo imperio, peccata ſim-„ pliciter ex ſuâ miſericordiâ condonando, noluit tamen, ſed ſapientiſſimè „ conſtituit, ſicut juſtitia ipſius exigebat, peccata non condonare, niſi ve-„ rè per effuſionem ſanguinis humani priùs piarentur. Si verò *Naturâ Divi-nâ* & *juſtitiâ eſſentiali*, ut alii volunt, en eam illibatam, & inviolatè ſartam tectam ſervatam.

Idque cum (ſupra quod dici vel ſatis æſtimari poſſit, *auctario*, dum, ne labes aliqua, vel macula affricari poſſet, miſelli hominis vice, *Unigeniti Dei Filii* morte litatum eſt. Cujus quidem loco noſtro *ſubſtitutio* infinitæ atque innarrabilis *amoris* & miſericordiæ fuit, at quæ exactiſſimæ *juſtitiæ* tantum abfuit ut vel minimum ademerit, ut ſuperpondium immenſum ſuperaddiderit, eamque maximè omnium illuſtraverit. *Morte* ſiquidem *Filii Dei millies* magis Divinæ juſtitiæ *ſatisfactum* eſt, quàm ſi in univerſum periremus omnes, idque in æternum. In hâc utique ἀκριβοδικαιοσύνης Divinæ

Rom. 1. 32. ſpecimen eluxit illuſtriſſimum, in eâ illud δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶ maximè omnium conſpicuum factum eſt. Nil ſanè *nos peccatores morte dignos* fuiſſe, atque *juſtitiæ Divinæ pœnas dediſſe* æquè ad vivum demonſtrare poterat, quàm quòd ſponſor noſter Θεάνθρωπος noſtrâ vice illam pertulit, huic ad plenum uſque ſatisfecit.

Quod cum *juſtitiæ Divinæ* adeò per omnia congruum fuit, quanto magis (ſi hîc darentur gradus aliqui) & *gratiæ*? Nam

Primò, ſi (ut aliqui volunt) hæc mors & ſatisfactio Chriſti ſolâ liberi *Decreti* & *voluntatis Divinæ* hypotheſi nitatur ità ut ſine eâ peccata noſtra gratis condonâſſe Deo integrum fuiſſet; ὑπερεκπλήσσει incomparabilem ejus *gratiam* nobis commendat, quòd tam *immenſo pretio* nos viliſſimos redimere voluit, quod vel *nutu* gratis *poterat*. „ Cæterùm quod nobis opti-

Inſtit. l. 2. c. 12. §. 1. „ mum erat ſtatuit Clementiſſimus Pater. Sic *Calvinus* Sic autem *Gregorius* Moral. lib. 22. cap. 26. „ Qui cum poſſet nobis etiam non moriendo ſuccur-„ rere, ſubvenire tamen moriendo hominibus voluit, quia nos videlicet „ minùs amâſſet, niſi & vulnera noſtra ſuſciperet.

Sin verò ipſius *natura* & *eſſentialis juſtitia* hoc exegerat, id immenſo dono nil *adimit*, ſed infinitæ donantis gratiæ *ſuper addit* plurimum; quo enim major & multiplex magis noſtra fuit *ad pœnam obligatio*, non eò minor, ſed longè major erat in nobis redimendis Omnipotentiſſima *Dei gratia*, ut verè

Rom. 5. 20. cum Apoſtolo dicere poſſimus ὃ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις præſertim ſi magis ſeriò perpendamus quis pro quibus, quid præſtitit, pertulit, pro miſeris ſcilicet & nihili homunculis, iiſque minimis; *Dei Filius homo* fit, *vitæ Dominus mortem* paſſus eſt, *Unicè dilectus Patris iram*

ſubiit.

ſubiit. ὦ βάθος! Pace Doctiſſ. Reſpondentis iterum dicam minus dixit; cum hanc ſatisfactionem Divinæ gratiæ *congruam* dixerat. At hoc contra *Socinianos* dixit, qui *ſatisfactionem* hanc *gratiæ contrariam* aſſerunt „ Re- „ miſſioni enim gratuitæ nihil adverſatur magis quàm Satisfactio. Cui „ enim creditori ſatisfit, vel ab alio debitoris nomine de eo dici non poteſt „ verè eum debitum gratuitò ex ipsâ gratiâ remiſiſſe. Sic Cathechiſta *Racovienſis.* *Ubi priùs Cap.* 8.

At non idem cum hæretico, imò contrarium dicit S. Scriptura, quæ dicit „ nos in Chriſto habere ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ i. e. *redemptionem* per inæſtimabilis λύτρου illius ſolutionem, & ſimul *remiſſionem peccatorum* maximè *gratuitam*, utpote „ ex diviti ejus gratiâ Epheſ. 1. 4. prout in Lege antiquâ peccati per Sacrificium *expiationem*, & ejusdem *remiſſionem* conjunctas legimus Levit. 4. 31. Neque valet ejus argumentum, vel ad id confirmandum à *creditore* ſumpta comparatio. *Paulus* enim *Philemonem* orat ut *Oneſimo* debitum gratis *condonet*, dum illud ipſum *ſe ſoluturum* ſpondet: ergò nulla hîc inter *ſatisfactionem* & *gratuitam remiſſionem* eſt propriè dicta *oppoſitio*, nam ea *ad idem* eſſe debet; & ſic quidem ἀσύφατα eſſent *eandem perſonam idem debitum ſolvere*, & *ipſi gratis remiſſum* habere: at hîc *duo* ſunt *ſubjecta*, *Nos debitores*, qui minimum ſolvimus, adeòque quoad *nos gratuita* omninò *remiſſio* eſt, & *Chriſtus Sponſor*, qui *debitum ad plenum ſolvit*, atque ideò quoad eum plenaria *ſatisfactio* eſt. *ad Philem.* v. 18, 19.

At inſtat Hæreticus nullam gratuitam eſſe remiſſionem, non ſolùm ſi ipſe debitor debitum ſolvat, verum etiam ſi *Sponſor* idem præſtet *ejus nomine*; *Obj.*

Cui Reſpondemus, Id verum quidem eſſe, ſi Sponſor iſte debitoris prece vel precio, vel dignitate, vel tali aliâ ratione aliquâ inductus à *debitore* in Locum ſuum ſurrogatus, ſuo nomine debitum expunxerit: at non, ſi à *ſeipſo* ſponte oblatus, vel à *Creditore* gratuitò *ſubſtitutus*: quod hîc inprimis obtinet; adeòque quamvis *noſtro nomine* Sponſor noſter hoc totum præſtitit, duplici tamen (*nos* quod attinet) maximè *gratuita* eſt *gratia*. *Reſp.*

1. Quod *nobis* nil tale *merentibus*, *conantibus*, *rogantibus*, imò ne *cogitantibus* quidem, Creditor noſter Deus, qui vel ex naturâ vel decreto ejus peccatum noſtrum ſine ſatisfactione præſtitâ impunitum dimittere non potuit, ad gratuitæ ejus erga nos gratiæ divitias illuſtrandas, ex ſolo motu proprio, & merâ gratiâ *Chriſtum* ſe Patri in *Sponſorem ultrò* offerentem *nobis paravit* & *conſtituit*.

2. Quòd λύτρον hoc ab eo ſolutum nobis imputare, ac in rem noſtram acceptare placuit, cum ad illud non teneretur, ſed debitum illud totum nobismet ipſis & propriis noſtris perſonis ſecundùm primi Fœderis rigorem exigere jure potuiſſet: atque ità cum propter *ſatisfactionem* Chriſti *nobis gratuitò* remittuntur peccata, eam tum *juſtitiæ* tum *gratiæ Divinæ* ſummè *congruam* eſſe cum Doctiſſimo Reſpondente concludimus.

FINIS.

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York

SYLLABUS Rerum in Prælectionibus tractatarum.

In Prælect. in *Joan.* 17. 3.

HEterodoxi *ex eo loco colligunt Christum non esse Deum, quia,*
1. *Patrem* solum verum Deum *ipse asserit.* pag. 6.
Ad id respondetur quadrupliciter, p. 8, 9, 11, 12.
2. *Patrem orat; respondetur* p. 15.
3. *Glorificari a Patre orat; respond.* p. 16.
4. *A Patre missum se dicit. resp.* 17, 18, 19.

In Prælect. in *Rom.* 1. 17.

1. *Quo sensu Justificationis vox sumenda in Disputatione Paulinâ.* p. 26.
Probatur quòd in forensi, p. 35.
Quomodo in Rom. 5. 1, 9. *ubi* Hammondi *Paraphrasis & Annot. discutiuntur,* p. 44.
Collatio Justificationis cum Redemptione, p. 51.
Cum Reconciliatione, p. 52.
Cum Adoptione, p. 56.
Justificationis Prioritas p. 59.
Collatio Justificationis cum Vocatione, Regeneratione, Sanctificatione, p. 81.

2. *Quænam sunt ea opera, quibus in S. Scripturâ derogatur nostra Justificatio,* p. 82.
An sola ceremonialia? p. 98.
Probatur quòd non, p. 100.
Argumenta Adversariorum diluuntur p. 106.
An ea tantùm quæ fidem precedunt, & solis liberi arbitrii fiunt? & quòd non, p. 113.
Objectiones Advers. diluuntur p. 126.
Patrum Testimonia à Bellarmino *allata, expenduntur,* p. 144.
Ut & quædam Theologorum nostrorum. 149.
Examen D. Hammondi *in* Matth. 5. 17. 155.

In *Rom.* 4. Vers. 5 priores.

De generali Scopo & Analysi totius Periocheſ, 162.
Expositio Vers. 1. 177.
Vers. 2. 186.
Vers. 3. 196.
Q. 1. *An Apostolus locum illum Geneseôs aptè ad presens propositum allegavit?* 202.
Q. 2. *Quid sit imputari?* 209.
Imputari in Justitiam, 215
Quo in sensu Christi justitiam ad nostram justificationem imputari dicimus, 217.
An revera imputetur? 221
Bellarminus *ait, hoc in nullo loco reperiri. Resp. ad hanc Objecti.* 1 Cor. 1. 30. *vindicatus* 223.
2 Cor. 5. 21. 225.
Rom. 5. 18. 234.
Respondetur Bellarmini *argumento* 2*do* & 3, 252.
Q. 1. *An fides, si in hac vita non perficiatur, nunquam perfici possit, cum in futurâ evacuabitur, secundùm* Bellarminum? 262.
Q. 2. *An in morte primùm omnino tollantur inherentis peccati reliquiæ, ubi contra* Castalionem *agitur.* 269.
Respondetur ad Bellarmini *Argumentum* 4*tum,* 292.
5, 6, 7. 296
8. 298.
9. 299.
10. 301.
An justificamur Christi essentiali, qua Deus est, Justitia, ut Osiander *voluit.* 302.

In Parte secundâ.

Thesis confirmata. Articuli fidei non sunt ad humanæ rationis normam exigendi. p. 1.

Syllabus Rerum in Prælectionibus tractatarum.

Determin. Queſt. Lex moralis obligat fideles ſub Evangelio 15.

Concio in Matth. 5. 13. 34.

Determ. Queſt.
1. *Chriſtus per mortem fuit Sacrificium propriè expiatorium peccatorum.* 45.
2. *Obedientia Chriſti non tollit Chriſtianam.* 51.

Concio in 1 Cor. 4. 4. 54.

Queſtiones determinatæ.

I. *Magiſtratum gerere non repugnat Chriſti Inſtitutis.* 65.

II. *Humana Chriſti natura non eſt ex vi unionis Hypoſtaticæ Divinarum proprietatum particeps.* 69.

III. *Religio non eſt vi & armis propaganda.* 72.

IV. *Infallibilitas nulli competit creaturæ.* 76.

V. *Electio eſt prorſus gratuita.* 78.

VI. *Omne peccatum eſt ſuâ naturâ mortale.* 82.

VII. *Ad Miniſterium Eccleſiæ ſuſcipiendum ordinariè requiritur legitima vocatio,* 88.

VIII. *Chriſtiano licet ex intuitu mercedis operari.* 94.

IX. *Meritum Papiſticum ex S. Scripturâ non probatur.* 98.

X. *Purgatorium Papiſticum eſt fictitium.* 103.

XI. *Pœnæ propter peccatum æternæ non ſunt iniquæ.* 107.

XII. ψυχοπαννυχία *nec ratione fundatur, nec Scripturis.* 113.

XIII. *Peccata præterita & futura non ſimul remittuntur.* 118.

XIV. *Fraudes, quæ vocantur piæ, ſunt illicitæ.* 123.

XV. *Nullus aſſenſus conſtituit rationem fidei juſtificantis.* 128.

XVI. *Ad Redemptionis noſtræ* λύτρον *tam activa quàm paſſiva Chriſti ſpectat obedientia.* 134.

XVII. *Deus reputat pro juſtis non niſi reverâ juſtos.* 139.

XVIII. *Rectitudo primi parentis non fuit donum ſupernaturale.* 144.

XIX. *Beati in ſtatu gloriæ ſe mutuò ſunt agnituri.* 152.

XX. Αὐτοφονία *non eſt licita.* 157

XXI. *Verè fideles certi eſſe poſſunt de ſalute.* 162.

XXII. *Credentes tenentur ad obedientiam Legis.* 168.

XXIII. *Dominium temporale non fundatur in Gratiâ.* 174.

XXIV. *Cognitio ſana neceſſariò credendorum eſt pars Religionis eſſentialis.* 180

XXV. *Regnum Chriſti perſonale in terris non eſt expectandum.* 185.

XXVI. *Miniſtris conjugium non eſt interdicendum.* 192.

XXVII. *Intellectus vi ſolâ nativi luminis non percipit ſalutariter doctrinam Evangelii.* 197.

XXVIII. *Fides juſtificans à bonis operibus ſejungi nequit.* 203.

XXIX. *Precepta Evangelica de vitâ inſtituendâ ſunt rectæ rationi conſentanea.* 207

XXX. *Renati in hâc vitâ non poſſunt perfectè legem Dei adimplere.* 214.

XXXI. *Externus Judex infallibilis in Controverſiis fidei, nec datur, nec requiritur in Eccleſiâ.* 221

XXXII. *Bona opera ſunt neceſſaria ad Salutem.* 228.

XXXIII. *Concupiſcentia in renatis eſt peccatum.* 235

XXXIV. *Quintum* Danielis *Imperium non reſtat adhuc expectandum.* 242.

XXXV. *Interna Dei illuminatio non tollit uſum neceſſarium Miniſterii Evangelici.* 248

XXXVI. *Officia Eccleſiaſtica ſunt linguâ vulgò notâ celebranda.* 251.

XXXVII. *Verbum Dei externum eſt ordinarium medium converſionis ad ſalutem.* 258.

XXXVIII. *Indulgentiæ Pontificiæ non nituntur verbo Divino.* 264.

XXXIX.

Syllabus Rerum in Prælectionibus tractatarum.

XXXIX. *Christus est Patri ὁμοούσιος.* 270.
XL. *Status in quo homo nec justus sit nec injustus non datur.* 275.
XLI. Jacobi *sententia de Justificatione non est adversaria* Paulinæ. 283.
XLII. *Usura legitima non est illicita?* 287.
XLIII. *Sacrificia sub & ante* Mosaicam *Oeconomiam typi fuerunt* Iesu Christi. 294
XLIV. *Divortium matrimoniale non solvit vinculum.* 301.
XLV. *Culpâ remissâ non retinetur pœna.* 306
XLVI. *Non licet gladio animadvertere in Hæreticos.* 311.
XLVII. *Promulgatio est de essentiâ Legis Divinæ.* 316.
XLVIII. *Principes nulli terreno foro sunt obnoxii.* 320
XLIX. *Externa fidei professio dat jus ad Sacramenta.* 324.
L. *Lectio S. Scripturæ non est interdicenda Laicis.* 331.
LI. *Characteres Antichristi in Scripturâ expressi præcipue conveniunt Pontifici Romano?* 337.
LII. *Satisfactio Christi pro peccatis est congrua justitiæ & gratiæ Divinæ?* 342.

Monendus es, benevole Lector, à *pag.* 120 primæ Partis usque ad 160, Titulum illum, *Prælectio probatoria*, incongruè adhiberi, & ejus loco hunc, sc. *Prælectiones Theologicæ*, debere substitui. 20

Exorandus etiam es, ut erratis preli longâ Editoris distantiâ admissis pro candore tuo ignoscas, & hæc quæ subduntur benigna manu corrigas.

Errata in Parte prima.

PAg. 14. lin. 13. lege *loqui amant*. l. 23. deest *quin* post *diffiteor*. P. 15. Marg. l. 8. deest *donat* post *cum Patre*. P. 21. l. 17. deest *cum* post *quam*. P. 24. l. 17. lege *ad secundum*. P. 25. l. 9. pro *tandem* lege *tantum*. P. 34. l. 42. dele *quoad*. P. 37. l. 40. post *Hebr.* vocem יהוה insere hæc, *Justitiam inhærentem notet, at Græca illa* διδικαιῶσαι. P. 46. l. 28. lege *justificandos*. ibid. l. 42. pro *perpessam* lege *obitam*. P. 48. l. 42. dele *sustenta*. P. 49. l. 25 pro *Nunc* l. *Num*. P. 51. l. 14 lege *V.G.* P. 52. l. 42. pro *quam* l. *quarum*. P. 54. l. 31. dele *dico*. l. 35. insere *tam* post *etiam*. P. 56. l. 45. ante vocem *sit* insere ex margine vocem *Relatio*. P. 59. l. 2. pro *ut* l. &. P. 66. post *istum* deest *natum*. P. 67. l. 7. pro & l. *ex*. & l. 13. P. 70. l. 32. dele Notam interrog. P. 76. l. 4. l. *Ad illud quod dicit*. P. 81. l. 5. insere *doleo* post *causâ*. ibid. l. 33. pro *quasi* l. *quod*. P. 92. l. 9. l. *anathemate ferit*. P. 93. l. 15. l. *puris putis*. P. 99. l. 23. l. *in se fuerint*. P. 102. l. 30. l. *solidi*. P. 104. l. 2. insere *num* ante *inde*. & l. 5. appone notam interrogat. in fine: ibid. l. 41. l. *leges*. P. 106. l. 13. post *moralium* insere *reos agit*. P. 108. l. 6. l. *docti*. P. 109. l. 20 l. *agnitio*. l. 23. pro *forsan* l. *felicter*. P. 119. l. 12. post *ex operibus* insere *habnimus*. P. 124. l. 29. post

est

est insere *quod*. ibid. l. 32 l. *detrahitur*. P. 129. l. 28. post *inurant* insere *quod*. P. 148. l. 25. pro *enim* l. *etiam*. l. ult. l. *ex parte constat*. P. 149. l. 14. deest *efficere* post *efficaciter*. P. 116. l. 26. dele *doctrinam*. P. 168. l. 13. insere *voluit* post *illustrare*. P. 179. l. 26. insere *non* ante *convenit*. P. 180. l. 1, 2. *sub forma interrogationis negat*, rejicienda in marginem. P. 189. l. 2. insere *fides* post *quia*. P. 190. l. 4, 5. l. *blaspheme-audacem*. P. 191. l. 15. pro *sic* l. *si*. P. 193. l. 13. l. *gloriantur*. P. 197. l. 15. l. *provocare*. P. 202. l. 2. post *credidit Deo* insere *ut inde saltem constaret credere Deo*. P. 204. l. 19. pro *ut* l. *in*. P. 211. l. 9. l. τῷ. l. 22. l. *et*. P. 234. l. 1 l. *plenè*. l. 40. pro *Et* l. *At*. P. 255. l. 35. l. *quoad*. P. 258. l. 26. l. *perfectio*. P. 263. l. ult. l. *fecit*. P. 272. marg. *Juliani*, &c. debent apponi duabus ult. lin. superioris marginis. P. 288. l. 7. l. *revelaturus*. P. 301. l. 14. dele *loco*. P. 302. l. 18. deest *tutissimum* post *Bellarminum*. P. 303. l. antepenult. insere *naturas* post *duas*. P. 309. l. 33. l. *in vocatione* (*duabus vocibus*. P. 312 l. 10. l. *imputatione*.

Errata in Parte secunda.

PAg. 1. l. 7. lege *velitatione*. P. 4. l. 39, pro *apodictice* l. *aperte*. P. 6. in marg. l. 15. deest *lux* post *sanctissima*. P. 11. l 42. l. *renitente*. P. 13. l. 3. l. *luce*. P. 14. l 38. l. *quique*. P. 15. l. 2 post *Novemb.* adde 1649. l. 30. pro *ut* l. *at*. P. 17. l. 8. post *panitentiam* adde *agentis*. P. 23. l. 10. pro *quo* l. *qui*. P. 25. l. 28. l. *constitutivam*. P. 26. l. 32. pro *quamvis unio* l. *quatenus*, *sive*. P. 28. l. 13. *negant*. l. 15. l. *nihili*. P. 29. l. 30. pro *ut* l. *in*. P. 33. l. 26. l. *nunquam*. P. 37. l. 26. pro *ut* l. *nè*. P. 40. l. 28. pro *quod* l. *quo*. P. 41. l. 12. pro *Antiqui* l. *atqui*. ibid. l. 31. pro *hinc* l. *huic*. l. 32. l. *provectos*. P. 42. l. 35 l. *verè*. P. 43. l. 2. l. *reponendum*. P. 44. l. 19. insere *nunquam* post vocem *habuit*. P. 48. post lin. 12. insere hæc, *At Davi nostri, ut aliàs semper, sic hic imprimis perturbant omnia, dum acriter contendunt*. Pag. 49. *l.* 17. l. *huc*. Pag. 52. lin. 34. lege *remittant*. P. 55. *l.* 34. adde *in cujus porro nomine te ultra compellamus, prout ipse nos docuit in Evangelio*. Pag. 58. lin. 20. post vocem *justitia* hæc insere *nostra ad examen Divinæ justitiæ deducta, injustitia est*; tum perge, *& sordet*, &c. P. 59. l. 9. pro *inimicis* l. *minus*. P. 61. l. 23. l. *calcem*. P. 63. l. 17. l. κεφαλαιοι. P. 67. l. 16. l. *deligendi*. P. 68. l. 1 l. *lapsæ*. P. 71. l. 41. deest in initio *ac si*. P. 73. l. 23. l. *insultam*. P. 74. *l.* 12. l. *populo*. *l.* 14. pro *ne* l. *ut*. P. 76. marg. *l.* 1. l. *magistrum*. P 86. *l.* 2. l. *deberi*. P. 87. *l.* 12. insere *quod* ante *veniam*; *l.* 25. pro *melius* l. *mitius*. P. 99. *l.* 12. l. *aut placetur*; ibid. l *ut Bellarmino*. P. 106. *l.* 46. ante Parenthesin insere *vel*. P. 107. *l.* 32. l. *Satan*, & insere *Divinæ* ante vocem *Majestatis*. P. 111. *l.* 27. l. *illo*. ibid. *l.* 45. pro *ac* l. *ad* P. 114. l. 17 *l. dormitionem*. P. 118. *l.* 40. l. *mens*. P. 120. *l.* ult. pro *enim* l. *etiam*. P. 123. *l. quod est reticet*. P. 126. *l.* 5. pro priori *omnes* l. *ambo*; *l.* 36. post vocem *imaginoso* insere *nisi per remedia imaginosa*. l. 38. pro *qui* l. *quis*. P. 128. l. 23. pro *nullum* l. *unum*. P. 129. *l.* 42 hæc desunt, *Hæc Assensus in genere natura & ratio est, in specie vero varius imo multiplex esse potest*. P. 142. post vocem *putatitiam* insere *reputationem*. P. 145. *l.* 22. l. *supernaturale*. *l.* 42. *ademptum*. P. 163. *l* 9. dele *cujus nulla unquam futura*. P. 164. *l.* 7. dele *si*. P. 163. marg. juxta *l* 1. deest 1. & juxta *l.* 32. deest 2. P. 170. *l.* 3. l. *& quo magis fideles sumus, eo ex animo magis fideliter*. P. 182. *l* 12. l. *officii*. *l.* 25. l. *operi*. P. 202. *l.* 5. l. *oppositè*. P. 210. marg. *l.* 4. pro *it* l. *&*. P. 211. *l.* 7. l. *avertetur*; *l.* 22. in initio adde *quatenus*. P. 214. *l.* 37. pro *Paulo* l. *paulo*. P. 217. *l.* 39, 40. l. sic. *Carne licet serviant legi peccati, mente tamen legi Dei*. p. 221. *l.* 23. post *dari* insere *pernegant* 2do *alii, qui hunc & requiri & dari*. p. 230. *l.* 32. post *justificemur* insere *& salvemur*) *bona opera justificatis*. p. 232. marg. *l.* 3. pro 4. *l.* 1. p. 239. *l.* 33. insere *atque* post *conjuncto*. p. 242. *l* 2. pro *non* l. *nos*. p. 259. *l.* 43. appone in margine 3. p. 263. *l.* 8. l. *varius* p. 286. *l.* 25. deest *qui* ante *operum*. *l.* 36. l. *justificationi*, & dele prius *ut*. p. 292. *l.* 13. l. *mutuationem*; *l.* ult. dele ʌ super *jactura*. p. 294. *l.* 34. pro *atque* l. *at*. p. 299 *l.* 13. l. *conditione*. p. 314. *l.* 43. pro *nam* l. *num*. p. 320. l. 10. insere *tam* post *tamen*. p. 323. *l.* 12. l. *insultum*; l. ult. *damnatum*. p. 324 l 1. *inultum*. p. 326. *l.* 19. l. *Sacramento*. p. 328. *l.* 27. l. *omnia* & 1 Cor. 13. p. 333. *l.* 19. dele *ad*. p 342. *l.* 35. l. *condonationis*; *l.* 36. l. *facta*. p. 345. *l.* 1. post *suppositione* insere *peccati*. p. 347. *l.* 37. insere *a* ante *nobis*.

To the Book-binder.

Place *Præfatio Authoris* (which is an half-sheet) after pag. 64. in the second Part.

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York